Sed hæc opinio, pace viri quidem docti, & inter præclara Luſitaniæ ingenia nemini ſecundi, mihi diſplicet, quia omnes conſuetudines à DD. reprobatę eſſent validę quia ſemper ſunt circa particulares caſus; & ideò hanc ſententiam reprobat Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 20. *punct.* 3. *num.* 10. Caſtrus Palaus *in opere morali tom.* 2. *diſp. vnica, punct.* 12. *nu.* 2. & 3. & Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 4. *cap.* 32. *num.* 14. *& ſeq.* Ratio eſt, quia iura, vt *Authentica caſſa, C. de ſacroſ. Eccleſ. cap. cùm terra, de elect. cap. ad noſtram, & cap. cùm inter, de conſuet.* non loquuntur de conſuetudine abrogante totã immunitatem Clericorum, vel in tota materia eius, vel in omnibus criminibus, vel omnibus cauſis ciuilibus, vel alia ſimili magna parte exemptionis, quia numquam tales conſuetudines fuerunt in Regnis Catholicis à multis annis introductæ, vel etiam inueteratæ, neque hoc auctores canonũ ignorabant: loquuntur igitur de conſuetudine particulari, vt apertè patet ex *cap. clerici, de iudic.* & ideò aliqui auctores, quando volunt defendere aliquas conſuetudines Regnorum, cum conſuetudine adducunt famam priuilegij, vt facit Philippus Probus *in addit. ad Io. Monachum. in cap. ſi iudex laicus, de ſent. excomm. in* 6. *num.* 3. & Carolus Degraſſalius *in Regal. Fran. lib.* 2. *cap.* 17. nam vt rectè obſeruat idem Suarez *vbi ſuprà cap.* 34. *num.* 17. ſi cum conſuetudine coniungatur conſtans fama, & traditio antiqua, ſeu immemorialis, quod præceſſerit priuilegium, & talis traditio integra probetur, videtur ſufficiens vt talis conſuetudo pro priuilegio reputetur: vnde ex his apparet, non eſſe admittendam doctrinam traditam ab Aluaro Valaſco *in praxi de partit. cap.* 35. *num.* 11. vbi docet, conſuetudinem immemorialem valere, etiamſi ſit præiudicialis Eccleſiæ; ſed de hac quæſtione infrà etiam redibit ſermo, vbi videbimus an Iudex laicus ex conſuetudine poſſit iudicare Clericos in minoribus? Et circa præſentem quæſtionem ne prætermittas videre Alexandrum Peſantium *in* 2. 2. *D. Thomæ quæſt.* 62. *art.* 2. *diſp* 6. & Petrum Binſfeldium *in comment. de iniuriis & damno dato, cap.* 7. *concl.* 12. *dub.* 3. vbi reprobat conſuetudines contra libertatem Eccleſiaſticam, etiamſi exemptio Clericorum nõ eſſet de iure diuino, ſed tãtùm humano.

Verùm an dictæ conſuetudines excuſentur per tolerantiam Papæ, traditum eſt *in part.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 5. nunc addam tantùm ea, quæ circa illud ſentit Peregrinus *de immun. Eccleſ. cap.* 2. *n.* 34. vbi poſtquã reprobaret ex ſacris Canonibus omnes conſuetudines contra immunitatem Eccleſiaſticam, tandem ſic aſſerit. Colligitur ex ſupradictis quòd excuſari non poſſunt Iudices & officiales curiæ ſæcularis illa communi & vulgari excuſatione, quòd Summus Pontifex videt & tolerat, nec declarat illos nominatim excommunicaros, & per conſequens tacitè videtur conſentire, & iſte tacitus conſenſus ſufficiens ſit ad excuſandos illos à peccato, & cenſuris. Nam decipiuntur, quia licet nominatim non excõmunicẽtur, non tamen per hoc ſequitur quòd non ſint excommunicati in Bulla Cœnę Domini; & ſimiliter decipiuntur dum preſupponunt ſubeſſe tacitum Romani Pontificis conſenſum, imò quotidie Summi Pontifices conqueruntur cùm Oratoribus Principum prohibent, pœnas conſtituunt, & quotannis in die Cœnæ Dom. publicam & ſolemnem ſententiam ferunt contra magiſtratus, Iudices, &c. ſæculares, qui talia agunt cõtra immunitatem & libertatem Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum, annullando omnes conſuetudines & præſcriptiones, ſeu corruptelas, & abuſus ſupradictos. Ex qua publicatione ſententiæ manifeſtè demonſtrant non adeſſe tolerantiam, quam ipſi præſupponunt. Ita Peregrinus *vbi ſuprà*, & Caſtrus Palaus *in opere morali tom.* 2. *diſp. vnica, de immun. Eccleſ. punct.* 12. *nu.* 3. docet longè abeſſe Pontificem ab hoc conſenſu, cùm quotannis in Bulla Cœnæ abroget omnes cõſuetudines immunitati derogantes. Idem docet nouiſſimè Gabriel Lotherius *de re beneficiaria lib.* 3. *q.* 33. *num.* 19. Vnde P. Suarez contra Regem Angliæ *lib.* 4. *c.* 32. *n.* 11. ſic ait: Semper Apoſtolica Sedes per ſententias, vel per expreſſa edicta cõſuetudinibus contra libertatem Eccleſiaſticam reſiſtit, & ſpecialiter in Bulla Cœnæ ſingulis annis eas reuocat, vel potiùs irritas eſſe declarat. Ergo numquam poteſt præſumi tacitus conſenſus Pontificis. Nam licet fortaſſe Pontifices non ignorent multa per conſuetudinem fieri contra libertatem Eccleſiaſticam, quæ non punit, ſed quodammodo tolerat, non ideò eſt, quia conſentiant, ſed quia ſine periculo maioris mali non poſſunt efficaciùs reſiſtere, & ideò non conſentiunt, ſed permittunt. Ita ille. Ex his

his igitur apparet ſemper & abſolutè non eſſe verum dicere, quòd ſi Papa tolerat aliquam conſuetudinem; ergo conſentit in illam. Vide Duardum *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 19. q. 8. n. 25.* Bonacinam *loco cit. q. 15 punct. 4. §. 3. n. 3. in fine.* & Fagnanum *in reſponſ. pro cenſ. Pauli V. fol. mihi 119.* cum Aponte *in reſponſ. pro cenſura Pauli V fol. 11. & 45.* & Antonio Bouio *in reſponſ. pro cenſ. Pauli V. part. 4 ad arg. 11. & 12. fol. 79.* & Collegio Bononienſe *in reſponſ. pro lib. Eccleſ. num. 57.* Vnde dum Pereira *vbi ſuprà ca. 24. n. 32.* aſſerit, quòd idem operatur tolerantia Summi Pontificis, ac diſpenſatio, verum eſt ſi loquitur de tolerantia approbatiua; ſecus autè de permiſſiua. Vide Cochier *de libert. Eccleſ. part. 2. c. 3. n. 8.*

RESOL. II. *An Clericus in minoribus amittat priuilegium fori, ſi non deſeruiat Eccleſiæ ad certum miniſterium ex Epiſcopi mandato?*

AFfirmatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia part. 2. c. 26. nu. 7.* vbi ſic ait: An autem affixatio, vel deputatio facta in ipſiſmet chartis Ordinum, dum dicit, eumque ſuę parochiæ affiximus, ſufficiat? dubitatum eſt in Senatu, & non ſine fundamento; videtur enim quòd hoc caſu requiratur ſpecialis Epiſcopi affixatio ad certum miniſterium in Eccleſia obeundum, non verò generalis, ſicque iudicauimus viſa forma ſacri Concilij. Sic ille.

Sed negatiua ſententia vera eſt, vt praxis demonſtrat, & ideò Doctores, quos ego citaui *in part. 1. tract. 2 reſol. 34.* aſſerunt abſolutè, Clericos minores gaudere priuilegio fori, ſi deſeruiunt alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi, nec vllam faciunt mentionem de affixatione ſpeciali ad certum miniſterium. quod manifeſtius apparet ex illa doctrina, quòd Clericus ſi deſeruiat alicui Eccleſiæ, etiamſi hoc non faciat de mandato Epiſcopi, gaudet priuilegio fori, & ita tenet & obſeruat determinaſſe ſacram Cardinalium Congregationem *die 29. Iunij*, 1628. Sellius *in ſelect can. c. 18. n. 22.* Idem etiam teſtatur Franciſcus Capiblancus *de offic. Baron. pragm. 8. part. 3. n. 32* Riccius *part 4. deciſ. 111. n. 5.* Marius Antoninus *var. reſol lib. 3. reſol. 48.* Ricciullus *de iure perſonarum, &c. lib. 7. c. 6. n. 15.* Quaranta *in ſumm. Bull ver. habitus clericalis*, & Nouarius *in iure Pontificio tit. de foro compet. concl. 6.* aliàs 92. *num. 5.* vbi ſic ait: Sufficit quòd Clericus inſeruiat diuinis etiam alteri Eccleſiæ, quàm illi cui fuit per Epiſcopum adſcriptus, vt declarauit ſacra Cardinalium Congregatio, & deciſum refert Riccius *in curia Archiepiſc. Neapol.* inferens ex hoc hodie adſcriptionem in Eccleſia de mandato Epiſcopi non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere quòd realiter fiat ſeruitium in diuinis; & meritò quidem, cùm ad id Concilium habuerit mentem, & ita obtinuit in magna curia Vicariæ in fauorem Clerici Dominici Port qui fuit remiſſus ad curiam Archiepiſcopalem probato ſeruitio in diuinis, licet non fuiſſet aſſignatum à ſuo Epiſcopo. hæc Nouarius, quæ à fortiori militant aduerſus ſententiam Pereiræ. Vnde non eſt audiendus Barboſa *de poteſtate Epiſc. part. 2. alleg. 12. n. 14.* Bonacina *in Bull. Cœn. diſp. 1. queſt. 16 ſect. 1 punct. 6 nu. 34.* & Carolus de Graſſis *effect. 1. n. 1170.* aſſerentes, Clericum inſeruientem alteri Eccleſiæ, quàm illi, cui Epiſcopus inſeruire præcepit, non gaudere priuilegio fori; nam cõtrarium, vt dixi, declarauit ſacra Cardinalium Congregatio, quam, me etiam citato, adducit nouiſſimè Antonius de Marinis *quotidian. reſol. cap. 58. nu. 12.* & Paulus Squillante *de priuileg. cap. 7. dub. 1. num. 13.* & ideò contra Pereiram non eſt ab hac ſententia recedendum, quam denique mutans opinionem, etiam me citato, tenet Barboſa *de iure Pontificio lib. 1. cap. 39. §. 2. num. 35.*

RESOL. III. *An Iudex laicus poſſit exequi ſuam ſententiam contra bona Clericorum in caſibus, de quibus in iudicio ſæculari actum eſt?*

HOc eſſe licitum de iure communi docet Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 51. n. 1.* vbi ſic ait: Si Clericus in iudicio ſæculari contra ſe ſententiam reportauerit mandato eiuſdem Iudicis ſæcularis, in eius bonis fiat executio, quod de iure communi comprobatur. Sic ille.

Sed hoc de iure communi eſſe illicitum probaui *in part. 1. tract. 2. reſol. 21. & part. 3. tract. 1. reſol. 4.* cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Bonacinam *in Bullam Cœnæ diſp. 1 quæſt. 16. ſect. 1. punct. 4. §. 6. num. 8.* & Paulum Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 7. dub. 3. num. 74.* vbi ſic aſſerit: Eſt aduertendum, quòd licet in caſibus de iure permiſſis, & vbi viget conſuetudo, reconueniatur Clericus apud Iudicem laicum: attamen ſi Clericus reconuentus condemnetur ab ipſo laico, non poteſt exequi, nec in rebus Clerici reconuenti, ſed ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinebit executio ad inſtantiam Iudicis laici. Ita ille, qui ex Genuenſi notat, quòd in curia Archiepiſcopali Neapolitana in caſu prædicto ſeruatur, quòd viſa ſententia & proceſſu Iudicis ſæcularis mandat curia executionem fieri contra Clericum, & ita hanc ſententiam tenet Imola & Butrius *in ca. poſtulaſti, de foro competent.* Marianus Socinus *in cap. 1. de mutuis pet.* &, me citato, nouiſſimè Antonius de Marinis *reſolut. quotidian. cap. 53. nu. 15. & 16.* qui citat Lupum & Graſſum.

RESOL. IV. *An Clerici in Sacris, vel Beneficiati qui condignè non puniuntur in foro Eccleſiaſtico, poſſint à Rege priuari bonis ab ipſo Rege obtentis?*

AFfirmatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 48. num. 3. & 4.* non per viam iuriſdictionis, ſed per viam œconomicæ gubernationis, vt flagitioſos à ſe & à ſua domo arceat, inſurgens in hoc, in fauorem legis Canonicæ, flagitioſis hominibus non ſufficienter punitis, illam pœnam addendo, quòd priuentur omnibus bonis, quæ ab ipſo Principe habent: vnde ſub tali conditione cenſentur talia bona conceſſa, ſicque aduenientne conditione ſine vlla iniuria adimuntur.

Sed hæc opinio fundata in aliquo priuilegio Pontificio ſuſtinetur, ſecus verò minimè; & ad auctoritatem Suarez, quam pro ſe adducit Pereira, reſpondeo eſſe diſparem rationem in feudo & in aliis criminibus. Deinde cùm certum ſit, quòd ex conceſſione facta Eccleſię nihil concedenti cenſetur reſeruatum, quod etiam procedit in dubio, vt docet Barbatia *in cap. verum, de foro compet. num. 69.*

Feli-

Felinus, Tuſchus, & alij, quos citat Cochier *de libert. Eccleſ. part. 1. cap. 31. num. 21.* quæro à Pereira, vnde putet Reges dediſſe bona Eccleſiis cum tali conditione? Dicendum eſt igitur quòd bona conceſſa Clericis efficiuntur ſtatim Eccleſiaſtica, & gaudent eodem priuilegio, quo gaudet perſona Clerici, vt habetur *in cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit.* & aſſerunt Doctores communiter. Vide Layman *in Theolog. moral lib. 4. tract. 9. cap. 6. nu. 8.* vbi probat bona Clericorum ex titulo ſpirituali acquiſita, eſſe prorſus immunia à iuriſdictione ſæculari. Vide etiam Ioan. Cochier *de libert. Eccleſ. part. 1. cap. 18. num. 20.*

RESOL. V. *An cognitio de habitu clericali ſpectet ad Iudicem laicum?*

AFfirmatiuam ſententiam præter DD. quos adduxi *in part. 1. tract. 2. reſol. 27. & part. 3. tract. 1. reſol. 15.* tenet nouiſſimè iterùm Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 44. num. 3.* putant enim per *cap. ſi Iudex, de ſentent. excommunic. in 6.* non eſſe licitum laicis cognoſcere quæſtionem iuris circa Clericos; ſecus quoad quæſtionem facti, vt eſt cognitio de habitu clericali; & addit Pereira *de bigamia, de tonſura, & aliis conditionibus requiſitis à Concil. Trident. ſeſſ. 23. ca. 6.* Vide etiam nouiſſimè Ioannem Honorium *in compend. iuris Canonici lib. 3. tit. 1. num. 15.* qui etiam hanc ſententiam tenet.

Sed ego *locis citatis* contrarium docui, & nunc iterùm doceo, & præter Doctores, quos *vbi ſuprà* citaui, tenet hanc opinionem Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 19. quæſt. 8. n. 19.* Molina *de iuſt. tract. 3. diſp. 49. n. 11.* Gauantus *in enchiridio Epiſc. ver. fori priuilegium, n. 32.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. c. 1. dub. 1. n. 16.* Caſtrus Palaus *in opere morali tom. 2. diſp. vnica, punct. 4. num. 7.* Melchior Lotherius *de re beneficiaria lib. 3. quæſt. 36. n. 69.* Scaccia *de iudiciis lib. 1. cap. 11. num. 8.* Menochius *de præſumption. lib. 6. quæſt. 76. n. 341.* Genuenſis *in praxi c. 38. n. 6. in fine.* Ambroſinus *de immunit. Eccleſ. cap. 23. n. 15.* Bonacina *in Bull. Cœn. diſp. 1. quæſt. 16. ſect. 1. punct. 6. n. 31.* Rolandus à Valle *lib. 1. conſ. 4. nu. 33.* Suarez de Paz *in praxi tom. 2. præl. 2. nu. 9.* Nauarrus *in cap. nouit. de iudic. not ab. 66. num. 44.* Gratianus *in diſceptation. forenſ. tom. 1. cap. 190. n. 15.* & alij penes ipſos. Nam ſi cognitio, an ſit Clericus, per dictum *cap. ſi Iudex*, ſpectet ad Iudicem Eccleſiaſticum, non video cur cognitio de habitu nõ ſpectet ad eumdem, cùm vtraque cognitio tendat ad idem. Et licet ſit controuerſia de facto, eſt tamen de quodam facto ſpirituali, ſcilicet Ordinis, ipſique pertinens. Item in iure Canonico ſtatuitur Clericum fori priuilegio gaudere, ſi habitum & tonſuram deferat. Ergo ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinet, & non ad ſæcularem, decidere quis dicatur tonſuram & habitum deferre. Deinde ad Epiſcopum pertinet habitum à Clericis deferendum præſcribere; ergo ad eumdem etiam ſpectat cognoſcere an habitus ſit clericalis. Vnde affirmatiuam ſententiam falſam eſſe, & ſacris Canonibus contrariam, docuit Paramus *in reſponſ. 1. pro iuriſdict. ſancti Officij. cap. 4. nu. 2.* & Farinacius *quæſt. 8. n. 34.* & ideò noſtram opinionem non ſolùm tenuit ſacra Rota Romana *deciſ. 202. de ſent. excommun. in nouis*; ſed illam determinauit ſacra Eminentiſſimorũ Cardinalium Congregatio *die 11. Iulij anno 1595.* Vnde neſcio quomodo aduerſarij affirmatiuam ſententiam tueantur, cùm eorum opinio ſit contra communem Doctorum opinionem, contra ſacram Rotam Romanam, & contra ſacram Congregationem Cardinalium.

RESOL. VI. *An qui beneficium habens delinquit, & poſteà matrimonium contrahit, ſit à Iudice laico puniendus?*

AFfirmatiuè reſpõdet Pereira *de manu Regia part. 2. c. 42. n. 8.* quia omne delictum de ſe temporale eſt, ſolumque ratione perſonæ ad hoc, vel illud iudicium ſpectat: vnde cùm priuilegium perſonæ attendi debeat, quando iudicium incipit, ex *l. cùm quædam puella. ff. de iuriſd. omn. iud.* & ex *cap. penult. de foro compet.* planè ſi eo tempore Clericus nullum habet priuilegium, nulla ratio eſt, ob quam ad iudicium Eccleſiaſticum remitti debeat.

Sed ego contrariam ſententiam doceo per ea, quæ adduxi *in 3. part. tract. 1. reſol. 34.* & ita hanc ſententiam docet etiam Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. quæſt. 36. nu. 46.* vbi ſic ait: Si Clericus commiſit delictum tempore quo erat Clericus, & poſteà vxorem duxit, debet puniri ab Epiſcopo, & non à Iudice laico, vt iudicatum fuit per ſacrum Concilium Neapolitanum. Ita ille, & ante illum Franchus *in deciſ. 417. num. 4. vol. 2.* apud quem videbis rationes fundantes noſtram ſententiam, & nouiſſimè hanc ſententiam, me citato, docet etiam Squillante *de priuileg. cleric. cap. 7. num. 10. & 38.* vbi citat Gratianum *in diſcept. forenſ. cap. 224.* & Barboſam *de poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 12. num. 6.* quibus ego addo Sanchez *vbi infrà*, & Bonacinam *in Bull. Cœn. diſp. 1. quæſt. 16. ſect. 1. punct. 3 num. 14.* & Gauantum *in enchir. Epiſc. ver. fori priuilegium, num. 31.*

Idem dicendum eſt de Clerico coniugato, qui poſt commiſſum delictum tempore quo omnia requiſita habebat vt fori priuilegio gauderet, effectus ſit bigamus iniens aliud matrimonium. nam in tali caſu gaudebit priuilegio fori, cùm in his caſibus ad tempus commiſſi delicti ſpectetur. Vide Doctores citatos, & Riccium *part. 5. collect. 1864.* quibus nouiſſimè adde Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 3. num. 1.* quæ quidem omnia confirmantur ex declaratione ſacræ Congregationis immunitatis *in Nullius Garopoli die 9. Septembris 1631.* vbi determinatur, quòd fori priuilegio gaudet laicus pro tempore quo fuit Clericus.

RESOL. VII. *An ſi laicus delinquat ſimul cum Clerico, poſſit puniri à Iudice Eccleſiaſtico, maximè ſi præueniat?*

NEgatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 41. numer. 3.* & alij penes ipſum, quibus ego addo, præter Doctores quos citaui *in 3. part. tract. 1. reſol. 1.* Vrſillum *in addit. ad Afflictum deciſ. 223. numer. 7.* Aymonem *conſil. 232. lib. 2.* Rupelium *in forenſ. inſtit. lib. 3. cap. 11.* Oſaſcum *deciſ. Pedemon. 103. numer. 10.* & facit pro hac ſententia textus *in l. ſi quis vxori, ff. de furtis*, vbi in delictis ſocius criminis non gaudet priuilegio ſocij. Et ita hanc opinio-

opinionem tenet nouissimè Nouarius *de elect. fori, sect.3. quæst.1.nu.28.* & alij penes ipsum, quibus etiam adde Thomam Sanchez *in opusc.tom.1. lib.3. cap. vnico.dub.30.nu.5.* & Castrum Palaum *tom.2. disp.vnica, punct.6.num.11.*

Sed ego in dicta resol. contrarium docui, & nunc iterum doceo cum docto Iurisconsulto Ioan. Francisco Fagnano *in respons.pro cens. Pauli V. part.3. fol.mihi 85.* maximè in casu, quo Iudex Ecclesiasticus præueniret in captura, & ita in specie tenet Farinacius *q.8.num.151. in fine,* & Baiardus *in addit.ad Clarum quæst.36.num.50.* vbi sic ait: Licet vsu magis receptum esse videatur, quòd laicus cum Clerico insimul delinquens possit à sæculari Iudice puniri, non tamen à Doctoribus hanc opinionem tenentibus negatur, quin possit etiam à Iudice Ecclesiastico, si in captura præueniat. Ita ille. Et quia in dicta resolutione adduxi Scacciam testantem hanc sententiam affirmatiuam fuisse determinatam à sacra Cardinalium Congregatione, & non citaui locum, visum est modò illum adducere. Tenet igitur Scaccia hanc sententiam *in lib.1. de iudic. causarum, &c.cap.11.num.24.* vbi postquam adduxit Doctores negatiuam sententiam docentes, & testantes de consuetudine, ipse tamen sic asserit. Tamen quidquid isti dixerint, ego vidi istum opinionem seruari ex decreto sacræ Congregationis, quæ de anno præterito 1591. die 10. Decembris rescripsit Domino Pompeio de Amatis, tunc temporis Commissario ciuitatis Tusculanæ, vt tam Clericos, quàm laicos inquilitos de violentia illata cuidam mulieri remitteret ad Iudicem Ecclesiasticum. Sic ille. Et meritò quidem; nam magis dignum trahit ad se minùs dignum, vt patet *in cap.per tuas, de arbitr. cap. quanto de iudic. & in l.si communem, ff. quemadmodum seruit.amit. & in l.eum, qui edit. ff. de vsucap.* & quia cautè continentia druidenda non est, ex *l.multi, C. de iudic.* & ex *c.ip.1. de caus.poss.ff. & proprietat.* Et hanc sententiam tenet etiam Marianus Socinus *in cap.2. n.30. de mutuis petition. & consil.12.num.19. vol.1.* & vidisse in practica ita fuisse obtentum testatur Bartholomæus Socinus *in l.cùm senatus, nu.11. ff. de rebus dub.* & sequitur Felinus *in cap.1. num.6. de præsumpt.* Parisius *consil.154.num.1.vol.4.* Riminaldus iunior *in Limperium.n.83. de iurisdict.omnium iudic. & consil.202. num.12. & 39. vol.2. consil.261.num.43. vol.3.* Cardinalis Albanus *consil.13.num.6.* & alij. Vnde non est audiendus M. Anton. Cucchus *in instit.maior.lib.3.tit.9. n.16.* & notandum est etiam hic obiter cum Scaccia *loco cit.* quòd licet aduersus nostram sententiam videatur facere Bulla Pij IV. *die 26. Maij ann.* 1565. tamen dicta Bulla fuit correcta, & redacta ad terminos iuris communis & sacri Concil. Trident. per aliam Bullam Pij V. *die 20. Iunij anno 1566.*

RESOL. VIII. *An Iudex laicus possit exigere pœnas impositas à lege si Clerici illam transgrediantur, & res vendita ceciderit in commissum?*

AFfirmatiuam sententiam docent aliqui iuniores Iurisconsulti, vt alibi notauimus; quibus iterum addo Pereiram *de manu Regia part.2. cap.39. numer.15.* quando pœna imposita à lege, exigenda est de plano, quasi in commissum ceciderit: vnde ait ille, Si Clericus frumentum, vel oleum publicè exposuit venditioni, excedens taxam præfinitam ab Ædilibus, si frumentum amissionem incurrit, ex statuto capi potest, quasi in commissum cecidisset. & hanc sententiam (quod vehementer doleo) tenet etiam Castrus Palaus *in opere morali tom.1. tract.3. disp.1. punct.14. §.6.num.9.* vbi ita asserit: Si pœna exigenda est de plano absque alia controuersia iudiciali, qualiter solent Iudices exigere ob solam declarationem ministrorum, qui signati sunt ad has pœnas, seu contributiones exigendas, tunc licitè videtur posse sæculares Iudices illam ab Ecclesiasticis exigere; quòd si soluere noluerint, poterint ij ab illis aliqua in pignus accipere solutioni præstandæ, quia hæc non tam in pœnam violatæ legis accipiuntur, quàm in reparationem damni dati, seu in contributionem debitam. Ita Palaus. Sed magis amplè, & minùs benè, loquitur in hac re Samuel Lublinus *in summula casuum conscient. ver. Bulla Cœn. cas.* 17. vbi sic ait: Constituit Rex cum Senatoribus in suis Comitiis iustum pretium frumenti, simul obligans ad pœnam subditos, si maiori pretio præsumerent vendere; interim Clericus contra hanc pragmaticam carius vendit, cuius bona Iudex, vel magistratus ex officio sequestrat, numquid talis censuram incurret? Dicendum quòd leges taxantes pretium rebus, non solùm obligant sæculares, verùm etiam Clericos, quoties illas vendiderint: proinde licet Clerici non sint subiecti legibus ciuilibus, subduntur tamen legi naturali & diuinæ, quæ præcipit ne res alio pretio, quàm iustè vendantur; ergo præfatus Iudex frumentum Clerici sequestrans non incurrit censuram. Oppones, igitur per te Clerici transgressores legum ciuilium sunt puniendi. Respondeo in personis nequaquam puniendi, sed solùm in rebus & bonis temporalibus. Hæc Lublinus. Sed hæc omnia sunt directè contra immunitatem Ecclesiasticam, & contra opinionem Lublini, Theologo quidem indignam, oppono Theologorum omnium communem opinionem, & pro nunc contra illum satis sit adducere ex eadem illustri Dominicana familia Antonium Sousam *in Bull.Cœn.cap.20. disp. 95. num.4.* vbi probat, quòd sicut Iudex laicus non potest in realibus Ecclesiasticos ad suum tribunal trahere, ita neque etiam bona sequestrare. nam si persona Ecclesiastica est exempta; ergo & res eius. Vide meipsum *in part.1. tract.2. resol.41.* Ad sententiam verò Castri Palai, quæ etiam est contra communem Theologorum, oppono ex eadem Societate IESV P. Suarez *de legibus lib.3. cap.34. numer.17.* vbi tenet, quòd maior coactio efficitur, quando absque alia controuersia iudiciali exigitur pœna imposita à lege, vt est in casu quem docet Palaus & Pereira, à quibus peto: Res illæ, quas malè vendunt Clerici, quo iure cadunt in commissum? certè non ex alio capite, quàm ex lege prohibente; ergo etiam hæc est pœna, ad quam Clericos indubitatum est non teneri; ergo, &c. Vide etiam meipsum *vbi suprà resol.15. 71. & 76.*

Nota etiam hic obiter contra Pereiram *loc. cit. num.8. 9. & 11.* Clericos pro damno & noxa data à

ſuis animalibus non poſſe conueniri coram Iudice ſæculari, neque teneri ad pœnas impoſitas, vt patet ex dictis.

Nota etiam ſecundò contra Pereiram *vbi ſuprà num.* 17. ædilem non poſſe Clericum compellere, vt vt domum ruinoſam deſtruat, ne vicinis noceat, neque pro plateis mundandis vbi ipſi degunt; pœnas pecuniarias extorquere. nam hæc cõpulſio facienda eſt per Iudicem Eccleſiaſticum, vt nos *locis citatis* ſatis firmauimus, & docet Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 672. num.* 5. numquam enim laici habent iuriſdictionem ad cogendos Clericos, vt in caſu ſimili notat Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. c. 26. n. 6.* & ita nouiſſimè hanc ſententiam docet Thomas Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 55. num. 9. & 11.* vbi in dictis & ſimilibus caſibus putat Clericos per Iudicem Eccleſiaſticum debere cogi.

RESOL. IX. *An poſſit Princeps prohibere ne Inhibitoriæ quæ ad Magiſtratus Regios mittuntur, ab Eccleſiaſticis promulgentur, priuſquam ipſi Principi offerantur, vt de eius facultate publicentur?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 65.* qui ait, *num. 5.* in executione talium litterarum, quibus ſęculares Magiſtratus inhibentur, ineſſe violentiam, & publicarum functionum perturbationem, ſi iniuſtè fiant, ratione cuius iuſtiſſimè tales inhibitoriæ ad ipſum Regem deferri debent, vtipſe, qui pro communi vtilitate creatus extitit, ſua manu Regia licentiam Eccleſiaſticorum compeſcat, vt ſe intra ſuos limites contineant. Ita ille. &, quod valdè miror, Rodriquez *in addit. ad Bull. Cruciatæ §. 9. num. 87.* vbi ſic ait: *Puede el Principe ſecular prohibir à los Obiſpos, y ſus Vicarios que no deſcomulguen à ſus vaſſallos ſin que primero mueſtren la cauſa que tienen para lo hazer.* Vnde vides, amice Lector, quomodo ex prætenſa violentia conantur ſe ingerere Iudices laici in cauſis Eccleſiaſticis, quaſi tales non haberent ſuperiores competentes ad eorũ licentiam compeſcendam, ſi adeſſet. Fruſtrà itaque per hos Sum. Pontifex conſtituit Metropolitanos, & Nuntios in ſingulis Regnis, & ideò in caſu occurrenti, Epiſcopi ſi vellent inhibere aliquos Iudices, talis executio dependeret à Regio beneplacito.

Igitur contrariam ſententiam in caſu propoſito tenendam eſſe puto, vt docui *in part. 3. tract. 1. reſolut. 9.* contra Antonium Coſtam *conſil 1. per totum*, in ſimili caſu loquentem de Pragmatica, nuncupata in hoc Regno Siciliæ *la Cathalana*, quam cum Antonio de Ballis firmaui eſſe contra immunitatem Eccleſiaſticam, & ad rationem quam adducit Pereira, quòd litteræ Pontificiæ non exequuntur ſine Regio *Exequatur*, remitto me ad eaquæ dicit Acoſta *in Bulla Cruciatæ, quæſt. 96. per totam* & dicunt DD. quos citaui *in part. 1. tract. 2. reſol. 12.* Noſtrum verò Sereniſſ. Regẽ hoc efficere ex priuilegio Pontificis, tradit Bañes *in 2. 2. quæſt. 67. art. 1. dub. 2. concl. 6.* & Caſtrus Palaus *in opere morali tom. 2. diſp. vnica, punct. 9. n. 10.* vel ex Concordatis cum eodem Sum. Pontifice, vt teſtatur Iacobus de Graffis *in deciſ. aur. part. 1. lib. 4. cap. 10. nu. 120.* addit tamen hæc verba: Caueant miniſtri Regis, cuius mens ſanctiſſima eſt, in non inferendo præiudicium ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, neque diuexent negotiatores in non expediendo Regium *Exequatur*. Sic ille.

Notandum eſt tamen hîc obiter, qſiòd ſuppoſito tali priuilegio, vel dictis Concordatis, de quibus teſtantur citati auctores, Regium *Exequatur* conceditur tantùm inter reſcripta priuata, vel obtenta inter partes, vel ad inſtantiam alicuius; non autem in legibus generalibus, & ſtatutis vniuerſalibus, prout ſunt Bullæ & Extrauagantes Pontificiæ, vt optimè obſeruat Rao *in reſponſionibus ad dubia circa immunit. Eccleſiaſt. fol. mihi 32.* nam ſi dictæ Bullæ executoriis indigerent, vniuerſalis Eccleſiæ regimen in præceps rueret, & hucuſque, ait ille, nulla inuenitur Bulla & conſtitutio generalis Summi Pontificis, executoriis mandata: vnde apparet, quàm malè quidam aſſerebat Bullam Gregorij XIV. de immunitate Eccleſiarum in hoc Regno Siciliæ non valere, quia in illa Regium *Exequatur* non inuenitur.

RESOL. X. *An Iudex laicus ex conſuetudine poſſit iudicare in criminalibus Clericos in minoribus conſtitutos?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 77. num. 2.* vbi ſic ait: Circa Clericos in minoribus poteſt Iudex ſæcularis iuriſdictionem in criminalibus acquirere ex conſuetudine, Ita ille, & hoc etiam docet *in cap. 26. n. 10.*

Sed hæc opinio eſt contra ſacros Canones, per quos apparet Clericos in minoribus, etiam in prima tonſura conſtitutos, integrè & plenè gaudere priuilegio clericali, ſicuti Clericos in Sacris conſtitutos, vt patet *in cap. 2. de foro compet. & in cap. cùm non ab homine, de iudiciis*, ibi, *Clericos cuiuſcumque Ordinis.* & iterùm, *Clericos in quocumque Ordine conſtitutos*, & ratio eſt clara; nam priuilegium fori, in criminalibus etiam, vt eſt à iure diuino, ita gaudent Clerici in Sacris conſtituti, ac Clerici in minoribus, vt probat Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 10. per totum.* ergo ſicuti Iudex laicus ex conſuetudine non poteſt in criminalibus cognoſcere Clericos in Sacris, ita etiam non poteſt cognoſcere Clericos in minoribus. Vnde idem Suarez *loco cit. cap. 26. num. 16.* licet aſſerat in Hiſpania Clericos minores non gaudere exemptione gabellarum ex conſuetudine; tamen addit, vt hoc licitum ſit, oportet vt conſtet talem cõſuetudinem eſſe à Pontifice approbatam, alioquin illam reprobat: vnde ſi ſola conſuetudo, ſine approbatione Summi Pontificis, non valet contra Clericos, quoad exemptionem gabellarum, quantò magis non valebit contra Pereiram quoad priuilegium fori in criminalibus; vnde *in cap. Clerici, de iudiciis* dicitur, cùm Canones generaliter tradant, vt de omni crimine Clericus debeat coram Eccleſiaſtico Iudice conueniri, non debet in hac parte Canonibus ex aliqua conſuetudine præiudicium generari; & *in cap. cùm terra, de electione*, damnatur quædam conſuetudo, quia in grauamen & perniciem Eccleſiaſticæ libertatis redundabat; & idem docet *cap. ad noſtram, & cap. cùm inter, de conſuet.* vt notat *gloſſa vltima in dicto cap. Clerici, de iudiciis.* vide etiam *Authent.*

Caſſa. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ideò Honorius III. *in cap. nouerit, de ſentent. excommunic.* excommunicat omnes, qui conſuetudines introductas contra Eccleſiaſticam libertatẽ ſeruari fecerint; & ita tenent DD. quos citaui *in part. 1. tract. 2. reſol. 4.* quibus nunc addo Vigianium *de immun. Eccleſ. diſp. 2. concluſ. 4.* & Antonium Bouium *in reſponſ. pro cenſ. Pauli V. part. 5. ad argum. 11. fol. 79.* vbi ſic ait: *In queſta materia d'immunita Eccleſiaſtica i ſacri Canoni hanno reprobata ogni contraria conſuetudine, come il Lateranenſe alla ſeſſ. 10. & tutti i ſommi Pontifici nella Bolla Cœna Domini, e percio non valere alcuna conſuetudine contra la liberta Eccleſiaſtica dicono i Dottori con la Gloſa ſopra il cap. Clerici. de iudiciis. E Tiberio Deciano lib. 4. cap. 9. num. 10. & ſeq. proua queſta verita, e vi pone molte eſtenſioni, e tra l'altre che non vaglia tal conſuetudine, anchor che il Papa l'haueſſe ſaputo, & non haueſſe detto coſa alcuna.* Ita ille, quæ quidem vltima verba ſunt multùm notanda; & hanc opinionem in terminis contra Pereiram circa Clericos minores firmat Ioan. Franciſcus Fagnanus *in reſponſ. pro cenſ. Pauli V. fol.* 117. & 118. ex Concil. Tridentino *cap. 6. ſect. 23. iuncto cap. 20. ſeſſ. 25.* & ex aliis rationibus, & in terminis etiam contra Pereiram docet hanc ſententiam Duardus *in Bull. Cœn. lib 2. can. 19 quæſt. 8. num. 1. & ſeq.* Notandum eſt etiam hîc obiter, Epiſcopum non poſſe publicare edictum, vt Clerici in minoribus debeant aſſumere ſacros Ordines ſub pœna priuationis habitus. Ita declarauit ſacra Congregatio *in vna Mazarienſi die 14. Decembris* 1630. rectè Sellio *in ſelect. Canon. cap. 19. num. 4.* & Barboſa *in Collect. Doctorum ſuper Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 7. num. 4.*

RESOL. XI. *An Iudex laicus poſſit ſtatuere ne concubinæ teneantur pro furtis ab ipſis concubinis factis, etiamſi hoc extendat ad concubinas Clericorum?*

AFfirmatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia p. 2. cap. 75. num. 1.* Ratio eſt, quia talis lex deteſtari intendit concubinatum, illumque à ſua Republica penitus exterminare, vnde hac prohibitione deterriti concubinarij reſipiſcant, licet per accidens ſit vt exinde concubinæ furandi licentiam arripiãt impunè, quod lex non intendit, nec legi tribuendum eſt peccatum, quod ſubditus ex ſua malitia occaſione legis aliàs iuſtè accipit ex ſe ipſa. Et hæc lex eſt communis tam laicis, quàm Clericis: ergo, &c. Ita Pereira *loco citato.*

Sed hæc opinio mihi non placet. nam, vt docet Bertran. de Gueuara *in propugn. Eccleſ. aſſer. 1. §. 5. num. 25.* Aponte *in reſpon. pro cenſ. Pauli V. fol. mihi 71.* doctus & numquam ſatis laudatus Preſes Valenzuela *in defenſ. monitorij Pauli V. part. 1. num. 55.* Maynardus *de priuileg. Eccleſ. part. 1. art. 1. num. 24.* Butrius *in cap. cùm terra, de elect. num. 6.* Felinus *in cap. Eccleſia S. Mariæ num. 69.* Imola *num. 11.* Decius *num. 3. de conſtit.* & alij penes ipſos, lex, ſeu ſtatutum ſi tollat Clericis id, quod de iure communi eis competebat, eſt contra immunitatem Eccleſiaſticam: ſed de iure communi competit omnibus actio furti, quæ per hanc legem Clericis denegatur; ergo, &c. Nec valet dicere cum Pereira, quòd iſta lex etiam hanc actionem furti denegat laicis, & quòd fertur propter bonum commune. nam ſi hoc axioma eſſet verum, omnes leges comprehenderent Clericos, quia feruntur propter publicam vtilitatem, & ſunt generales: ſed publica vtilitas non confert iuriſdictionem laicis vt poſſint ſtatuere aliquid præiudiciale Eccleſiaſticis, vt patet ex ſacris Canonibus, & communi DD. ſententia, & tradit Surdus *vol. 3. conſil. 302. & vol. 1. conſil. 2.* Angelus *ver. immunitas, nu. 37.* Marta *part. 4. cent. 1. caſ. 1.* & alij.

RESOL. XII. *An Iudex laicus poſſit punire Apoſtatas?*

AFfirmatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia p. 2. cap. 74. num. 3.* quando quæſtio verſatur circa factum ſimplex, an quis fuerit Apoſtata, & fidem omnino dimiſerit, quia quæſtio facti huius criminis non eſt magis ſpiritualis, quàm quælibet quæſtio facti matrimonij, vel ſimilium, de quibus Iudex laicus cognoſcit: ergo, &c.

Sed hæc opinio prorſus non eſt tenenda. nam Apoſtaſia non eſt peccatum ſpecie diſtinctum ab hæreſi, vt docet Bannez *in 2. 2. quæſt. 12. art. 1.* Valentia *tom. 3. diſput. 1. quæſt. 11 punct. 1.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 21. quæſ. 3.* Caietanus *in 2. 2. quæſt. 10. art. 1.* Caſtrus *lib. 1. de iuſta hæretic. punit. cap. 7.* Pegna *in direct. inquiſ. part. 2. comment. 74.* Becanus *in 2. 2. diſp. 17. dub. 1.* & alij communiter. Sed Iudex laicus non poteſt ſe ingerere ad cognoſcendum de hæreſi, etiamſi agatur de quæſtione facti, vt ego probaui *in 3. part. tract. 1. reſol. 2.* & dicam inferiùs. Ergo neque de quæſtione facti Apoſtaſiæ. Vnde apparet quàm latè in his materiis iuriſdictionalibus procedant hodie quidam recentiores. nam non ſolùm conantur ingredi in aulis Epiſcoporum, ſed etiam in ſecreto tribunali Inquiſitorum.

Notandum eſt hîc obiter, ipſum Pereiram *nu. 5. in fine*, aſſerere ſuam ſententiam repugnare communi opinioni, ſed illã ſequi poſſe, quia Reges nõ tenentur ſequi communes opiniones, ſed probabilẽ. Verùm ego puto hanc ſententiam non eſſe probabilẽ, cùm ſit contra *c. vt inquiſitionis, §. prohibemus, de hæret. in 6.* vbi abſolutè in cauſa hæreſis prohibetur laicis ſe ingerere, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; & ita docent Doctores quos citaui *in dicta reſol.* Sed quoad electionem opinionum in caſibus ſimilibus, Reges obſeruent conſilium alterius ſenatoris, & non Pereiræ; is eſt doctus & pius Valenzuela *in defenſ. monitorij Pauli V. part. 1. n. 43.* vbi docet, quòd in conflictu opinionum illa magis eſt amplectenda, quæ fauet Eccleſiæ.

RESOL. XIII. *An valeat ſtatutum ſæculare, quo cauetur ne bona immobilia tranſferantur in Eccleſiaſticas perſonas ſine Regia facultate?*

AFfirmatiuã ſententiã docet Pereira *de manu Regia p. 2. c. 67. n. 9. & ſeq.* ratione publicæ vtilitatis, cùm oporteat bona illa retineri & conſeruari pro defenſione Reipublicæ, & pro ſubeundis tributis; quæ Eccleſiaſticis perſonis nequeũt imponi. Deinde hoc pactũ dominus directus in conceſſione emphyteuſis licitè apponere poteſt. ergo & Reſpublica, & tandẽ, quia in tali ſtatuto tollitur Clericis ſolùm id, quod tamquã ciuibus illis cõpetit; ergo non erit contra libertatẽ Eccleſiaſticã, quæ ſolùm verſatur in his, quæ Clericis, vel Eccleſiis competunt, quate-

quatenus tales ſunt, non autem quatenus ciues.

Verùm mihi diſplicet his tẽporibus hanc opinionẽ typis mandatã fuiſſe à viro tam docto, vt reuera Pereira eſt, cùm fuerit reprobata à SS. Domino noſtro Paulo V. & Paulus Seruita cum rationibus adductis à Pereira ſimile ſtatutũ impoſitum defendebat, vt patet apud Iulium Roffo *in reſponſ. ad M. Anton. Capellam p. 4. c. 1. & ſeq.* Valenzuelam *in defenſ. cenſ. Pauli V. part. 3.* Bertran. de Gueuara *in propugn. libert. Eccleſ. aſſert. 1. §. 6.* Theologos Religionis Seruitæ *in defen. cenſ. Pauli V. c. 7.* Maynardum *de priuileg. cler. p. 2. art. 22. n. 52.* Antonium Bouium *in reſponſ. ad Paulum Seruitam p. 3.* Fagnanum *de iuſt. cenſ. Pauli V. p. 3.* Anaſtaſium Germonium *in aſſert. immunit. Eccleſ. c. 7.* Vgolinum *in reſponſ. ad Iuriſconſ. Gymnaſij Patauini c. 6.* reſpondentes ad argumenta, quæ Paulus Seruita, & nouiſſimè Pereira pro tali ſtatuto adducũt: & cùm Paulus Seruita adduceret pro defenſione huius ſententiæ ſtatutum Regni Portugalliæ, de quo loquitur Pereira, ſupradicti auctores reſpondent, ſtatutum Portugalliæ iuſtificari ex priuilegio Pontificis, & Concordatis; & tamen Pereira, his non obſtãtibus, vult illud defendere in terminis iuris cõmunis, quod minimè admittendum eſt, cùm ſit apertè contra immunitatem Eccleſiaſticam.

Sed non grauabor hic apponere verba aliquorũ Doctorum ex ſupradictis, & ideò Antonius Bouius *vbi ſuprà ad argum. 10. fol. mihi 42.* ſic aſſerit: *In Portugallo vi ſono ſimili leggi, ma fatte di concordia co'l Clero e di conſenſo del Papa. Veggaſi Franciſco Celio nel trattato de immunitate Eccleſiaſtica nel fine, che riferiſce trà l'altre leggi che hauea fatto Alfonſo III. ancora queſta, e racconta che perciò ne fù ſcomunicato da Honorio III. e tutto il Regno interdetto. ſin che poi ne fu aſſoluto e ſi fecero d'accordo con queſti Eccleſiaſtici alcuni articoli che furono dal Papa approbati, e dice queſto Autore d hauer egli ſteſſo veduto le Bulle Apoſtoliche, e dice il luogo doue ſi conſeruano.* Iulius Roffo *loc. cit. ad arg. 27.* ſic ait: *In Francia ſe fu fatta tal legge, fu fatta con conſentimẽto della ſanta Sede ſi come anche ne Regni di Portugallo.* Fagnanus *vbi ſupra fol. mihi 81.* ſic ait: Legem verò Regni Luſitaniæ cùm ſanct. memor. Clemens IV. compertũ habuiſſet, ad Regem protinus litteras dedit, vt correctione non expectata eam reuocaret. Imò Franciſcus Cœlius *tract. de immun. Eccleſ.* ſcriptum reliquit, Regem Alphonſum ſimilem in dicto Regno legem condidiſſe, ac propterea ab Honorio III. fuiſſe excommunicatum, ac Regnum interdictum, poſteaque ipſum abſolutum initis cum Clero conuentionibus, quas ait fuiſſe poſteà à Summo Pontifice approbatas, ſeque Apoſtolicum eius vidiſſe diploma. Ita Fagnanus, & Anaſtaſius Germonius *in aſſert libert. Eccleſ. cap. 7. fol. mihi 73.* cum Collegio Bononienſi *in reſponſ. pro libertat. Eccleſ. num. 39.* Igitur in Pontificio diplomate debebat Pereira legem illam Luſitanam fundare, & non in iure cõmuni: fundamenta verò noſtræ ſententiæ videbis apud citatos Doctores, qui ex ſacris Canonibus, & apertis rationibus illam acerrimè defendunt; nec aliter poteſt ſuſtineri. Vide omnes Canoniſtas *in c. fin. de immun. Eccleſ. in 6.* Dicendum eſt igitur, tale ſtatutum eſſe contra immunitatem Eccleſiaſticam, quia in illo ſunt nominatim Clerici & Eccleſiæ, vt *in ſeq. reſol.* videbimus; tum etiam, quia ſi non eſſent nominati, diſponeret ſuper pertinentibus ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ac etiã, quia forma non poteſt impleri ſine magna difficultate, ideò præter citatos Doctores, & præcipuè Maynardum *de priuil. Eccleſ. part. 2. art. 22. n 51. & ſeq.* Collegium Bononienſe *in reſpon. pro libert. Eccleſ. n. 13. & 14.* Aponte *in reſponſ pro cenſ. Veneta fol. 83. & ſeq. 93. vſque ad 98.* hanc ſentẽtiam reprobat Zabarella, quem citat & ſequitur Corneus *vol. 3 conſ. 64. nu. 4.* Lapus *allegat. 92. nu. 7. & ibi* Mandoſius Felinus *in c. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit. n. 86.* Syluester *ver. immunitas 2. num. 5.* Laderchius *conſ. 103. n. 1. 2. & ſeq.* cum aliis communiter. Igitur dum ſuperioris licentia requiritur ab eo omnis pendet contractatio, & ſic nullo modo libera; ergo eſt contra libertatem Eccleſiæ.

RESOL. XIV. *An ſtatutum quando fundatur in publica vtilitate, etiamſi faciat mentionem de Clericis, ſit inualidum, & lædat immunitatem Eccleſiaſticam?*

NEgatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia par. 2. cap. 67. num. 11.* vbi ſic ait: Nec obſtat quòd in hac lege de Eccleſiis mentio fit, quo caſu cenſetur in eius odium, & ſuccedit reg *in cap. fin. de immun. Eccl. in 6.* quia vtique illud procedit in dubio, quando non conſtat de publica vtilitate, & illa communis opinio, quæ habet legem ciuilem non valere facta mentione Clericorum, non procedit quando talis lex fundatur in ratione naturali, & quæ publicæ conueniat vtilitati. Ita ille. Et *cap. 38. num. 32.* ita etiam aſſerit: Dicendum eſt quòd laicorum ſtatuta generalia, quæ gubernationem reſpiciunt, etiamſi Clericorum mentionem faciant, non ob id nulla ſunt, ſi rationabilia, & iuri non contraria exiſtant, imò valent, & ipſos tamquam ciues ligant. Hæc ille, & idem aſſerit *in cap. 39. num. 6.*

Sed ſi hæc opinio eſſet vera, omnes Principes poſſent impunè in ſuis ordinationibus & legibus nominare Clericos. nam omnis lex publicatur ad bonum commune, & propter publicam vtilitatem, aliter lex eſſet iniuſta, vnde affirmatiuam ſententiam prorſus ſuſtinendam eſſe puto, cum communi ſententia Theologorum, Canoniſtarum & Iuriſtarum, per *cap. fin. de rebus Eccleſ. non alien.* & per *cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtit.* & docent Doctores, quos citat & ſequitur Bertran. de Gueuara *in propugn. libert. Eccleſ. aſſert 1. §. 6. num. 55. & 58.* Surdus *conſil. 301. num. 11. & conſ 560. num. 11.* Aponte *in reſponſ. pro cenſ. Ven. fol. 71. & ſeq.* Maynardus *de priuileg. Eccleſ. part. 2. art. 22. num. 46.* & hæc opinio eſt ita vera, vt etiamſi ſtatuta laicorum ſint Clericis fauorabilia, ſi de illis mentionem faciunt, ſunt nulla, & contra libertatem Eccleſiaſticam, & ita tenet Surdus *vol. 2. conſil. 301. num. 13.* Caualcanus *lib. 3. deciſ. 33. numer. 16.* Plotus *conſil. 93. numer 2.* Cioffus *lib. 1. conſ. 81. num. 84.* & alij communiter. Vide etiam Layman *in Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 13 num. 1.* Suarez *de legib. lib. 3. cap. 34. nu. 13.* & contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 16. numer. 7.* & alios penes ipſos. Vnde opinio Pereiræ eſt contra communem, & prorſus non admittenda. Neceſſitas enim publica non tribuit iuriſdictionem laico, vt ſtatuat contra non ſubditos, vt probat Baldus *in l. cunctos populos, numer. 20. C. de ſumma Trinit.* Decius *in*

*cap Eccleſia ſanctæ Mariæ,de conſtit.n.*7.& Felinus *n.*18. & alij:vnde ſi opinio Pereiræ eſſet vera, omnes leges contentæ in corpore iuris ligarent Clericos, nam omnes reſpiciunt publicam vtilitatem;vt optimè obſeruat Fagnanus *in reſponſ. pro cenſuris Pauli V. fol. mihi* 65. Gueuara *vbi ſuprà*, & alij communiter, cùm Anaſtaſio Germonio *in aſſer. liber. Eccleſ. cap.*7. *ſol.* 81. & Collegio Bononienſe *in reſponſ. pro libert. Eccleſ.num.*20.& Bariola *conſil.*38.

RESOL. XV. *An ſtatutum ſi tollat Clericis ea quæ tamquam ciuibus ſibi competunt,ſit contra libertatem Eccleſiaſticam?*

NEgatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia*, *part.* 2.*cap* 67 *num.* 15. dummodo tale ſtatutum non fuerit factum in odium Eccleſiaſticorum;quare vbi odium non detur, ſed ſub ratione boni publici ſtatuatur,licet in aliquo minuatur ciuilis ſocietas, vel libertas Clericorum,non ideò ſtatutum deſinet valere, cùm non libertati Eccleſiaſticæ, ſed ciuili obuiet.Ita ille.qui reſpondet ad *ca.finale, de immunit. Eccleſ.in* 6.aſſerens Pontificem illud ſtatutum reprobaſſe ex præſumpto odio:ſecus autem quando non ex praua intentione,ſed propter publicam vtilitatẽ tale ſtatutum promulgatum ſit. Ergo, &c.

Sed hæc opinio eſt contra libertatem Eccleſiaſticam,tum quia Eccleſiaſtici ob huiuſmodi ſtatuta timidiores fiunt, tum quia libertas Eccleſiaſtica conſiſtit in facultate faciendi quidquid fieri licet: Eccleſiaſtici autem non poſſunt facere quidquid eis fieri licet, dum magiſtratus huiuſmodi ſtatuta, vel decreta edunt:ergo, &c. Deinde licet talia iura communia ciuibus, non debeantur Clericis, quia Clerici ſunt;debẽtur tamen ipſis vt ciuibus, etiamſi ſtatum diuerſum habeant à laicis: imò quia Clerici ſunt, ideò illis nouo & maiori titulo debetur, ne his communibus iuribus priuentur,quia propter ſtatum clericalem non amittunt iura communia ciuium, & alioqui ratione ſtatus maiori honore & reuerentia digni ſunt:ergo ad immunitatem naturali iure debitam Clericis pertinet vt his iuribus non priuentur. Adde quòd Summ.Pontifex *in Bull. Cœn.* abſolutè loquitur de libertate Eccleſiaſtica, qua videlicet gaudent perſonæ Eccleſiaſticæ,etiamſi verſetur circa rem communem laicis & Eccleſiaſticis,tum quia Summ. Pontifex conſulere intendit Eccleſiaſticis perſonis,ne à ſæcularibus magiſtratibus vexentur: graue autem damnum Eccleſiaſtici paterentur,ſi laici eos impunè vexare poſſent in iis, quæ ad conuictum politicum ſpectant. ergo, &c. Et hæc omnia docet Bonacina *in Bull.i Cœnæ diſp.* 1. *quæſt.*16.*ſect.*2.*punct.*2. *num.*4. Suarez contra Regem Angliæ *lib.*4.*cap.*22. *num.* 19. Carolus de Graſſis *de effect. Cleric effect.*2. *quæſt* 44.*num.*358.*& ſeq.* Duardus *in Bulla Cœn.can.*15.*quæſt.*19.*num.*83. & alij penes ipſos & penes me alibi. Ad id verò quod aſſerit Pereira, nempe tale ſtatutum eſſe contra immunitatẽ Eccleſiaſticam, quando efficeretur ex odio. Reſpondeo cum docto Iuriſconſulto Hiſpano Ioan. Bertran de Gueuara *in propugn.libert. Eccleſ. aſſert.* 1. §.6. *num.* 10. *&* 11. quòd libertas & immunitas Eccleſiaſticorum non dependet ex bono, vel malo animo ſtatuentium,ſed ex natura rei,& ex priuilegiis, quæ illis abſolutè competunt de iure diuino & humano;& ſi opinio Pereiræ eſſet vera, omnes laici efficerent talia ſtatuta,aſſerendo ſe illa non efficere ex odio. Non eſt igitur talis opinio admittenda, vnde præter Doctores citatos communiter illam refellunt omnes Canoniſtæ *in cap.final.de immun.Eccleſ.in* 6.Nec obſtat dicere cum Pereira *n.* 16. quòd *in dicto cap. fin.* continetur prohibitio abſoluta & generalis:ſecus autem in noſtro caſu,in quo prohibitio eſt particularis; nam reſpondeo cum Gueuara *vbi ſuprà num.*33. eamdem eſſe rationem prohibitionis,& valere argumentum de toto ad partem, ex *l.quæ de tota ff de rei vendicat.* & plus & minus non differunt ſpecie,*l.final. ff. de fundo inſtructo.* Ad aliud verò argumentum Pereiræ, ſuper verbo *præſumuntur*,quod poſitum eſt *in dict.cap.final.*reſpondet idem Gueuara *à nu.*67.*vſque ad num.* 76. & Maynardus *de priuileg. Eccleſ part.*2.*art.*22.*num.*25.

RESOL. XVI. *An Iudex Eccleſiaſticus poſſit punire adulteros?*

NEgatiuam ſententiam tenet Pereira *de manu Regia part.*2.*cap.*56. *num.* 11. quia crimen adulterij ſæculare eſt, ratione materiæ & perſonarum; abſurdum ergo videtur aſſerere quòd ad punitionem criminis ſæcularis Eccleſia cognoſcere poſſit, aliàs enim illud idem de furto & homicidio deberet admitti,quo nihil abſurdius dici poteſt;nam Eccleſia in adulterio & ſimilibus ſolùm ad correctionem ſe intromittere debet, propter peccatũ ratione ſpiritualis finis,non verò vt vindicet, quia punitio ſubditi ad ſæculares magiſtratus ſpectat. Ita ille.

Sed hæc opinio eſt contra communem opinionem Doctorum,& præcipuè Canoniſtarum *in cap. gaudemus,de diuortiis.* Couarruuiæ *part.* 2. *cap.*7. §.7. *num.vlt* Abbatis *in cap.tuæ,nu.*6. *de procurat. & in cap. cùm ſit,de foro competent. num.* 24. Layman *in Theolog. moral.lib.*4.*tract.*9. *cap.*2. *num.*5. & aliorum aſſerentium adulterium eſſe crimen mixti fori, tum quia per adulterium peccatur contra matrimoniũ,quod eſt vnum de Sacramentis Eccleſiæ, & ſic aliquo modo peccatur contra Eccleſiam.quæ ratio eſtcur etiam ſacrilegia in Eccleſiaſtico foro puniantur, quin imò adulterium continet in ſe ſacrilegium, vt aſſerit Imperator *in l. quamuis*, *C. de adulteriis.* ergo, &c. & ideò præter Doctores citatos hanc ſententiam docet Belletus *in diſquiſ.Cleric.part.*1.*tit.de fauore Clericorum reali*, §. 5. *num.* 63. vbi citat Felinum, Archidiaconum,Clarum,& alios.

RESOL. XVII. *An Epiſcopi poſſint capere laicos per propriam familiam ſine inuocatione brachij ſæcularis?*

NEgatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia part.* 2.*cap.*57.*num.*1.*&* 5.*& deciſ.* 117. quia Iudex Eccleſiaſticus non habet territorium, ex Cyno & Baldo *in l.Epiſcopale,nu.*2.*C.de Epiſc.aud.* Vnde quando Eccleſiaſticus de cauſis laicorum criminalibus, vel ciuilibus cognoſcit, debet requirere Iudicem territorij rei, vt illum capiat, ne videatur extra ſuum territorium ius dicere, cùm hoc ſibi nec lege aliqua canonica, nec ciuili conceſſum reperiatur, imò contrarium *in dicta l. Epiſcopale*, & ſuadetur

ex

ex *cap. quoniam, de offic. ordin.* vbi auxilium implorandum statuitur, nec aliud probat textus *in cap. cùm sit generale, de foro compet.* & licet decidat sacrilegos puniendos, non tamen decidit per quem capi debeat, quia hoc à iure petendum est; quare ex hoc textu nullum efficax deducitur argumentum. Ita Pereira.

Sed aduersus illum affirmatiuam sententiam tenendam esse puto. Dico igitur Episcopum habere territorium, & in eo vti posse iurisdictione contentiosa, tenendo familiam armatam, fiscum & carcerem, vt probat textus *in cap. omnes basilicæ 16. quæst. 7.* vbi cùm dicitur Ecclesias esse in potestate eius Episcopi, in cuius territorio positæ, patet Episcopum habere territorium; patet hoc etiam *in cap. vt animarum, de constit. in 6.* & ideò hanc sententiam docet Ioan. Andreas *in cap. cùm contingat, de foro compet. n. 3.* & Franchus *in cap. final. eodem tit. num. 13.* Glossa *in cap. contra idolorum 26. quæst. 5.* Felinus *in cap. cùm sit generale, numer. 20. de foro compet.* Marius Anton. *var. resolut. lib. 3. resolut. 14. n. 1. & seq.* Campanili *in diuers. iur. Canon. rubr. 12. cap. 13. num. 87. & seq.* Bellettus *disquis. Cleric. part. 1. tit. de fauore Cleric. realt. §. 1. num. 18.* Pegna *in direct. inquis. part. 3. comment. 116.* Franciscus Leo *in thes. fori Eccles. part. 1. cap. 9. à num. 19. & part. 2. cap. 16. num. 16.* & alij penes ipsos.

Deinde diœcesis & territorium sunt idem, vt tradit Panormitanus *consil. 82. nu. 7. lib. 1.* & Alexander *consil. 248.* & iurisdictio ordinaria subsistere non potest sine territorio, vt tradit Boerius *decis. 227.* & ideò territorio adhærere, docuerunt Bartolus & Angelus *in l. fin. C. vbi & apud quem.* Parisius *vol. 4. consil. 16. num. 21.*

Cùm igitur Episcopi iurisdictionem habeant cum territorio, sequitur habere fiscum, carcerem, & familiam armatam, per quam capere possit delinquentes; nam concessa iurisdictione omnia licent, quæ ad illam tuendam & exercendam sunt necessaria, ex *l. 2. ff. de iurisdict. omnium iudic.* & per ea quæ adducit Erasmus à Cochier *de iurisdict. ordin. part. 2. quæst. 111. n. 18. & 19.*

Et omnia supradicta probantur ex sacris Canonibus, vt ex *cap. Episcopus, de officio ordinar. 6.* & ex *cap. Clericos, de sentent. excommunic. eodem li.* in quibus conceditur Episcopis carcer; ergo debet habere custodes & carcerum familiam, vt est textus *in Clem. 1. §. sanè, de hæretic.* vnde & ministros, qui reos capiant, & ad carceres ducant, quod clarè apparet *in cap. contra idolorum, & ibi* glossa *26. quæst. 5. & in cap. attendendum, 16. quæst. 4. & in cap. 2. de adult.* in quibus iuribus Episcopus potest laicos capere, & corporaliter carcerare. Nec potest dici esse speciale in casibus dictorum iurium, quia non potest reddi ratio specialitatis, nec valet dicere quòd *in dicto cap. attendendum*, non exprimuntur laici, quia dum loquitur de sacrilegis, indefinitè loquitur, etiam de laicis si fuerint sacrilegi, qui possunt animaduerti ab Ecclesiastico Iudice. Et tandem in Concil. Trident. *sess. 25. de reform. cap. 3.* tribuitur Episcopis iurisdictio contra quoscumque etiam laicos per mulctas pecuniarias, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem per suos proprios, aut alienos executores faciendam. In quibus verbis duo notanda sunt, primò quòd Episcopus potest tenere familiam armatam, & proprios executores. Secundò quòd prædicta familia non solùm deseruiet contra Clericos, verùm etiam contra laicos.

Nec valet dicere, quòd Episcopi habent censuras, & possunt vti brachio sæculari, quia hæc concessio non est eis tributa in diminutionem iurisdictionis Ecclesiasticæ, sed in maiorem fauorem, scilicet vt non solùm suos habeat proprios executores, verùm etiam, si opus fuerit, omnes ministros curiæ sæcularis, qui inseruire tenentur curiæ Ecclesiasticæ, vt patet *in cap. Princeps 23. quæst. 5. cap. 1. & cap. quoniam, extrà de officio iudic. ordin.* absurdum enim esset iudicium habere, & posse præcipere, sed executores mandatorum, & præceptorum à curia sæculari mendicare. Adde quòd inuocatio brachij sæcularis est iuris remedium extraordinarium, & subsidiarium, quo non debet vti Episcopus, nisi in subsidium experto iam ordinario, ex glossa *in ver. remediis, Clem. 2. de relig. dom.* & ad hoc est textus *in cap. 1. de statu regular. & in cap. 2. de Cleric. excomm. ministr.* & hoc firmant DD. *in cap. cùm non ab homine de iudic.* Hostiensis, Ancharanus, Zabarella, Felinus, Decius & alij.

Probatur etiam hæc opinio à Francisco Leone *in thesauro fori Eccles. part. 1. cap. 9. num. 19.* & aliis, vnico & euidenti argumento, quia cùm plura crimina sint mixti fori, per glossam *in cap. cùm sit generale, de foro compet.* Vnde in his delictis datur locus præuentioni, per *l. si quis posteà,* & *ibi* Doctores, *ff. de iudic.* in qua præuentione non consideratur solùm sola inquisitio & citatio verbalis, vt notat Bossius *tit. de foro compet. num. 130.* sed etiam attenditur, quis præuenerit in citatione reali, adeò quòd Iudex capturæ præuenisse dicatur, cùm realis verbali præponderet. Si Episcopis non liceret ad hunc effectum familiam armatam habere, proculdubio esset aperta via fraudibus in iis, quæ sunt mixti fori exercendi iurisdictionem Ecclesiasticam, quia Iudex laicus si sciret causam capturæ, semper curaret ipse præcurrere & capere vt præueniret, & sic numquam daretur locus præuentioni Iudicis Ecclesiastici, cùm ipse numquam personaliter capere posset, & ideò requirentibus officialibus Ecclesiasticis familiam armatam à magistratibus sæcularibus contra laicos, vel curarent scire causam capturæ, & de illa cognoscere, aut fingere possent præuentionem: ergo, &c. Vnde satis manet firmata nostra sententia aduersus Pereiram & alios, quos citaui & reprobaui ego ipse *in part. 1. tract. 2. resol. 88.*

RESOL. XVIII. *An Clericus in minoribus vt gaudeat priuilegio fori, opus sit vt tempore delicti, vel saltem capturæ, reperiatur in tonsura & habitu?*

PEreira *de manu Regia part. 2. c. 26. num. 5.* aduersus aliquos Doctores asserentes, quòd necessarium sit vt tempore criminis commissi in habitu & tonsura delinquens incedat, quia ad gaudendum foro delicti tempus inspicitur, vt colligitur ex *l. 1. ff. de pœnis*; tamen ipse considerans quòd sæpè delicta sine habitu & tonsura committuntur, & delinquentes reassumunt habitum vt foro gaudeant, putat vt sufficeret si tempore capturæ in tonsura & clerica-

clericalibus veſtibus induti reperiantur. Ita ille.

Sed contrariam ſententiam tenendam eſſe puto. Dico igitur cum Paulo Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 7. dub. 1. num.* 10. quòd carens tonſura, vel habitu clericali tempore delicti, vel capturæ, non amittit priuilegium fori, ſi aliàs erat ſolitus deferre, & ta deciſum fuiſſe in ſacro Conſilio Neapolitano teſtatur, quod etiam ante ipſum docuerat Regen. Tapia *in conſtit. Regni de perſonis, num.* 57. Riccius *in praxi tom. 1. reſolut.* 530. *num.* 6. Graſſus *de effect. Cleric. effect. 1. num.* 910. Genuenſis *in praxi cap.* 38. *num. 6. in fine*, Antonius de Marinis *reſolut. quotid. cap.* 50. *num.* 3. & alij, & ego ipſe hæc omnia docui *in part. 1. tract. 2. reſolut.* 33. vbi ex Bonacina & Capiblanco adduxi pro hac ſententia declarationem Cardinalium. Vnde, vt dixi, Clericus etiamſi dimiſſo habitu delictũ commiſerit, & etiam ſine habitu à Iudice laico fuerit captus, ſi aliàs in tonſura & habitu inceſſerit, remittendus eſt ad Iudicem Eccleſiaſticum.

Notandum eſt hîc obiter quòd ſi aliquis Clericus dimiſiſſet habitum clericalem, & illum reaſſumeret, etiam ſine licentia Epiſcopi, gauderet priuilegio fori, etiamſi in Synodo hoc fieri prohibitum eſſet Clericis. Ita Squillante *de priuileg. Cler. cap. 6. dub. 1. num.* 19. Riccius *part. 2. deciſ.* 167. & alij.

Nota ſecundò, quòd fori priuilegio gaudet Clericus incedens in habitu & tõſura deſcriptis in Catalogo Clericorum, qui in Synodo diœceſana obedientiam præſtitit Ordinario, & per paucas vices in choro & proceſſionibus interfuit, attentis circũſtantiis, quamuis alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi non inſeruiat, vel beneficium Eccleſiaſticum non habeat. ita determinauit ſacra Congregatio Concilij *in Nullius die* 28. *Martij anno* 1628.

RESOL. XIX. *An valida ſit lex quæ permittit Magiſtratibus ſæcularibus vt arma horis prohibitis Clericis capiant?*

AFfirmatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia part. 2. cap.* 43. *num.* 2. vbi ſic ait: Receptiſſima eſt opinio poſſe legem ſæcularem ita ſtatuere, & vigore illius poſſe talia arma capi ſine metu excõmunicationis, quia omnibus armorum vſus prohibitus eſt tam laicis, quàm Clericis: vnde fit, quòd cùm arma attento iure Canonico Clericis prohibeantur, rectè poteſt lex ciuilis adiuuãdo iuris Canonici prohibitionem pœnas addere. Facit deinde, quia hæc lex lata generaliter ob publicam vtilitatem Clericos ligat. Ita ille.

Sed ego hanc ſententiam *in 1. part. tract. 2. reſolut.* 9. ſatis reprobaui, & ad rationes Pereiræ reſpondeo quòd licet lex lata generaliter ob publicã vtilitatem, liget etiam Clericos; hoc tamen intelligendum eſt via directiua, non coactiua, ita vt poſſit priuari auctoritate propria armis: nec valet dicere, quòd arma non tolluntur in pœnam tranſgreſſionis legis, ſed potiùs ne Clericus proſequatur in legis violationem, nam hæc reſponſio admittenda foret, vt obſeruat Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 1. punct. 14. §. 6. num.* 9. ſi Clerico poſteà redderentur arma, ſed ipſa tolluntur & applicantur fiſco Regio, vel birruariis. ergo in pœnam delicti commiſſi: vnde iam puniuntur Clerici à ſæcularibus Iudicibus. Et licet arma portare prohibitum ſit Clericis à iure Canonico, non tamen ex hoc ſequitur poſſe illos ex hac legis tranſgreſſione à Iudice laico puniri, ſed ab Eccleſiaſtico, vnde ad euitanda ſcandala ſolent aliqui Epiſcopi, (quod approbat Bonacina *in Bull. Cœn. diſp. 1. quæſt. 16. punct. 5. num.* 27.) dare facultatem birruariis laicis, vt ſi noctu inueniant Clericos cum armis prohibitis, illos capiant, & ad eos deducant, & ſic euitantur ſcandala, & cõſulitur bono publico, ſine tamen diminutione immunitatis Eccleſiaſticæ. Nec valet dicere, quòd arma in tali caſu cadunt in commiſſum, nec capiuntur cum aliqua controuerſia iudiciali. ergo, &c. Nam reſpondeo, hanc eſſe ſpeculationem chimericam, nam, vt ſuprà dictum eſt, ſemper hoc procedit ex pœna appoſita in ipſa lege: ſed Clerici non tenentur niſi condemnati à Iudice Eccleſiaſtico ad pœnam impoſitam à lege, etiamſi ſit lata in bonum publicum. ergo iniuſtè armis ſpoliantur à Iudice laico.

Hinc à fortiori explodenda eſt opinio Redini, quam in puncto iuris veriorem exiſtimat Pereira, aſſerentis in tali caſu Iudicem ſæcularẽ poſſe damnare Clericum ad pœnam pecuniariam impoſitam à lege: ſed hæc opinio eſt contra communem, & ſacros Canones, vt alibi probatum eſt; ergo, &c.

RESOL. XX. *An Clerici in minoribus obſeruantes requiſita Concilij Trident. gaudeant omnibus priuilegiis, quibus gaudent Clerici in Sacris conſtituti?*

NEgatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 33. num.* 2. vbi ſic ait: Clerici in minoribus ſæculares reputantur in omnibus, niſi in cauſis criminalibus, in quibus ſuo gaudent foro, & ideò nihil mirum eſt vt compellantur incendiis occurrere perſonaliter ac ceteri laici. & *infrà in fine numeri*, ſic etiam ait: Circa Clericos in minoribus minus erit dubij vt à Principe ſæculari compelli poſſint, cùm legibus ſæcularibus ſubſint, excepto caſu, quo foro gaudeant ad criminalia.

Sed ego neſcio quo pacto hæc dici poſſint, cùm Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 6.* aſſerat abſolutè, & ſine vlla diſtinctione ſupradictos Clericos cum aliquibus requiſitis gaudere priuilegio fori; ergo etiam in ciuilibus, imò ſi non obſeruent dicta requiſita in Concilio poſita, gaudeant priuilegio Canonis, & ſecundùm veriorem & communiorem ſententiam exemptione gabellarum, quæ omnia ſatis à nobis probata ſunt *in part. 1. tract. 2. reſolut.* 36. & ideò hanc ſententiam vt certam docet Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 26. num.* 3. & ex *cap. 2. de foro compet. & cap. cùm non ab homine, de iudiciis.* vnde *num.* 5. ſic aſſerit: Omnia quæ hactenus de generalitate exemptionis tam in criminalibus & ciuilibus iudiciis, quàm in legibus etiam ciuilibus & tributis diximus, ad omnes Clericos cuiuſcumque Ordinis in ſtatu clericali perſeuerantes, æqualiter applicanda ſunt, quia iura quoad hanc partem nihil inter eos diſcernunt. Ita ille. & ante illum Comitolus *in reſponſ. moral. lib. 1. quæſt.* 54. vbi loquens de Clerico primæ tonſuræ ſic ait: Priuilegia, quæ Clericus ex prima tonſura nanciſcitur,

tur, hæc sunt. Primum, quòd in religiosam Domini sortem cooptari certum est, atque ex laicis & Profanis personas fieri sacras. Secundum, quòd Sacerdotij, seu beneficij Ecclesiastici capaces euadũt. Tertium, quòd Ecclesiæ iurisdictionis participes sunt, id est potestatis excommunicandi, interdicendi, suspendendi. Quartum, quòd in eos imperium & ius Magistratus sæcularis non habet, quod priuilegium dicitur fori. Quintum, quòd nemo iis violentas manus potest adferre, quin in censuram incidat excommunicationis. Sextum est priuilegiũ immunitatis suorum bonorum omnium, siue illa iure patrimonij, siue beneficij Ecclesiastici possideant. Hæc omnia Comitolus, & Doctores communiter, & ideò vide, quæso, si rectè dicat Pereira Clericos in minoribus constitutos sæculares reputari in omnibus, nisi in causis criminalibus, etsi Iudices sæculares possint illos compellere sicut laicos ad occurrendum incendiis, vel ad separandum rixantes, vel ad delinquentes capiendum. Dicendum est igitur Clericos minores obseruantes requisita Concilij Trident. gaudere omnibus priuilegiis quibus gaudent Clerici in Sacris constituti. Sed si aliquis dicat quòd hæc opinio Pereiræ procedit ratione consuetudinis, iam hoc *suprà* reprobatum est: vnde nunc addam tantùm Peregrinum *de immunitate Eccles. cap. 2. nu. 24.* vbi docet omnes consuetudines trahendi Clericos, etiam in ciuilibus, coram Iudice laico, esse reprobatas à Concilio Tridentino, & aliis iuribus. Si autem cum dicta consuetudine adsit consensus, & tolerantia approbatiua Summi Pontificis, videant illi, ad quos spectat. dixi *approbatiua*, quia simplex tolerantia non sufficit, per ea quæ *suprà* adduximus, & facit textus D. Thomæ *in 1. 2. quæst. 97. art. 3. ad 3.* quem sapienter ponderat Ludouicus Maëratius *in summam tom. 1. tract. de legibus disp. 15. sect. 11. in fine.*

RESOL. XXI. *An Ecclesiasticus heres laici defuncti in sæculari iudicio conueniri possit?*

AFfirmatiuè respondet Pereira *de manu Regia p. 2. cap. 30. num. 6.* quia Clericus heres laici in proposito proponitur successor laici defuncti, cui nullum priuilegium competebat, cumque successoris priuilegium non ad præterita trahi possit, sed ad ea quę subsequuntur, inde fit quòd Clericus successor laici litem prosequi tenetur, vbi defunctus cui ipse successit, citatus proponitur.

Sed sententiam negatiuam tenendam esse puto cum Doctoribus, quos ego ipse citaui *in 1. part. tract. 2. resolut. 24.* cui nunc addo iterùm Bonacinam *in Bulla Cœn. disp. 1. quæst. 16. punct. 5. n. 18.* qui citat Felinum, Abbatem, Imolam & Rotam Rom. Idem docet Duardus *in Bull. Cœn. can. 15. n. 3.* Alterius *de cens. lib. 5. disp. 16. c. 1. col. 12. & seq. cas. 3.* Bellettus *part. 1. disquisit. Cleric. fol. 274. n. 6.* Molfesius *in consuet. Neapolit. part. 2. quæst. 8.* & cum multis aliis, me etiam citato, Paulus Squillante *de priuileg. Cleric. c. 7. n. 58.* qui optimam adducit rationem penes ipsum videndam, præter illam, quam ego in citata resolutione adduxi; cui nunc aliam addo, quia, cùm Clericus non posset coram laico cõueniri si lis nondum inchoata fuisset, vt concedunt aduersarij: ergo neque cõueniri poterit lite inchoata. Probo consequentiam, quia præuentio laici Iudicis non tribuit ei potestatem, neque potest tribuere aduersus Clericum, nec potest derogare potestati Ecclesiasticæ.

Notandum est etiam hìc obiter à fortiori, quòd si Clericus succedens laico, possidet rem specialiter hypothecatam, ratione hypothecæ non potest conueniri coram Iudice sæculari. Ita docet Antonius de Ripol *de iurisdict. omn. iudic. cap. 1. num. 192.*

RESOL. XXII. *An laicus relegatus per certum tempus, infra quod efficitur Clericus, & rumpit exilium, sit à Iudice laico pro dicta fractura cognoscendus?*

NEgatiuè respondeo, sed hoc ad Iudicem Ecclesiasticum spectat, quia agitur de nouo delicto facto in statu, quo delinquens effectus est exemptus, & ita tenent Doctores, quos citat & sequitur Antonius de Marinis *resol. quotid. cap. 189. nu. 2.* Riccius *part. 3. decis. 302.* & Squillante *de priuil. Cleric. c. 7. dub. 3. num. 107.* qui etiam addit quòd si quis fuerit bannitus tempore quo erat laicus, & banno durante efficitur Clericus, quòd vtique liberabitur à iurisdictione laicali. Vide Franchum *decis. 209. & 384.*

RESOL. XXIII. *An instrumentum incusari possit coram Iudice laico contra debitorem, qui post obligationem Clericus effectus est?*

IN tali casu respondet Franchus *decis. 656.* procedendum esse contra Clericum quoad bona, secus autem quoad personam. Ratio est, quia Iudex sæcularis est competens in actione reali inter laicum actorem, & Clericum conuentum, & ita etiam tenet Fabius de Anna *lib. 2. cons. 140. n. 2.* qui citat Socinum, Surdum, & alios.

Verùm contrariam sententiam prorsus tenendam esse puto. Dico igitur, quòd si Clericus se obligasset per publicum instrumentum guarentigiatum tempore quo erat laicus, si postea efficiatur Clericus, pro executione ipsius instrumenti non potest conueniri coram Iudice laico, sed cõueniendus est coram Ecclesiastico, & ita ex multis docet Carolus de Grassis *de effectibus Clericatus, effect. 1. num. 1251.* Genuensis *in praxi cap. 16. num. 2.* quibus adde nouissimè Antonium de Marinis *resolut. quotidianar. cap. 189. num. 8.* vbi testatur ita fuisse decisum in sacro Consilio Neapolitano *anno 1625.* & subdit hæc verba. Hæc decisio quamuis contra clientem, mihi, melius demum re considerata, admodum placuit, tamquam fauens Ecclesiæ libertati, iurique magis consona, & tuta, ita vt ampliùs ab ea non recederem; & licet Doctores *suprà* per me relati oppositum firmauerint, nulla eis hac in re adhibenda fides, cùm eorum opinio nullo nitatur fundamento, ac proinde eam penitus abolendam esse arbitramur. Hæc ille.

RESOL. XXIV. *An laicus ratione fructuum præbendæ sibi locatæ debeat conueniri corã Iudice Ecclesiastico?*

AFfirmatiuè respondet Marta *de iurisdict. part. 2. cap. 30. numer. 5.* vbi sic ait: Laicus ratione fructuum

&uum præbendæ sibi locatæ conueniri debet coram Iudice Ecclesiastico, nec potest remissionem petere ad Iudicem sæcularem, ex Abbate *in cap. si Clericus laicum, in 1 not. col. 4. de foro competen.* vbi habetur quòd Clericus potest cõuenire laicũ pro rebus Ecclesiæ corã Iudice Ecclesiastico, & pro rebus suis, siue agat actione reali, siue personali. Ita Marta.

Et ex personali actione agi posse in iudicio Ecclesiæ contra laicum, docet Valascus *de iure emphyt. quæst 39. num. 14.* licet contrarium sentiat Guttierez *practic. qq. lib. 3. quæst. 26. num. 10.* qui tamen concedit, tunc hoc seruari posse quando probetur sic de consuetudine esse illius loci.

Non reticebo tamen Hostiensem & Innocentium *in cap. cùm sit generale, de foro competent.* & *ibi* Butrium *num. 9.* Marianum Socinum *num. 15.* Felinum *num. 4.* docere, quòd Ecclesia laicum ad suum forum trahere nequit, nisi quando proposuerit qualitates furti, vel violentiæ: sed tu cogita, si hæc doctrina valeat circa casum propositum; nam dum Ecclesiæ non soluitur pensio tempore statuto, contra legem contractus, adest iniusta & violenta occupatio, & succedit doctrina Innocentij & aliorum. Igitur quando emphyteuta pensiones denegat, & non soluit, Ecclesiam priuat iure suo, eique violentiam facit. Ergo coram Iudice Ecclesiastico conueniri potest, & debet. Et pro confirmatione supradictorum omnino vide Maceratensem *variar. resolut. lib. 1. resol. 48. per totam*, vbi ex multis probat, quòd pro bonis & fructibus Ecclesiæ potest laicus conueniri coram Iudice Ecclesiastico, & præsertim si contrahentes laici renuntiassent fori priuilegio, & Iudici Ecclesiastico se submisissent, quod prohibere non potest Princeps sæcularis, & si hoc prohiberet per aliquam constitutionem, talis constitutio non valeret, vti contra iurisdictionem, & libertatem Ecclesiasticam, vt rectè obseruat Maceratensis *vbi suprà num. 24.* quidquid in contrarium asserat Osascus *decis. 78. num. 19.* & alij.

RESOL. XXV. *An Clericus ab emptore interpellatus teneatur eum defendere coram Iudice sæculari?*

AFfirmatiuè respondet Aufrerius *ad Capellam Tholosanam decis. 360. num. 2.* Couarruuias *practic. qq. cap. 8. num. 3.* Fachinæus *lib. 2. controuers. cap. 37.* Gail *lib. 1. obser. 37. num. 7.* & alij quos citat & sequitur Ceuallos *tract. de cognit. per viam violent. part. 2. quæst 23. num. 24.* Nam in tali casu Clericus dum ad iudicium accedit vt emptorem defendat, reus necessarius numquam efficitur, ita vt comparere necesse habeat, cùm lis contra ipsum non instituatur, & sententia ferenda sit contra reum principalem, & Clericus assistens liti propter proprium interesse non reus est propriè, licet forum & partes rei sequi teneatur: ergo, &c.

Verùm contrariam sententiam docet Marta *de iurisdict. part. 4. centur. 1. cas. 35. num. 21.* & ita fuisse sæpissimè iudicatum obseruat Maranta *in speculo part. 3. dist. 11. num. 78.* Capycius *decis. 197. num. 7.* Grammaticus *decis. 21.* & alij, quos citat Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 7. dub 3. num. 80.* Dicendum est igitur Ecclesiasticos venditores laudatos in auctores & defensores debere remitti ad suum Iudicem competentem; Clericus enim non potest consentire in laicum Iudicem, vt patet *in cap. si diligenti, de foro compet.* & reuerà in tali casu cõsentiret, nam citatur à Iudice laico ad defensionem causę, & vocatur & notificatur vt illam defendat, sub prætextu quòd tenetur ad euictionem, vnde necessitate coactus ad iudicium accedit. quæ omnia sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, & opinio contraria tunc esset admittenda, quando Clericus venditor denuntiatus canonicè coram Iudice Ecclesiastico de eius licentia vellet defendere emptorem coram Iudice laico.

RESOL. XXVI. *An ordinatus ante legitimam ætatem, aut extra tempora, &c. gaudeat priuilegio fori.*

NEgatiuam sententiam tenent Bernardus Diaz, Rolandus & Chassaneus, quos citat Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 26. num. 18.* quibus adde Vasquez *allegat. 45. num. 20.*

Sed contraria est vera, quam cum multis tuetur nouissimè Paulus Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 7. dub. 3. num. 29.* quia talis est verè ordinatus, & ei impressus fuit character. Notandum est tamen quòd licet hanc sententiã olim probabiliter docuerint de Clerico ordinato à non suo Episcopo sine litteris dimissorialibus, vel cum falsis, multi DD. hodie tamen ex constit. S. D. N. Vrbani VIII. *die 11. Decembris* 1624. taliter ordinati non gaudent priuilegio fori. Vnde affirmatiua sententia, quam tenuit Barbosa *de potestate Episc. part. 2. alleg. 8. num. 18.* & alij penes ipsum, probabilis erat ante dictum decretum Vrbani VIII. nunc verò non est admittenda.

Notandum est etiam hîc obiter Clericum ordinatum per simoniam, vel ab Episcopo, qui erat impeditus Ordines conferre aliquo iuris impedimento, nempe excommunicationis, suspensionis, interdicti, &c. gaudere priuilegio fori.

RESOL. XXVII. *An Clericus solutus in minoribus tempore delicti, si postea viduam ducat, ex bigamia amittat priuilegium fori?*

DE hoc casu olim interrogatus fui, & negatiuam sententiam docui cum Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 26. nu. 17.* vbi sic asserit: Quid dicendum quando bigamia contracta sit post delictum, an inducat priuilegij amissionem: prout si quis erat solutus in minoribus tempore delicti, & postea viduam duxit, an obstet bigamia. Videtur quòd sic, quia tempore capturæ reperitur bigamus, & deuenit res ad casum, à quo non potuit incipere; obstat tamen, quòd habilitas personæ circa priuilegium, solùm consideratur tempore delicti commissi, illa enim post delictum non nocet: vnde is, tamquam Clericus solutus, remitteretur, attento delicti tempore. Ita Pereira, cui adde Alexandrum *consil. 149. n. 9. lib. 5.* & alios communiter.

Notandum est tamen hîc non esse bigamum, ita vt amittat priuilegium fori, si quis feminam priùs à se cognitam ducat posteà in vxorem, quidquid aliqui asserant, quia talis non potest dici ducere virginem: sed tu ne recedas à nostra sententia, quia talis viri caro non est diuisa, nec potest cẽseri diuisa

ratio-

ratione vxoris, quæ alteri fuerit permixta, nec aduerſus hanc ſententiam procedunt canones *curandum*, & *præcipimus, diſt.* 24. quia poſſunt explicari quòd per virginem intelligatur non ab alio corrupta, & ea quæ fictione iuris in eo caſu virgo reputatur; videri poteſt gloſſa *in cap.* 2. *de bigamis, ver. diuiſit.* Et ita hanc opinionem tenet Io. Præpoſitus *in* 3 *part. quæſt.* 5. *de irregular. dub.* 17. *nu.* 134. Vnde ſi talis ſumat Ordines minores, gaudebit priuilegio fori tamquam Clericus coniugatus, & non bigamus.

RESOL. XXVIII. *An Clericus negotiator, ſi ter non fuerit monitus, amittat priuilegium non ſoluendi gabellas?*

NEgatiuam ſententiam bis docui, quam aliqui Iuriſconſulti nimis laxam exiſtimarunt; ſed immeritò, cùm ſit probabiliſſima, & præter Doctores, quos alibi ad ſatietatem adduxi, adducam nunc non Theologum, ſed Iuriſtam in his materiis circa Clericos non parum rigidum, is eſt Gabriel Pereira *de manu Regia part.* 2. *cap.* 24. *n.* 35. vbi ſic ait: Illud omittendum non eſt quòd vt has pœnas incurrant Clerici negotiatores, requiritur quòd ter moniti ſint. Ita ille. Vbi pro hac ſententia citat Decianum, Graſſium, Boſſium, Capycium, Rodoanum, Imolam, & alios, quibus ego addo nouiſſimè Homobonum de Bonis *in conſultat. caſ. conſc. part.* 2. *reſp.* 111. vbi ſic ait: Quidquid ſit de peccato, reſtitutionis obligationi obnoxius non eſt Clericus negotiator, nec vectigalia ſoluere tenetur, antequam ter ab Epiſcopo ſit admonitus, cùm ante admonitionem immunitatis priuilegium non amittat. Sic ille, & alij penes ipſum.

Non deſinam etiam hîc adnotare id quod idem Pereira *num.* 36. adducit pro excuſatione Clericorum qui forſitan negotiarentur; ſic enim ait: Si Clericus in iudicio pulſaretur, plura allegare poteſt, quæ eum à culpa releuarent, veluti negotiari potuiſſe ob tenues redditus, quibus familiam alere non poterat, vel quòd ex induſtria propria (rebus melioratis, vel immutatis) lucra negotiationis ſibi prouenerunt; inſuper ſe habere patrimonialia, quorum ſeparatio fieri debet. Item quòd maiorem partem bonorum negotiationi non expoſuit; vel ſi omnia bona, hæc tamen non per ſe, ſed per amicos & interpoſitas perſonas negotiationi expoſuit; & ideò in his caſibus docet Pereira Clericum minimè dici poſſe negotiatorem, vt priuilegio non gaudeat; ſed aliqua ex his nimis laxa ſunt.

RESOL. XXIX. *An ſi Iudex Eccleſiaſticus non condemnet Clericum in pœnam legis laicalis, poſſit illum Iudex laicus condemnare?*

AD hoc dubium reſpondet Ludouicus Mexia *in pragm. taxæ panis concl.* 5. *n.* 71. *& ſeq.* vbi ſic ait: Pœna pragmaticæ inferenda eſt quoad Clericos per Iudices Eccleſiaſticos, & non à Iudice laico, niſi quando Iudex Eccleſiaſticus requiſitus dictam pœnam Clerico infligere recuſaret, aut negligens eſſet, plúſve debito differret, vel ſi leuem pœnam imponeret: nam tunc Iudex ſæcularis poſſet ſe intromittere, & vſque ad debitam pragmaticæ pœnam ſupplere. Hæc Mexia.

Quæ quidem omnia ſunt contra immunitatem Eccleſiaſticam: nam, vt ego docui *part.* 1. *tract.* 2. *reſolut.* 7. ex Vaſquez & Salas, Iudex Eccleſiaſticus non debet Clericis violantibus leges ciuiles eamdem pœnam infligere, quæ laicis ſtatuta eſt. Imò Surdus *conſil.* 301. *num.* 38. docet in tali caſu Iudicem Eccleſiaſticum non debere eos punire pœna temporali, ſi lex Eccleſiaſtica nõ acceſſit. Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt Eccleſiaſticos mitiori pœna plectendos eſſe. Adde quòd negligentia, vel iniuſtitia Iudicis Eccleſiaſtici non præbet auctoritatem Iudicibus laicis, vt poſſint exercere iuriſdictionem in Clericos, ſicuti facerent ſi illos damnarent ad pœnam legis laicalis, licet eſſet lata propter publicam vtilitatem; ergo explodenda eſt ſupradicta opinio Mexiæ.

RESOL. XXX. *An familia laica Epiſcoporum gaudeat priuilegio fori?*

AFfirmatiuam ſententiam tenet ex veteribus Canoniſtis *in cap. fin. de offic. Archid.* Hoſtienſ. *num.* 14. Io. Andreas *num.* 15. Butrius *num.* 2. & Panormitanus *in cap.* 2. *n.* 6. *de foro compet.* & alij quos citat Antonius de Marinis *reſolut. quotidian. cap.* 117. *nu.* 1. Mauritius Alzedus *in praxi Epiſc. part.* 1. *cap.* 12. *nu.* 77. & Barboſa *de poteſtate Epiſc part.* 3. *allegat.* 107. *n.* 1. *&* 9. nec de hoc hodie poteſt dubitari, cùm ita declarauerit ſacra Cardinalium Congregatio *die* 7. *Iunij anno* 1595. teſte Gauanto *in enchirid. Epiſc. ver. familiaris Epiſcopi, n.* 2. & hanc ſententiam nouiſſimè ex *dicto cap. fin. de offic. Archidiaconi*, tenet Hermannus Stamm. *de ſeruitute perſonali lib.* 2. *c.* 7. *n.* 6.

Cùm igitur hæc opinio firmata ſit tot Doctorum auctoritate, aliqui miniſtri laicalis iuriſdictionis inuenerunt quamdam diſtinctionem, & aſſerunt, quòd aut ſunt familiares commenſales, vel conductitij, & mercede ſeruientes Epiſcopis, qui domeſticis ſeruitiis mancipantur, & iſtos putant gaudere priuilegio fori. Vel ſunt officiales qui inſeruiunt Epiſcopo in eius curia & iuriſdictione, & iſti ſi ſunt laici, gaudent tantùm in delictis perpetratis ſub prætextu officij, ſecus autem in delictis communibus; ſed hæc diſtinctio non eſt admittenda, quia officiales, & ſeruientes curiæ, ſunt verè familiares, & de familia dicuntúr; ergo debent gaudere priuilegio fori, quo gaudet familia Epiſcopi. Vnde *cap. fin. de offic. Archidiac.* in quo fundatur hæc exemptio, indiſtinctè & ſimpliciter abſque diſtinctione perſonarum, & delictorum loquitur, vt legenti patet. Ergo officiales tamquam familiares abſolutè, & ſine vlla diſtinctione gaudebunt priuilegio fori; & ridiculum eſſet ſtabularium, ſeu cocum Epiſcopi gaudere in omnibus priuilegio fori, non autem eius Magiſtrum, Notarium, &c. & ideò contrariam ſententiam eſſe contra ſacros Canones teſtatur ex Paulo V. Cardinalis Gallus *in quadam epiſtola dat. Romæ die* 2. *Martij*, 1611. vbi inter alia ſic habetur: *E perchè ſi è auuertito che in detta hortatoria è vna clauſula nella quale ſi dichiara, che gli officiali è familiari del veſcouo quando ſono laici non deuono godere del priuilegio del foro Eccleſiaſtico ne i delitti communi ma ſolo in quelli che ſono commeſſi ſotto proteſto dell' officio, ne meno deuono godere della eſſentione*

delle gabelle e datij regij, essendone trattato con il Signore, sua Santità ha comendato che si scriua, che si riuochi detta clausula essendo manifestamente contraria alla dispositione de sacri canoni, e della raggione commune, e preguditiale alla iurisdittione Ecclesiastica. Sic ibi. Igitur omnes Notarios, Actuarios, scribas, &c. curiæ Episcoporum in omnibus delictis, etiam commissis extra officium, debent gaudere priuilegio fori, & ita tenent Riccius & Barbosa, quos citani *in part. 3. tract. 1. resol. 12.* quibus nunc addo Doctores, quos citat & sequitur Bonacina *in Bulla Cœn. disp. 1. quæst. 16. punct. 3. num. 7.* Squillante *de priuileg. Clericor. cap. 7. num. 54.* & Antonium de Marinis *resolut. quotidian. cap. 117. num. 2.* Alzedum *in praxi Episcop. part. 1. c. 12. nu. 77.* Gauantum *in Enchirid. Episc. ver. forum Episcopale, num. 31.* & Gratianum *decis. 233. & disceptat. forens. lib. 2. cap. 340.* Sententiam verò Pereiræ, quòd familia laica Episcopi non gaudet priuilegio fori de iure nouo Concilij Trident. iam refutaui *in part. 1. tract. 2. resol. 97.* licet illam etiam teneat Ceuallos *tract. de cognit. per viam viol. part. 2. quæst. 58. num. 10.* sed, pace doctorum virorum, non est digna responsione.

Notandum est etiam, quòd post hæc scripta inueni apud Sellium *in select. canon. cap. 18. num. 25.* sacram Congregationem *in vna Sorana die 25. Aprilis* 1614. declarasse Barisellum Episcopi, cùm sit de illius familia armata, fori priuilegio gaudere; & *die 15. Aprilis* 1615. declarauit, illum non posse, nec de iure debere, per laicum Iudicem captari. Et idem Sellius *num. 26.* eamdem sacram Congregationem *die 11. Decembris* 1615. declarasse Fiscalem Episcopi tamquam ipsius familiarem fori priuilegio gaudere, & ad personalia ciuitatis munia non teneri, quod de Notario Episcopi eadem sacra Congregatio declarauit *die 6. Augusti* 1602.

Resol. XXXI. *An oblati viuentes in aliquo monasterio gaudeant fori priuilegio?*

Affirmatiuè respondeo, & ita determinasse sacram Cardinalium Congregationem *die 26. Ianuar. anno* 1606. testatur Marta *de iurisd. part. 4. cent. 2. cas. 113. nu. 37.* Idem etiam docet Duardus *in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. quæst. 7. concl. 3.* Squillante *de priuil. Cleric. cap. 7. dub. 1. num. 43.* Barbosa *de potestate Episcopi part. 2. alleg. 12. nu. 39.* Riccius *part. 2. decis. 88.* Grassus *de effect. Cleric. effect. 1. n. 96.* & alij; quos citat & sequitur Antonius de Marinis *resolut. quotidian. cap. 114. num. 6.* qui docet *num. 7.* quòd hi vt gaudeant priuilegio fori, has conditiones debent habere. Prima, quòd alicui Religioni probatæ eorum personam per legitimam & expressam dedicationem obtulerint, & dicauerint. Secunda, quòd fiat oblatio, nulla bonorum reseruatione, aut eorum vsusfructus facta, ita vt in oblationis instanti omnia ad monasterium transferantur. Tertia, quòd in eorum domibus, & cum vxoribus non commorentur. Quarta, quòd perpetuò stent & seruiant Religioni. Quinta, quòd modo debito Religionis portent habitum à sæcularibus euidentiùs distinguentem. Ita ille. Obserua etiam dictos oblatos quoad delicta ante oblationem commissa gaudere priuilegio fori, si absque fraude se & sua monasterio obtulerint, quòd si fraus subsit, possunt à Iudice laico puniri pœna pecuniaria, non autem corporali. Ita sacra Congregatio, teste Aldano *in Compend. Canon. resol. tit. 10. n. 15.* Non desinam hic adnotare doctrinam Martini Bonacinæ *in Bulla Cœn. disp. 1. quæst. 16. sect. 1. punct. 3. nu. 18.* asserentis illos homines, qui assumpto habitu religioso adhibentur ad seruitia & obsequia Monialium, ad petendas pro ipsis eleemosynas gaudere priuilegio fori.

Notandum est etiam obiter me satis firmasse *in part. 1. tract. 2. resol. 84.* mulieres tertiarias, vulgò dictas *Bizocche*, cum conditionibus ibi expressis gaudere priuilegio fori, & exemptione gabellarum, & hanc sententiam docet nouissimè, me citato, Paulus Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 7. dub. 1. n. 42.* & Antonius de Marinis *vbi suprà num. 11.* & Nouarius *de electione fori, in editione nouissima, sect. 1. quæst. 66. n. 13.* qui etiam *n. 16.* me citato, firmat dictas tertiarias cum requisitis conditionibus, id est si castam & cælibem vitam agant, ex voto castitatis emisso in manu Superioris Religionis posse consequi legatum relictum pro Monachatu, non obstante quòd viuant in propriis domibus.

Resol. XXXII. *An sint exempti ab onere hospitandi patres & fratres Clericorum dum vnà simul habitant?*

Clericos cogi non posse ad hospitandum, patet ex *l. 1. C. de Episc. & Cler.* & *ibi* glossa cum DD. communiter. Sed difficultas est, an hoc priuilegium extendatur ad patres & fratres, & nepotes habitantes cum ipsis Clericis in indiuiso? Affirmatiuam sententiam docet Antonius de Marinis *resol. quotid. c. 167. n. 4.* si Clerici sint in Sacris constituti; secus autem si essent Clerici minores. Paulus verò Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 9. num. 4.* cum nostro Molfesio *in sum. tom. 2. tract. 12. c. 22. num. 166.* putat hoc priuilegium laicos parentes Clericorum cum illis commorantes habere tantùm in ordine ad hospitandum, scilicet ne cogãtur milites hospitari, ne Clericus inde sustineat incommoda; tenentur tamen contribuere in pecunia.

Verùm Riccius *part. 3. resol. 28. n. 1. & 2.* Carolus de Grassis *de effect. Cleric. effect. 3. nu. 122.* & alij penes ipsum docent, immunitatem hospitandi concessam Clericis extendi ad patres, & fratres, si habitant in domo communi, quia priuilegium alicui concessum extenditur ad eius socios, & in specie quòd socius consequatur immunitatem ab oneribus concessam suo socio, docet glossa *in l. fin. C. de muner.* & Surdus latè *consil. 301. n. 8.* vbi docet quòd immunitas cõcessa Doctoribus extenditur ad eius fratres; sed fratres, patres, &c. Clericorum cum ipsis in vna domo commorantes, etiamsi solùm soluerent pecuniam, vt voluit Molfesius & Squillante, non gauderent in hoc casu priuilegio quo gaudent Clerici parentes; ergo, &c. Deinde Doctores absolutè & sine vlla distinctione asserunt, priuilegium non hospitandi cõcessum Clericis, extendi ad eorum patres, & fratres: ergo videtur non esse restringendum tantùm ad Clericos Sacris initiatos, & non ad Clericos in minoribus cõstitutos, neque dicendum est teneri cõtribuere in pecunia.

Notan-

Notandum eſt etiam hîc obiter, ſacram Congregationem Epiſc.& Regul.*in vna Nouarienſi die 9. Iunij anno 1617.* declaraſſe, milites hoſpitari facere non poſſe magiſtratus ſæculares in domibus Eccleſiaſticarum perſonarum, quamuis laicis locatis, cùm per indirectum in bonorum Eccleſiaſticorum præiudicium redundet.

RESOL. XXXIII. *An mediator aſſaſſinij gaudeat immunitate Eccleſiarum?*

NEgatiuam ſententiam docet Peregrinus *tract. de immunitate Eccleſiaſtica cap.7. num.27.* vbi ſic ait: Præterea ſocij, & complices huius criminis aſſaſſinij, qui habuerint ſcientiam qualitatis aſſaſſinij, non gaudent immunitate. Ita ille, qui citat Caballum *in tract. de omni genere homicidij, num.412.* & Tuſchum *tom.5.lit.E. concluſ.10.nu.10. & concl.11. num.7.* ſed in hoc caſu mediator huius criminis eſt complex & particeps: ergo, &c.

Sed his non obſtantibus, & meritò, affirmatiuam ſententiam tenet Antonius de Marinis *in reſolut.quotidian.cap.171.num.5.* Gambacurta *de immunitate Eccleſiaſt.lib.5.cap.34.n.14.* Maſullus *in addit.ad Capyc. deciſ.112.* Ratio eſt, quia Doctores *in cap.pro humani, de homicid.in 6.* aſſerunt ſub nomine aſſaſſinij non venire mediatorem, & ſic fuiſſe deciſum in ſacro Concil.*anno 1615.* refert Rouitus *in pragm. 1.de aſſaſſinio, nu.49.* Sed in Bulla Gregor. excipiuntur, ne gaudeant immunitate Eccleſiarum tantùm aſſaſſini: ergo mediatores debent immunitate gaudere.

RESOL. XXXIV. *An occidens inimicum, cui fideiuſſionem dederat de non offendendo, gaudeat immunitate Eccleſiarum?*

NEgatiuè reſpondet Peregrinus *tract.de immun. Eccleſiaſt.cap.7.n.10.* quia proditoriè dicitur in tali caſu occidiſſe; proditio enim nihil aliud eſt, quàm deceptio contra fidem. Ita ille, qui pro hac ſententia citat aliquos.

Sed ab affirmatiua ſententia contra Peregrinum non eſt recedendum, quam tuetur nouiſſimè doctus luriſconſultus amicus noſter Antonius de Marinis *reſolut.quotid.c.174.num.3.* quia propriè homicidium proditorium dicitur, cùm ab amico, nullo præcedente rancore, patratur, ſimul comedendo, vel deambulando. Sed in caſu de quo loquimur, hoc non adeſt, imò contrarium, quia propter inimicitiam præcedentem præſumi debet odium adhuc durare: ergo, &c.& ideò aſſerit idem de Marinis, me citato, Occidens amicum reconciliatum nõ dicitur homicidium proditorium commiſiſſe; quòd autem in noſtro caſu adſit fideiuſſio de non offendendo, nihil efficit, non enim ex illa dici poteſt proditoriè occidiſſe, quia adhuc ſtante fideiuſſione præſumi poterat odium durare, & ſuppono inter occiſorem & occiſum poſt dictam fideiuſſionem ſtrictam amicitiam minimè extitiſſe, v.g. ſimul comedendo, alloquendo, commorando, &c. ergo, &c.

Notandum eſt etiam hîc obiter cum dicto de Marinis *vbi ſuprà cap.175.n.4. & ſeq.* quòd Iudex ſæcularis tenetur delinquentem reſtituere Eccleſiæ, ab illa cum licentia Epiſcopi abſtractum, ſi conſtat poſteà eum non commiſiſſe delictum in Bulla exceptuatum, vt *infrà* latiùs dicendum eſt. Et hoc etiam *in cap.78.* docet, me citato, ſi ſuaſionibus, vel blanditiis reus fuit inductus, vt ab Eccleſia exiret: nam in tali caſu etiam Eccleſiæ reſtituendus erit. & *cap.80.* tenet, quòd delinquens ab Eccleſia extractus, ſi à carceribus aufugit, & iterùm captus eſt in loco non immuni, adhuc Eccleſiæ reſtituendus erit.

RESOL. XXXV. *An Eremitæ gaudeant priuilegio fori?*

REſpondeo affirmatiuè, ſi edito voto paupertatis, vel alia ſuſcepta obligatione apud Prælatum Eccleſiaſticum, vel Epiſcopum Ordini, vel Eccleſiæ alicui ſpeciatim addicti ſint: ſecus autem dicendum eſt de Eremitis profugis, qui non ſubſunt alicui ſuperiori Eccleſiaſtico,& ita docet Antonius de Marinis *in reſolut. quotid. cap. 114. num. 8.* Marta *de iuriſdict.part.4.cent.2.caſ.213.num.4.5. & 6.* Squillante *de priuil. Cler. cap.7.dub.1.nu.44.* Layman *in Theol.moral.lib.1.tract.5.part.2.cap. 5.nu.4.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi part.2. alleg.12. num. 43.* Duardus *in Bull.Cœn. lib.2.can.15.quæſt.6.nu.2.* Idem etiam docet Coninch *de Sacrament. diſp.14.dub.15.nu.164.* & nouiſſimè Bonacina *in Bulla Cœnæ diſp.1. quæſt.16.ſect.1. punct.3.num.18.* vbi ex Duardo extendit priuilegium fori non ſolùm ad Eremitas, qui in communitate viuunt in aliqua Congregatione ſub aliquo Prælato ex tacita, vel expreſſa Pontificis auctoritate, quamuis non faciant profeſſionem, ſed etiam ad Eremitas, qui, vt *ſuprà* diximus, peculiarem viuendi modum tenent, habitum religioſum deferentes, alicui ſacro loco ex obligatione ſeruientes, ſub obedientia Epiſcopi, vel alterius Prælati, quidquid aliqui in contrarium aſſerant.

RESOL. XXXVI. *An Equites nouitij D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. gaudeant priuilegio fori?*

NEgatiuam ſententiam docet noſter Marius Giurba *in conſiliis criminal. conſ.77.num.21.* vbi aſſerit dictos Equites quamdiu profeſſi non ſunt, minimè priuilegio fori gaudere, quia non ſunt verè Religioſi, & in hoc ponit differentiam inter Equites D.Ioannis, & hos; quia illi etiam nouitij gaudent priuilegio fori, hi autem minimè; & hanc ſententiam ante illum docuerat Bobadilla *in polit. to.1. lib.2.cap.19.n.16.* Maſtrillus *deciſ.290.nu.166.* Villadiego *in polit. cap.5.§.20. nu.112. & 114.* Cenedus *in quæſt.Canon quæſt.4.num.40.* Rodriquez *in qq.regul. tom.2.quæſt.62.art.14.* & alij.

Sed hos milites eſſe verè Religioſos, ſatis ego probaui *in part.1.tract.2.reſol.49.* & ideò etiam docui nouitios dictarum Religionum gaudere priuilegio fori, & exemptione gabellarum: quam ſententiam, etiam quoad nouitios, aduerſus Giurbam nominatim tenet Nouarius *in tract.nouiſſimo de elect. fori.ſect.2. quæſt.66. num.29.* & Riccius *in praxi to.4. reſolut. 181. num. 2.* Idem docet Valenzuela *tom.1. conſil. 95. num. 53.* Didacus la Mota *de confirmatione Ordinis D. Iacobi lib.2. cap.2. §.8.num.28.* doctus Scipio Rouitus *conſil. 96.* Barboſa pater & filius, hîc

tract. de poteſtate Epiſcopi part. 2. allegat. 12. num. 45. ille *in remiſſion. ad ordinat. Luſitan. lib. 2. tit. 12. §. 1. num. 2.* vbi affirmat, ita iudicatum eſſe in Regio Senatu Portugalliæ, & ſic etiam fuiſſe deciſum in ſacra Rota Romana, & in Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium, teſtatur Riccius *vbi ſuprà.* Dicendum eſt igitur, Equites D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ gaudere priuilegio fori, non ſolùm emiſſa profeſſione, ſed etiam tempore nouitiatus.

Nota etiam quòd Riccius & Nouarius *loc. cit.* & alij id quod aſſerunt de Equitibus D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, dicendum affirmant, & meritò, de militibus Monteſe S. Stephani, S. Lazari; ſecus autem dicendum eſt de Equitibus aurei Velleris, S. Michaëlis, Annuntiationis B. Virginis, & de militibus Garreriorum, & de illis vulgò dictis *della Banda*, & de omnibus aliis abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate erectis.

RESOL. XXXVII. *An confraternitates laicorum gaudeant priuilegio fori, ita vt Epiſcopis ſint ſubiectæ?*

NEgatiuam ſententiam docet Aponte *vol. 1. conſ. 18.* vbi probat confraternitates & Collegia, quæ per laicos reguntur, dici ſæcularia, & licet denominentur ſub nomine alicuius Sancti, vel Eccleſiæ, minimè dicuntur religioſa, & Epiſcopo ſubiecta. Idem docet Viuius *in addit. ad deciſion. 517. num. 40.* & Gabriel *in ſuis commun. opin. concl. 1.* Tamen quando in dictis confraternitatibus exercentur opera charitatis & pietatis, & exercitia ſpiritualia, puta quia ſunt ibi deſtinata aliqua bona in alimoniam pauperum, vel infirmorum, aut in redemptionem captiuorum, pauperumque nuptias, & alia huiuſmodi, exiſtimo eſſe loca pia. Nec obſtat quòd non fuerint erecta auctoritate Epiſcopi, nam ex exercitio operum charitatis & pietatis negari nequit, quin non debeant appellari pia; nec enim neceſſe eſt, quòd locus ſit pius, ſed ſufficit quòd in eo opera pietatis exerceantur, quia in hoc priuilegium non datur loco, ſed cauſæ, & ideò bona ſupradictarum confraternitatum non poſſunt alienari ſine aſſenſu Apoſtolico: vnde hanc affirmatiuam ſententiam ex multis aliis rationibus docet Nouarius *tract. de elect. fori, ſect. 2. quæſt. 56. num. 8.* Riccius *in praxi tom. 3. reſol. 142.* Peregrinus *de immunit. c. 4. n. 64.* & alij penes ipſos, aſſerentes dictas confraternitates eſſe loca pia. Vnde infert Nouarius *nu. 13.* quòd vbi tales confraternitates ſunt adaptatæ ad pias exercendas cauſas, deberi reſtitutionem in integrum, etſi auctoritate Epiſcoporum non ſint fundata, ſufficit enim vt in eis charitatis opera exerceantur. Vide etiam Barboſam *de poteſtate Epiſcopi, part. 3. allegat. 71. n. 38.* quæ omnia à fortiori procedunt in Hoſpitalibus, licet non fuerint erecta auctoritate Epiſcopi, vt firmat idem Nouarius *cap. 54. per totum*, & alij penes ipſum.

RESOL. XXXVIII. *An ſi quis effectus Clericus poſtquam lis contra eum coram Iudice ſeculari mota eſt, poſſit opponere declinatoriam pro remiſſione ad Iudicem Eccleſiaſticum?*

NEgatiuam ſententiam docet noſter D. Carolus de Graſſis *in act. de effect. Cler. effect. 1. n. 1239.* vbi ſic ait: Quando quis efficitur Clericus poſt inceptam cauſam coram Iudice ſæculari, non impedit quin cauſa priùs inchoata proſequatur coram eodem Iudice, & citat pro hac ſententia plures Doctores, quibus adde Surdum *deciſ. 110. num. 3.* Riccium *part. 4. deciſ. 218. num. 3.* & Squillantem *de priuileg. Cleric. cap. 7. dub. 3. num. 59.* qui malè pro hac ſententia me citat. Verùm contrariam opinionem, vt nimirum Clericus effectus poſt litem contra ipſum in foro ſæculari motam, ſtatim à Iudicis ſæcularis iuriſdictione eximatur, tam in cauſa ciuili, quàm in criminali, firmauit Genuenſis *in praxi cap. 8. num. 5.* & nouiſſimè hanc ſententiam docet etiam Antonius de Marinis *in quotidian. reſol. cap. 54. num. 8.* & rationem adducunt; nam ſi confugiens ad Eccleſiam poſt delictum animo magiſtratum ſæcularem fraudandi, Eccleſiaſtica gaudet immunitate, quamuis ſit laicus, & ad tempus in ea moretur, multò magis gaudere debet, qui perſonam eius per Ordinum ſuſceptionem Deo conſecrat, vt illi perpetuò famuletur.

Notandum eſt tamen, quòd ſi aliqui ſtare vellent in prima opinione, illam multis modis limitat Carolus de Graſſis *vbi ſuprà*, & Antonius de Marinis rectè aſſerit procedere, quouſque lis per ſententiam terminetur: vbi autem poſt ſententiæ prolationem de executione venit tractandum, illis concernentia ſunt ad Iudicem Eccleſiaſticum remittenda, neque in hoc aliter ſentiendum eſt.

RESOL. XXXIX. *An Iudex laicus poſſit punire Clericum delinquentem in officio ſæculari?*

AFfirmatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 48. num. 4.* vbi ſic aſſerit, quòd Clericus delinquens in officio à Principe punitur. Idem docet Eſcobar *tract. de ratiocin. c. 7. n. 7.* & alij, quos ego adduxi *in part. 1. tract. 2. reſol. 18.*

Sed ego ibi cum multis Doctoribus contrariam ſententiam docui, quam nouiſſimè, me citato, tenet Paulus Squillante *in priuileg. Cleric. cap. 7. dub. 3. num. 87.* & iterùm Bonacina *in Bulla Cœn. diſp. 1. quæſt. 16. punct. 5. num. 17.* vbi ſic ait: Nota Iudicem laicum vinculo excommunicationis irretiri, trahendo Clericum ad ſuum tribunal, etiamſi eum trahere intendat prætextu officiorum ſæcularium, quæ Clericus exercet. Ratio eſt; tum, quia Bulla vniuerſaliter loquitur, & ſolùm excipit caſus in iure expreſſos: exceptio autem firmat regulam in caſibus non exceptis; tum quia licet Clericus nequeat officia ſæcularia ſine Superioris diſpenſatione ſuſcipere, *cap. Sacerdos, ne Cleric. vel monach.* nihilominùs priuilegium clericale retinet, & exemptus eſt à laica poteſtate, ex *cap. final. de vita & honeſtate Clericorum.* Quamobrem Clericus qui officium tutoris, vel curatoris, vel adminiſtratoris bonorum exercuit, & in eo deliquit, non poteſt in iudicium à laico ad reddendam rationem vocari; quamuis enim delinquat aſſumendo huiuſmodi officium, non tamen amittit fori priuilegium. Ita Bonacina, quod procedit, etiamſi in tali caſu Clericus puniretur à Iudice ſæculari pœna pecuniaria, vt præter alios nouiſſimè tenet Sanchez *in conſiliis tom. 1. lib. 3. cap. vnico, dub. 21. n. 11.*

Notan-

Notandum eſt etiam, quòd ſtando in prima ſententia, illa limitanda venit, vt ſi ibi compilato proceſſu apparuerit Clericus ipſe debitor, & in officio deliquiſſe, ſint Iudicis ſæcularis partes, non illum ad ſoluendum condemnare, ſed ſimpliciter declarare quantitatem, in qua debitor apparet; qua declaratione facta adeundus eſt Iudex Eccleſiaſticus pro illius executione; & ita docet Antonius de Marinis *quotidian. reſol. c.53.n.15.* nam, vt ſæpiùs dictum & probatum eſt, executio ſententiæ contra Clericum in caſibus permiſſis, non ad ipſum Iudicem laicum, ſed ad Eccleſiaſticum ſpectat.

RESOL. XL. *An palatia Epiſcoporum extra eorum diœceſim gaudeant immunitate?*

SAtis firmatum eſt *in part.1. tract.1. reſol.27.* palatia Epiſcoporum etiam ſine Capella, & diſtantia ab Eccleſiis extra 40. paſſus, gaudere immunitate, quod etiam docet Acugna *in decret. Gratiani part.1.diſt.87.c.2.n.2.* Correa *relect. de immun. part.2. n.19.* & Alzedus *in praxi Epiſc.part.1.cap.12.n.77.* vt meliùs patebit *infrà.*

Sed difficultas eſt, an dicta immunitate gaudeant palatia Epiſcopi extra diœceſim? & negatiuè reſpondet Peregrinus *de immunit. cap.4. num.73.* Marius Italia *lib.1.cap.4.§.9.num.19.* & Antonius de Marinis *quotidian. reſolut. cap.180.num.12.* Ratio eſt, quia Epiſcopus extra ſuam diœceſim nullam habet auctoritatem, nec Pontificalia exercere poteſt.

Verùm contraria ſententia poteſt ſuaderi, quia Concilium Aurelianenſe *in cap. id conſtituimus, 17. quæſt. 4.* indiſtinctè aſſerit palatium Epiſcopi gaudere immunitate, neque hoc coarctat in eius diœceſi; & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Adde quòd cùm agatur de re fauorabili, vt in ſimili caſu notat Germonius *de ſacror. immunit.lib.3.c.16.n.49.* fauor extendi debet. Deinde, vt obſeruat Gambacurta *lib.4. cap.3. nu.7.* hæc immunitas conceſſa eſt loco, ratione perſonæ Epiſcopalis, propter ſanctitatem muneris, & dignitatis; & ideò, vt diximus, palatium Epiſcopi gaudet immunitate, etiam ſine Capella, & etiam extra quadraginta paſſus Eccleſiæ. Ergo in quacumque parte fuerit Epiſcopus, ratione eius perſonæ, cuius intuitu conceſſum fuit hoc priuilegium, gaudere debet immunitate eius palatium. Nec valet argumentum Peregrini: nam licet Epiſcopus in aliena diœceſi non poſſit exercere Pontificalia, attamen dignitas eius perſonæ, etiam in tali loco, magnam habet reuerentiam & auctoritatem. Vnde Epiſcopus alium Epiſcopum in ſua diœceſi debet valdè honorare, & particularem reuerentiam exhibere, & in loco eminentiori, & in propria ſede collocare, etiamſi qui ſuſcipit, Cardinalis ſit, & qui ſuſcipitur, non: vt habetur *in cap.Epiſcopi 7.quæſt.1.* & docet Mauritius Alzedus *in praxi Epiſcop. part.1. cap.6. n.11.* vbi citat Chaſſaneum, & Zerolam.

Sed his non obſtantibus, an hæc opinio ſit probabilis, aliis iudicandum relinquo: certum tamen apud me eſt, palatia Cardinalium extra Vrbem exiſtentium dicta immunitate gaudere, vt tenet Antonius de Marinis *loco cit.* Marius Italia *lib.1. cap.4.§.9.n.22. & 23.* quidquid in contrarium aſſerat nouiſſimè Caſtrus Palaus *tom.2.diſp.vnica de immunit.Eccleſ.punct.6.n.23.*

RESOL. XLI. *An vxores Clericorum coniugatorum gaudeant priuilegio fori?*

COntra Bonacinam & Sanchez, quibus nunc addo Antonium de Marinis *quotidianarum reſolut. cap.58. num.14.* Caſtrum Palaum *tom. 2. diſp. vnica, de immunit. Eccleſ. punct. 2. num. 10.* & Io. Andream *in cap.vnic.de Cler. coniug in 6.* docui affirmatiuam ſententiam *in part.3. tract.1. reſolut.45.* quam ſcio cuidam Iuriſperito diſplicuiſſe, ſed immeritò; & ideò iterùm illam doceo. Vnde, præter Squillante, Bellettum & de Graſſis *vbi ſuprà* citatos, tenet nouiſſimè hanc ſententiam Ludouicus Correa *in relect.ad cap.inter alia, de immunitate Eccleſ.part.2.n.33.* vbi ſic ait: Probabile eſt quòd vxores Clericorum eodem gaudeant foro, & probatur noſtra reſolutio ex *gloſſa prima in cap.eos, 32.diſt.& cap.2.11.quæſt.1.* confirmat hæc iura Abbas *in cap. 2. de foro compet. num.9.* Felinus *ibidem num. 5.* necnon iure ciuili, ſecundùm quod dicitur vxores ſequi forum mariti, *in l.fin.C.de incolis,* vbi expreſsè hoc probatur. Ergo ſi vxores foro mariti adhærent, non eſt cur hoc deficiat in Clericorum vxoribus. Ita ille, & Sanchez, qui docuit contrariam ſententiam, docet etiam hanc noſtram *in opuſc. tom.2.lib.6.cap.1.dub.3.num.2.* vbi ſic ait: Vxor Clerici coniugati gaudet etiam fori priuilegio, & hoc non tantùm viuo marito, ſed etiam eo mortuo, durante viduitate; quare vxor Clerici, quæ homicidium commiſit viuo marito, vel durante viduitate, debet conueniri coram Epiſcopo, non autem coram Iudice ſæculari. Ita Sanchez, qui citat Hoſtienſem, Imolam, Panormitanum, Montaluum & alios.

RESOL. XLII. *An in caſibus exceptis liceat Iudicibus ſæcularibus ſine licentia Epiſcopi reos ab Eccleſia extrahere?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Ludouicus Correa *in relect. ad cap. inter alia, de immunitate Eccleſ.part.4.nu.10.* Acugna *in Decret. Gratian.part.1. diſt.87.cap.6.num.7.* Iulius Clarus *lib.5. quæſt.30.§.fin. num.20.* Couarr. *lib.2.variar.cap.20.num.18.* Guido Papæ *deciſ.121.num.1.* Boërius *deciſ.109.num.2.* Guilielmus de Benedictis *in repet.cap. Raynutius, ver. & vxorem, num. 444.* & alij teſtantes ita obſeruari in praxi.

Sed hodie hæc ſententia non poteſt ſuſtineri ſtante Bulla Gregor. XIV. vt ego ipſe ſatis firmaui *in part.1. tract.1.reſolut.14.* cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Ambroſinum *de immunitate cap.11.num.1.* Simonem Rao *in reſponſ.ad dubia ſuper immunit. Eccleſ. fol. mihi 27.* vbi citat Aufrerium Vulpellum, Cynum & Sylueſtrum, & nouiſſimè Peregrinum *de immunitat. cap.14.num.6.* vbi ſic ait: In caſibus exceptis, ſi Iudex, vel alius miniſter iuſtitiæ, abſque licentia Epiſcopi, vel eius officialis, & interuentu perſonæ Eccleſiaſticæ à dicto Epiſcopo, vel eius officiali auctoritatem habente, per vim extrahat reum qui confugit ad Eccleſiam, graue ſacrilegium committit, & incurrit in excommuni-

municationem, & pœnas contra sacrilegos prædictos statutas. Patet hæc conclusio ex præsenti constitutione Gregorij Papæ XIV. in illis verbis: Volumus dictaque auctoritate decernimus & declaramus, vt curia sæcularis eiusque Iudices & officiales ab Ecclesiis, monasteriis, locisque sacris prædictis laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis (exceptis,) sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi aliis Ordinarij sint, aut nullius diœcesis, aut Conseruatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare, nisi eo casu, quo ipse Episcopus & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis (exceptis) superiùs expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi interuenire & assistere recusauerint, tuncque reuerentiæ Ecclesiæ & locis sacris debitæ memores prædictos delinquentes minori quo id fieri poterit cum scandalo & tumultu extrahere curent. Hodie tamen cessat per supradictam constitutionem Pontificiam. Ita Peregrinus, & ego.

Resol. XLIII. *An deflorantes Monialem gaudeant immunitate Ecclesiæ?*

NEgatiuam sententiam docet Ludouicus Correa *in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part. 3. nu. 16.* vbi sic ait: Ampliatur etiam resolutio hæc, vt procedat etiam in deflorante Monialem, vt non gaudeat immunitate, si ad Ecclesiam confugiat. Ita ille, & ante illum Barbosa *ad ordin. Lusitan. tom. 2. lib. 2. tit. 5. §. 2. n. 3.*

Tamen ego contrariam sententiam teneo, stando etiam in iure communi: nam Correa ideò affirmatiuam sententiam tenet, quia putat raptores virginum non gaudere immunitate Ecclesiarũ: vnde hoc ampliat ad deflorantes Monialem. Verùm raptores virginum gaudere Ecclesiæ immunitate ex iure Canonico, firmant Hostiensis, Archidiaconus, Bellamera, Abbas & omnes Canonistæ, & casuistæ, quos adducit & sequitur Peregrin. *de immunit. Eccles. c. 12. nu. 14.* Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. n. 47.* Layman *in Theol. moral. lib. 4. tract. 9. cap. 2. nu. 8.* Farinacius *in append. de immun. cap. 6. n. 88.* Tuschus *verb. Ecclesia, concl. 11. num. 35. & 36.* Guttierez *pract. qq. lib. 3. quæst. 5.* & alij.

Sed quidquid sit de iure communi, hodie stante constitutione Gregorij XIV. puto raptores virginum & deflorantes Moniales gaudere immunitate Ecclesiarum, quia supradicti casus non sunt inter exceptuatos à Pontifice *in dicta Bulla*: ergo debent gaudere immunitate. Et hæc opinio procedit, etiamsi reus defloraſſet Monialem in ipsa Ecclesia monasterij. nam in Bulla exceptuatur tantùm homicidium, & mutilatio membrorum facta in Ecclesiis. Ergo alia delicta in illis perpetrata, licet enormissima, gaudebunt eorum immunitate, vt satis ego ipse cum multis aliis firmaui *in part. 1. tract. 1. resol. 2.* quidquid asserat Portel *in dub. regul. ver. Ecclesiæ immunitas, n. 15.*

Resol. XLIV. *An immunitas Ecclesiarum sit de iure diuino?*

NEgatiuè respondet Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 50. num. 1.* Peguera *in pract. crimin. cap. 26. num. 1.* Gambacurta *de immunit. lib. 3. cap. 15. num. 8.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 8. num. 21.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 20. num. 2.* Fagundez *prec. 2. lib. 4. c. 4. num. 59.* Bobadilla *in politic. tom. 1. lib. 2. cap. 14. nu. 3.* & alij penes ipsos, asserentes esse tantùm de iure positiuo, quia in lege euangelica non inuenitur hæc immunitas concessa Ecclesiis: ergo dicendum est eam non esse iuris diuini, sed tantùm Canonici & positiui: vide etiam Decianum *lib. 6. cap. 25. num. 2.* & Ambrosinum *de immunitate Ecclesiast. cap. 1. num. 3.*

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam ego teneo, quam tuentur Cenedus *in quæst. canon. quæst. 42. à num. 6.* Addit. *ad Capellam Tholos. disp. 423. num. 5.* Tuschus *tom. 4. litt. I. conclus. 59. nu. 1.* Ioannes Lupus *tract. de libertate Eccles. part. 2. quæst. 2.* Decius *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, num. 14. & seq. de constit.* Rebuffus *tom. 2. super constitut. in tract. de immunit. in princip. num. 2.* Simon Rao *in respons. ad dub. super immunitate Eccles.* Guttierez *practic. quæst. lib. 1. quæst. 1. num. 8.* Germonius *de sacr. immunit. lib. 3. cap. 56. num. 3.* Marius Italia *de immunit. lib. 1. cap. 2. per totum.* Peckius *tract. de Arest. cap. 6. num. 5.* Remigius de Gonni *tract. de immunitate Eccles. suppos. 2. num. 5.* Igneus *in l. 1. num. 26. ff. ad Syllan.* Cardinalis Tuschus *tom. 3. conclus. 8. num. 4.* & Farinacius *in append. de immunit. Eccles. cap. 1. num. 9.* vbi plures alios citat, & docet immunitatem Ecclesiarum non solùm esse de iure ciuili & Canonico, sed etiam diuino; & ad rationem in contrarium, & ad alias, quas adducit Couarruuias *vbi suprà*, latè respondet Germonius & Cenedus *locis citatis.* Vnde ex hoc sequitur, reprobandas esse consuetudines contra immunitatem Ecclesiarum, cùm sint non solùm cõtra ius Canonicum, sed etiam contra ius diuinum; & maximè hodie, cùm in specie, vt dictum est *suprà*, Gregorius XIV. illas reprobet & annullet; & ideò Simon Rao *vbi suprà in respons. ad dub. super immunit. Eccles. fol. mihi* 45. rectè has firmat conclusiones. Prima, quòd quando consuetudo est contra Ecclesiasticam libertatem, vt esset, si Curia sæcularis reos ab Ecclesia extrahere, & eius carceribus mancipare ex consuetudine prætenderet, non valet. Secunda, quòd talis consuetudo nulla temporis longinquitate defendi potest. Tertia, quòd supradicta consuetudo est irrationabilis, & sic non potest rationabiliter præscribi: vnde etiamsi vera esset à parte rei talis consuetudo, nullius esset momenti, nam corruptela potiùs, quàm consuetudo dici deberet: quæ quidem omnia communiter defenduntur à Theologis & Canonistis, quos ego adduxi *in 1. part. tract. 2. resol. 3.* & tandem non desinam hîc apponere verba Petri de Cenedo *in qq. can. quæst. 42.* vbi postquam probauit immunitatem Ecclesiarum esse de iure diuino, tandem sic

num.

*num.*11. aſſerit: Quamuis à iure diuino non ſit inſtituta Eccleſiarum immunitas, canonicis ſanctionibus, Pontificumque & Conciliorum decretis ſtabilitam eſſe, ſatis docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.*25.*cap.*20. quo quidem decreto renouatur obſeruantia immunitatis Eccleſiaſticæ, & conſuetudo, ſi qua eſt introducta contra talem immunitatem, prorſus eſt ſublata & abolita; quod poſteà fecit Gregorius XIV. *in Bulla*, &c. Ita Cenedus & ego *ſuprà in hoc tract.* & optimè Antonius de Ballis *in tract. variar. lib.9.tit.42.nu.12.in fine, & n.*13. cum Cardinale Tuſcho *tom.*4. *conſil.*59.*n.*19.

Resol. XLV. *An qui commiſerunt peccatum nefandi, gaudeant immunitate Eccleſiarum?*

NEgatiuè reſpondet Ludouicus Correa *in relect. ad cap.inter alia, de immunit. Eccleſ. part.*3. *n.*40.*quæſt.*17. quia in grauiſſimis delictis,& in quibus includitur atrocitas & abominatio, Eccleſia non debet patrocinari, & ideò etiam alia peccata contra naturam immunitate non gaudebunt. Ita ille, qui citat Rodriquez *in qq. regul. tom.*2.*quæſt.*51. *art.*4. Auendagnũ *de exequen.mandatis, part.*1. *c.*229. Phœbum *to.*1. *deciſ.*81.*n.*7. Barboſam *ad ordin. to.*2. *lib.*2.§.1.*n.*5. quibus adde Marium Italiam *de immunit.Eccleſ.lib.*1,*cap.*5.§.3.

Sed hæc opinio, ſtante Bulla Gregorij XIV. non eſt tenenda, quia in illa crimen nefandi non exceptuatur, & dictam conſtitutionem non eſſe ad alios caſus extendendam, ſatis ex eius lectura patet. Nam, vt alibi probaui, Summus Pontifex in illa, dum excipit aliquos caſus, apponit dictionem taxatiuam *tantùm*, cuius natura eſt impedire extenſionem, vt notat inter alios Ambroſinus *de immun.cap.*1.*n.*14. Peregrinus *cap.*6.*n.*24.& alij ſcribentes ſuper dictam Bullam; & ideò committentes crimen nefandi gaudere immunitate Eccleſiarum,in terminis docet Farinacius *in appen.de immu. Eccleſiar.c.*6.*n.*98. Caſtrus Palaus *in opere morali,to.*2. *diſp. vnica, de immunitate Eccleſ. punct.* 10. *num.* 6. & Marius Giurba *conſ.*100. *nu.*4. quod ego etiam puto,ſtando in iure communi, nam Canones abſolutè aſſerunt Eccleſiæ immunitate gaudere omnes ad eam confugientes pro quantumuis grauiſſimo, & atrociſſimo crimine: vt patet *in cap. inter alia, de immun. Eccleſ.* vbi expreſsè cauetur liberum hominem non eſſe violenter ab Eccleſia extrahendum, quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit, & *ibi* Hoſtienſis *nu.*1. Ancharanus *nu.*2. *&* 6. & alij, cum Farinacio *vbi ſuprà iuncto num.* 85. Sed quidquid ſit de iure communi, in terminis Bullæ Gregorij de hoc caſu ampliùs non eſt dubitandum, quidquid dicet Marius Italia ſine fundamento *vbi ſuprà*,& ideò hanc ſententiam tenet nouiſſimè Sanchez *in opuſc. tom.*2.*lib.*6.*cap.*1.*dub.*10. *num.*2. & ante illum Bonacinæ *in Decalogum diſp.* 3. *quæſt.* 7. *punct.*5. *num.*14.

Resol. XLVI. *An qui in duello inimicum occiderunt, gaudeant Eccleſiæ immunitate?*

NEgatiuam ſententiam docet Ludouicus Correa *in relect.ad c.inter alia,de immun.Eccleſ.part.*3. *n.*19. licet mors non ſequatur, & Marius Italia *de immunit.Eccleſ. lib.*1.*cap.*5.§.4.*nu.*42. *&* 43. qui hanc rationem adducit, quia qui duellum permittunt, vel faciunt, dant cauſam vt loca, in quibus duellatur, interdicto ſupponantur, vt patet in quadam conſtit. Clementis VIII. Sed qui dat cauſam interdicendi Eccleſiam, eius immunitate non gaudet: ergo, &c.

Sed hæc opinio non eſt tenenda, ſtante Bulla Gregorij XIV. vbi excluduntur tantùm ab immunitate Eccleſiarum qui homicidia,vel membri mutilationem in Eccleſiis perpetrarunt,& videtur mihi impertinens velle duellantes cum mutilantibus & occidentibus in Eccleſiis comparare; & cùm,vt dictum eſt, tale crimen non excipiatur in Bulla,neceſſariò ſequitur vt debeat gaudere Eccleſiæ immunitate, & ita hanc ſententiam docet Farinacius *in append.de immun.Eccleſ.c.*7.*n.*117.

Resol. XLVII. *An damnatus ad triremes fugiens ad Eccleſiam gaudeat eius immunitate?*

COntra Martam & Villadiego, quibus nunc addo Megalium *in* 3.*part. lib.*4. *c.*2.*q.*1.*num.*33. affirmatiuam ſententiam docui *in part.* 1. *tract.* 2. *reſol.*40.&, me citato,hanc etiam opinionem tenet Anton. de Marinis *quotid.reſol.c.*177.*n.*2.*&* 3. Aliqui verò, vt obſeruat idem de Marinis *nu.*5. approbant hanc ſententiam diſtinguendo, vt ſi ille, qui à triremibus aufugit, ſit loco depoſiti condemnatus, vel certam habet condemnationem, ſed eſt reclamatum, & pendet reclamatio, vel compleuit tempus, ſed detinetur,generalem expectando libertatem, & in ſuis caſibus gaudere debet immunitate, nec aliter extractio permittitur; ſi verò aufugiens certam habeat condemnationem,de qua non pendet appellatio, vel ſe pro delictis per eum patratis ſeruire ſe concordauit, & adhuc tempus completum non eſt, eo caſu, ex quo ſeruus pœnæ eſt effectus,debet complere, & Iudex Eccleſiaſticus præſtat extractionem. & hanc ſententiam in praxi obſeruatam fuiſſe à multis Nuntiis teſtatur Ioſeph Imperato penes de Marinis *vbi ſuprà.*

Sed ego iterùm puto abſolutè & ſine vlla diſtinctione omnes remiges confugientes ad Eccleſiam gaudere eius immunitate, & ita hanc ſententiam, præter Giurbam & Antonium de Marinis, tenet etiam nouiſſimè Pereira *de manu Regia part.* 2. *c.* 50. *n.*17. Antoninus Nouarius *in ſumma Bullar.tit.de immun.Eccleſ.n.*27. & Ludou. Correa *in relect.ad c.inter alia, de immun. Eccl.part.*3.*n.*9.*q.*4. Quia aſſerit ipſe; ſi aliqua ratio eſſet, quare condemnatus ad triremes non gauderet immunitate Eccleſiæ, ea foret, quia per talem condemnationem ſeruus pœnæ efficeretur, atque hodie per condemnationem huiuſmodi, vel ad aliquod opus publicum, etiam in perpetuum,ſeruus pœnæ nõ efficitur,iuxta textum *in Auth.ſed.hodie,C.de donat.inter vir.& vxor.* excepto caſu quo ad mortem condemnatur,vt patet *in l.qui vltimo.ff.de pœnis.* Ergo.&c.Facit etiam, quia ductus ad vltimum ſupplicium, licet ſeruus pœnæ efficiatur,ſi tamen ad Eccleſiam confugerit, illius gaudebit immunitate, vt communiter tradunt DD. & hæc omnia docet Correus *vbi ſuprà*,qui optimè limitat hanc opinionem, vt procedat quando con-

demnatus non ſit ad remigandum propter crimen, ratione cuius immunitate priuaretur. Vnde ex his à fortiori patet condemnatum ad verbera gaudere priuilegio Eccleſiarum, vt docet Pereira & Correa *locis cit.* Igitur Epiſcopi inuigilent, ne remiges ad Eccleſiam effugientes tradant curiæ ſæculari: nam Eccleſiæ immunitate omnino gaudere debent, quidquid aſſerat Megalius & alij *vbi ſuprà.* & ad rationes patet reſponſio, ex his, quæ notauit Correa *loc. cit.*

Notandum eſt etiam hîc obiter, Ludou. Correa *loc.cit.n.*12. Nouarium *nu.*28. Caſtrum Palaum *to.*2. *diſp.vnica, de immunit.punct.*8.*num.*6. docere id quod ego olim docui, nempe Mercatores dolosè fractos, vulgò *queſe azen quebrados*, ſi ad Eccleſiam confugerint, non eſſe ab illa extrahendos, quia tales neque in iure, neque in conſtitutione Gregoriana excipiuntur. Quidquid in contrarium aſſerat Pereira *de manu Regia part.*2. *cap.*50.*nu.*16. Vide meipſum *part.*1.*tract.*2.*reſol.*32

RESOL. XLVIII. *An reus confugiens ad reliquias Sanctorum, vel ad eorum imagines quæ per plateas proceſſionaliter circumferuntur, gaudeat immunitate, vel ſi apprehendat Sacerdotem ambulantem?*

HIc caſus frequenter poteſt accidere, & de illo non inuenio qui tractent, ſolus nouiſſimè Ludouic. Correa *in relect. ad c. inter alia, de immun. Eccleſ. part.*2.*n.*25. illum ponit, & affirmatiuam ſententiam docet, quia, ait ille, ratio ob quam ſeruatur immunitas Eccleſiæ, eſt propter honorem & reuerẽtiam debitam Deo: atqui eadem reuerentia & honor conſideratur in reliquiis Sanctorũ, & eorum imaginibus, nec non B. Virginis, quando illis conceditur hæc immunitas. Ergo non eſt dubium illam habere. Minor probatur, quia honor & reuerentia præſtita Sanctis pertinet ad Religionẽ cultumque Dei. Deus enim in Sanctis ſuis honoratur & colitur; quemadmodum enim ipſi ſunt propter Deum honorati, ita Deus honoratur & colitur in ipſis, honorantur namque Sancti tamquã chari & amici Dei. Vnde ſicut honor qui domeſticis, Cõſiliariis, filiis, amicis, ac miniſtris Principum defertur; ita ſimiliter honor exhibitus Sanctis, & Deo exhibetur. Probatur prætereà ex Gambacurta *lib.* 3. *de immun.c.*4. *nu.*15. vbi latè probat Eccleſiam fundatam ſub nomine alicuius Sancti, vel B. Virginis parem habere immunitatem ac ſi dicata fuiſſet nomine Chriſti. Ita Correa, qui etiã quod dixit de reliquiis & imaginibus, dicendum putat de perſona Sacerdotis, ita vt qui illam apprehenderit, immunis exeat; quia cùm Sacerdotes miniſtri ſint Chriſti, & eius vicem in terris gerant, ſeruato illis honore, idem & Deo ſeruatur. Sed verum eſt dicere ſeruari honorem immunitatem præſtando. Ergo eam habebunt. Deinde, quia ſi Eccleſia ex eo habet immunitatem quòd cultui diuino deputata eſt, & ad hoc vt in illa diuina Officia celebrẽtur, potiori iure Sacerdotes eamdem debent habere, ſiquidem non ſolùm Dei miniſterio dicãtur vt Eccleſiæ, ſed ipſum Deum manibus ſuis tractant, & fiunt Dei ſacrarium; ergo non eſt cur dicatur illos immunitatem præſtare non poſſe. & hæc omnia dicta ſunt ſecundùm mentem Correæ *loco cit.* Nam, vt verum fatear, iura loquuntur tãtùm de Eccleſiis, & Doctores tantùm de Sacerdote Euchariſtiam deferente.

RESOL. XLIX. *An cognitio, vtrùm reus gaudere debeat immunitate Eccleſiarum, poſſit aliquando ſpectare etiam ad Iudicem laicum?*

ANaſtaſius Germonius *de ſacror. immunit. lib.* 3. *c.*16. *n.*21. docet Petrum Bellũgam & Remigium Gonni aſſerere, hanc cognitionem eſſe mixti fori, & propterea ad vtrumque Iudicem tam ſæcularem, quàm Eccleſiaſticum ſpectare ad diuerſos effectus eo modo, quo ipſi explicant, quos nouiſſimè ſequitur & citat Pereira *de manu Regia part.* 2.*c.*56.*num.*12. vide etiam Fagundez *præc.*2.*lib.*4.*c.*4. *n.*57. Martam *de iuriſd.part.*2. *cap.*1.*nu.*10. Suarez de Paz *in praxi tom.*1. *part.*5. *cap.*3.§.3.*nu.*8. Bobadillam *in polit.tom.*1.*lib.*2.*c.*19.*n.*40.

Sed hanc opinionem, & meritò, impugnat Farinacius *in append. de immun. Eccleſ.c.vlt.n.*366. & contrariam de iure veram eſſe tenet Correa *in relect. de immun. Eccleſ.part.*4.*n.*2. & de illa hodie non eſt dubitandũ, ſtante Bulla Gregorij XIV. In qua etiam apparet ſolum Iudicem Eccleſiaſticum eſſe competentem in hac materia, quod etiam priùs patebat ex *cap. fin. de immun. Eccleſ.* & ex *cap. ad Epiſcopos* 17. *q.*4. *& c.metuentes, eadem cauſ. & quæſt.* & nouiſſimè hanc ſententiam docet Lotherius *de benef.to.*1.*lib.*1. *q.*13.*n.*96.*& ſeq.* & Bonacina *vbi infrà*, & alij. Ratio eſt clara, quia cauſa immunitatis, vtpote Eccleſiaſtica ab Eccleſiaſticis Iudicibus debet tractari, neque aduerſus Vulpellum & alios valet circa hoc conſuetudo aliqua in contrarium (quod aduertant miniſtri laicalis iuriſdictionis:) nam dicta conſtitutio Gregorij XIV. vt ego ſatis firmaui *in part.*1. *tract.*1. *reſol.*1. & docet Cenedus *in qq. Canon. q.*42. *nu.*12. & Bonacina *in Decalogum diſp.*3. *q.*7.*punct.*10. *n.*2. tollit omnes conſuetudines in contrariũ: vnde hodie non ſunt audiendi Doctores aſſerẽtes, quòd licet in aliquibus caſibus pro immunitate aſſiſtat ius Canonicũ; contrarium tamen de conſuetudine ſeruari teſtãtur, & eam fore attendendam opinantur, quia, vt diximus, per conſtitutionem Gregorij omnes conſuetudines penitus tolluntur. Vide Tuſchum *ver. immunitas concl.*59. *n.*19. *vſque ad num.*25. & ideò ſtante dicta conſtitutione reprobandus eſt Correa *loco cit.part.*1.*num.*18. vbi aduertit magnam habere vim conſuetudinem circa immunitatem Eccleſiarum, quapropter multis in caſibus ad illam Iudices recurrunt. Ita ille; ſed malè. nam hodie Iudices in caſibus contingentibus non ad aliam conſuetudinem, niſi ad Bullam Gregorij XIV. recurrere debent, aliòquin cenſuras minimè effugient. Nec facit quòd quandoque Epiſcopi & Pontifices dictis conſuetudinibus non contradicant, nam aſſerit Pacianus *de probat.lib.*1.*cap.*29. *n.*87. Laudenſis *deciſ. Piſan.*36. *nu.*265. *part.*1. & Farinacius *in append. cap.*1. *num.*15. illos non conſentire, ſed ſimulare ad maiora mala vitanda. Vide *cap. iam dudum, de præbendis, & ſuprà reſol.*1.

Ex his infertur ſtante dicta conſtitutione contra Pereiram *loco cit.n.*16. cognitionem loci, an ſit ſacer & religioſus, ad gaudendum immunitate, non ſpecta-

ſpectare ad Iudicem laicum, ſed priuatiuè ad Eccleſiaſticum, & ita tenet Marius Giurba *conſ.10.nu.7.* Bonacina *in Decal.diſp.3.q.7.punct.3.n.16.* Peregrinus *de immun. cap.13.nu.18.* Marta *de iuriſdict. part. 2. cap.50.n.4.* & Raudenſis *vol.2. conſ.17.nu.12.* & patet ex ratione & iuribus adductis, quibus adde *cap. ex parte, de verbor. ſignific.* vbi eſt caſus de hoc, nam tractatur an territorium Eccleſiæ ſit violatum, & dicit quòd huius cognitio ſpectat ad Iudicem Eccleſiaſticum, imò Comitiſſa habens intereſſe appellat ad Archiepiſcopum. Et, me citato Antonius Nouarius *in ſumma Bullarum, tit. de immunit. nu. 95.* docet ad Iudicem Eccleſiaſticum ſpectare cognitionem ſi captus à ſatellitibus affirmet fuiſſe captum in loco ſacro illis negantibus.

RESOL. L. *An infideles, Iudæi, &c. gaudeant immunitate Eccleſiarum?*

HIc caſus frequenter poteſt accidere, & negatiuam ſententiam tenet Megala, Peregrinus, & alij, quos citaui *in part. 1. tract. 1. reſolut. 22.* quibus nunc addo Layman *in Theol. moral. lib.4.tract.9.c.3. nu.12.* Suarez de Paz *in praxi tom.1. part.5. cap.3. §.3. n.106.* Pereira *de manu Regia part.2.c.51.n.5.*

Sed ego *ibi*, & meritò, affirmatiuam ſententiam docui cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Tiraquell. *de iure primogenitur æ, q.66. num.9.* Remigium *de immunit. fallent.18.n.3.* Felinum *in c. Iudæi, de Iudæis, n.2.* Hippolytum *in l.vnic. C. de raptu virginum, nu.114.* quos nouiſſimè citat & ſequitur Lud. Correa *relect. de immun. Eccl. part.3.c.3.* quia, ait ille, immunitas non delinquentibus, ſed Eccleſiæ ob Dei reuerentiam & honorem conceſſa eſt: vnde qualiſcumque proponatur delinquens, non reſpicitur ad illum, & ita locũ habet immunitas, dummodò tamen excipiantur excepti. Deinde peſſimis hominibus confugientibus ad Eccleſiam immunitas conceditur, qui quidem etiam non cauſa fidei, ſed tantùm propter pœnę timorem ad Eccleſiam confugiunt; ac proinde licet infideles ita ſe habeant, nequaquam ab Eccleſia ſunt extrahendi, cùm malitia illorum immunitati Eccleſiaſticæ nocere non debeat. Ita Correa, quam quidem ſententiam non ſolùm in terminis Bullæ Gregorij XIV. veram eſſe exiſtimo, ſed etiam de iure communi: nam *in cap. inter alia, de immunit. Eccleſ.* neque in alio Canone, non reſtringitur immunitas ad Iudæos & Sarracenos: ergo, &c. Et hanc ſententiam etiam nouiſſimè tenet Gauantus *in enchir. Epiſc. ver. immunitas Eccleſiaſtica, num.9.*

Notandum eſt hîc, etiam ſtando in prima ſententia infideles confugientes ad Eccleſiam, ſi non ſimulatè petant Baptiſmum, gaudere immunitate. Verumtamen ſi infidelis poſt delictum commiſſum ad Eccleſiam confugiens Baptiſmum petat, cùm anteà conuerſionis nulla ſigna dediſſet, præſumptio eſt contra illum, quòd ſimulatè, & ſolùm pœnæ vitandæ cauſa petat, ideoque niſi contrarium appareat, extrahi poteſt. Non tamen puto, quidquid aſſerant Caſtrus Palaus *in opere morali tom.2.diſp.vnica, de immunitate Eccleſ. punct.7. num.8.* Megala *in 3 part.lib.4.c.2.* & Marta *de iuriſdict. par.3. cap.51.num.3.* præſumptionem hanc iuris eſſe, ac de iure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, quin potiùs dicendum ad Epiſcopum pertinere, vt in hoc caſu examinet voluntatem infidelis Baptiſmum petentis, & ſi iudicarit veram eſſe atque à Deo inſpiratam, immunitatem ipſi concedat, quo minùs à Iudice laico extrahi poſſit. Et hæc omnia docet Layman *in Theol. moral. lib. 4. tract.9.cap.3. nu.12.* & Suarez *de Relig. tom.1. tract.2. lib.3.cap.10.num.11.* Verùm ego, vt dixi, abſolutè teneo, omnes infideles, etiamſi non petant Baptiſmum, confugientes ad Eccleſiam gaudere eius immunitate; ad textum verò *in l.1.C. de his qui ad Eccleſiam confugiunt*, ex quo contraria ſententia firmatur, reſpondeo cum Correa *loco citato*, eſſe textum iuris ciuilis, & Pontificio contrarium, & ideò non eſſe obſeruandum. Quòd autem infideles non ſint ſubditi Eccleſiæ, ac proinde ab illa tutari non debeant, reſponderi poteſt non debere attendi quòd Iudæi, v. g. careant fide, vel illam habeant ad hoc, vt ipſi hac immunitate gaudeant, quia hoc priuilegium non conceditur intuitu perſonæ, ſed loci.

RESOL. LI. *An blaſphemantes Deum & B. Virginem gaudeant immunitate Eccleſiarum?*

NEgatiuè reſpondet Ludouicus Correa *in relect. de immunitat. Eccleſ. part.3.n.35.* Bobadilla *in polit. tract.1.lib.2.cap.14. nu.53.* Boërius *deciſ.110.* Decianus *lib.6.cap.26.nu.5. & 6.* & nouiſſimè Marta *de iuriſdict. part.2.c.51.n.30. & 31.*

Sed ego omnino affirmatiuam ſententiam tenendam eſſe puto, non ſolùm in terminis conſtit. Gregorij XIV. ſed etiam de iure communi; & ita docet Ambroſinus *de immunitat. Eccleſ. cap.8. nu.11.* Peregrinus *cap.12. n.12.* Megalius *in 3 part. lib.4. c.2. num.6.* & Farinacius *in append. cap.13. num.175.* qui, & optimè, limitant hanc ſententiam ſi blaſphemia ſit hæreticalis, tunc enim talis blaſphemus Eccleſiæ immunitate non gaudebit; non quia blaſphemus, ſed quia hæreticus, quod de quocumque alio de hæreſi ſuſpecto omnino affirmandum eſt, ſi ad Eccleſiam confugiat, nam ab ea à miniſtris ſancti Officij indifferenter abſtrahi poteſt. Ratio verò, quare blaſphemus gaudeat immunitate, eſt, quia inter delicta exceptuata in conſtitutione Gregorij, & in ſacris Canonibus, non adeſt delictum blaſphemiæ: ergo, &c.

RESOL. LII. *An Clerici poſſint vendere vinum ad minutum? & de aliquibus ſtatutis quoad hanc materiam, contra immunitatem Eccleſiaſticam.*

REſpondeo ex communi ſententia DD. Clericos poſſe vendere per famulos ſuos vinum & ſimilia, tam ex patrimonialibus, quàm beneficialibus, non ſolùm in menſura magna, &, vt dicitur, ad groſſum, ſed etiam ad menſuras minutas, neque ex hoc dicitur negotiari. Ita *gloſſa 1. in cap. negotiatorem, 88. diſt.* Abbas *in cap.2.n.1. de cleric. vel monach.* Geminianus & Franchus *in cap.vnic. de vita & honeſt. Cler. in 6.* Bertachinus *tract. de gabellis part.2.q.7.* Roland. *vol.4.conſ.71.nu.9.* & alij, quos affert & ſequitur Bellettus *in diſquiſ. Cler. tit.1.§.21.n.15.* Genuenſ. *in praxi Archiep. c.62.n.7.* Proſper de Auguſtino *in add. ad*

ad ſum. Quarantæ, ver. vectigal. Squillante *de priuileg. Cler. cap.8 nu.38.* & Barboſa *part.2.allegat.13.* Marta *part.4.caſ.3.nu.13.* & alij. Difficultas eſt, an ſi aliquis Iudex laicus ſtatueret vt venditores vini debeant præſtare fideiuſſionem ad ſoluendas pœnas, & in hoc caſu interrogatus includeret etiam venditores vini Clericorum, vel ſi præciperet venditores vini non poſſe illud vendere niſi in quarta domo diſtante ab Eccleſia. quæritur an hæc ſtatuta ſint contra immunitatem Eccleſiaſticam? & affirmatiuam ſententiam teneo.

Verùm vt veritas eluceſcat, ſuppono primò quòd dicitur ſtatutum contra immunitatem Eccleſiaſticam, ſiue indirectè, ſiue directè id fiat, ex *cap.ſtatutum, de hæret.in 6.* ſiue expreſsè, ſiue tacitè, ex *cap.Clericis, §.nos igitur, de immunit. Eccleſ. in 6.* & etiamſi non loquatur de perſonis Eccleſiaſticis; & ita docet Valenzuela *in defenſ. cenſ. Pauli V. part. 3. n.123.* Maynardus *de priuileg. Eccleſ. art.22. num.20. & 70.* Mandellus *vol.2. conſil. 8. num. 3.* Marta *de iuriſdict.part.4.cent.1.caſ.62.n.9.* Duardus *in Bull. Cœn. lib.2.can.15.quæſt.19.nu.2.* Fagnanus *in tract.de validitate cenſ. Pauli V.part.3.fol.59.* Gueuara *in propugn. libert. Eccleſ. aſſert.1. §.5. num.36.* & Surdus *conſil.* 301. *num.77.* & alij.

Suppono ſecundò Clericos non eſſe exemptos à legibus ciuilibus quatenus cum libertate Eccleſiaſtica non repugnant, vt ſunt leges circa pretia rerum, menſuras vendendi, & ſimilia, & ideò Villalobos *in ſumm. tom.1. tract.2. diffic. 31. num. 1.* ſic ait: *Los Eccleſiaſticos todos eſtan obligados à las leyes ciuiles que pertenecen à buena gouernacion y paz de la Republica, como ſon la taſſa del trigo y otras coſas ſemejantes: el fundamento deſta concluſion es que los tales tambien ſon vecinos como los demas, y aunque ſean eſentos de la iuriſdicion no lo han de ſer en las de mas coſas que les pertenecen como à miembro de la Republica: mas ha ſe de aduertir que los Eccleſiaſticos no eſtan ſuietos à las dichas leyes* quoad vim coactiuam, *ſi no ſolo* quoad vim directiuam, *porque eſta obligacion no nace de obediencia que deuan à los ſeglares como à Superiores, ſino porque de derecho natural ſe deuen conformar con los demas pues ſon tambien miembros de la meſma Republica. De lo qual ſe infiere que no eſtan obligados à las penas que las tales leyes les ponen, porque ſi las penas ſon ipſo facto no les pueden obligar porque no ſon de Superior y ſe les ha de poner el Iuez, que no ſe les ha de poner el Iuez ſeglar que los Eccleſiaſticos que delinquen contra las leyes ſeglares ſi no à ſu Iuez Eccleſiaſtico el qual no eſtarà obligado à poner la meſma pena de la ley ſino que podra poner pena arbitraria qual conuenga y ſele pareciere conueniente podra poner la meſma que la ley pone.* Ita ille, & igo ipſe *part.1. tract.2.reſol.7.* &, me citato, nouiſſimè Paulus Squillante *de priuileg.Cler. cap.8.num.89.* & Doctores communiter, quos ego *in dicta reſol.* citaui: vbi cum Vaſquez & Salas docui Iudicem Eccleſiaſticum non debere Clericis violantibus leges ciuiles eamdem pœnam infligere, quæ laicis ſtatuta eſt. Imò Surdus *conſ. 30. num.* 38. qui citat Sotum, putat in tali caſu Iudicem Eccleſiaſticum non debere eos punire pœna temporali, ſi lex Eccleſiaſtica non acceſſit. Vnde Nauarrus *c.33.n.88.* & alij aſſerunt quod in his caſibus benefaceret Iudex Eccleſiaſticus, ſi ſæculares Iudices ſuis edictis iuuaret, & tunc Eccleſiaſtici poſſint puniri pœna temporali.

His ſuppoſitis, aſſero bannum emanatum eſſe contra immunitatem Eccleſiaſticam. quod vnico argumẽto ita euidẽter probo. Clerici licet teneantur obſeruare leges iuſtas laicorum, tamen non tenentur ad pœnas impoſitas contrauenientibus ſupradictis legibus: ſed per dictum bannum indirectè Clerici coguntur ſoluere dictas pœnas; ergo bannum eſt contra immunitatem Eccleſiaſticam. Maior propoſitio huius argumenti ſatis *ſuprà* probata eſt. Minor verò clarè patet, quia ſtante dicto banno venditores vini debent fideiuſſionem præbere ad ſoluendas pœnas, ſi ad illas damnandi ſunt: ergo ſi Clerici vinum vendere volunt, numquam venditores laicos inuenient, ſi priùs non ſeruent eos indemnes de omnibus pœnis, quæ ex venditione dicti vini erunt ſoluendæ. & ſic Clericus indirectè erit obnoxius ſolutioni pœnæ impoſitæ legi laicali, vel imponendæ à Iudice laico, ad quam nullo iure tenebatur. Nec valet dicere quòd hoc procedit etiam cum laico domino vini. nam reſpondeo in hoc banno laicis non fieri iniuriam, neque iniuſtitiam, quia ipſi de iure in omni euentu tenentur ad pœnam impoſitam, vel imponendam à Iudice laico; ſecus autem eſt, vt probauimus, in Clericis. Vnde apparet intentionem ſtatuẽtium in hac ordinatione aliam non fuiſſe, quàm indirectè pœnam à Clericis exigere, quam directè non poterant, cùm niſi cæcutientibus non pateat Clericos ex hoc banno minimè poſſe in poſterum venditores vini inuenire, niſi velint pro dictis venditoribus Clerici ipſi in caſibus contingentibus pœnas à Iudice laico damnatas ſoluere. & ideò apertè apparet, vt dixi *ſuprà*, dictum bannum indirectè lædere immunitatem Eccleſiaſticam, licet loquatur cum laicis. Sed ſtatutum non attenditur cum quo loquatur, ſed in quem ſermonis effectus dirigatur. Vnde licet aliquod ſtatutum quoad verba non videretur infringere libertatem Eccleſiaſticam, cùm præcipiat ſubditis, vt apparet in caſu noſtro; tamen quoad mentem eſt contra libertatem Eccleſiaſticam faciendo fraudem de perſona ad perſonam, vt optimè notat gloſſa *in cap. final. de immunitate Eccleſ. in 6. ver. libertatis,* & *ibi* Ioan. Andreas, Ancharanus & Geminianus *num.1.* & idem Ancharanus *conſil.115. num. 7.* Abbas *in cap. Eccleſia S.Mariæ, de conſtitut. num. 27. & 31.* Alba *conſil. 8. num.13.cum.ſeq. & ſub num.20.* & alij, quos citat & ſequitur Vgolinus *in reſponſ. ad Iuriſconſult. Gymnaſij Patauini cap.6.num.8.* Collegium Bononienſe *in reſponſ. pro libertate Eccleſ. num. 14.* & Maynardus *de priuileg. Eccleſ. art. 22. num. 67.* & ideò aſſeruit P. Suarez quòd dum diſponitur circa perſonas laicas, & ordinatur grauamen ad Clericos, ſtatutum eſt contra libertatem Eccleſiaſticam. Ita ille ad Regem Angliæ *lib.4. cap.33. num.6.* ſed hoc accidit in caſu noſtro: ergo, &c.

Secundò probatur, hoc ſtatutum eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, quia quando per aliquod ſtatutum laici non poſſunt habere liberam contractationem & commercium cum Clericis, libertas Eccleſiaſtica arctatur, & adſtringitur. Nam Eccleſia

cleſia habet liberam facultatem, vt laici poſſint liberè cùm ea contrahere & commercium habere. Sed in noſtro caſu laici non liberè poſſunt contrahere cum Clericis, nam arctantur, vt ſi velint vinum eorum vendere, præſtent priùs fideiuſſionem; ergo clarum eſt ex hoc capite ſtatutum iſtud eſſe etiam contra libertatem Eccleſiaſticam. Cùm igitur Clerici de iure communi poſsint contrahere liberè cum laicis quibuſcumque, nec vendentes eorum vinum de iure communi tenentur aliquam fideiuſsionem ſoluere; ergo ſi ſtatutum hoc addat, dicitur contra libertatem Eccleſiæ, cui datum eſt, vt contrahat cum quocumque, nec contrahens cum ea grauetur aliquo onere. Dicãt ergo Clerici, Tolle ſtatutum, & ſi venditores vini tenentur fideiuſſionem præſtare, compelle eos ad præſtandum; ſin minùs, ne ius noſtrum auferas liberè contrahendi cum omnibus, ſine aliquo onere, noſtra enim intereſt habere venditores vini ſine obligatione præſtandi fideiuſsionem, quod euidenter patet: nam ex iſto ſtatuto Clerici, vt ſæpiùs dictum eſt, non inuenient in poſterum venditores vini; quis enim præſtabit dictam fideiuſsionem?

Dicendum igitur abſolutè quòd onus, quod non poteſt imponi Clericis, non poteſt imponi contrahentibus cum eis, & hæc omnia ſupradicta docet Laderchius *conſil.* 103. *nu.* 5. & 9. Mandellus *conſil.* 8. *n.* 16. 17. & 18. Aponte *in reſponſ. de cenſ. Pauli V. fol. mihi* 82. & alij penes ipſos, quæ valdè notanda ſunt ad adducendam potiſsimam rationem, quare gabella impoſita ſuper emptore ſit contra libertatem Eccleſiaſticam, non tantùm eo, quia per onus gabellæ viliùs venderent Clerici res ſuas, ſed quia, vt dictum eſt, de iure poſſunt contrahere cum laicis liberè, & ſine aliqua conditione & onere, nec ementes ab eis tenentur ſoluere gabellam: ergo ſi ſtatutum hoc addat, lædit libertatem Eccleſiæ, cui competit contrahere cum quocumque, nec contrahens cum ea quidquam ſoluere: quod eſt valdè notandum contra illos, qui putant gabellam poſitam ſuper emptore non eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam quando pretium rei eſt impoſitum à lege, quod conſiſtendo in indiuiſibili non poteſt à contrahentibus alterari, & ſic Clerici non viliùs vendent res ſuas, quia dato, & non conceſſo, quòd ita eueniet, dico adhuc gabellam eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, quia oneratur laicus cum quo Eccleſia de iure ſine vllo onere anteà poterat contrahere, quod non parum ei expediebat & vtile erat; quod à fortiori in caſu noſtro accidit, nam, vt dictum eſt priùs, Clerici inueniebãt venditores vini ſine vlla difficultate, imò rogati, quia nullum onus erat eis impoſitum; nunc verò ex iſto ſtatuto manifeſtum eſt, quòd non inuenient propter onus eis impoſitum de fideiuſſione præſtanda: vide ergo, quæſo, ſi ex hoc læditur libertas Eccleſiaſtica?

Reſtat modò diſcutere ſecundum punctum, nempe venditores vini non poſſe illud vendere, niſi in quarta domo ab Eccleſia diſtante; & hoc etiam eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam patet, quia ſtatutum prohibens, vel præcipiens perſonis Eccleſiaſticis id, quod eis nec diuino, nec humano iure præceptum, vel prohibitum eſt; erit contra libertatem Eccleſiaſticam, vt docet Felinus *in cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit. num.* 72. & 73. quem citat & ſequitur Zechius *de republ. Eccleſ. tit. de Clericis, fol. mihi* 410. Laderchius *conſ.* 103. *num.* 1. Annibaldus *in addit. ad Mandellum, conſil.* 8. *litt. H.* Souſa *in Bull. Cœn. cap.* 16. *diſp.* 84. *concl.* 3. Sayrus *de cenſur. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 9. §. *ſic etiam.* Filliucius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *num.* 270. §. *tertiò ea.* Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 358. §. *tenendum eſt tertiò.* Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *conſil.* 15. *quæſt.* 19. *num.* 1. & alij. Sed de iure communi non eſt prohibitum Clericis vendere vinum in taberna poſita in domibus Eccleſiæ, imò hoc facere eis concedunt, Geminianus & Franchus *in cap. vnic. de vita & honeſt. Cleric. in* 6. Lambertinus *de iure patronat. lib.* 2. *part.... art.* 26. *quæſt.* 9. *num.* 4. Genuenſ. *in praxi Archiepiſc. cap.* 62. *num.* 7. & Proſper Auguſtin. *in addit. ad ſumm. Quarantæ, ver. vectigal.* & tamen per hoc bannum arctantur vendere illud alio loco cum intereſſe: ergo hoc bannum erit contra libertatem Eccleſiaſticam, quia cum eorum detrimento imponitur Clericis onus quod de iure eis non eſt impoſitum. Nec valet dicere quòd intereſſe Eccleſiaſticorum in hoc ſeruando ſtatuto erit modicum, nam reſpondeo quòd ſiue magna, ſiue modica ſit læſio Eccleſiæ, non ſuſtinetur. Ita Collegium Bononienſe *in reſponſ. pro libert. Eccleſ. num.* 40. Sutdus *vol.* 3. *conſil.* 338. *num.* 20. & 27. Lupus *de libert. Eccleſ. part.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 2. Adde quòd Bonacina *in Bulla Cœnæ diſp.* 1. *quæſt.* 16. *ſect.* 2. *punct.* 2. *num.* 11. aſſerit, ſtatutum quo decernitur, vt Clerici etiam teneantur aliquam formam, vel aliud onus ſeruare, in contractu venditionis eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam. Sed hoc accidit in caſu noſtro, nam præſcribitur Clericis forma vendendi eorum vinum, nempe in quarta domo diſtante ab Eccleſia, cum onere locandi dictam tabernam; ergo hoc bannum eſt contra libertatem Eccleſiaſticam.

Deinde ſtatutum quo Eccleſiaſtici efficiuntur peioris conditionis, quàm laici, eſt contra immunitatem Eccleſiaſticam. Ita DD. citati, & Gueuara *in propugn. libert. Eccleſiaſt. aſſert.* 1. §. 5. *num.* 42. Valenzuela *in defenſ. cenſ. Pauli V. part.* 3. *num.* 168. Riccius *in praxi tom.* 3. *reſolut.* 207. *num.* 7. cum Megala *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 10. *quæſ.* 1. *num.* 51. & alij communiter. Sed ex hoc banno Eccleſiaſtici efficiuntur peioris conditionis, quàm laici; ergo. Probo minorem, quia Regularibus, v. g. ex hoc banno ſemper opus erit conducere tabernas alienas ad vendendum vinum, cùm præcipiatur in ipſo banno vendi in quarta domo diſtante ab Eccleſia; quod laicis non accidet, ſed in propria domo ſine conductione aliæ apothecæ ſuum vinum venale ſemper habebunt, cùm non habitent in Eccleſiis vt Regulares. Vnde manifeſtè apparet hoc bannum contra Regulares promulgatum fuiſſe, & in hoc eſſe peioris conditionis quàm laici. Deinde multùm intereſt habere tabernam vini coniunctam cum propria domo, vt ipſimet laici confitentur, quod beneficium Eccleſiaſtici ex hoc banno non habebunt, ſed ſolùm laici, & tamen iura clamant eſſe magis Clericis fauendum, quàm laicis. *l. ſunt perſonæ, ff. de relig. & ſumpt. funer.* ergo, &c.

Reſtat

Restat modò respondere ad aliqua argumenta, quæ aduersus supradicta adduci possunt. Primò, quòd ista statuta diriguntur ad venditores vini laicos subiectos Principibus sæcularibus. Respondeo quòd cùm sit concessum Clericis vendere vinum non per se, sed per suos famulos, vt tradit Genuensis *in praxi Archiepisc. cap. 62. num. 7.* Prosper de Augustin. *in addit. ad summ. Quarantæ, ver. vectigal.* Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 8. num. 38.* & alij, quidquid disponitur circa tales, redundans in damnum Clericorum, est contra libertatem Ecclesiasticam, & censetur dispositum contra Clericos, vt patet apud Surdum *consil. 301. nu. 74.* & alios DD. communiter. Vnde licet hoc statutum cum laicis loquatur, effectus sermonis dirigitur in Clericos, quod suprà probauimus, & diximus esse contra immunitatem Ecclesiasticam, & tradunt etiam Parisius *consil. 27. vol. 2. nu. 63.* Riminaldus senior *consil. 268. n. 32. vol. 2.* & Laderchius *consil. 103. n. 9.* Nam Clerici non inueniendo famulos propter onus fideiussionis præstandæ erunt astricti vel vinum non vendere, vel dictos famulos indemnes seruare. Vnde cùm laici directè pœnas à Clericis exigere priùs minimè poterant, per hoc statutum indirectè illas exigent. Adde his omnibus, quòd, vt suprà satis probatum est, eo ipso, quòd contrahentes cum Clericis grauentur aliquo onere, læditur libertas Ecclesiastica: sed hoc accidit in casu nostro: ergo, &c.

Secundò non valet dicere, quòd quando statutum non prohibet absolutè seruitium fieri Clericis, sed permittit cum certa forma & modo, vt est in casu nostro, non est contra libertatem Ecclesiasticam, vt docet Natta *lib. 2. consil. 280. nu. 4.* & ideò statutum vt custodes animalium soluant pœnam pro damno dato, ligat etiam custodes animalium Clericorum, vt docet Maccabrunus *consil. 18. n. 17.* Nam respondeo quòd opinio Nattæ non est amplectenda, & illam in specie reprobat Carolus de Grassis *de effectibus clericatus, effect. 2. nu. 359.* quia per indirectum lædit Clericos, vt apertè apparet in casu nostro. Adde quòd *suprà* satis probatum est, quòd eo ipso quòd laici contrahentes cum Clericis grauantur aliquo onere, læditur Ecclesiastica immunitas, maximè quando tale onus redundat in damnum Clericorum, vt est in casu nostro: ergo, &c. Ad exemplum autem de custodibus animalium dico, quòd procedit quando dominus pascuorum, antequam intrassent animalia Clericorum, expresè prohibuisset custodes, nam tunc intrantes post prohibitionem in specie tenerentur, per text. *in l. duus ff. de seruit. rusticor. prædior.* secus autem si prohibuisset in genere per banni emanationem, vt efficitur in casu nostro; quoniam famuli & coloni Ecclesiæ non alligantur statutis, & edictis laicorum, siue specialiter, siue generaliter de illis disponant, & ita docet noster doctus P. Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 2. cons. 15. quæst. 27. n. 6.* Marta *de iurisdict. part. 4. caſ. 8. num. 14.* Surdus *cons. 301. num. 74.* & alij.

Tertiò iam suprà probatum est, Ecclesiasticos, si non vi coactiua, saltem directiua, teneri seruare leges latas propter bonum commune: sed istud statutum tale est; ergo vi directiua obligabit Ecclesiasticos. Respondeo hanc doctrinam esse veram quando dicta statuta, seu leges editæ in bonum publicum, neque directè, neque indirectè lædunt libertatem Ecclesiasticam, vel aliqua iura Clericorum, quod non accidit in casu nostro, vt *suprà* satis probatum est. Ita D. Franc. Aponte *in respons. de cens. Pauli V. fol. mihi 75.* Collegium Bononiense *in respons. pro libert. Ecclesiast.* contra Venetos *nu. 24.* Molina *de iustitia & iure tom. 1. tract. 2. disp. 31. nu. 15.* Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 7. dub. 3. nu. 94.* & hæc dicta sufficiant circa hanc quæstionem. Saluo semper, &c.

RESOL. LIII. *An Iudex Ecclesiasticus possit acquirere iurisdictionem in laicos ex consuetudine, vel præscriptione?*

AFfirmatiuè respondeo per ea, quæ adducunt communiter Doctores *in cap. cùm contingat, de foro compet. cap. licet ex suscepto, eodem tit. & l. 3. C. de emancip. liber.* Idem etiam docet Cardinalis Tuschus *tom. 5. concl. 545. nu. 9.* Iason & Zasius *in l. more. ff. de iurisdict. omn. iudic.* & Mynsingerus *consil. 17.* asserentes merum & mixtum imperium præscribi posse, adeò vt Iudex Ecclesiasticus iurisdictionem sæcularem facilè præscribere possit, licet non è conuerso, ex *cap. significauerunt*, vbi Aretinus *in 2. notab.* & Felinus *n. 3. de iudic.* eiusmodique iurisdictio per præscriptionem acquisita non cumulatiuè, sed priuatiuè censetur adepta, perinde atque si contractu esset acquisita, cùm præscriptio æquiparetur pacto, siue cõtractui. & hæc omnia docet Ioannes Cochier *in vindiciis libertatis Ecclesiasticæ part. 1. c. 30. n. 7. & c. 26. nu. 1. & 2.* vbi etiam *nu. 2.* docet valere consuetudinem, vt laicus possit indistinctè coram Ecclesiastico conueniri, ex *cap. si Clericus laicum, cap. licet ex suscepto, de foro compet.* Franchus *in cap. si duobus, §. denique, n. 3. de appellat.* & aliis. Nec aduersus supradicta admittenda est limitatio aliquorum asserentium tunc esse vera, quando datur scientia Principis, adeò vt non sufficiat scientia officialium, vt tradit Castaldus *tract. de imper. quæst. 54. num. 20.* Capycius *decis. 57.* Petra *de fideicommiss. quæst. 12. num. 298.* Decius *consil. 307. n. 9.* & alij: nam respondetur id verum esse respectu subditorum, & vasallorum, qui aduersus superiorem præscribere non possunt, non autem respectu Ecclesiasticorum, per ea, quæ adducit Abbas, Felinus, & alij, *in cap. cùm nobis, de præscript. & in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* & ita docet idem Cochier *vbi suprà c. 3. n. 3.*

RESOL. LIV. *Coram quo facienda sit appellatio, quando causa decisa fuit per duos Iudices, vnum laicum, & alium Ecclesiasticum?*

REspondeo faciendam esse coram Iudice Ecclesiastico, quia dignior trahit ad se minùs dignum, & cùm in dicta appellatione agatur de actu ipsorum Iudicum arbitrorum, quorum Iudex non potest esse laicus dicendum est appellationem interponendam esse coram Ecclesiastico, & ita docet Felinus *in c. 1. de præscript. n. 6.* Ambrosinus *de immunit. c. 20. nu. 6.* Bonacina *in Bulla Cœn. disp. 1. q. 16. punct. 5. nu. 20.* quidquid in contrarium asserat Couarr. *lib. 2. variar. c. 22.*

RE-

RESOL. LV. *Quando ſtatuta laicorum ſint contra immunitatem Eccleſiaſticam?*

PRimò, quando Eccleſia & perſonæ Eccleſiaſticæ prohibentur, aut impediuntur vti rebus, aut facultatibus à iure communi ſibi conceſſis. Ita Felinus *in cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit. num.* 111. *& ibi* Imola, & Butrius, Alexander *lib.* 1. *conſil.* 121. *& lib.* 2. *conſil.* 208. Tuſchus *tom.* 5. *concl.* 342. *num.* 13. 19. *&* 137. & probatur ex *d. cap. Eccleſia S. Mariæ,* 4. *de priuileg. cap. fin. de immunitate Eccleſ. in* 6.

Secundò, quando diminuuntur, vel tolluntur priuilegia Eccleſiis, & Clericis conceſſa à Deo, ſummis Pontificibus, aut aliis Principibus ſæcularibus. Ita Cynus, & Salicetus *in Authent. caſſa & irrita.* Baldus *in l. cunctos populos* Imola *in cap. nouit, de iudiciis, num.* 2. Abbas *num.* 2. Alexander *lib.* 1. *conſil.* 209 *num.* 3.

Tertiò, quando Clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ efficiuntur timidiores. Ita Angelus de Peruſio *in l.* 1. §. *quæ oneranda, ff. quarum rerum,* & Bartolus *ibi* cum DD. *in cap. Eccleſia,* & Cardinalis Tuſchus *tom.* 5. *concluſ.* 342. *n.* 39.

Quartò, quando Clerici efficerentur deterioris conditionis quàm laici. Ita Felinus *in dicto cap. Eccleſia, num.* 111. Peckius *de amortizat. cap.* 6. Zabarella *in cap peruenit, de immunit. num.* 13. & probatur ex *c. quanto, de priuileg.* & ex *cap. fin. de immunitate Eccleſ. in* 6.

Et quintò, illa ſtatuta ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam, quæ ſunt apta afferre Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis ſemper incommodum, vt notat Felinus *in d. cap. Eccleſia, num.* 69. etiamſi indirectè noceant Eccleſiis, quamuis diſpoſitio & ſtatutum non diſponat ſuper illis, ſuper quibus Eccleſia haberet ſpecialia priuilegia, vt patet ex *cap. quanto* 26. *de priuilegiis,* & probat Felinus *vbi ſuprà, num.* 104. & Tuſchus *num.* 140.

Sunt etiam præter prædicta, aliqua ſtatuta contra immunitatem, de quibus *ſuprà* dictum eſt, vnde infertur cum Angelo de Peruſio *conſil.* 48. Felino *in d. cap. Eccleſia, num.* 148. Lapo *allegat.* 92. & Peckio *de amortizat. cap.* 6. quàm periculoſa ſit hæc materia ſtatutorum, ne lædant immunitatem Eccleſiaſticam: vnde aduertant Confeſſarij, vt ab huiuſmodi ſtatutis ferendis pœnitentes deterreant.

RESOL. LVI. *An Iudex Eccleſiaſticus ſit competens ad cognoſcendum laicum pro re, quam in emphyteuſim tenet ab Eccleſia?*

DE hac re alibi dictum eſt, & affirmatiuã ſententiam docui, quam nouiſſimè tenuit ſacra Rota Rom. *die* 28. *Maij* 1631. coram Illuſtriſſimo & Doctiſſimo Merlino, Domino meo amantiſſimo, cuius deciſionem ponit per extenſum Antonius de Marinis *quotid. reſolut. cap.* 207. *num.* 4. *& ſeq.* & quia in dicta deciſ. firmantur multæ concluſiones pro immunitate Eccleſiaſtica ex ſacris Canonibus & Doctoribus, non grauabor illas hic apponere.

Prima, licet iuſpatronatus laicorum non ſit propriè ſpirituale, attamen quia eſt annexum ſpiritualitati, ideò ſuper illo iudicat ſolùm Iudex Eccleſiaſticus.

Secunda, poſſeſſio rei ſpiritualis licet ſit merè temporalis & laicalis, attamen etiam de poſſeſſione ſolùm cognoſcit Iudex Eccleſiaſticus, quemadmodum de ipſa proprietate, non autem laicus, cùm qualitas ſpiritualitatis qualitatem temporalitatis abſorbeat.

Tertia, cauſa decimarum licet in feudum datarum ſæcularibus diſcutienda eſt coram Iudice Eccleſiaſtico; licet enim dominium huiuſmodi decimarum, ſcilicet fructuum illorum, omninò ſpectet ad laicos, & feudum cenſeatur ſæculare, tamen quia oritur & dependet à iure ſpirituali & Eccleſiaſtico, non poteſt Iudex laicus de illis cognoſcere.

Quarta, poſſeſſorium matrimonij quamuis agatur inter perſonas merè laicas, tamen quia habet admixtam cauſam & titulum ſpiritualitatis, definiendum eſt à Iudice Eccleſiaſtico.

Quinta, ratione connexitatis dominij vtilis cum directo emphyteutas Eccleſiæ non teneri ad collectas & onera realia per ſtatuta laicorum ſuper rebus & bonis impoſita, cenſuerunt grauiſſimi auctores. & hæc omnia, vt dixi, firmantur in dicta deciſ. ſacræ Rotæ ex iure & auctoritate Doctorum, quam in caſibus occurrentibus omnino videndam eſſe puto.

Notandum eſt etiam hîc obiter cum D. Antonio de Marinis *vbi ſuprà ca.* 206. *per totum,* Iudicem laicum non eſſe competentem ad cogendũ Clericum pro reſtitutione pecuniæ illi liberatæ cum cautione de reſtituendo, dum creditor anterior comparuerit, ſed in tali caſu adeundum eſſe Iudicem Eccleſiaſticum, omnino dicendum eſt.

RESOL. LVII. *An leges amortizationis ſint contra immunitatem Eccleſiaſticam?*

DE hac materia tractatum eſt *in part.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 103. *& in* 3. *part. tract.* 1. *reſol.* 14. vbi damnaui ſupradictas leges, in quibus bona ſtabilia prohibentur alienari in manum mortuam abſque Principis licentia & certa pecunia ſoluta.

Sed quia cum quodam Iuriſconſulto olim mihi fuit magna controuerſia ſuper hac quęſtione, præter Doctores quos *in dictis locis* adduxi, nunc alios adducam. Et ideò Theologi Religionis ſeruorum *in defenſ. cenſurar. Pauli V. cap.* 7. *ad argument.* 8. ſic aſſerunt: *Il coſtume dell' amortizatione douunque ſi vſi è corruttela, è perciò non può ſeruire per raggione, è per proua.* Ioan. Franciſcus Fagnanus *in reſponſ. pro cenſ. Pauli V ſol. mihi* 82. amortizationem Eccleſiaſticæ libertati aduerſam eſſe, nulloque iure defendi, aut ſuſtineri poſſe arbitror. Et nouiſſimè hanc opinionem tenet Ioan. Cochier *in vindiciis libertatis Eccleſ. part.* 1. *cap.* 11. *per totum,* vbi *num.* 6. obſeruat Carolum II. Siciliæ Regem ſimilem legem reuocaſſe, ſatiſque eſſe arbitratus eſt, ſi bona immobilia cum onere ſuo ad Eccleſiam tranſirent; & ratio noſtræ ſententiæ eſt, quia Conſtantinus Magnus liberum cuique decedenti fecerit arbitrium Eccleſiis, quęvelit relinquendi, vt patet ex *l.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* vide etiam *cap.* 1. *& cap. fin. de immunit. Eccleſ. in* 6. Bartolum, Alexandrum, Ruinum, Iaſonem & alios *in l.* 1. *de ſacroſ. Eccleſ.* ceteras rationes adducit Cochier *loc. cit.*

Dicendum est igitur quòd libertas Ecclesiastica violatur ob necessitatem petendæ amortizationis, quod verum esse puto stando in iure communi; secus autem si hoc efficeretur in aliquo Regno ex priuilegio Summi Pontificis, vel ex tolerantia approbatiua, quæ quidem si adsint, videbunt illi ad quos spectat.

RESOL. LVIII. *An Iudex laicus possit cognoscere de crimine hæresis, quando agitur de quæstione facti?*

AFfirmatiuam sententiam docet nouissimè Seraph. Freitas *in 3 edit. de Confessar. sollic. quæst. 5. num. 86.* quia quæstio facti criminis hæreseos non est magis spiritualis, quàm quæstio facti aliorum spiritualium, de quibus sæcularis cognoscit, prout est beneficialis causa & matrimonialis, & similes, de quibus multa exempla inuenies apud Pereiram *de manu Regia part. 2. cap. 50. numer. 16. cap. 29. num. 4. cap. 63. num. 18. & 19. cap. 74. num. 4. cap. 43. num. 4. cap. 44. num. 14. & cap. 52. num. 41.* & confirmatur, quia cognitio de quæstione facti non est propriè cognitio de crimine.

Sed hanc opinionem ego reprobaui cum multis DD. *in p. 3. tract. 1. res. 2.* & nunc iterùm reprobo cum Barbosa *in l. Titia 55 ff. soluto matrim. numer. 85. tom. 2.* & Moura de Insal. *sect. 3. cap. 1. numer. 34.* dico enim quòd licet Iudices sæculares de crimine hæresis olim poterant cognoscere, vt patet ex §. *si verò, in Authent. de sanctiss. Episc.* & ex *l. 1. §. final. C. de summa Trinit. & l. quicumque §. vlt. C. de hæret.* Verùm hoc illis prohibetur iure Canonico sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, vt patet *in c. ex inquisitionis officio, §. prohibemus, de hæret. in 6.* vbi sic habetur, Prohibemus quoque districtiùs Potestatibus, Dominis temporalibus, & Rectoribus, eorumque officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine, cùm merè sit Ecclesiasticum, quoquo modo cognoscant & iudicent. In quibus verbis notandum est illud verbum *quoquo modo*, quod omnem speciem cognitionis excludit, est enim dictio generalis omnia comprehendens, vt patet *in l. 1. ver. quoquo modo, ff. de testam. milit.* iuncta glossa *ff. de fideicommiss.* & aduertit Ruinus *consil. 98. n. 11. vol. 2.* Rolandus *consil. 80. num. 37. vol. 3.* Cephalus *consil. 58. num. 17. vol. 1.* & alij, & ideò nouissimè Pereira *de manu Regia part. 2. c. 65. n. 24.* licet pro affirmatiua sententia aliquas rationes adduceret, tandem asserit quòd si contingat Iudices sæculares se in his casibus velle immiscere, possint à Iudicibus Ecclesiasticis inhiberi, ne procedant, & ita dicendum est cum Barbosa *vbi suprà*, quòd de causa hæresis sæcularis cognoscere non potest, etiamsi quæstio ad solum factum pertineat.

RESOL. LIX. *An Iudex laicus à suo legitimo Superiore, & non ab Inquisitoribus compellendus sit vt hæreticum morti tradat?*

A Suo Superiore, & non ab Inquisitoribus compellendum esse docet Seraphinus Freitas *in nouis addit. de Confessar. sollicit. quæst. 2. num. 78.* vbi sic ait: Hinc fit non videri veram sententiam Felini *in cap. ad abolendam, de hæret.* dum resoluit Inquisitores procedere posse contra Iudices sæculares, si hæreticos sibi relictos non puniant ignis supplicio, hoc enim attento iure falsum esse constat, quia Inquisitores non condemnant ad mortem, nec ad illam ordinant sententiam, sed relinquunt hæreticos, & à suo foro dimittunt: vnde licet Iudex sæcularis non possit immutare pœnam iure, aut consuetudine præscriptam, ad eam tamen imponendam compelli debet, non ab Ecclesiastico, sed à suo legitimo Superiore. Ita ille.

Sed hanc sententiam ego satis reprobaui *in p. 1. tract. 2. resol. 134.* vbi ex multis DD. docui Inquisitores in tali casu posse per censuras procedere contra Iudices sæculares, vt hæreticos igni tradant sine metu irregularitatis, & punire dictos Iudices tamquam fautores hæreticorum, & hæc opinio patet ex Bullis Vrbani IV. & Clem. IV. & Innocent. IV. quas adducit Camillus Campegius *in addit. ad Zanchinum de hæret. cap. 8. litt. A.* vbi latè docet hanc sententiam, & post illum Pegna *in direct. Inquis. part. 3. quæst. 36. comment. 85.* vbi ex rationibus, Doctorum auctoritate, & ex Bullis Pontificiis solidè firmat, posse Inquisitores compellere per censuras Iudices laicos vt mandent executioni sententiam à se latam. & hæc est communis sententia Doctorum, fundata in supradictis Bullis Pontificiis. Vnde maximè doleo Freitam alioquin virum doctum, & de sacro Tribunali benè merentem, contrariam sententiam docuisse.

RESOL. LX. *An statutum laicorum prohibens generaliter librorum impressionem absque illorum licentia, comprehendat Clericos?*

VIdetur affirmatiuè respondendum, quia Episcopi ordinant, ne quis libros imprimere audeat sine illorum licentia: qua sanè ordinatione non solùm sæculares, sed etiam Regulares exempti comprehenduntur. Ergo & Princeps sæcularis poterit idem statuere, obligando non solùm laicos, sed etiam Clericos exemptos, vt conseruetur æqualitas, iuxta textum *in l fin. C. de fruct. & lit. expens.*

At his non obstantibus Aloysius Bariola *consil. 34. per totum*, contrariam sententiam tenet, quia statutum vires acquirit à potestate statuentium, ex *l. final. ff. de iurisd. omn. iudic. & ca. à nobis, de sentent. excommun.* Sed sæculares supra Ecclesiasticos nullam habent facultatem, ex *cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit.* ergo, &c. Deinde si Clericus in summam D. Thom. vel in Bullam Cœnæ librum imprimere vellet, si Potestas sæcularis velit in vim sui statuti facultatem illum imprimendi concedere, id aliud non erit, quàm in causis spiritualibus & Ecclesiasticis ad ipsius forum non modò indirectè, sed directè trahere. Sed hoc est contra Canonem 15. Bullæ Cœnæ. ergo, &c.

Ad argumentum verò respondetur Episcopos posse id statuere ad finem spiritualem Clericos & sæculares propriæ diœcesis ligando, ex Concilio Lateranensi *sess. 10.* tum ex Triden. *sess. 4.* tum ex Bullis Apostolicis & decretis Cardinalium, vnde non est attendenda ratio inæqualitatis. Adde quòd in tali casu Episcopi habent potestatem

ligandi

ligandi laicos, non autem è contra laici ligandi Clericos, etiamſi tale ſtatutum feratur ob bonum publicum, quia vtilitas publica non confert iuriſdictionem Principi laico in perſonas Eccleſiaſticas. Et hæc omnia docet Bariola *vbi ſuprà*, qui reſpondet ad alia argumenta contraria, & adducit pro hac firmanda ſententia, multas alias rationes: tu adi illum, & non pigebit.

RESOL. LXI. *An in criminibus mixti fori quis in foro Eccleſiaſtico punitus mitiori pœna, poſſit in foro ſæculari pro exceſſu pœnæ puniri?*

AFfirmatiuam ſententiam nouiſſimè tenet iterùm Pereira *de manu Regia part.2.cap.56.nu.47.* vbi ſic ait: Non prætermittam dubium eſſe, an crimen mixti fori ſemel in vno foro punitum, poſſit in altero foro pro exceſſu pœnæ puniri? Et poſſe dicit eleganter Abbas poſt Ioan. Andream *in cap. tuæ, de procurat.* vbi Alciatus *num.134.* & alij. Obſtat tamen *c.2. de except. in 6.* vbi data præuentione, videtur iterùm antiquam cauſam ſuſcitari non poſſe, niſi dicas regulam dictam procedere, quando æqualis eſt pœna in vtroque foro, propter regulam *l. cum quæritur, ff. de except. rei iudic.* quia ſi maior eſt pœna, ceſſat dicti cap. ratio. Ita ille.

Sed aduerſus doctum Luſitanum alium non minùs doctum opponam, & is eſt Seraphinus Freitas *in nouis addit. ad tract. de Confeſſar. ſollicitan. q.3. num.48.* vbi ſic ait: Verius eſt etiam in cauſa mixti fori punitum mitiori pœna ab Eccleſiaſtico, non poſſe iterùm in ſæculari puniri ad integrandam pœnámve diuerſam, & vice verſa, iuxta *cap. vlt. de except in 6.* vbi ſententia Iudicis Eccleſiaſtici ſub cenſuris in foro ſæculari obſeruari iubetur, tenet gloſſa *ver. adiicimus, in cap. felicis, de pœnis in 6.* quam *ibi* ſequuntur Dominicus & Peruſinus *n.3.* Hoſtien. & Anton. *in cap. tuæ, de procurat.* Imola & Anania *num.6.* Berous *num 23. in cap. de his, de accuſat.* Bartolus *in l. ſenatus, ff. de accuſat.* & eſt opinio communis Canoniſtarum ex Abbate *in d. cap. tuæ*, pro quibus facit regula *d. cap. de his, & d. l. ſenatus*, quam praxis approbat, & textus *in d. cap. vlt.* Sic videmus in reis nefandi criminis, quod mixti fori eſt inter ſæcularem, & Inquiſitorem in Luſitania & in Aragonia, quidquid in contrarium teneat altera opinio ex Couarruuia & aliis, quibus non fauent *dict. cap. felicis, cap. 2. de maledicis l. placet. C. de ſacroſanct. Eccle.* quia vltra quod in ſuis ſpeciebus procedunt, non decidunt reum ſemel punitum in vno iudicio competente poſſe ab alio maioribus pœnis puniri, vt benè Aretinus *in d. cap. de his*, Berous *numer. 13.* quidquid repugnet Gomez *tom.3. cap.1. num.40. concluſ.4.* Tunc autem poteſt quis ad diuerſa fora trahi ſuper eodem crimine, quando ob varios reſpectus crimen eſt vtriuſque fori, vt docet Felinus *num.13.* & ab eo citati *in cap. de his, de accuſat.* & Nauarrus *in cap. nouit. notab.6. num.70.* & poſterior opinio Couarruuiæ & aliorum in hunc ſenſum accipi & defendi poteſt, & forſitan hoc intendit quando punitio tendit ad diuerſa, quæ diuerſitas conſiſtit in diuerſis pœnis, tribunalibus, aut Iudicibus, ſed in diuerſis reſpectibus, & hæc omnia docet Freitas *loc. cit.* & hanc ſententiam ego ipſe etiam alibi docui *in part. 1. tract. 2. reſol.107.* vnde immeritò hanc opinionem improbabilem vocauit his diebus quidam Iuriſconſultus, cùm probabiliſſimam eſſe omnino dicendum ſit.

RESOL. LXII. *An conſuetudo immemorialis probet extitiſſe priuilegium faciendi aliquid contra immunitatem Eccleſiaſticam?*

AFfirmatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia, in part.2. cap.60 num.18.* vbi ſic ait: Veniendo ad caſum propoſitum, non eſt dubium potuiſſe à Summo Pontifice concedi Regibus, vt de his Clericorum cauſis cognoſcant in illo caſu particulari, quod priuilegium extitiſſe immemorialis probat conſuetudo. Ita ille.

Sed ſi hæc opinio eſſet vera, omnes immemoriales conſuetudines contra libertatem Eccleſiaſticam, quas communiter improbant Doctores, eſſent admittendæ, quia probarent, vt docet Pereira, priuilegium; ſed hoc dicere eſt abſurdum, vt patet omnibus: ergo dicendum eſt vltra immemorialem vſum, requiri etiam famam priuilegij, vt tales conſuetudines excuſent ab incurſione cenſurarum, eo pacto quo docet P. Suarez contra Regem Angliæ *lib.4. cap.34. nu.17.* vbi contra opinionem Pereiræ ſic aſſerit: Quæri poteſt, an immemorialis conſuetudo ſit ſufficiens indicium, ſeu teſtimonium, quòd ex legitimo priuilegio inchoata fuerit, videtur enim valdè probabile ita eſſe præſumendum, quia immemorialis conſuetudo præſumitur honeſta, vt multi Iuriſperiti tradiderunt; quia cùm non poſſit probari mala, præſumitur bona. Nihilominus cenſeo ſolam, & nudam conſuetudinem, etiam immemorialem, non ſufficere in hac materia ad probandum priuilegium; tum, quia illa regula non procedit in conſuetudine reprobata per legem, tum etiam, quia valdè odioſum eſt priuilegium hoc, & difficile, & rarò conceditur, & ideò niſi legitimè probetur, non præſumitur, ſolus ergo vſus quantumuis antiquus, cùm in facto conſiſtat, non probat ſufficienter ius, ſeu priuilegium. Loquor autem de nuda & pura conſuetudine, quia ſi cum illa coniungatur conſtans fama & traditio æquè antiqua, ſeu immemorialis, quòd præceſſerit priuilegium, & talis traditio integrè probetur, videtur ſufficiens vt talis conſuetudo pro priuilegio reputetur. Ita Suarez, & ante illum Stephanus Aufrerius *tract. de poteſt. ſæcul. in Eccleſ concluſ.4. fallent.12. & 13.* & Burſatus *lib. 2. conſil. 44. num.12.* licet Duardus *in Bull. Cœn. lib.2. can.19. quæſt.9. n.15.* doceat, quòd quando præſcriptio & conſuetudo à iure ſcripto reprobatur, vt, v.g. Clerici conueniantur coram Iudice laico, &c. ſatis non eſt probatio priuilegij per famam.

Sed difficultas eſt, an conſuetudo etiam fundata in priuilegio trahendi cauſas Eccleſiaſticas ad laica tribunalia, ſit reuocata per Bullam Cœnç. Ad hoc dubium affirmatiuè reſpondet Bonacina *in Bull. Cœn. diſp.1. quæſt.15. punct. 4. §.3. num.1.* vbi ſic ait: Vel cõſuetudo nititur priuilegio, vel nullo priuilegio fulcitur: ſi nullo priuilegio fulcitur, nullũ ius confert, vt probatum eſt; ſi nititur priuilegio, adhuc non poteſt vtentibus ſuffragari, quando enim

enim conſuetudo, licet immemorabilis,fundatur in priuilegio,non plus operatur, quàm ipſum priuilegium, cùm vires ex eo accipiat,vt patet ex *l. hoc iure.§.ductus aquæ.ff. de aqua quotidiana.* & ex *cap. ſuper quibuſdam.§. præterea,de verbor. ſignificat.* Cùm ergo priuilegium in hac Bulla ſublatum ſit,ſequitur Iudices laicos, cauſas Eccleſiaſticas ad ſuum tribunal trahentes, vel illarum executionem impedientes,à peccato & à cenſura non excuſari titulo conſuetudinis. Ita Bonacina.

Verùm hæc quęſtio pendet ex illa,quam tradidimus *in p.1.tract.2 reſol.6.*an ſcilicet Bulla Cœnæ deroget priuilegiis,ſi reuerà exiſtant,quando ſunt contra immunitatem Eccleſiaſticam? Et pro affirmatiua & negatiua ſententia multos Doctores adduxi,ideò quæſtio eſt difficillima,maximè cùm reuocatio priuilegiorum in dicta Bulla generaliſſima ſit,vt legenti patet.

Resol. LXIII. *An in donatione facta Eccleſiæ requiratur inſinuatio?*

AD hoc dubium negatiuè reſpondet Aponte *in reſponſo ſuper cenſura Veneta ſol. mihi 99.* vbi ſic ait:Libertatem Eccleſiaſticam in tantum iura cuſtodierunt, quòd licet aliàs de iure communi per leges Imperatorum etiam in donationibus factis Eccleſiæ vltra ſummam quingentorum aureorum requirebatur inſinuatio, de quo *in l.illud, C.de ſacroſanct.Eccleſ.in l.ſancimus,C.de donation.* quæ eſt ſolemnitas, quæ paſſim & indiſtinctè abſque aliqua difficultate interponitur, cùm non conſtat in alio, quàm in regiſtratione penes acta coram Iudice interponente ſuper donatione ſuam auctoritatem,ſecundùm gloſſam *in §.illud, in verſ. geſta,in Authent. vt non fiant pignor.* quæ ſolemnitas introducta eſt in fauorem donationum, vt nullo vnquam futuro tempore de illarum firmitate & validitate poſſet dubitari. Et tamen in donationibus factis Eccleſiæ, non obſtantibus legibus Imperatorum, non requiritur hodie inſinuatio, vt docet Hoſtienſis,& Ioan.Andreas *in cap final.de fide inſtrum.*hæc omnia Aponte *vbi ſuprà*, & Doctores communiter, inſpecta Eccleſiarum libertate, quæ non ſubiacet auctoritati ſæculari, quia quodammodo ex hoc eſſet impedire liberam diſpoſitionem à iure proditam in contractatione & acquiſitione inter laicos & Clericos,quæ latiùs tradit & firmat Vitalis *in tract.clauſular. in c.an legibus inſinuat.exig.poſt renunt.n.*105.

Resol.LXIV. *An Eccleſiaſticus ſit Iudex,quando incidit quæſtio cuius ſit iuriſdictio?*

REſpondeo affirmatiuè cum Sanchez *in opuſc. tom.1.lib.2.cap.4.dub.52.num.2.& dub.55. nu.31.* Gutierrez *practic.quæſt.lib.1.quæſt.6.num.2.* & Ioan. Franciſco Fagnano *in reſponſ. pro cenſuris Pauli V. p. 4.fol.121.*vbi ſic ait: Horum omnium articulorum definitionem non ad ſæcularem Iudicem, ſed ad Eccleſiaſticum ſpectat, nam vbi quæſtio incidit cuius ſit iuriſdictio,Iudex maior cognoſcit, vt patet *in cap.ſi Iudex,de ſentent excommunic. in 6.* & docet Ripa *in cap.decernimus,poſt num.4. de iudic.* Alexander *conſil.8.col.3. lib.1.* Felinus & Decius *in cap. paſtoralis, in princ.de reſcript.* Couarruuias, qui teſtatur ita in Hiſpania ſeruari, *cap.33.practic. quæſt. num.1.*& alij.

Resol. LXV. *An Clericus poſſit reconueniri coram Iudice laico de re, quæ non habet connexitatem cum petitione?*

AFfirmatiuam ſententiam defendere videtur Viuius *deciſ.49.num.6. tom.1.* ſed contrarium omnino tenendum eſt,per ea quæ aſſerunt Antonius Ripol *de iuriſd.omn iudic.cap.1.num.*125.& Antonius Theſaurus *lib.1.quæſt.forenſ.quæſt.* 98. Vnde ſi Clericus petat à laico centum ex cauſa mutui, & ille reconueniat Clericum,& petat commodatum,hoc caſu cùm diuerſæ ſint cauſæ, diuidendæ erunt,& Clericus ratione reconuentionis erit ad Iudicem Eccleſiaſticum remittendus.

Notandum eſt hîc obiter etiam in multis aliis caſibus Clericum coram Iudice laico reconueniri non poſſe, nempe ſi reconuentio oriatur ex cauſa criminali, etiamſi ciuiliter fuerit intentata, vel ſi reconuentio de re ſpirituali, vel connexa ſpirituali,vel propter quam Clericus poſſit incarcerari,vel ſi lis contra Clericum fuerit affectatè procurata per laicum ſub ſpe & intentione reconueniendi Clericum. Vide citatos Doctores.

Notandum eſt etiam ſecundò quòd licet Clericus poſſit à laico reconueniri,tamen iſta reconuentio debet fieri in principio litis,vel ſtatim poſt conteſtationem litis, cùm enim cauſæ conuentionis & reconuentionis ſimul tractandæ ſunt, neceſſe eſt reconuentionem fieri ante litis conteſtationem, vel in ipſa conteſtatione, vel ſtatim poſt litis conteſtationem. Ita Bonacina *vbi infrà*, cum multis aliis contra Carolum de Graſſis *effect. 1.nu.* 763.& alios.

Notandum eſt etiam tertiò quòd licet Clericus poſſit à laico reconueniri, & teneatur ſtare ſententiæ.nihilominus ſecuta ſententia non poterit à laico Iudice cogi ad ſoluendum,quia coactio ſupponit iuriſdictionem: Iudex autem laicus non habet iuriſdictionem in Clericum præciſa occaſione reconuentionis:ergo, &c. & ita docet Bonacina *in Bull.Cœn diſp.1.quæſt.* 16.*ſect.1.punct.4.§.6. n.8.*& alij penes ipſum, quibus adde Duardum *in Bull.Cœn.lib.2.can.15.quæſt.11.n.66.*

Resol. LXVI. *An Clericus ſit conueniendus in curia ſæculari pro debitis Regalibus?*

AFfirmatiuè reſpondet Antonius Ripol *de iuriſdict.omn.iudic.cap.1.num.17.& 182.*vbi ſic ait. Clericus ratione ſolutionis cenſus qui Domino Regi eſt ſoluendus, conuenitur in curia ſæculari, & non obſtante quòd firmauerit ius in curia Eccleſiaſtica, ſolet declarari non eſſe locum firmæ iuris in dicta curia Eccleſiaſtica factæ, & non ſolùm Dominus Rex attrahit ad ſuum forum perſonas Eccleſiaſticas quæ ſibi ſoluunt annuas præſtationes & debita, verùm etiam & arrendatores iurium Regiorum habent eamdem prærogatiuam trahendi perſonas Eccleſiaſticas ad iudicium ſæculare.Ita ille,& alij.

Sed ego inuenio apud ſacros Canones ſimpliciter & abſolutè Clericos etiam in cauſis ciuilibus exemptos

exemptos eſſe à Iudice ſæculari in quocumque negotio, & ideò *in cap. nullus Clericus 11. quæſt. 1.* dicitur, Omne negotium Clericorum in Epiſcopi ſui, &c. Ergo ſi Summus Pontifex aſſerit, quòd omne negotium Clerici agendum eſt coram Epiſcopo, agendum erit coram illo etiam negotium Clerici debitoris Regis; & in Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. c. 20.* ſic habetur: Cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, coram ordinariis locorum dumtaxat cognoſcantur; ſed cauſa Clerici debitoris Regis pertinet ad forum Eccleſiaſticum, cùm Clericus in ciuilibus gaudeat priuilegio fori, vt patet *in cap. nullus Epiſcopus*, ibi, *neque pro ciuili cauſa*, &c. ergo dicta cauſa per Tridentinum cognoſcenda erit coram locorum ordinariis. Deinde iura declarant cauſas in quibus Clerici pro ciuilibus poſſunt cõueniri coram Iudice ſæculari, vt patet ex *c. tranſmiſſa, & c. vtrùm, de foro compet.* Sed inter dictas cauſas non inuenitur cauſa Clerici debitoris Regis: ergo, &c. At his non obſtantibus, aſſerunt aliqui bona regalia quando conceduntur Clericis, ſub hac cõditione conceſſa cenſentur. nam talis conditiò non eſt per ſe mala, & voluntariè potuit apponi, & ideò ſeruanda erit, ex *cap. verùm, de foro compet.* & ex *c. verùm, de condit. appoſ.* & *ibi* Doctores, & quia hanc opinionem admittit Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 14. n. 13.* non audeo illam improbare.

RESOL. LXVII. *An ſæcularis delinquens in Eccleſia poſſit à Iudice Eccleſiaſtico puniri?*

NEgatiuè reſpondet nouiſſimè Antonius Ripol. *de iuriſdict. omn. iud. c. 1. n. 170.* vbi ſic ait: Si Iudex Eccleſiaſticus habet iuriſdictionem & territorium in rebus ſæcularium, poterit cognoſcere de delictis commiſſis intra Eccleſiam per ſæculares: ſi autem talem iuriſdictionem non habet, non poterit, quia ad dominum habentem omnem iuriſdictionem & imperium in oppido, pertinet cognitio & punitio delinquentis intra Eccleſiam. Ita ille, qui citat Olibanum *de iure fiſci, c. 11. à n. 7.*

Sed his non obſtantibus, etiamſi delictum in Eccleſia commiſſum non ſit Eccleſiaſticum, ſed ſæculare, & à laicis patratum, adhuc exiſtimo ratione loci, in quo eſt commiſſum, ſortiri naturam mixti fori, & ideò in tali caſu puto ſæcularem Iudicem, & Eccleſiaſticum procedere poſſe, datur enim locus præuentioni: vnde is delinquentem punire poteſt, qui in captura præuenit. Ratio eſt, quia is, qui in Eccleſia delinquit, ſacrilegium committit, quod eſt crimen mixti fori: ergo, &c. & ſic patet reſponſio ad rationem quam Ripol. adducebat; & ita hanc ſententiam docet Farinacius *in append. de immun. Eccl. c. 16. n. 236.* & alij penes ipſum.

RESOL. LXVIII. *An occidens, vel percutiens Clericum, ſeu Religioſum, gaudeat immunitate Eccleſiarum?*

NOuiſſimè negatiuam ſententiam docet Ludouicus Correa *in relect. de immun. Eccl. part. 3. n. 37.* quia, ait ille, crimen hoc grauiſſimum videtur, & Reipublicæ admodum pernicioſum, ac ſimilium, qui *in cap. inter alia, de immunit Eccleſ.* excipiuntur. Ergo etiam immunitas tale crimen facientibus denegabitur. Deinde, quia qui occidit, vel percuſſit Clericum, commiſit ſacrilegium ex ſpecie illius commiſſi in Eccleſia, vtpote perſonam ſacram offendens; ſed committens huiuſmodi ſacrilegium immunitate non gaudet: ergo, &c. Ita ille, & ante illum Boërius *deciſ. 109. n. 3.*

Sed ego contrariam ſententiam ſatis firmaui *in part. 1. tract. 1. reſol. 34.* quia neque per ſacros Canones, neque per conſtit. Gregorij excipitur hoc delictum; ergo gaudere debet immunitate: vnde, me citato, nouiſſimè tenet etiam hanc opinionem Antonius de Marinis *quotid. reſolut. c. 170. n. 14.* & de hoc non eſt dubitandum, ſtando in terminis conſtit. Gregor. XIV. vide me ipſum *ſuprà*, vbi reſpondeo ad omnia argumenta contraria.

RESOL. LXIX. *An conſuetudines laicorum, & Clericorum mixtæ ſint validæ, etiamſi ſint contra libertatem Eccleſiaſticam?*

VIdetur affirmatiuè reſpondendum, per ea, quæ adducunt Collegium Bononienſe *in reſponſ. pro libert. Eccleſ. n. 28.* Maynardus *de priuileg. Eccleſ. part. 2. art. 22. n. 88.* Surdus *conſil. 2. vol. 1.* Tiraquellus *de vtraque retract. lignag. §. 1. gloſſ. 8. num. 173.* qui hoc pacto defendunt quamdam conſuetudinem vt monaſteria non ſuccedant, de qua conſuetudine teſtatur Peregrin. *in tract. var. lib. 6. n. 77.* Guilielmus de Benedictis *in cap. Raynutius, ver. & vxorem, num. 225. de teſtam.* Boërius *deciſ. 754. num. 8.* Rebuffus *conſil. 173. n. 11. & 12.* & hoc etiam ſeruari Ferrariæ teſtatur Riminaldus *conſil. 85. n. 38.*

Sed P. Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. c. 32. n. 19.* docet quòd cùm dicitur conſuetudo mixta poſſe operari in rebus, vel perſonis Eccleſiaſticis, intelligendum eſt de conſuetudine, quæ non præiudicat ſacris Canonibus; vel ſi præiudicat, in illam Pontifex conſentiat, ſaltem tacitè, vnde res eſt periculoſa, & ideò vbi vigent tales conſuetudines, videant illi, ad quos ſpectat an habeant ſupradictas conditiones.

RESOL. LXX. *An ſtatutum prohibens alienationem bonorum in non ſubditos, ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam?*

VIdetur negatiuè reſpondendum, quia hoc ſtatutum, ne liceat alienare in non ſubditos, non cenſetur inferre non ſubditis iniuriam, cùm à Iuriſperitis communiter validum iudicetur; ergo nec perſonæ Eccleſiaſticæ exemptæ ſibi illatam iniuriam hac prohibitione conqueri poſſunt, cùm exempti exteris æquiparentur, ex Ioan. Andrea *in cap. 2. de conſtit. in 6.*

His tamen non obſtantibus, tale ſtatutum non comprehendere Clericos, & ſi comprehendat eſſe contra immunitatẽ Eccleſiaſticam dicendum eſt, quia perſonæ Eccleſiaſticæ magis exemptæ ſunt à poteſtate Principis ſæcularis, quàm alienigenæ ſæculares. nam hi conſentiendo poſſunt prorogare iuriſdictionem Iudicis laici, ex *l. 1. C. de iuriſdict. omn. iudic.* illæ autem minimè, vt patet *in cap. ſi diligenti, de foro compet.* Ergo magis læduntur ſi lege laica obligentur, quàm alienigenæ. Deinde

magnum eſt diſcrimen inter exemptos etiam in territorio,vel diœceſi exiſtentes,&alios exiſtentes extra territorium, vel diœceſim. nam illi etſi non ſint de diœceſi, ſunt tamen in diœceſi; hi tamen neque ſunt in diœceſi, neque de diœceſi, quod etiam eodem modo dicendum eſt quoad territorium,vt patet ex Felino *in c.graue,n.2.de officio ord.* Hinc ſentiunt Doctores perſonas exemptas in odioſis & oneroſis non venire appellatione vniuerſitatis,populi,& territorij, venire tamen in fauorabilibus,vt docet Felinus & Paulus de Caſtro *in c Rodulphus,n.34.de reſcript* Eademque diſtinctio adhibenda eſt quoad Clericos, qui cùm ſint pars reipublicæ,ex *l.1.§.huius ſtudij,ff.de iuſtit.& iur.* veniunt appellatione populi in fauorabilibus, ſecus autem in odioſis,vt notat Abbas *in c.Eccleſia ſancta Mariæ*, & Felinus *ibid.n.74.* Decius *n.10.de conſtit.* Meritò igitur aſſeruit Riminaldus *conſil.11.n.101. vol.2.* in hac materia fallax eſſe argumentum de exteris ad Clericos:vnde ex his omnibus patet reſponſio ad argumentum pro negatiua ſententia adductũ, & hæc omnia docet Ioannes Franciſcus Fagnanus *in reſponſ.pro cenſuris Pauli V.part.3.fol.75.* & Philippus Maynardus *de priuileg.Eccleſ.part.2.art. 22.n.21.& ſeq.*cum aliis penes ipſum.

Notandum eſt etiam hîc obiter quòd licet Princeps poſſit ſuis ſubditis prohibere immobilium alienationẽ,ex *l.ſi in emptione,§.omnium,ff.de contrahend.empt.* & ex *l.de pollicitationibus,in fine,ff.de pollicitat.*tamen talis prohibitio non procedit in præiudicium Clericorum, & Eccleſiarum, tunc enim non valebit, ex *c.fin.de immun.Eccleſ.in* 6.Vide Collegium Bononienſe *in reſponſ. pro libertate Eccleſiaſt. n.*14.Vgolinum *in reſponſ.ad Iuriſconſul.Gymnaſij Patauini,c.6.n.8.& ſeq.*cum Maynardo *loco citato,n.67.* Nam licet dictum ſtatutum quoad verba non videatur infringere Eccleſiaſticam libertatem, cùm præcipiat ſubditis;tamen quoad mentem eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, faciendo fraudem de perſona ad perſonam, per ea quæ adducit Surdus *vol.3.conſil.301.n.76.*

RESOL.LXXI. *An Iudex laicus poſſit cognoſcere ſi Clericus ſit bigamus?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Pereira *in manu Regia part.2.cap.24.num.3.*vbi ſic ait:Si quæſtio ſit ſuper bigamia,laicus Iudex erit competens.

Sed contrariam ſententiam tenendam eſſe puto ex *cap.ſi Iudex laicus,de ſentent. excommunicat.in 6.* & ita tenet Alexander *conſil.149. volum.6.* Vnde Nicolaus Harpsfeldius *in hiſtoria Anglicana ſæcul.13. cap.9.* notat,quòd inter alios abuſus & iniuſtitias contra libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam, quæ tempore Eduardi Regis efficiebantur in illo Regno,vna hæc erat, quòd laici cognitionem bigamiæ ad ſe rapiebant. Ita ille. Vnde noſtram ſententiam aduerſus Iudicem laicum docet nouiſſimè Gabriel Lotherius *de re beneficiaria lib.3. quæſt.36.n.73.* vnde non eſt audiendus Pereira,vir alioquin doctiſſimus.

RESOL.LXXII. *An ſi animalia Clericorum inferant damnum,poſſint per Iudicem ſecularem capi,& damnum factum exigi?*

AFfirmatiuè reſpondet Pereira *de manu Regia p.2.c.39.n.8.9.& 11.*vbi in tali caſu docet contra Clericorum animalia plenam fidem facere miniſtros ſæculares,quibus illud officium incumbit, & mordicus hanc ſententiam tuentur vt plurimùm Iuriſconſulti.

Sed ego *in 1.part.tract.2.reſolut.*80. multùm de hac ſententia dubitaui,& nunc illam abſolutè reprobo cum Sanchez *in opuſc. tom.2. lib.3. cap.vnic. dub.31.n.2.*vbi mordicus docet negatiuam ſententiam, quia Iudex ſæcularis non poteſt procedere neque contra perſonam Clerici,neque contra res Clerici,quia bona acceſſoria ſunt perſonæ,& pro hac ſententia citat Gregorium Lopez *part.7.tit.15. leg.24.ver.el ganado.* vbi dicit Clericos per ſuum Iudicem Eccleſiaſticum damnandos eſſe,quando eorum animalia damnificant;& Caſtillo *in leg.70. Tauri,num.18.* dicit, quòd Clerici in his caſibus ſi contraueniant,puniuntur pœnis ſtatutis per Iudicem Eccleſiaſticum, & ideò ab hac ſententia non puto recedendum.

RESOL.LXXIII. *An Reges in aliquo caſu ſint Iudices exemptorum?*

AFfirmatiuam ſententiam tenent Doctores, quos citant & ſequuntur Pereira *de manu Regia p.2.c.22.n.18.*Bobadilla *in polit.tom.1.lib.2.c.18. n.127.*& Cenedo *in Decretum collect.37.n.3.*aſſerentes quòd Clerici,imò & omnes Eccleſiaſticæ perſonæ exemptæ ab Ordinariis locorum, quamuis ſint immediatè ſubiectæ Pontifici, ſi tamen non habeant ſuperiorem in Regno, qui eos puniat, ſi delinquant, poſſunt conueniri coram Iudicibus laicis,eo pacto,quo tradit Thomas Mieres *in conſtit.Cathalon.collat.2.cap.11.in princ.*Vide etiam Michaëlem Rouſſel.*in hiſtor.Pontif.iuris,lib.4.c.3.n.46.*

Sed hanc opinionem Camillus Borrellus *in addit.ad ſpeculum Bellug.rubr.11.§ videndum,in lit.G* exiſtimat eſſe iniquam,nec ſeruari debere,& nouiſſimè reprobat Megalius *in 3 part.lib.3.c.11.n.37.*illam vocando falſam,quia cùm generaliter omnes Eccleſiaſtici à laica iuriſdictione immunes ſint,multò magis hæc exemptio illis Eccleſiaſticis erit concedenda, qui ex ſpeciali priuilegio habent vt ſoli Papæ ſubdantur, etenim per hanc exemptionem generali priuilegio Clericorum non derogatur; ſed illi hoc amplius additur,vt qui eſt hoc priuilegio munitus,ſoli Papæ ſubdatur,alioquin ſpecialis fauor in odium illius retorqueretur,contra *l.quod fauore,C.de legib.*Ita ille.

RESOL.LXXIV. *An Iudex laicus poſſit cogere Clericum,qui ſpoliauit laicum ſua poſſeſſione, ad illam reſtituendam?*

AFfirmatiuè reſpondet Bobadilla *in polit.to.1. lib.2.c.18.n.193.*vbi ſic ait: *Quando algun Clerigo huuieſſe deſpojado de ſu poſſeſſion algun lego podria el corregidor reſtituyrle en ella por via de defenſa eſtra iudicial citando generalmente a los intereſſados,y aſsi ſeguardo en el Reyno de Napoles.*Ita ille,& ante illum Maranta *in pract.part.4.diſt.11.n.63.*

Sed contrariam opinionẽ tenendam eſſe puto, quam tuetur Paulus Squillante *de priuileg.Clericor.*

cap.

cap 7.dub.1.n.73. Matth.de Afflictis *deciſ.*85. Carolus de Graſſis *de effectibus Cleric.effect.*1.n.1035. quia Clericus,qui ſpoliauit, ſi eſt à poſſeſſione eiiciendus, debet expelli auctoritate Iudicis, & ſic tamquam reus,debetque hoc fieri per Iudicem Eccleſiaſticum,qui eſt competens ipſius Clerici; & non per Iudicem laicum.

RESOL. LXXV. *An Reges, vt executores Concilij Tridentini, poſsint compellere Clericos, vt illud obſeruent?*

AFfirmatiuam ſententiam his diebus quidam Iuriſconſultus mordicus ſuſtinebat,& adducebat Bobadillam *in polit.to.*1.*lib.*2.*cap.*18.*n.*194.vbi ſic ait: *Quando por los Prelados,ò Clerigos ſe haze ò intenta algo contra lo diſpueſto por el Concilio Tridentino, entonces el ſupremo Conſejo manda librar prouiſion real para la execucion y obſeruancia del, y acuerdome auer practicado eſto algunas vezes en eſpecial ſiendo corregidor en la ciudad de Soria contra Don Iuan de Caſtilla Vicario della, queriendo empedir al Maeſtro Fray Antonio de Queuedo Prior de ſan Aguſtin,que no predicaſſe el dia de los Reyes en la Yglesia de N. Señora la Mayor ſobre que ſe cauſara eſcandalo ſi yo no aſsiſtiera à que ſe guardara: el decreto del Concilio que manda, que en las fieſtas principales ſe predique y declare el ſanto Euangelio en las Yglesias,y aſsi ſe predico.* Ita Bobadilla,& poſt illum,quod valdè miror,Rodriquez *in ſumm.tom.*2.*c.*66.*n.*40. Sed hæc opinio mihi non placet,& illam alibi reprobaui: nam ſi Reges ſunt executores Concilij, id intelligendum eſt quoad laicos ſubditos, non autem quoad Eccleſiaſticos, in quos nullam habent,nec exercere poſſunt iuriſdictionẽ. Si igitur in aliquo caſu Concilium in eorum Regnis non obſeruetur à laicis,compellant obſeruari: ſi autem ab Eccleſiaſticis non obſeruetur,vt Reges Catholici & zelantes certiorent de hoc Epiſcopos, Archiepiſcopos,Nuntios, & ſi opus erit ſcribant ad Summum Pontificem, ad hos enim ſpectat compellere Eccleſiaſticos vt decreta Concilij obſeruent, & non ad Reges, de quorum iuriſdictione Eccleſiaſtici exempti ſunt; & ideò hanc ſententiam tenet Melchior Lotherius *de re benefic.tom.*1. *lib.*1. *quæſt.*11.*n.*81. aduerſus Ceuallos,qui aſſerebat Reges vt executores Concilij Tridentini poſſe compellere Clericos ad reparationem Eccleſiarum.

RESOL. LXXVI. *An Reges poſsint expellere Epiſcopum ab Epiſcopatu,ſi ſimoniacè electus eſt?*

AFfirmatiuè reſpondet Bobadilla *in polit.to.*1. *lib.*2 *cap.*18.*n.*65. vbi ſic ait: *Podra el Rey echar del obiſpado el Obiſpo promouido por ſimonia, ſegun lo eſcriue y funda Chaſſaneo in catal.gloriæ mundi part.*5. *conſiderat.*24.*n.*142.

Sed hæc opinio eſt falſa, cùm tam reſpectu cauſæ,quæ ſpiritualis eſt,quàm reſpectu perſonæ, quæ Eccleſiaſtica eſt, illius cognitio ſpectet ad Summum Pontificem, & ideò Reges hanc Bobadillæ ſententiam ſequentes, certum eſt in cenſuras Bullæ Cœnæ incurrere, & ita docet Megalius *in* 3.*p.lib.*3.*c.*11.*n.*18.

RESOL. LXXVII. *An Eccleſiaſticus vſurpans iuriſdictionem ſæcularem, aut alia Regalia, poſsit à Iudice laico bonis temporalibus priuari?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Bobadilla *in polit.tom.*1.*lib.*2.*cap.*18.*num.*60. vbi ſic ait: *Si los Prelados ò ſus Iuezes ò qualeſquier otros Eccleſiaſticos vſurpaſſen la Iuriſdicion Real ò otras Regalias ſon auidos por eſtraños deſtos Reynos,y pierden las temporalidades,en lo qual por el buen gouierno y politicamente, y con conſideracion tienen mano los Iuezes ſeglares.* Sic ille,& ante illum Garſias *de Hiſpan.nobilit.gloſſ.*9.*n.*32. Borrell. *de præſtantia Regis Cathol.c.*71.*n.*55. Peguera *in pract. crimin.cap.*24.*num.*7. *& ſeq.* Seſſe *de inhibit.cap.*8.§.3. *num.*100. Olibanus *de iure fiſci cap.*12.*n.*3. *cum ſeq.* Bavetola *in allegat.pro iuriſd.ſancti Officij,art.*5.*n.*127. Mirauete *in informat. pro iuriſdict.Regia art.*12. Et, quod magis miror, Laurentius Oſorius Canonicus Eccleſiæ Compoſtell. en ſu Piña de Roſas *lib.* 4. *in præludio* §. 2. & hanc ſententiam docent etiam Doctores, quos citat & ſequitur Caliſtus Ramirez *tract. de lege Regia* §.27.*n.*15. *in gloſſa litt.F.* & Franciſcus Pradilla *en ſumma de todas las leyes, part.*2.*cap.*8.*n.*4.

Sed hæc Megalius *in* 3.*part. lib.*3.*t.*11.*n.*12. præſumit fieri cum expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia,alioquin eſſet cõtra libertatem Eccleſiaſticam. nam quamuis ex doctrina Innocentij *in cap. cùm olim,el* 1.*de reſtit.ſpoliat.& in cap.dilectus,de pœn.* competat Ordinario iuriſdictio in extraneos impedientes ſuam iuriſdictionem,per *c.*1.*de offic.delegat.* tamen procedere hoc non poteſt, quoad ordinarios Iudices ſæculares contra Prælatos Eccleſiaſticos, cùm non liceat inferiori ſuperiorem iudicare & punire. Ita ille,& ante illum docuit hanc ſententiam Duardus *in Bulla Cœnæ lib.*2.*cap.*17.*q.*5. vbi probat cum Marta *de iuriſd.part.*4.*caſ.*101. non eſſe licitũ poteſtati ſæculari,cuius iuriſdictio vſurpatur ab Eccleſiaſticis,eorum bona ac fructus ſequeſtrare, aut, quod magis eſt, occupare, etiamſi bona ſint ex patrimonialibus. nam Clerici in patrimonialibus eiſdẽ priuilegiis & exemptionibus gaudent,quibus earum potiuntur perſonæ. Vide etiam Bonacinam *in Bulla Cœn.diſp.*1.*quæſt.*18.*punct.* 3.*n.*12.vbi docet,quòd iuriſdictio ſæcularis ab Eccleſiaſticis vſurpata non cõfert ius laicis vſurpandi & occupãdi bona Eccleſiaſticorum ad ſeruandam æqualitatem in iudiciis; & ita hanc ſententiam docuere aliqui Theologi & Iuriſconſulti Hiſpani,ſubſcripti in quodam voto, quod penes me habeo,ſub die 30.Ianuar. an.1614. Cæſarauguſtæ, vbi probãt nõ poſſe Iudices laicos occupare temporalitates Eccleſiaſticorum. Sic enim aſſerunt: *No pudo eſte Iuez occupar las temporalidades à los Eccleſiaſticos, porque eſta prohibido en la Bula in Cœna Domini,* ibi, *quive redditus & prouẽtus ad quaſcumq; perſonas Eccleſiaſticas pertinentes vſurpant. Vſurpare* autẽ idem eſt,quod occupare,vt docet Caietanus,& habetur *in Clem.*1.*ver. vſurpare,y aſsi lo entiende* Vgolino *c.*17. *declarando eſtas palabras de la Bula Cœnæ. Item en la miſma Bula ſe dize*, etiã quauis occaſione,ſine Romani Pontificis,ſeu aliorũ ad id legitimã auctoritatem & facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant,&c. *Luego ſi eſte Iuez ſeglar no puede ſequeſtrar los bienes de los Eccleſiaſticos,menos podra occuparlos, porque mas es ocupar,y vſurpar dichos bienes, que ſequeſtrarles,y mas haziendolo cõ autoridad y perſona publica,*

es cierto hauer incurrido en las penas de la Bula in Cœna Domini. Ita,vt dixi,habetur in dicto reſponſo ſubſcripto à Magiſtro Ioãne de Aldouera y Monſalue, Magiſtro Philippo Hernandez, Ludouico Serra,Fratre Antonio Bielſa,Magiſtro Dominico de Altaba, Doctore Ioanne Pardos & Magiſtro Stephano Bertiz.Et tandem non deſinam hic apponere verba Ioannis Dionyſij Portocarrero *in allegat.pro iuriſdictione Domin. Inquiſitorum n.96. fol. mihi* 61.ſic aſſerentis:*Llegaron à declarar al Inquiſidor por banito y mandarlo ſalir del Reyno, y occupar las temporalidades,como ſi por ſemejante procedimiento no ſe incurrieſſe en las cenſuras de la Bula in Cœna Domini.* Sic ille.Vide etiam Cochier *in vindic.libert. Eccl.part.1. c.28.n.8.* & Martam *de iuriſdict.cent.2.caſ.*101.

Et tandem omnia ſupradicta confirmantur ex auctoritate doctiſſimi Thomæ Sanchez *in opuſc. tom.1.lib.3.c.vnic.dub.*31.*n.*2. vbi tamquam certum firmat Iudicem ſæcularem non ſolùm non poſſe procedere contra perſonam Clerici,ſed nec etiam contra res Clerici,quia bona acceſſoria ſunt perſonæ,quod etiam probauit *lib.2.c.4.dub.*55.*n.*2.&31. Cùm igitur laici nõ habeant auctoritatem in perſonas Clericorum,quomodo poſſunt illam habere in eorum bonis, occupando illa, cùm bona,vt dictum eſt, Clericorum gaudeant priuilegio perſonæ:vnde *in Clem.*1.*de vita & honeſtate Clericorum*, habetur quòd Clerici gaudent priuilegio clericali,non ſolùm in perſonis,ſed etiam in rebus.

RESOL.LXXVIII. *An Clerici coniugati gaudeant priuilegio fori,etiam in ciuilibus?*

NEgatiuam ſententiam tenet nouiſſimè Pereira *de manu Regia part.2.c.26.n.*10.& Ludouicus Correa *relect. de immunitate Eccleſ part.2.n.*32. vbi ſic ait : Clerici coniugati, quantumuis adimpleant omnes conditiones,non ſunt exempti à iudicio ſæculari,in cauſis merè ciuilibus, nec obſtat textus *in cap.vnico*,ibi,*aut ciuiliter ad iudicium ſæculare*, vbi dicitur, quòd Clerici coniugati etiam in cauſis ciuilibus à iudicio ſæculari eximuntur:nam reiecta multorum ſcribentium reſolutione *in d.c. vnic.* reſpondeo verbum illud *ciuiliter* intelligi,ita vt Clerici huiuſmodi eximantur à ſęculari iudicio in cauſis criminalibus, quamuis ciuiliter motis. Ita ille,& alij,quos citat & ſequitur Antoninus de Ballis *in tract.var.lib.5.tit.*10 *n.*18. Eliſæus Danſa *in pugna Doctorum cap.vnic.de Clericis coniugatis,num.*13. Capiblancus *de officio Baronum tom.* 1. *pragmat.*8. *part.3.n.*52.

Sed ego *in* 1.*part. tract.*2. *reſol.*70. meritò affirmatiuam ſententiam docui cum multis Doctoribus,quibus nunc addo Speculatorem *in tit.de compet.iudic.addit.*§.1. *n.*24. Francum *in c.vnic.de coniug. in* 6. Cepollam *conſil.crimin.*10. Mandoſium *in addit.ad Lapum,allegat.*40. *&* 118. & Camillum Borellum *in ſpeculo Principum rubr.* 11. §. *videamus*, *in princ.litt.A.* quos citat & ſequitur Riccius *part.3. deciſ.*170.*n.*1.& ita hanc affirmatiuam ſententiam nouiſſimè me citato,tenet etiam Paulus Squillante *de priuileg. Cleric.cap.*7. *dub.*2.*n.*27. & Antonius de Marinis *quotid.reſol.cap* 58. *n.*2. ex Conc.Trid. *ſeſſ.23.cap.*6.*de reformat.* & ex aliis iuribus,quæ ego ipſe *vbi ſuprà* adduxi, & hanc opinionem tenet etiam Gauantus *in enchirid.Epiſc. ver.Clericus*, *n.*84. quæ præſertim procedit in Regno Neapolitano, vt ipſemet teſtatur ex declaratione ſacræ Congregationis 27.*Februarij* 1630.

Notandum eſt etiam hîc obiter,quòd ſacra Cardinalium Congregatio cenſuit Clericum coniugatum qui poſt dimiſſum habitum & tonſuram clericalem pro debito aliquo in Curia laicali eſt citatus,& ob contumaciam condemnatus fuerit, ſi deinde reaſſumpto habitu & tõſura (modò non in fraudem)Eccleſię inſeruiat iuxta decretũ Concilij *vbi ſuprà*, non poſſe à Iudice laico propter id delictum in carcerem coniici, aut perſonaliter aſtringi, & ad hæc facit *cap.ſi Iudex laicus,de ſentent. excommun in* 6. Et licet Cabedo *part.*1.*deciſ.*58.*n.*8. doceat,quòd ſi Clericus coniugatus pro crimine capiatur,incedens ſine habitu,& tonſura,& deinde è carcere fugiens,habitum & tonſuram reaſſumat,& in ea iterùm capiatur,non gaudet priuilegio fori,*in cap.ex parte,de priuileg.* tamen hæc opinio diſplicet Barboſæ *de poteſt.Epiſc.part.2.alleg.*12.*n.*29.

RESOL.LXXIX. *An Iudices ſæculares poſſint capere Eccleſiaſticos impedientes & reſiſtentes iuriſdictioni laicali,nec non illos punire pœna pecuniaria?*

AFfirmatiuè reſpondet Bobadilla *in polit tom.*1. *lib.2.c.*18.*n.*84.vbi ſic ait:*Si algun Clerigo ò Religioſo impedieſſe la Iuriſdicion ſeglar,ò la reſiſtieſſe,quitando à los miniſtros de Iuſticia que no prendan à alguno, ò forcando para que ſuelten al preſo en los dichos caſos podra el corregidor y ſus miniſtros prender a los Clerigos,ò Religioſos para remitirlos a los Iuezes,y podra tambien mulctarlos en penas pecuniarias en ſus bienes.* Ita ille,& poſt illum Villadiego *polit.cap.*5.*n.*77.

Sed quoad capturam exiſtimat Megalius *in 3.par. lib.3.c.*11.*n.*23.hoc procedere,quando aliàs laicam iuriſdictionem defendere non poſſent,tunc enim hoc liceret ratione iuſtæ defenſionis : ſed extra hunc caſum, illam nullo modo licitam eſſe putat, cùm prohibeatur expreſsè in Bulla Cœnæ;ſed de hoc alibi à nobis actum eſt. Quoad punitionem verò nullo modo hoc procedere poſſe docet,nam quo iure laici poſſunt punire Clericos, etiamſi pœna ſit pecuniaria,& in bonis,cùm eorum bona gaudeant, vt ſæpiùs dictum eſt, priuilegio perſonæ.Et ita hanc ſententiam docet Sanchez *in conſil.to.*1.*lib.3.c.vnic.dub.*31.*n.*2.vbi firmat Iudicem ſæcularem non poſſe procedere non ſolùm contra perſonam, ſed nec etiam contra res Clerici, quia bona acceſſoria ſunt perſonæ,vnde *dub.*21.*num.*11. damnat Iudices laicos punientes Clericos delinquentes in officio ſęculari pœna pecuniaria.Adde quòd ſimiles pœnæ ſæpiùs applicãtur fiſco ſaltem pro aliqua parte, & quando pœna pecuniaria eſt fiſco applicanda, cauſa dicitur criminalis, iuxta gloſſam *in l.3.ff.de ſepul.viol.*& *ibi* Bartolus.Sed per Bullam Cœnæ nullo modo poſſunt laici cauſam criminalem Eccleſiaſticorũ cognoſcere; ergo,&c. Ex his apparet, non eſſe audiendos aliquos Iuriſconſultos aſſerentes in multis caſibus Clericos à Iudice laico poſſe puniri in bonis, & pœna pecuniaria.nam,vt ſæpiùs dictum eſt,ſi perſona Clerici

eſt

eſt exempta, erunt exempta eius bona, & ſicut importat iuriſdictionem punire Clericos in perſona, ſic etiam importat iuriſdictionem illos punire pœna pecuniaria. Vnde malè aſſeruit idem Bobadilla *vbi ſuprà num.* 143. Eccleſiaſticum delinquentem in iudicio ſæculari, ab eodem Iudice puniri poſſe pœna pecuniaria, & in bonis, & ita optimè illum reprobat Megalius *loco cit. num.* 38.

RESOL. LXXX. *An Iudex laicus poſsit punire Clericum in defectu iuſtitiæ Eccleſiaſticæ?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. nu. 91. in fine.* vbi docet Clericum falſa teſtificantem coram Iudice ſæculari, vel falſam ſcripturam præſentantem, non poſſe puniri à Iudice laico, niſi in defectum iuſtitiæ Eccleſiaſticæ; & *num.* 93. idem aſſerit in aliis caſibus. Vide etiam Eſcobar *de ratiocin. c. 7. n. 31.* Morla *in empor. iur. tit. 2. quæſt. 14. num. 4. & 5.* & alios, quos citat & ſequitur Menochius *de retin. poſſ. remed. 3. num. 254.*

Sed hæc opinio eſt falſiſſima, quia numquam licitum eſt Iudicibus ſæcularibus negligentiam Eccleſiaſticorum Iudicum ſupplere, cùm inferiorem habeant iuriſdictionem, & ipſis obſequendi maneat neceſſitas, non auctoritas imperandi, & hoc eſt expreſsè definitum *in cap. qualiter, & quando, de iudiciis*, vbi prohibetur omnino, ne ob defectum iuſtitiæ Clerici trahantur ad tribunalia ſæcularium. Vide Martam *part. 4. cent. 2. caſ. 146.* & Canoniſtas communiter, necnon nouiſſimè Martinum Bonacinam *in Bull. Cœnæ diſp. 1. quæſt. 15. punct. 4. §. 4. n. 10.* Guazinum *tract. de defenſ. reorum tom. 1. defenſ. 1. cap. 28. num. 9.* Gratianum *in diſceptat foreníc. tom. 2. cap. 238. num. 72. & ſeq.* Aluarez *de priuileg. pauperum, quæſt. 50. nu. 11.* & Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 14.* nec obſtat *cap. filiis 16. quæſt. 7.* vbi dicitur quòd ſi Prælatus ſit negligens, implorari poſſe Regem, nam, vt diximus *in 1. par. tract. 2. reſol. 14.* dictum cap. fuit correctum per cap. *qualiter & quando*, vel in illo caſu ſpeciali dicitur adiri poſſe Regem, non tamquam Iudicem; ſed tamquam protectorem & defenſorem, vt roget & moneat Prælatum, & interim bona tueatur, donec Pontifex conſuli poſſit. Ita Bonacina & Suarez *vbi ſuprà*, & ne prætermittas videre meipſum *part. 3. tract. 1. reſol. 25.*

RESOL. LXXXI. *An Iudex laicus poſsit eiicere è Regno Clericum ſeditioſum, & perturbantem Rempublicam?*

AFfirmatiuè reſpondẽt Doctores quos citat & ſequitur Calliſtus Ramirez *tract. de lege Regia, §. 27. num. 15. in gloſſa littera G.* quibus adde Franciſcum Pradillam *in ſumma de todas las leyes part. 2. c. 8. num. 4.* & Bobadillam *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. nu. 112.* vbi ſic ait: *Si algun Clerigo fueſſe ſeditioſo, y reboltoſo que turbaſe la paz de la Republica, podriale el corregidor mandarle ſalir de la Iuriſdicion por algun tiempo, aunque fueſſe Clerigo de Miſſa y condenarle en las temporalidades.* Ita ille, & poſt illum Marius Giurba *conſil. crim. 48 nu. 16.* & Antonius de Ballis *in tract. var. lib. 5. pragm. 1. tit. 10. nu. 44.* vnde Fuſcus *de viſitatione lib. 2. cap. 20. num. 25.* refert quòd Dux de Alcala Regni Neapolitani Prorex, quem dam Equitem ſancti Ioannis Hieroſolymitani, qui continuò erat ſeditioſus, & turbabat ciuitatem, conſtito de exceſſibus continuis, mandauit eiici è territorio Regio, ſub prætextu quòd Rex poſſit vt quem velit maneat in domo ſua. Et ideò Rodriquez *in additionibus ad Bull. Cruc. §. 9. n. 84.* ſic ait: *Quando vn Clerigo ordenado de ordenes ſacros turba la Republica y paz que ha de tener, en eſte caſo el Rey, y ſu ſupremo Conſejo à cuya cuenta eſta la conſeruacion deſta paz, puede caſtigar al dicho Clerigo echandolo fuera del Reyno.* Ita ille. Sed aduerſus hanc ſententiam meritò inſurgit Megalius *in 3 p. lib. 3. cap. 11. n. 34. iuncto nu. 14.* quia Clerici, & Eccleſiaſtici omnes de iure diuino habent vt liberè poſſint in qualibet mundi parte habitare, & Eccleſiaſtica officia exercere; dixit enim illis Dominus in perſona Apoſtolorum Marc. 16. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*; & vſus Eccleſiæ habet, vt Eccleſiaſtici omnes, qui voto Religionis non ſunt aſtricti, cum ſola licentia, & litteris commendatitiis ſuorum Ordinariorum liberè vbique incedant & inhabitent, & ad diuina celebranda, & Sacramenta miniſtranda admittantur, iuxta decretum ſacri Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 16. de reform.* ergo ſicut non poteſt maritus tamquam paterfamilias expellere è domo vxorem inobedientem, & pernicioſam, ex eo quòd ex matrimoniali vinculo habet illa ius cohabitandi vnà cum marito, ita nec poteſt Rex tamquam paterfamilias expellere è dominio ſuo Eccleſiaſticos inobedientes & pernicioſos, cùm de iure diuino habeant vt liberè poſſint vbilibet habitare.

Et præterea in clauſula Bullæ Cœnæ excommunicantur quomodolibet mulctantes perſonas Eccleſiaſticas, necnon executores & ſubexecutores huius banni; ergo ex quacumque cauſa hoc faciãt, excommunicatione hac ligantur. Recurrendum eſt igitur à Regibus & miniſtris eorũ ad proprios Iudices Eccleſiaſticorũ eueniente caſu, & ab illis, qui in eos iuriſdictionem exercere poſſunt, ſunt Eccleſiaſtici in exilium eiiciendi, non quidem ſimpliciter, ſed cauſa cognita, quia aliàs iniuſtitiam cõmitterent condemnando pœna exilij reum non auditum, & circa hoc vide optimam deciſionem Friderici Imperat. *in tit. 1. §. ſi Clericus, de pace tenenda, in vſib. feud.* vbi determinat coram ſuo Epiſcopo conueniendum & adducendũ eſſe Clericũ pacis violatorem, & ab eodem puniendum. Imò nõ excuſarem ab hac cenſura Prælatos illos, qui ad inſtantiam & requiſitionem Principum ſæcularium oretenus, & cauſa non cognita præciperent alicui Eccleſiaſtico, aut illum cogerent, vt è finibus ſuæ diœceſis diſcederet, quia talis eſt Principis voluntas & mens, nam cùm huiuſmodi præceptum, ſeu preces fiant ad inſtantiam Principis ſæcularis, ſunt quodammodo executores, maximè quia tunc hoc non faciunt tamquã Epiſcopi, ſed vt priuati, vnde & ipſi excommunicationem incurrerent, vt tenet expreſsè Marta *de iuriſd. p. 4. centur. 2. caſ. 140. n. 8.* & hæc omnia docet Megalius *loco citato.* Sed circa præſentem quæſtionem ne omittas videre meipſum *in 1. p. tract. 2. reſol. 17. & 3. part. tr. 1. reſol. 27.* Vnde non eſt audiendus nouiſſimè Franciſcus Mi-

rauete

rauete *in informat. pro iurisdictione Regia art. 22. fol. 69.* vbi asserit Ecclesiasticos turbatores pacis expelli posse à Regnis: nam in his casibus recurrendum est ad eorum Superiores Ecclesiasticos, vt ego satis firmaui *in locis citatis.*

RESOL. LXXXII. *An Rex possit statuere, vt familiares S. Inquisitionis non gaudeant priuilegio fori in aliquo delicto sine consensu DD. Inquisitorum?*

REspondeo negatiuè, quia iurisdictio quam habent Inquisitores in suos familiares, est Ecclesiastica, vel dato, & non concesso quòd sit Regia, iam per vnionem & incorporationem cum Ecclesiastica iurisdictione ipsa etiam Ecclesiastica effecta est. Deinde addunt aliqui quòd dicta exẽptio etiamsi procederet à Rege, quia fuit data propter benemerita, & publicum bonum, nempe pro seruitiis, in quibus occupantur familiares pro officio sanctæ Inquisitionis, effecta est irreuocabilis: & ideò hanc sententiam docet Ioan. Dionysius Portocarrerus *in allegat. pro iurisdictione S. Inquisit. nu. 44.* & quia codex rarus est, & non facilè inuenitur, ponam eius verba. Sic itaque asserit: *En las concordias que se han tomado con la Inquisicion sobre estas causas, ha sido tan necessario el consentimiento de los Señores Inquisidores Generales, y de su Consejo, que sin el, no pudieron tener fuerça porque si las dichas esenciones y Iurisdiciones proceden de la autoridad Apostolica, nadie puede disponer sobre ella* quacumque præditus potestate, cui obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ad notata *in cap decernimus, de iudiciis, cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit.* Esse *tom. 2. decis. in epist Reg. num. 52. Mayormente que aunque las esenciones fueran original, y principalmente concedidas por los Reyes hauiendolo sido à personas benemeritas, y en premio de su ocupacion en seruicio del santo Officio y beneficio publico son irreuocables.* Baldus *in l. qua ex relationibus, notabil. 3. C. de leg* Curt. iunior *consil. 144. n. 4.* Decius *consil. 186. num. 4.* Romanus *consil. 436. n. 14.* Gonzales *in reg. 8. Cancellar. gloss. 18. num. 23. Y mucho mas siendo en fauor de la Yglesia.* Marta *4. part. centur. 1. cas. 52. num. 17. y otros.* Sic Portocarrero. Vide etiam Narbonam *in 3. part. recopilat. l. 4. tit. 1. leg. 10. gloss. 22. num. 21.* docentem etiam hanc sententiam, necnon & Paramum *in respons. 2. pro iurisdictione S. Officij, num. 149. & 154.* qui probat hanc opinionem esse veram, non obstante concordia anno 1581. vbi videtur Regem sibi reseruasse potestatem hanc de qua loquimur.

Igitur dato, & non concesso, quòd iurisdictio Inquisitorum in familiares procedat ex facultate Regia; tamen cùm sit priuilegium concessum non subdito, amplius non potest reuocari, per ea, quæ adducit Basilius Pontius *de matrimonio lib. 8. ca. 29. §. 2. num. 12.* Suarez *de legibus lib. 8. cap. 37. num. 2.* & alij communiter *in ca. nouit. de iudiciis.* Vnde infertur hanc esse differentiam inter priuilegium concessum à Principibus laicis Ecclesiæ, & priuilegiũ concessum ab Ecclesia Principibus laicis. nam hoc reuocari potest tamquam priuilegium concessum subdito, illud autem minimè. Hinc rectè Bonacina *in Bulla Cœnæ disp. 1. quæst. 15. punct. 4. §. 1. n. 6.* & alij, docent priuilegium cognoscendi causas Clericorum Principibus concessum reuocari posse, etiamsi per consuetudinem immemorabilem tali priuilegio innixam obseruatum fuerit, quia priuilegium subdito concessum reuocari posse, communis est Doctorum opinio. Sed priuilegium cognoscendi causas Ecclesiasticas concessum est subdito, etiamsi concessum sit Imperatori, vel Regi, Papa enim est illis superior, cùm Christus generaliter dixerit Petro, & consequenter eius successoribus, *Pasce oues meas.* ergo, &c. Vide Suarez contra Regem Angliæ *l. 4. c. 34. n. 27.* & Cardinal. Thuscum *to. 5. ver. libertas Ecclesiastica, concl. 342.*

Deinde confirmatur nostra sententia ex doctrina Azorij *part. 1. lib. 5. cap. 13. quæs. 5.* Pesantij *tra. de immunit. Ecclesiast. disp. 9.* Filliucij *tom. 1. tract. 16. cap. 10. num. 269.* Alterij *de censuris tom. 1. disp. 16. lib. 5. cap. 6.* & aliorum, quos ego ipse adduxi *in part. 1. tract. 2. resolut. 60.* asserentes contra nonnullos, non posse Principem condere statutum abrogans aliud statutum suum, quod Clericorum priuilegium continebat, quia priuielgium concessum postquam ratum habetur ab eo, in quem collatum est, transit in ius; ergo Princeps laicus potuit à principio priuilegium Clericis non concedere, sed semel concessum non potest ampliùs reuocare, vt habetur ex Felino *cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit. num. 124.* Sed hæc omnia accidunt in casu nostro, quia hoc priuilegium concessum est Clericis & Tribunali Ecclesiastico sanctissimæ Inquisitionis: ergo, &c.

Facit etiam quòd supradictum priuilegium fuit concessum propter benemerita & seruitia facta Tribunali sancti Officij ad bonum publicum; ergo est priuilegium remuneratorium, quod transiuit in vim contractus, & factum est irreuocabile, per ea, quæ tradit Bayetola *in allegat. pro iurisdictione sancti Officij art. 5. n. 91.* Cochier *de libertate Ecclesiastica part. 1. c. 30. n. 10* Rolandus à Valle *vol. 3. consil. 13. num. 30.* Grammaticus *decis. 65. n. 24.* Oscus *decis. 139. n. 28.* Surdus *consil. 140. n. 38.* Aponte *consil. 60. num. 22.* & alij communiter: ergo, &c.

RESOL. LXXXIII. *An qui proditorie vulnerauit, si mors secuta non fuerit, gaudeat immunitate Ecclesiarum?*

NEgatiuam sententiam docet nouissimè Ludouicus Correa *in relect. de immunitate Eccles. p. 3. q. 6. n. 19.* & Ioan. Dominicus Tassonus *in pragmat. de antifato. ver. 13. obseru. 3. n. 35.* qui citat Fontanellam *de pact. nupt. tom. 1. clausul. 4. gloss. 14. num. 117.* asserentem dictum reum non gaudere immunitate, & in Bulla tale delictum comprehendi.

Sed affirmatiuam sententiam prorsus tenendam esse puto, quam tuetur Peregrinus *de immunit. Eccles. cap. 7. num. 13.* Farinacius *in append. de immunit. Eccles. cap. 9. n. 146.* retractans se *in quæst. 28. num. 45.* Tuschus *ver. Ecclesia, conclus. 11. num. 7.* Italia *de immunitate Eccles. lib. 1. cap. 5. §. 4. à nu. 22.* Villagut *tract. de extens. leg. tit. de immunitate Eccles. à num. 54. & 58.* Antonius Nouarius *in summa Bullarum tit. de immunit. Eccles. n. 75.* & alij. quia constitutio Gregor. XIV. loquitur expressè de occidente proditorie; ergo requirit actum consummatum cum effectu subsecuto, ex *l. 1. §. hæc verba, ff. quod quisque iuris.* & hanc opinionẽ non solùm in terminis Bullæ Gregorianæ,

gorianæ, ſed etiam de iure communi veram eſſe puto, & ita docet Suarez *de Religione to.1.lib.3.c.11. num.14.* Decianus *tom.2.lib.6.cap.28.nu.17.& conſil. 80.lib.3.* Germonius *de ſacra immunit.lib. 3. cap.16. num.60.* Boërius *deciſ.109.* & alij. Vnde non eſt audiendus Couarruuias *lib.2.variar.cap.20.numer.7.* Guttierrez *practic. quæſt.lib.3.quæſt.7. num.55.* & alij relati à Tuſcho *loco citato num.8.*

Notandum eſt etiam hîc obiter, mercatores decoctos gaudere immunitate Eccleſiarum, vt ego oſtendi cum multis DD. *in 1.part.tract.2.reſ.32.* quibus nunc addo Corream *vbi ſuprà quæſt. 12.nu. 12.* & hanc ſententiam etiam docet, me citato, Dominicus Taſſonus *vbi ſuprà num.33.*

Notandum eſt etiam contra Megalium *in 3.p. lib.4.cap.2.num. 6.* Apoſtatas à Religione gaudere immunitate Eccleſiarum, eo modo, quo firmaui in dicto *tract.2 reſolut.23.*

RESOL. LXXXIV. *An Notarius effectus Clericus ſit puniendus à Iudice laico pro falſitate quando erat laicus?*

NEgatiuè reſpondeo cum Maſtrillo *in deciſ.159.* quem citat & ſequitur Guazzinus *de defenſionibus reorum tom.1.defenſ.20.cap.9.num.1.* & Carolus de Graſſis *de effectib. Cleric.effect. 8.nu.15.* vbi firmat fuiſſe deciſum, Notarium effectum Clericum non poſſe cognoſci à Iudice laico pro falſitate commiſſa tempore, quo erat laicus; ſed difficultas eſt, quid faciendum, ſi talis Clericus conficeret acta & inſtrumenta? Maſtrillus *loc.cit.* reſpondet ei trinam monitionem faciendam eſſe vt abſtineat; verùm de hoc, & meritò, dubitat Ioan. Dominicus Taſſonus *in pragmat.de antifato ver.9. obſer.3.nu. 12.* quia Clerici ſunt penitus exempti à iuriſdictione laicali, ideò in tali caſu contra Maſtrillum dicendum eſſe puto, quòd Iudex laicus requirere debet Epiſcopum, vt eum à tali exercitio prohibeat.

RESOL. LXXXV. *An Iudex laicus poſſit in aliquibus caſibus capere Clericum, & detinere in carceribus vltra viginti horas?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Villadiego *in polit.caſ.5.num.60. Si fueſſe el delicto tan graue, ò eſcandaloſo, que conuinieſſe dar cuenta al Conſejo ò al Rey que entonces es arbitrario el tiempo que le deue detener conforme à la calidad del negocio y circumſtancias del.* Ita ille, & ante illum Garſias *de Hiſpan. nobilit. gloſ.9.num.39.*

Sed vt verum fatear, res iſta eſt periculoſa, quia delictum graue & ſcandaloſum non præbet auctoritatem Iudicibus laicis detinendi Clericos carceratos vltra tempus quo de iure in aliquibus tantùm caſibus detinere poſſunt, & ideò Bellettus *in diſquiſ.Cler.art.1.tit.3.§.11.n.2.* Laurentius Oſorius *en ſa Piña de Roſas lib. 4.§. 3.* & Naldus *in ſum. ver. Bulla Cœnæ nu.58.* & Guazzinus *de defenſionibus reorum tom.1.lib.1.defenſ.1.cap. 2. num. 5.* notant, quòd laicus in caſibus, in quibus poteſt capere Clericum, non poteſt ipſum in carceribus retinere vltra viginti horas: & ita etiam tradit gloſſa *in l.capite*, & *ibi* Bartolus *de adult.* Panormitanus *in cap. cùm non ab homine, n.11.de iudiciis.* & hanc eſſe communem opinionem teſtatur Farinacius *q. 8.n.118.* Vnde Carolus de Graſſis *de effect.Cleric.effect.1.nu. 557.* & Scaccia *de iudic.Can. tom.1.lib.1.cap.39. num. 14.* aſſerunt quòd in caſibus conceſſis ſi laicus officialis capiens Clericum non præſentet ſtatim ſuo Iudici, incidit in excommunicationem, & Campanili *in diuer.iur.can.rubr.4.n.26.* & Barboſa *in collectan.to.2.lib.5.tit.39. cap.35.n.5. in fine*, docent laicos in caſibus, quibus poſſunt capere Clericos, debere illos ſtatim Iudicibus Eccleſiaſticis conſignare, nec ad id faciendum concedunt ſpatium viginti horarum, ex rationibus, quas ipſi adducunt, vnde, vt dixi, negotium videtur periculoſum; attendant ergo miniſtri laicalis iuriſdictionis in caſibus contingentibus quid faciant, & aduerſus illos vide omnino Guazzinum *vbi ſuprà.* & nouiſſimè doctum Caſtrum Palaum *in opere morali to.2. diſp.vnica.punct.6.num.14.* vbi abſolutè docet in caſibus permiſſis non poſſe Iudicem laicum detinere Clericum in ſuis carceribus vltra viginti horas, imò docet neque eo tempore detinere poſſe, ſi breuiori poteſt illum Iudici Eccleſiaſtico remittere.

RESOL. LXXXVI. *An milites D.Ioannis gaudeant priuilegio fori?*

SVperuacanea videtur hæc quæſtio, & tamen non defuit Villadiego *in polit.c.5.n.112.* qui hæc ſcripſit: *Es competente el Iuez ſeglar contra los caballeros de la orden militar de ſan Iuan en las cauſas ciuiles, y en las que delinquieren en officios ſeglares de Regidores, corregidores, y en los delittos graues.* Sic ille.

Sed immeritò quidem, nam extra controuerſiam eſt quòd in omnibus delictis, licet grauibus, & atrocibus, ſupradicti milites gaudent priuilegio fori, cùm ſint verè Religioſi. Vnde Principes in dictos iuriſdictionem exercentes contrauenium Bullæ Cœnæ, & incurrunt in excommunicationem. Vide Barboſam *de poteſt.Epiſc.p.2.allegat. 12.n.45.* Paulum Squillante *de priuileg.Cleric.c.7.nu. 46.* & nouiſſimè Guazzinum *de defenſ.reorum to.1. defenſ.1.c.2.n.5.* Ioan. Mariam Nouarium *de elect.fori ſect.2.quæſt.69.per totam*, & ideò ſi dicti Equites D. Ioannis exerceant officia ſæcularia, & in illis delinquant, non poſſunt puniri à Iudice laico, vt probat Bellettus *in diſquiſ.Cleric.p.1.tit.3.§.1.nu.16.* Caballus *centur.1.caſ.64.* Narbona *in recopil.leg.Hiſpan. leg.20 gloſſa 20.n.34.* & ego ipſe alibi.

An verò idem dicendum ſit de Equitibus S. Stephani & S. Lazari, negatiuè reſpondet Eliſæus Danza *in pugna DD.cap.1. de qualitate officialium, n. 82.* vbi ſic ait. Quod verò ad duorum Stephani & Lazari Equites, in eorum priuilegiis non habent *Exequatur*, & ſic in illis militiæ Ieſu Chriſti in Luſitania; iſti S. Stephani à Duce Florentiæ, & in aliorum delictis iſti milites Luſitaniæ S. Stephani, & S. Lazari à Iudicibus ſæcularibus cognoſcuntur, & fori declinatoriam non opponunt. Sic ille.

Sed ego *in 3.part tract.1.reſolut.61.* docui ſupradictos Equites gaudere priuilegio fori, & adduxi multos Doctores, quibus nunc addo Nouarium *de electione fori, in editione nouiſſima, ſect.2. quæſt. 69. num.31.* Bonacinam *de cenſ. diſp. 2. quæſt. 4. punct. 3. nu.9.* & Ioannem Sancium *in ſelectis, diſp.49. nu.13.* vbi ſic ait: Verè Religioſos eſſe Equites Chriſti,

&

& Auis in Luſitania, & Monteſæ in Aragonia, & S. Stephani in magno Ducatu Florentiæ, probabiliter arbitror, cùm hi etiam milites profeſſionem trium votorum in manibus Prælatorum emittant, non aliter ac milites S. Iacobi Alcantaræ & Calatrauæ, præter Equites S. Stephani, qui votum caſtitatis, obedientiæ, & charitatis emittunt, & non paupertatis, vt ex Bulla Pij IV. ad fundationem conceſſa *anno* 1560. Coſimo de Medicis Florentiæ magno Duci conſtat, quam ego vidi. Et idem iudico de quibuſlibet aliis Religionibus militaribus tria vota emittentibus in manibus Prælati, & à Sede Apoſtolica approbatis. Hæc Sancius. Vide Caballum *centur. 2. caſ. 225.* & Viuianum *tract. de iure patronat. part. 2. l. 6. cap. 2. num. 19.* qui ponit Bullas exemptionis dictorum Equitum; vnde ex his apparet non eſſe audiendum Villadiego *in polit. ca. 5. nu. 116. & 117.* aſſerentem priuilegia dictorum Equitum eſſe tantùm localia, nam cùm ſint verè Religioſi, vt patet ex Bullis Pontificiis, eorum priuilegium eſt abſolutum, & eo gaudere debent vt Religioſi in omnibus mundi partibus, vt de Equitibus D. Ioannis, D. Iacobi, Alcantaræ & Calatratuæ, &c. dicendum etiam eſt. Vnde ex his rectè docuit Barboſa *de poteſt. Epiſcopi p. 2. allegat. 13. n. 14.* cum Nauarro ſupradictos milites ſancti Stephani gaudere exemptione gabellarum.

RESOL. LXXXVII. *An Iudex laicus tempore careſtiæ poßit compellere Clericos vt vendant frumenta, vel ad aliquid faciendum tempore peſtis?*

AFfirmatiuè reſpondet Villadiego *in polit. cap. 5. num. 90.* vbi ſic ait: *En tiempo de neceßidad de pan podra el corregidor tornar el trigo que ſobrare à las Igleſias, y monaſterios, y Obiſpos, y Clerigos aunque ſea contra ſu voluntad pagandoſelo à la taſſa.* Sic ille.

Sed ego hanc ſententiam reprobaui *in p. 1. tra. 2. reſ. 8.* & nunc iterùm reprobo eum Caballo *cent. 1. caſ. 9. n. 10.* Antonio de Ripol *variar. reſol. cap. 11. de empt. & vendit. n. 91.* & Sebaſt. Guazzino *de defenſione reorum tom. 2. defenſ. 20. cap. 9. num. 10.* vbi poſt multa ſic concludit. In omnem caſum non poſſunt cogi perſonæ Eccleſiaſticæ ad aliquid faciendum, vel non faciendum tempore careſtiæ, vel peſtis, per Iudices laicos, ſed per eorum Iudices Eccleſiaſticos, nec poſſunt puniri pœna comminata à laico, ſed alia arbitraria. Ita Guazzinus. Ratio eſt clara, quia publica neceſſitas, quando periculum non eſt in mora, non poteſt dare iuriſdictionem laico ſuper Clericos & Eccleſiaſticos. & ita *anno* 1606. vt notat Eliſæus Danza *in pugna DD. cap. 3. de qualitate officialium, num. 14.* tempore maximæ penuriæ in Regno Neapolitano Iudices laici obtinuerunt licentiam à Nuntio Summi Pontificis compellendi Eccleſiaſticos ad frumentum reuelandum, & vendendum.

Vnde obiter non deſinam hîc adnotare, capitaneos, qui mittuntur per Regnum à Proregibus pro reuelatione frumentorum, non poſſe neque Clericos coniugatos aſtringere ad dictam reuelationem faciendam; ſed hoc fieri debet à vicariis foraneis ex ordine Epiſcoporum. Vnde apponam hîc per extenſum epiſtolam Cardinalis Oroſchi Archiepiſcopi Panormitani, vbi ſic ait; *Magnifico Signore Habbiamo viſto la voſtra riſpoſta alla lettera che ſi decerno in queſta Corte Arciueſcouale, alla quale vi dicemo, che noſtra intentione non è eximere, è liberare alli Clerici coniugati di quelle coſe che ſi fanno per bene della Republica, come è queſta del reuelo delli fromenti, ma quãdo alcuni di queſti Clerici non foſſe coſi obediente, voi altri laici non potete conſtringerli per eſſere della giuriſdittione Eccleſiaſtica, la quale pretende à noi conſeruarla iuxta la diſpoſitione de ſacri Canoni, è ſono certo che il Signor Don Franceſco de Prado ſacra contento che ſi conſerui coſi la giuriſdittione Eccleſiaſtica in queſta terra, come ſi conſerua nelle altre terre della noſtra dioceſe, & coſi comandai hieri, che ſi faceßi vn altra lettera contra di noi altri più aggrauata. E coſi mi è parſo hora ſcriuere al Reuerendo mio Vicario Foranèo dandoci commißione ſpeciale, che poſſa conſtringere ad obſeruare detto bando à detti Clerici coniugati, coſi circa il paſſato, come per l'auuenire non pero per condennarli in la pena che haueranno incorſo per il paſſato. Per la qual coſa non mancherete reſtituirli li frumenti, che hauete pigliato à detti Clerici; perciochè com'ho detto non ſete giudici competenti. N. S. voſtre magnifiche perſone guardi in ſuo ſanto ſeruitio. di Caſtronouo il dì 6. di Nouembre 1560. Ad ogni ordine voſtro* F. Archiepiſcopus Panormitanus. Atergo, *Al magnifico Signore Giouannotto Siſcar Locotenente di Capitanio in Caccamo.* Hanc epiſtolam originalem ego vidi, & legi in libro MS. Regiæ Monarchiæ poſt *fol.* 1530. qui conſeruatur in Officio Regij Protonotarij; vbi etiam inuenies alias ſcripturos, in quibus dictus Archiepiſcopus officiales laicos pro hac re excommunicauit; & licet ibi inueniatur littera Viceregia Ioannis de Vega ſub die 17. Septembris, 14. Indictionis, 1555. vbi aſſerit non ſolùm Clericos coniugatos, ſed etiam alios Eccleſiaſticos cogi poſſe ab officialibus laicis in tali caſu, tamen hoc eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, per ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, & communiter aſſerunt DD. Et ideò præter Doctores citatos rectè docuit Philibertus Marchinus *de bello diuino*, ſeu *tract de veſte, part. 4. cap. 2. nu. 1. & ſeq.* cum Marta *de iuriſdict. par. 4. centur. 1. caſ. 74.* & aliis, Principes laicos tempore peſtis non poſſe Clericos coërcere ad obſeruanda eorum banna pro banno publico, & pro tuenda ſanitate edita, ſed debent Epiſcopum pro executione prædictorum rogare; & ita declarauit nouiſſimè ſacra Cardinal. Congregatio facto verbo cum Sanctiſſimo ſub die 21. Ianuarij 1631. Vnde Epiſcopi tempore peſtis, ſi rectè id iudicent bono publico expedire, vel omnem ſuam poteſtatem in Eccleſiaſticos quantum ad arcendam ab vrbe peſtem, & ad conſeruandam ſanitatem pertinet, ipſi magiſtratui ſæculari delegare debent; vel Eccleſiaſticam perſonam aſſeſſorem laicalibus ſanitati præſidentibus miſceat, qui iuriſdictionem in Clericos exercebit.

RESOL. LXXXVIII. *An Clerici minores, vt gaudeant priuilegio fori, debeant in diebus Dominicis cum ſuperpelliceo Diuinis intereſſe?*

HÆc quæſtio à nobis poſita eſt per quamdam pragmaticam huius Regni, quam citat & ſequitur Maurus Burgius *de modo procedẽdi ex abrupto cent.*

cent.1.quæſt.65.n.29. in qua ſtatuitur, vt Clerici volentes gaudere priuilegio clericali, debeant per Regnum perſeueranter incedere cum clericali habitu & tonſura, atque diuinis Officiis quibuſlibet diebus Dominicis, & feſtiuis, horis congruis, cum ſuperpelliceo perſonaliter intereſſe.

Sed quòd Clericus, vt gaudeat priuilegio fori, debeat ſeruire ſingulis diebus Dominicis, & feſtiuis, cum ſuperpelliceo diuinis officiis, falſum eſt. Nam Concil. Tridentinum *ſeſſ.23.cap.6.* ſtatuens vt Clerici debeant deſeruire alicui Eccleſiæ, non eſt intelligendum ita liberaliter & rigidè, id eſt, pro omni tempore, ſed pro maiori parte ipſius, vt ex ſacra Cardinalium Congregatione ego adnotaui *in 1.part.tract.2.reſolut.34.* & docet Riccius *part.4. deciſ.154.nu.5.* Gratianus *in diſcept. forenſ.to.3.c.440. num.6.* Maſtrillus *tom.1.deciſ.113.num.13.* & alij. Nec obſtat pragmatica huius Regni: nam aduerſus illam inſurgit nouiſſimè Sebaſtianus Guazzinus *de defenſionibus reorum, tom.2. defenſ.20.cap.9 n.35.* Videtiam Alexandrum Trentacinquum *conſil. 12.n.75. vol. 2.* Tritum eſt enim Clericos non poſſe ligari pragmatica Iudicis laici; & licet Antonius de Ballis *in tract. variar. lib.5. pragm.1. tit.10. num.5.* aſſerat, quòd iſta pragmatica tamquam coadiuuatiua diſpoſitionis iuris communis, licet ſit facta à laico, ſuſtineri poteſt; tamen quidquid ſit de hac doctrina, aſſero dictam pragmaticam imponere onus Clericis, quod ius commune illis non imponit, vt probatum eſt: ergo non poteſt ligare Clericos, & ideò ex defectu iuriſdictionis nullam eſſe dicendum eſt.

RESOL. LXXXIX. *An Clericus in minoribus ſi habeat beneficium, & non deferat habitum & tonſuram, gaudeat priuilegio fori?*

NEgatiuam ſententiam docet Maurus Burgius *de modo procedendi ex abrupto, centur.1. quæſt.65. num.23.* vbi inuehitur contra Farinacium, & aſſerit hanc opinionem docere Concilium Tridentinum *ſeſſ.23. cap. 6.* Sed omnino fallitur; nam affirmatiua ſententia quam tenent communiter Doctores, fundatur in Concilio Tridentino, vbi ponit particulam, *aut*, quæ diſiungit, ſic enim aſſerit. Is fori priuilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, &c. Et ita hanc opinionem præter Farinacium docet, me citato, Paulus Squillante *de priuileg. Cleric. cap.7. dub.1. num.23.* Heuia *in curia Philippica part.3.§.1.num.3.* Bobadilla *in polit. tom.1. lib.2.c.18.num.102.* Cenedus *in qq.canon.quæſt.4.nu.29.* Nouarius *in nouo iure Pontificio concluſ.117.num.6.* & Salzedo *in pract. crim. Bernardi Diaz cap.62.num.9.* vbi ſic ait: Si Clericus prima tonſura initiatus beneficium Eccleſiaſticum obtinuerit, quamuis non deferat veſtes clericales, gaudere debet priuilegio fori Eccleſiaſtici, vt conſtat ex Conc. Tridentino. Sic ille. Vnde non eſt audiendus Burgius.

RESOL. XC. *Vtrùm pauper, & miſerabiles perſonæ poſſint laicum coram Iudice Eccleſiaſtico conuenire?*

AFfirmatiuam ſententiam omnino tenendam eſſe puto, ex textu expreſſo *in c.ſuper quibuſdam, de verbor.ſignificat.* ibi, *Item viduis, pupillis, orphanis, & miſerabilibus perſonis tenearis in iudicio Eccleſiaſtico reſpondere,* &c. Idem probatur ex Panormitano & Butrio *in c.per veſtras, de donat.inter virum & vxorem.* facit etiam textus *in cap.ſi quis de potentibus 21. cap.ſi quis Romipetas 23.cap.illi qui 25.in ordine, 24.quæſt.3.* & ita docent ſcribentes *in cap.ſignificantibus, de offic. & poteſt.iudic.delegat. & in cap.ex tenore, de foro compet.* & hanc tuentur ſententiam Palacius Rubeus *in repet. cap.per veſtras, §.1.nu.5.* & alij, quos citat & ſequitur nouiſſimè Gabriel Aluarez *tract. de priuileg.paupert. quæſt.52. nu.13.* quibus adde Scacciam *de iudiciis to.1. lib.1.cap.12.nu.17.* Cenedum *in quæſt.canon.quæſt.14. nu. 4.* Vnde pro ſibi relictis alimentis poſſe pauperem aduerſarium laicum ad Iudicem Eccleſiaſticum trahere, docet Bartolus, Imola, Geminianus, & alij, quos adducit Petrus Surdus *de aliment.tit.8. priuileg.9. nu.2.* & in quauis alia cauſa idem dicendum eſt, cùm miſerabilibus ac pauperibus, abſque alicuius cauſæ præfinitione conceſſum ſit priuilegium *in dicto cap. ſuper quibuſdam*, aliiſque iuribus relatis. Vnde immeritò quidam Iuriſconſultus nolebat olim hanc ſententiam admittere, & inconuenientius ipſe aſſerebat; nam multæ cauſæ laicorum ad Eccleſiaſtica tribunalia, ſtante hac opinione, differri poſſunt; ſed, vt dixi, immeritò hoc aſſerebat: nam, vt viſum eſt, ſacri Canones hæc determinant, & concedunt, quibus omnino ſtandum eſſe nemo Catholicus ambiget.

Notandum eſt tamen pro intelligentia *dicti cap. ſuper quibuſdam*, quòd ſi pupillus, vel vidua eſſent diuites, non gaudent priuilegio trahendi laicos ad tribunal Eccleſiaſticum. Ita Doctores citati.

RESOL. XCI. *An Clericus vt gaudeat priuilegio fori, debeat portare non ſolùm pallium, ſed etiam togam vſque ad talos?*

AFfirmatiuam ſententiam tenebat in facti contingentia quidam Iuriſconſultus, & adducebat Bullam Sixti V. & hoc etiam docet Moſcouius *de maieſt.milit. Eccleſiæ. lib.1. part.2.cap.2.* Venerus *in exam. Epiſcop. lib.5.c.5.n.2.* vbi aſſerunt tunicam Clericorum eſſe debere nigram & talarem, & hanc ſententiam docet etiam Cæpolla *conſ.11.n.30.*

Sed ego tunc contrariam ſententiam docui cum Ioanne Maria Nouario *in nouo iure Pontificio concluſ.117.num.6.* vbi ſic ait: Dicendum eſt Clericum in habitu & tonſura incedere, quando fert pallium talare, licet toga non tangat genu, & conſequenter debet priuilegio fori frui, tamquam ſatisfaciens diſpoſitioni Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 6.* vbi cautum eſt Clericos in minoribus teneri deferre habitum & tonſuram. Ita ille. Videtiam Antonium de Ballis *tract. var. lib.5. pragmat.1.tit.10.nu.53.* & hanc ſententiam in terminis dictæ Bullæ Sixti V. quam ille Iuriſconſultus afferebat, tenet Garcias *de beneficiis tom.2.part.7.cap.1.num.23.* & alij penes ipſum, aſſerentes Clericis non eſſe neceſſarium portare duas veſtes longas, ſed quòd vna ſufficiet, vel tunica, vel pallium. Verùm circa præſentem quæſtionem communem doctrinam adducit Farinacius *quæſt.8.n.69.* & Scaccia *de iudiciis to.1. lib.1. cap.11.n.84.*

RESOL. XCII. *An bannitus, si steterit in Ecclesia suæ patriæ, intelligatur exilium fregisse?*

AFfirmatiuam sententiam docet Io. Capiblanco *de officio Baronum tom.2.pragm.8.cap.34.nu.4.* quia licet Ecclesiæ sint exemptæ à iurisdictione temporali, & subiaceant Ecclesiasticis, tamen stant in territorio Principis sæcularis in quo fundatæ sunt, & inde est quòd Doctores asserunt, Episcopum non habere territorium; cùm ergo locus stat in territorio, vbi exiliatus commorari non debet, ideò videtur, inquiri, & puniri posse de sententiæ inobseruantia.

Sed ego negatiuam sententiam tenendam esse puto, quam nouissimè tuetur Anton. de Marinis *quotid. resol.c.116. per totum.* lege illum, & non pigebit. Vnde ad rationes Capiblanco dico, Ecclesiam ratione situs verè dici in territorio ciuitatis vbi sita est, attamen quoad iuris effectus, & præcipuè ad ligandum ordine, aut statuto Principis territorij id, quod fit intus Ecclesiæ, vel in loco exempto, verè non dicitur de territorio; imò duo hæc æquiparari, esse in loco exempto, vel esse extra territorium, docent Legistæ *in l. fin. ff. de iurisdict. omnium iudicum.* Paulus de Castro *consil.187.* Alexander *consil.151. vol. 2.* Natta *consil. 643. per totum.* Rolandus *cons.33 vol 3.* & alij. Id verò quod asserit Capiblancus, Episcopum non habere territorium, negatur, quod *suprà* in hoc tractatu satis probatum est, & probat Barbosa *de officio & potestate Episcopi, part. 3. allegat.107.n.1.*

RESOL. XCIII. *An Clericus incedens in habitu si omittat portare tonsuram, perdat priuilegium fori?*

AFfirmatiuè videtur respondendum ex Concil. Trident. *sess. 23. cap. 6.* vbi statuitur, quòd vt priuilegio fori potiri possint Clerici in minoribus, debent deferre habitum & tonsuram, & ita docet Barbosa *de potestate Episcopi, part. 2.alleg.12.n.19.* Riccius *tom.4.decis.154.* Bellettus *in disquis. Cleric. part.1. tit. de fauore Clericorum personali, §.8. nu.7.* & alij penes Barbosam *loco citato*, quibus adde Gauantum *in Enchirid. Episc. ver. fori priuilegium, n.8.*

Sed contrariam sententiam docet Marius Antoninus *variar. resolut. lib.3.resolut.48. num.9. & 10.* Capiblancus *de officio Baronum tom.1.pragm.8.part.3. num.29.* & Elisæus Danza *in pugna DD. cap.1.de Clericis, n.15.* vbi asserunt quòd dicti Clerici si neglexerint portare tonsuram, non amittunt priuilegium fori, quia tonsura non est tantæ solemnitatis. Vide etiam Scaccian *de iudiciis tom.1. lib.1. cap.11. num.9.* & Farinacium *quæst. 8. num. 65.* asserentes in Clericis non coniugatis vt gaudeant priuilegio fori, sufficere alterum istorum, scilicet, vt deferant habitum, vel deferant tonsuram. Et ad verba Concilij Tridentini respondet Marius Antoninus *vbi suprà*, quòd licet loquantur per copulam *&*, quæ requirit concursum copulatorum; tamen *in cap. si iudex, de sentent. excommunic. in 6.* legitur copula *&*, circa dictam delationem, vt legitur in Concilio Tridentino, & tamen de iure communi sufficit delatio alterius, & Conc. Trident. *in dicto loco* non videtur inducere correctionem iuris communis: ergo, &c. Vnde ego huius dubij resolutionem remitto ad sacram Congregationem.

RESOL. XCIV. *An Iudex sæcularis possit punire laicum sub prætextu eius prohibitionis, etiamsi habeat licentiam ab Episcopo in diebus festis laborandi?*

NEgatiuè respondendum est, & ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio sub his verbis: Cùm Officiales Curiæ sæcularis Mutinæ prætendant, neminem posse in diebus festis vacare operibus seruilibus, etiam de licentia Episcopi, nisi eorum quoque licentiam obtineat, & laborantes absque eorum licentia, incidere in pœnas ab eis, contra non obseruantes dies festos, statutas. Episcopus petit vt declaretur, ad quem spectet huiusmodi licentiam concedere; & an si ipse prætia necessitatis approbatione aliquibus illam concesserit, possint prædicti Officiales eos punire? Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Tridentini interpretum censuit huiusmodi licentiam concedendi iuxta sacrorum Canonum præscriptum, ad Episcopos tantùm pertinere, non autem ad ministros sæculares, atque eos, qui diebus festis prætia Episcopi licentia operibus seruilibus vacauerint, nequaquam posse à Iudicibus laicis quoquomodo multari, aut puniri, Robertus Cardin. Vbaldinus. & hanc declarationem adducit Megalius *cons. 97. num.2.* & Homobonus de Bonis *in exam. Eccles. part. 3. tract.15. cap.7. quæs. 17. resol. 3.* qui alios Doctores adducit pro hac firmanda sententia, quam iterùm docuit nouissimè *in consult. cas. conscient. vol.1.part.2. prac.3.respons.32.*

RESOL. XCV. *An Iudex laicus possit punire aliquem qui post diffamationem & inquisitionem homicidij ingressus est Religionem?*

DE hoc casu controuersia mihi fuit cum quodam Iurisconsulto, qui in facti contingentia adducebat pro parte affirmatiua Bullam Sixti V. & quòd delinquens in tali casu præsumatur habitum Religionis in fraudem suscepisse.

Verùm ego negatiuam sententiam teneo, quam in terminis docet Homobonus *in consult. moral. vol. 1.prac. 8. part. 2. resp. 190.* & ante illum Barthol. de Vecchis *in praxi nouit. disp. 11. dub. 12. num. 11.* vbi rectè probat, in supradicto casu Nouitium ad summum puniri posse à Iudice sæculari in pecunia & bonis, non autem in corpore, etiamsi cum fraude ingressus sit Religionem. Imò Marta *de iurisdict. part. 4. cent. 2. cas. 121. à nu. 22.* latè probat dictum Nouitium etiam neque in pecunia & bonis, posse puniri à Iudice sæculari, quod ego alibi de Clerico satis probaui. Ad Bullam verò Sixti V. assero iam moderatam fuisse à Clem. VIII. vt notant supracitati Doctores. Ergo, &c.

RESOL. XCVI. *An palatia Episcopi vltra quadraginta passus ab Ecclesia distantia gaudeant immunitate, si non habeant Oratorium in quo Missa celebretur?*

PRo negatiua sententia *in part. 1. tract. 1. resol. 27.* adduxi aliquos, quibus nunc addo Ambrosinum *de immunit. Eccles. cap. 10. nu. 7.* & nouissimè Elisæum Danza *in pugna Doctorum c. 2. de immun. Eccles. num. 1.*

num. 1. vbi sic ait: Cauti debent esse Episcopi, qui in eorum palatio Episcopali vltra quadraginta passus ab Ecclesia habeant Oratorium, siue Capellam, in qua Missa celebretur, hoc enim casu huiusmodi palatium Ecclesiæ immunitate gaudet, ita vt ad illud confugientes tuti sint. Ita ille.

Sed non esse discedendum à sententia affirmatiua *vbi suprà*, ego docui cum multis Doctoribus, & nunc iterùm doceo cum Ludouico Correa *in relect. de immunit. Eccles. part. 2. quæst. 8. nu. 19.* Belletto *in disquis. Cleric. part. 1. tit. de fauore Clericorum reali, §. 4. num. 35.* Alzedo *in praxi Episcop. part. 2. cap. 12. n. 77.* Gauanto *in enchir. Episcop. ver. immunitas Ecclesiastica, num...* &, me citato, tenet etiam hanc sententiam Io. Domin. Tassonus *in pragmat. de Antifato, ver. 13. obseru. 3. num. 31.* & ratio est clara, quia iura & canones indistinctè domui Episcopi immunitatem concedunt: ergo non est restringenda ad palatia Oratorium habentia: quæ omnia Antonius Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. n. 10.* & alij, extendunt ad palatia Episcopi, etiam ipso mortuo, vel absente, dummodo non fuissent alteri locata.

Resol. XCVII. *An Iudex secularis teneatur restituere reum Ecclesiæ licet fuerit extractus cum licentia Episcopi, si constet illum non commisisse delictum in Bulla Gregorij XIV. exceptum?*

Hic casus potest frequenter accidere, & apud paucos auctores agitatum inuenies, cui ego affirmatiuè prorsus respondeo; quia tali delinquēti verè debebatur immunitas, & per errorem, qui in huiusmodi imperfecta cognitione facilè interuenire potest, ab ea excluſus, traditus est curiæ sæculari. Constat autem posteà iniustam à parte rei fuisse illam Episcopi sententiam, consequenter constat debitam esse illi immunitatem: ergo dum res integra est, & immunitas illi seruari potest, seruanda est; & ita hanc sententiam tenet etiam nouissimè Antonius de Marinis *resolut. quotid. tom. 1. cap. 175. n. 2. & seq.* vbi multas alias adducit rationes pro hac firmanda sententia. adi illum, & non pigebit. Vnde hanc sententiam aliquibus ministris Regiis ego consului, quibus etiam adduxi Regentem Constantium in supplicatione ad Paulum V. pro moderanda Bulla Gregor. XIV. vbi *num. 70.* sic ait: Et idem dicendum quando extractio fieret cum licentia Episcopi æstimantis reum ob qualitatem delicti extrahendum esse; nam si posteà apparuerit, qualitatem illam non esse veram, reponendus erit delinquens ad Ecclesiam. Ita Regens Constantius.

An verò detur appellatio à sententia Episcopi declarantis reum non gaudere, negat Guazzinus *de modo defen. reos, tom. 1. defens. 1. cap. 31. n. 11.* & Bonacina *de leg. disp. 3. quæst. 7 punct. 7. n. 11.* Secus si sit lata sententia in fauorem rei; sed etiam in tali casu appellationem non competere, tradit Peregrinus *de immunit. c. 6. nu. 33.* Verùm cum Bonacina consentit Farinacius *in append. c. 27. n. 372.*

Resol. XCVIII. *An Iudex laicus possit incidenter cognoscere nullitatem censurarum, & ordinare vt sæculares & Ecclesiastici illas non seruent, & quòd tollantur cedulones à portis Ecclesiarum?*

Gabriel Pereira *de manu Regia c. 7. n. 22.* affirmatiuam sententiam tenet, quam posteà acriter defendit & tutatur Franciscus Miranete *in inform. lingua Hispanica conscripta, pro iurisdict. Regia art. 10. & seq.* quia Iudex laicus incidenter potest cognoscere de validitate, vel nullitate spiritualium, quæ ex ipsis actis summariè, de plano, & sine altiori discussione potest colligi, & ideò Iudex sæcularis cognoscere potest de quocumque articulo spirituali incidenti in causa principali, de qua ipse cognoscit quando res est notoria, & euidens. Igitur in casu posito Iudex non cognoscit de nullitate censurarum principaliter, sed per modum causæ & incidenter, & pro hac sententia faciunt DD. quos citat Octauianus Cacheran. *in decis. Pedemont. 116.* vide etiam Barbosam *in l. Titia, n. 34. & 52. ff. solut. matrim.* Sesse *de inhibit. c. 10. §. 1. n. 4. & seq.* cum Ramirez *de lege Regia §. 27. à n. 11.*

Sed contrariam sententiam prorsus sustinēdam esse puto, quia, vt rectè probat Abbas *in cap. Ecclesia S. Mariæ n. 2. & ibi* Decius *num. 46.* quos citat & sequitur Piasecius *in praxi Episc. part. 2. cap. 4. art. 3. n. 16.* Iudex laicus non potest cognoscere causam ad forum Ecclesiasticum spectantem, neque incidenter; vnde Innoc. Panormitanus, & Antonius de Butrio *in cap. tuam, de ordin. cognit.* docent, quòd si incidit quæstio spiritualis coram sæculari Iudice, remittere tenetur Ecclesiastico terminandam, neque potest præcipere vt infra certum tempus illam expediat, vt cum multis firmat Genuensis *in praxi Archiepisc. cap. 77. nu. 2.* Igitur in causis spiritualibus etiam incidenter, nullatenus Iudex sæcularis potest se intromittere; vide *cap. decernimus, cap. quanto, de iudic. cap. lator, cap. causam quæ, qui fil. sint legit.* & glossam *in cap. si Iudex laicus, de sentent. excommunic. in 6.* & ita hanc sententiam, nempe non posse Iudicem sæcularem neque incidenter cognoscere de nullitate censurarum, docet Marta *de iurisdict. part. 3. cap. 16. nu. 4. & seq.* Et ex Doctoribus Hispanis hanc etiam opinionem contra Miranetem *vbi suprà* tuetur Matthias Beyetola *in allegat. pro iurisdictione sancti officij art. 7. num. 136. & seq.* & Anton. Atrianus *in discursu iuridico pro iurisdictione sancti Officij art. 2. n. 148. & seq.* vbi firmat & probat has conclusiones.

Prima, *que los Iuezes seculares ni principaliter, ni incidenter pueden conocer de la nulidad de las censuras, antes bien el querer pretender esso es cosa nefaria, segun el Decreto del S. Concilio Tridentino* sess. 25. cap. 3. Secunda, *por essa razon los Iuezes seculares que mandan so color de nulidad que no se guarden algunas censuras fulminadas por los Iuezes Ecclesiasticos incurren en sentencia de descomunion ipso iure, y en las censuras de la Bula* Cœnæ Domini, vt patet ex *Clem. grauis*, vbi scribentes, *de sentent. excommunic. & in Bull. Cœn. excommun. 16.* Tertia, *los Iuezes seculares ò otras qualesquiere personas legas que sin tener autoridad, como no la tienen so pretesto de nulidad de las censuras ò de otro qualquiera mandan à los Prelados y Curas y otras personas Ecclesiasticas que no las publiquen, obedescan ni guarden, son y han de ser vistos menos preciarlas y por el consiguiente sentir mal dellas, y finalmente*

de primo ad vltimum se hazen sospechosos en la fe. quæ omnia dictus Arrianus *vbi suprà* satis, vt dixi, firmat & probat. Vnde rectè hanc opinionem subscripsere Theologi & Iuristæ doctissimi Cæsaraugustæ *die 3. Ianuarij anno* 1614. in quodam voto manuscripto, quod penes me habeo; non est igitur de hac opinione dubitandum, quidquid asserat Pereira & Mirauete *locis cit.* Vide etiam Morla *in empor. iuris part. 1. tit. 2. num.* 133. vbi firmat non posse Iudicem laicum cognoscere de validitate, vel nullitate censurarum.

Ad id verò quod aduersarij asserunt, Iudicem laicum in casu proposito cognoscere de nullitate censurarum incidenter; respondeo cum Morla *vbi suprà num.* 134. Ioanne de Vanchel *in cap. vt inquisitionis, concluſ. 4. de hæret. in 6.* Iudicem laicum non posse neque incidenter cognoscere de negotio spirituali ratione incapacitatis, vt patet ex *cap. tuam, de ordin. cognit. & in cap. lator, & c. causam quæ el 2. qui filij sint legit.* quod aliqui extendunt etiam, quando quæstio versatur circa factum, quia ex facto ius oritur, vt patet ex *l. si ex plagis, §. in cliuo capitolino, ff. ad leg. Aquiliam,* & sic non potest dari quæstio facti, quin non sit iuris, cùm vna ab alia separari non possit: vnde ratione connexitatis, etiam quæstio facti agitanda videtur coram Ecclesiastico, argumento *cap. quanto, de iudiciis,* vt in casu simili notauit Bartolus *in l. solent, num. 13. ff. de alim. & cibar. legat.* Vide Doctores quos refert Meneses *in l. 1. C. de iur. & fact. ignorantia, num.* 57. Romanus *in l. Titia, n. 5. ff. solut. matrim.* & Fulgosius *consil.* 133.

Nota etiam quòd post hæc scripta inueni nostram sententiam docere Io. Dionysium Portocarrero *in allegat. pro iurisdict. S. Officij, num.* 97. vbi sic ait: Postremò in profundo malorum deuentum est, *publicaron vn Edicto en que teniendo las censuras por nulas, y llamandolas assi, mandaron à todas las personas Ecclesiasticas à quien tocaua su publicacion, que no las guarden ni publiquen, y poniendolo ellos en execucion no se quisieron tener por excomulgados. este hecho ha sido calificado por los calificadores del Consejo declarandolo por iniurioso, y escandaloso, y sospechoso, y que sapit errorem, y deuerse recoger el Edicto como tal, porque los Ministros Reales procedieron de hecho sin iurisdicion, pues siendo la materia de censuras meramente Ecclesiastica no pudieron conocer de su valor personas seglares, y siendo los Iuezes seglares inferiores de los Ecclesiasticos no pueden conocer del valor, de lo que ellos hazen.* Ita Portocarrero, qui latè ex sacris Canonibus & rationibus hanc sententiam probat; vnde de illa non est dubitandum, vt superiùs dictum est.

Ex his obiter aduerte esse reprobandam sententiam Corseti *tract. de potest. Regia part. 4. num. 8.* Senatus Pedemont. *decis. 30. num. 15.* & aliorum, asserentium posse Principem laicum interdicere, seu inhibere Episcopis & eorum Vicariis ne quemquam excommunicent nisi priùs excommunicationis causa ostendatur. Sed hæc opinio est contra Concil. Trident. *sess. 25. cap. 3.* ex quo etiam reprobatur Couarr. *pract. quæst. cap. 35. num. 4.* Sed de hac quæstione *suprà* satis dictum est.

Resol. XCIX. *An Iudices laici possint se intromittere in executione legati pij?*

Executionem etiam talium legatorum esse mixti fori, tradit Io. Honorius *in comp. iuris can. lib. 3. tit. 26. num.* 20. Valensis *in Decret. l. 3. tit. 26. §. 8. num. 4.* Marta *de iurisdict. part. 2. cap. 11. num. 14.* & Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 54. num. 4.* Tiraquellus *de priui. piæ causæ, priuil. 149.* & *ibi* Ioan. Baptista Thorus & alij penes ipsos, asserentes executionem legatorum piorum pertinere ad vtrumque Iudicem, Ecclesiasticum & sæcularem.

Sed hæc opinio videtur procedere in terminis iuris ciuilis, per *l. hereditas, & l. nulli, C. de Episcop. & Cleric. l. hereditas, ver. finali, ff. de petit. hered.* & alios textus. Verùm attento iure Canonico priuatiuè executio legatorum piorum solis Episcopis commissa videtur, vt patet per *cap. tua, de testam.* in illis verbis: Cùm igitur in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos prouidendum, vt secundùm defuncti voluntatem vniuersa procedant, &c. vide etiam *cap. si heredes, eodem tit.* & Concilium Trident. *sess. 7. cap. 15. & sess. 22. de reform. c. 8.* & ita hanc sententiam docet Bonacina *de contract. disp. 3. quæst. 18. punct. 1. §. 10. num. 1.* vbi sic ait: De legatis piis perspicuum est competentem ipsorum Iudicem esse Ecclesiasticum, non verò sæcularem, quia nulla causa excedit sphæram, seu terminos suæ actiuitatis: legata autem pia non sunt intra sphæram, seu terminos & limites iurisdictionis laicæ. Sic ille, & alij, præsertim Spino *in speculo test. glossa 28. n. 44.*

Resol. C. *An Iudices laici possint præscribere numerum satellitum Episcoporum, vulgò dicti* Alarij?

Negatiuè respondeo, & ideò, teste Gauanto *in enchirid. Episc. ver. forum Episcopale, num. 36.* & Barbosa *de iure Pontificio lib. 1. cap. 11. num. 75.* Sacra Cardinalium Congregatio *die 14. Aprilis anno 1615.* decreuit, quòd Episcopus potest habere tot satellites, quot voluerit. Vnde tempore Philippi Regis Franciæ, cùm ministri Regij contra Prælatos illius Regni instarent, quòd dicti Prælati magnam haberent multitudinem officialium, tunc Cardin. Petrus Bertrandus *in 2. respons. ad articulos laicorum, num. 7.* sic respondit *fol. mihi* 272. Tam de ratione, quàm de iure, & consuetudine quilibet Prælatus in quacumque parte suæ diœcesis potest habere officiales suos, & alias personas ad iurisdictionem Ecclesiasticam exercendam; quilibet enim dominus temporalis vbicumque in terra sua potest habere gentes, & iustitiarios suos, & eadem ratione & spiritualis Iudex. Sed si tales Commissarij abusi fuerint in aliquo, seu etiam abutantur, parati erunt Prælati tales abusus corrigere, & apponere remedium opportunum; vel si alicubi sit talium commissariorum nimia multitudo, ipsi de sufficienti numero prouidebunt. Ita Bertrandus. Vnde ex his apparet non posse Principes laicos determinare numerum satellitum Episcoporum pro quacumque ciuitate, & si de illis esset nimia multitudo, instent & rogent Episcopos vt ipsi de sufficienti numero prouideant, qui quidem iustis petitionibus Principum debent acquiescere. Et ita post hæc scripta inueni hanc sententiam docere Venerum *in examine Episcop. lib. 4. cap. 12. num. 5.* vbi sic ait: Si

fuerit

fuerit controuerſia, vel querelá inter Iudicem ſæcularem & Eccleſiaſticum, propter multitudinem miniſtrorum, quis debet determinare numerum certum? Reſpondeo Iudex Eccleſiaſticus ſuperior; nam Iudex laicus, etiamſi ſit Prorex, non poteſt cognoſcere cauſam Eccleſiaſticam Epiſcopi, vel Vicarij, aliàs incidit in excommunicationem latam à iure; benè tamen poteſt obſeruare vt talis numerus reformetur repræſentando damna & incommoda. Ita Venetus.

RESOL. CI. *An Principes laici conſuetudine poſſint acquirere ius collectandi Eccleſiaſticos?*

REſpondetur quòd ſecundùm opinionem communem Canoniſtarum & Iuriſperitorum, ſi bona Clericorum & Eccleſiæ iure diuino exempta ſunt, & hæc libertas eodem iure inducta ſit, conſuetudo non poteſt eam tollere, quia in ea, quæ ſunt iuris diuini, conſuetudo ſuam non exercet vim. Si autem hæc exemptio non eſt iuris diuini, ſed poſitiui, adhuc reſpondendum eſt conſuetudinem non valere, & iniuſtam eſſe, qua vſurpatur poteſtas à laicis collectandi & grauandi Clericos, & quò diuturnior, eò eſt damnabilior. Nam conſuetudo cui lex reſiſtit eam improbando, non valet. Felinus *in c. accedentes, de præſcript. poſt col. 4. fallent. 3.* qui etiam alios allegat; Panormitanus *in cap. cùm ex officij, eodem titulo.* Franciſcus Balbus *de præſcript. in 5. part. quintæ principalis, quæſt. 9. prope finem.* Nec mirum, cùm hæc conſuetudo dicatur irrationabilis, quam iura improbant, per multa iura allegata à gloſſa *in cap. fin. de conſuet.* & *ibidem* Doctores. Sed vtrumque ius improbat conſuetudinem contra libertatem Eccleſiaſticam, & eam non valere vult, quæ Eccleſiis, earumque miniſtris inducit grauamen, *cap. 1. de conſuet.* argum. *c. quamquam, de conſuet. in 6.* & *cap. 1. de iureiurand. eodem lib.* & *cap. & ſi pignorationes, de iniuriis, ibid.* & *in Authent. Caſſa, C. de ſacroſanct. Eccleſiis.* Caſſa & irrita (ait) eſſe denuntiari per totam Italiam præcipit omnia ſtatuta, & conſuetudines contra libertatem Eccleſiaſticam, &c. & de cetero ſimilia attentata ipſo iure nulla eſſe decernit, hæc ibi. Vnde Doctores communiter concludunt, ſtatuta & conſuetudines contra libertatem Eccleſiaſticam non valere, & nullius eſſe roboris. His accedit, quod Nauarrus *in manuali c. 27. num. 72.* declarat, quòd cenſuræ Bullæ Cœnæ includunt omnes, etiam Imperatores, & Reges, & Vniuerſitates, & quòd nulla cõſuetudo, etiam immemorabilis, nec præſcriptio quælibet longiſſima contra eas prodeſt. Non ergo ſeculares titulo conſuetudinis poſſunt inducere exactiones, & grauamina contra Eccleſias, & Clericos, nec colore talis prætextus liberantur à cenſura excommunicationis, & reſtitutionis debito. Quare mirandum, quòd aliquando naſuti, & qui gloriantur de aliquali ſcientia, velint ſua facta in his excuſare prætextu conſuetudinis, quam rectiùs corruptelam, & abuſum nominarent: & verendum iure, vt etiam Nauarrus *cap. 17. nu. 203.* obſeruat, ne Deus omnipotens in dies magis magiſque iratus Conſultores Principum de prædictis Canonibus parum curantes, & Principes nimiùm illis credentes grauiſſimè tandem caſtiget. Et hæc omnia ſupradicta docet doctus Binsfeldius *in comment. de iniuriis & damno dato, cap. 7. concluſ. 12. dub. 3.* Vide meipſum *part. 1. tract. 2. reſol. 96.*

Vnde ex his apparet quàm malè & contra ſacros Canones locutum fuiſſe circa præſentem quæſtionem Nicodemum de Florentia *in ſpeculo Confeſſar. cap. 73.*

RESOL. CII. *An Iudex laicus violet immunitatem Eccleſiæ, ſi carceret aliquem à perſonis priuatis per vim extractum ab Eccleſia?*

NEgatiuam ſententiam docet Suarez *de Religione tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 13. num. 17.* & *19. in fine*, quia talis Iudex, vt ſuppono, non fuit particeps extractionis: ergo non incurrit pœnas.

Sed ego affirmatiuam ſententiam prorſus tenendam eſſe puto, quia illa extractio irrita fuit & nulla; ergo extractus illicitè, nec iuridicè potuit à Iudice laico incarcerari, quamdiu per extractum non ſtetit, ne in loco ſacro reponeretur. Adde quòd Gregorius XIV. in ſua conſtitutione interdixit illas actiones per particulam *vel*, quæ eſt alternatiua, ibi capere, extrahere, aut carcerare, & ita docet Bonacina *in Decalog. diſp. 3. quæſt. 7. punct. 9. num. 10.* Valentia *tom. 3. diſp. 6. quæſt. 15. punct. 1. ad 2.* & Genuenſ. *in praxi cap. 17. num. 6.* vbi etiam rectè notat cum Peregrino *de immunitate cap. 14. num. 10.* & aliis contra Gambacurtam *lib. 8. cap. 7. nu. 4.* & *5.* quòd priuata perſona, qui extrahit aliquem ab Eccleſia, afficitur cenſura.

RESOL. CIII. *An gaudeat immunitate Eccleſiæ coniurans, ſeu machinans, vt tradat inimicis Regnum, ciuitatem, &c.*

NEgatiuè reſpondet Gambacurta *de immunit. lib. 1. cap. 44. dub. 5.* quia talis eſt reus criminis læſæ maieſtatis: ergo non debet gaudere immunitate.

Sed ego contrariam ſententiam teneo cum Peregrino *de immunitate cap. 10. num. 7.* Farinacio *in append. cap. 14. num. 190.* Mario Italia *de immun. lib. 1. cap. 5. §. 7. num. 45.* & aliis; quia Gregor. XIV. in ſua conſtitutione excipiendo crimen læſæ maieſtatis taxauit dictam exceptionẽ in perſonam ipſiuſmet Principis, & paulò antè poſuit dictionem taxatiuam *tantùm*, quæ de ſui natura eſt impedire extenſionem ad non expreſſa. Et in dicta conſtitutione exceptio caſuum fit per modum formæ: ergo nihil addi, vel minui poteſt, ſed ad vnguem ſeruari. Ita Peregrinus *vbi ſuprà*, & poſt hæc ſcripta inueni hanc ſententiam docere etiam Martinum Bonacinam *in Decalog. diſp. 3. quæſt. 7. punct. 6. §. 6. nu. 5.* quia, ait ille, in tali caſu delinquens non dicitur coniurare in perſonam Principis, nec facere actionem, in offenſionem perſonæ, ſed dignitatis, quæ tali perſonæ competit: ergo, &c. Et tandem hanc ſententiam docet Caſtrus Palaus hoc anno Lugduni impreſſus *tom. 2. de reuerentia debita locis ſacris, diſp. vnica, punct. 9. num. 42. in fine.* Vide meipſum *in part. 1. tract. 1. reſol. 7.*

RESOL. CIV. *An testis qui pretio falsum deposuit, vnde innocens damnatus fuit ad mortem, gaudeat immunitate Ecclesiarum?*

NEgatiuam sententiam docet Marius Italia *lib.1. cap.5.§.5.num.144. & seq.* quem citat & sequitur Peregrinus *cap.7. num.42.* quia talis dicitur assassinus; cui enim competit definitio assassinij, competit etiam definitum. Et idem dicendum est de Iudice, qui pecunia corruptus innocentem ad mortem damnauit.

Verùm oppositam sententiam obseruat Martinus Bonacina *in Decalogum disp.3.q.7.punct.6.§.3.n.8.* esse probabilem & fauorabilem immunitati Ecclesiæ: nam testis, seu Iudex in tali casu, propriè, & physicè loquendo, non occidit: ergo. & ideò si casus aliquando acciderit, saltem ego puto consulendum esse Summum Pontificem, licet olim *in part. 1. tract. 1. resolut.19.* docuerim absolutè talem reum non gaudere immunitate.

Sed quid si testis falsus deponat sine pecunia mediante contra aliquem, & ob id morti à Iudice adiudicetur, priueturque immunitate tamquam occidens aliquem proditoriè? Affirmatiuè respondet Italia *loco citato.* Farinacius *in append. cap.7.num.141.* putat, dum casus acciderit, consulendum esse Summum Pontificem. Bonacina verò *in §.3.n.4.* & Peregrinus, asserunt supradictum non priuari immunitate, & ego hanc sententiam amplectendam esse puto, vel saltem consulendum esse Summum Pontificem.

RESOL. CV. *An qui proditoriè occidit infidelem, gaudeat immunitate Ecclesiæ?*

NEgatiuè respondet Castrus Palaus *tom.2.disp. vnica, de immunit. punct.9. num.31.* Peregrinus *de immunit.cap.7.num.15.* Farinacius *in append.cap.8. num.120.* & Marius Italia *lib.1. cap.3.§.3.nu.7. & seq.* quia Gregorius XIV. in constitutione excipit proditorem proximum suum occidentem; sed proximi appellatione comprehenduntur omnes homines cuiuscumque fuerint conditionis, vel cultus, seu Religionis, vt latè probant supradicti Doctores: ergo, &c.

Verùm his non obstantibus, contrariam sententiam docet Ambrosinus *de immunitate c.7. n.12.* vbi sic ait: Infertur quòd etiamsi quis proditoriè occiderit infidelem, non propterea est priuandus immunitate ista, quia si assassinus debet gaudere ea, si assassinat infidelem, multò magis proditor, cùm maius sit assassinium proditione. Ita Ambrosinus, quem sequitur Martinus Bonacina *in Decalogum disp.3.quæst.7.punct.6.§.3. num.6.* qui ait: Ille infidelis, strictè loquendo, non videtur noster proximus, cùm nobiscum non communicet in fide, in Sacramentis, & in Ecclesia: ergo non includitur in Bulla Gregor. & ideò hanc opinionem tamquam probabilem & fauorabilem immunitati Ecclesiæ in praxi amplectendam esse puto.

Notandum est etiam hîc obiter, occidentem infidelem pretio conductum non esse assassinum, & gaudere immunitate Ecclesiæ. Ita Ambrosinus vt visum est cum Castro Palao *loco citato, num.35.* & aliis penès ipsum, contra Farinacium *in append. c.8. n.120.* Decianum *lib.6.cap.28.n.18.* & alios.

RESOL. CVI. *An qui detentus à birruariis adhuc intrat Ecclesiam, gaudeat eius immunitate?*

NEgatiuam sententiam docet nouissimè Antonius Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunitate Ecclesiast. num.14.* vbi sic ait: Detentus à birruariis, si ita detentus vim faciendo traxisset secum birruarios intus Ecclesiam, non gaudebit immunitate, nisi liber, & solutus euasisset manus familiæ. Ita ille.

Sed ego alibi bis affirmatiuam sententiam docui, cum Mario Italia, & Farinacio, & nunc iterùm doceo cum Castro Palao *in opere morali tom.2. de immunitate disp.vnica, punct.7. num.11.* vbi ita asserit: Infertur, si captus à ministris, ex eorum manibus in locum sacrum te recipias, immunitate gaudere; quod credo extendendum esse, etiamsi per vim tecum ferres ministros iustitiæ, semper enim verum est ad Ecclesiam confugere, ac proinde illius debes immunitate gaudere. Sic ille.

RESOL. CVII. *An si quis ex subita rixa & occasione occidit, vel mutilat aliquem in Ecclesia, gaudeat eius immunitate?*

NEgatiuè respondet Castrus Palaus *tom.2. disp. vnica, de immunitate Eccles. punct.9.n.12.* qui citat Suarez, Bonacinam, Nauarrum, Clarum, Germonium & alios, quia quis puniri debet in eo, in quo deliquit, & Pontifex in Bulla sine vlla distinctione asserit absolutè mutilantes & occidentes in Ecclesia, non gaudere eius immunitate. Verùm non desunt Doctores affirmatiuam sententiam docentes, quam ego docui *in part.1.tract.1.resol.11.* vide etiam Marium Italiam *de immunit. lib.1. cap.5. num.24. & seq.* Cardinalem Tuschum *ver. Ecclesiæ, concluf. 11. num.13. & 14.* Azorium *part.2. lib.9. cap.9.sub quæs.9.* Vnde nouissimè, me citato, Antonius Nouarius *in summa Bullarum tit.de immunit. Eccles.nu.58.* docet quòd committens homicidium, vel membrum mutilans accidentaliter calore iracundiæ prouocatus, non autem deliberatè, gaudebit Ecclesiæ immunitate. Sic ille, qui etiam *num.51.* tenet existentem in Ecclesia & mutilantem & occidentem existentem extra Ecclesiam, gaudere eius immunitate; quod à nobis alibi tactum est, licet Castrus Palaus *vbi suprà num.14.* contrarium doceat; qui tamen *num.18.* rectiùs docet, quòd si vi, dolo, & fraude aliquem ex Ecclesia extraxeris, & extractum occidas, immunitate minimè prioreris, quidquid in contrarium asserat Farinacius *in append. cap.16. nu. 232.* & Azorius *part.2.lib.9.cap.9.quæs.14.* quia licet in Ecclesia dedisti causam occisionis, non dedisti tamen causam occisionis necessariam, cùm liberè posteà occideris; ergo non eris priuandus immunitate.

RESOL. CVIII. *An campanile Ecclesiæ, etiamsi sit ab ipsa disiunctum, gaudeat eius immunitate?*

AFfirmatiuè respondet nouissimè Antonius Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunitate Eccles. num.26,* vbi sic ait: Sed quid dicendum de campa-

campanili Ecclesiæ? Prima facie dicerem quòd si esset adiunctum Ecclesiæ, nec pateretur diuisionem, gaudere eius immunitate. Imò quamuis esset diuisum ab Ecclesia, adhuc censerem gaudere debere immunitate, cùm videamus palatium Episcopi, licet diuisum sit ab Ecclesia, gaudere dicta immunitate; & campanile habet plus spiritualitatis, quàm palatium Episcopale, dum ibi adsunt campanæ Oleo sanctissimo consecratæ, & exercentur opera pia, quando pulsantur in Dei honorem, & vulgò appellatur *Turris sacra*. Ita ille.

Sed hæc opinio mihi non placet, & ad exemplum palatij Episcopi respondeo quòd ad illud extenditur immunitas, non ratione loci, sed ratione personæ & dignitatis Episcopalis, & ideò quamuis distet longissimè ab Ecclesia, gaudet immunitate, & quamuis in eo non adsit Oratorium, in quo sacrificium Missæ celebretur, vt *suprà* satis probatum est. Ad id verò quod asseritur quòd in campanili exercentur opera pia quando pulsantur campanæ in Dei honorem; respondeo quòd non omnia loca in quo exercentur opera pia, gaudent immunitate; nam in Oratoriis priuatis domorum celebratur sacrificium Missæ, & in illis sæculares confitentur, & Eucharistiam accipiunt, & tamen, vt patet, non gaudent immunitate, vt determinauit sacra Congregatio Episcoporum *die* 17. *Nouembris* 1617. & Congregatio immunitatis *die* 9. *Decembris* 1631. Igitur solùm in vno casu sententiam Nouarij admitterem, videlicet quando campanile disiunctum ab Ecclesia, esset tamen intra triginta passus. Moueor ad hanc opinionem tenendam ex simili casu determinato à sacra Congregatione immunitatis *die* 7. *Decembris* 1632. sub his verbis, Immunitate gaudet arriga, siue campana Ecclesiæ, ab ea tamen distans, sed intra triginta passus, quæ solummodò inseruit pro seruitio Ecclesiæ.

Notandum est tamen hîc obiter contra Doctores quos citat Decianus *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 28. *&* 30. Cœmeterium disiunctum & separatum ab Ecclesia, hoc non obstante, gaudere eius immunitate, quia eo ipso quòd sepulturæ fidelium destinatum est, præsumitur benedictum esse, & auctoritate Episcopali sacratum. Ita DD. quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom.* 2. *disp. vnica, de immunitate Eccles. punct.* 6. *num.* 16.

RESOL. CIX. *An qui conductus pecunia occidit inimicum mandantis, præsente ipso mandante, gaudeat immunitate Ecclesiarum? & quid de mediatore assassini?*

ARfirmatiuè respondet Hieronymus Gabriel *lib.* 1. *consil.* 170. & Castrus Palaus *tom.* 2. *disp. vnica, de immun. Eccles. punct.* 9. *nu.* 36. quia tunc occisor auxilium videtur præstare mandanti, ipseque mandans videtur ibi esse præcipuus occisor; cùm autem ab eo se debebat occisus præcauere, non censetur illa occisio proditoriè facta, ac proinde nec digna immunitatis priuatione. Ita Castrus, & ego *in part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 23.

Notandum est etiam hîc obiter, mediatorem, seu proxenetam assassinij gaudere immunitate Ecclesiarum, quia non dicitur verus assassinus. Ita nouissimè Antonius Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. n.* 72. qui citat alterum Nouarium, Rouitum & Gambacurtam.

RESOL. CX. *An mortuo Episcopo inuentarium pro spolio possit fieri à Iudice laico?*

AFfirmatiuè respondet Guttierez *in pract. qq. lib.* 2. *quæst.* 49. *num.* 3. Cabedo *decis.* 83. & Ceuallos *de cognit. per viam violent. part.* 2. *quæst.* 78. *nu.* 13. vbi sic ait: *De aqui se saca la practica de inuentariar los corregidores la hazienda de los Obispos, y Arçobispos, y si esto se les impidiere que se saque la ordinaria por via de fuerca del Consejo Real, adonde se mandan alcar las censuras, y se remire la causa al Iuez seglar, para effecto de pagar las deudas de criados y otras cosas tocantes al buen gouerno.* Sic ille.

Sed tale inuentarium à Iudice Ecclesiastico faciendum esse existimo cum Marta *de iurisd. part.* 4. *cas.* 122. *nu.* 15. & Franc. Marco *in Delphin. decis.* 105. *part.* 1. Ratio est clara, quia tam mortui, quàm successores dictorum bonorum sunt personæ Ecclesiasticæ: nam in tali casu ex morte, v.g. alicuius Episcopi, vel ad dicta bona succedunt Episcopi eligendi, vel Ecclesia, vel Camera Apostolica, quæ quidem omnes sunt personæ prorsus exemptæ à iurisdictione laicorum. Ergo nescio quomodo in tali casu inuentarium supradictorum bonorum possit fieri à Iudice laico, qui nullam habet in dictas personas, nec in eorum bona iurisdictionem. Et ita hanc sententiam post hæc scripta inueni docere nouissimè ex Doctoribus Hispanis Augustinum Barbosam *de iure Pontificio lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 88.

RESOL. CXI. *An filij Clericorum gaudeant priuilegio fori Ecclesiastici?*

PRo affirmatiua sententia *in* 3. *part. tract.* 1. *resol.* 7. adduxi plures Doctores; sed scio hanc sententiam displicuisse cuidam ministro Regio, viro doctissimo & amicissimo; immeritò quidem, nam illam præter Doctores *vbi suprà* citatos tenet nouissimè Augustinus Barbosa *de iure Pontificio lib.* 1. *c.* 39. *§.* 2. *num.* 62. vbi etiam testatur sacram Cardinalium Congregationem *die* 18. *Martij* 1631. nostram sententiam declarasse, nempe Clerici filium legitimum ante Clericatum susceptum gaudere priuilegio fori durante vita eius patris.

Notandum est etiam hîc obiter supradicto ministro Regio displicuisse aliam sententiam, quam docui *in dicta* 3. *part. tract.* 1. *resolut.* 43. nempe Clericos non ligari statuto laicorum edito super iure quod vocant congrui; sed ego illam iterùm doceo, cùm ita decisum sit à sacra Rota *in Romana domo de Scapuciis* 19. *Ianuarij* 1611. coram Illustrissimo Domino meo Coccino, viro doctissimo & publico bono nato, quam decisionem affert Marchesanus *de commiss. part.* 1. *cap. de commiss. appell. in possess. salu.* §. 2. *decis.* 8. Dicendum est igitur nullatenus laicum validè posse quidquam statuere circa vtile dominium emphyteutæ Ecclesiæ; quidquid in contrarium asserat Valascus *de iure emphyteut. quæst.* 17. *num.* 12. *&* 14. Gratianus *discept. forens. cap.* 460. *num.* 26. & alij.

Et tandem nota etiam hîc contra Chassaneum

in consuet. Burgun. rubr. 11. §. 1. vers. lors, n. 9. quòd Clericus emphyteuta non est conueniendus coram Iudice laico ad solutionem laudemij, sed coram Ecclesiastico. Ita Maurus Burgius *de laudemio part. 3. inspect. 1. num. 4.* & Amadeus à Ponte *eodem tract. quæst. finali, num. 5.*

RESOL. CXII. *An Episcopus, quando cognoscit si reus gaudeat nécne immunitate Ecclesiarum, debeat illum citare?*

NEgatiuam sententiam docet Antonius Nouarius *in summa Bullarum, tit. de immunita. Eccles. num. 96.* vbi testatur de praxi curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ, & citat Merlinum *in controuersiis forensibus.*

Sed affirmatiuam sententiam tuetur noster Peregrinus *tract. de immunit. Eccles. cap. 3. à num. 9. vsque ad num. 18.* & mordicus sustinet hanc sententiam nouissimè Castrus Palaus *tom. 2. disp. vnica, de immunit. punct. 13. num. 11. & 12.* vbi respondet ad argumenta contraria, & ait praxim in contrarium, si alicubi extaret, abrogandam esse, vtpote iuri naturali contrariam.

Verùm quidquid sit de hoc, certum est, quòd si reus sponte compareat non citatus, petatque audiri pro sui iuris defensione, omnino audiendus est; & in hoc casu, quousque audiatur se potest opponere sententiæ Episcopi declarantis immunitatem illi non competere; agitur enim de graui eius præiudicio, & de iure naturæ competit ei defensio. Ita Castrus & Peregrinus *locis citatis.*

Notandum est etiam hîc obiter Episcopum non posse tradere curiæ sæculari reum extractum ab Ecclesia ex præsumptionibus & coniecturis probabilibus, sed concludentem probationem requiri de delicto in Bulla excepto. Ita DD. quos ego ipse citaui *in 3 part. tract. 1. resolut. 38.* quibus nunc addo Castrum Palaum *vbi suprà num. 8.* qui etiam *num. 9.* docet quòd in tali casu Episcopus non tenetur stare processui facto à Iudice laico.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Irregularitate.

RESOLVTIO I. *An adulter irregularis fiat si maritus cognito adulterio interficiat vxorem?*

PRIMA opinio affirmat, ita Nauarrus *cap. 27. nu. 238.* Gutierrez *in quæst. canon. lib. 2. cap. 6. num. 42.* Sayrus *de censur. lib. 6. c. 17. nu. 14. in fine.* Vnde Io. de la Cruz *in director. part. 2. de irregular. dub. 11. concluf. 4.* sic ait: Qui ob litteras amatorias missas adulteræ, aut ex eo quòd eam insequitur, est in causa quòd adultera à marito occidatur, tunc adulter fit irregularis. Et patet, nam illa insecutio adulteræ, cum suis circumstantiis considerata est periculosa & satis ordinata ad mortem, attento feruore zelotypiæ, qui ad vindictam mortis sumendam de adultera rapit virum. Sic ille.

Secunda opinio negat, & ita tenet Couarruuias *part. 4. num. 10.* Castrus *lib. 2. de lege pœnali cap. 14.* Aragonius *in 2. 2. quæst. 64. art. 8.* Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 3. num. 363.* nam adulterium, vt tenet se ex parte adulteri, non ordinatur per se ad homicidium adulteræ: ergo.

Tertia opinio distinguit, nam aut adulter temerè se ingerendo exposuit adulteram mortis periculo, & in tali casu procedit prima opinio affirmatiua: aut verò adulter cautè, & arbitrio prudentis conuenienti diligentia adhibita commisit adulterium, & tunc procedit opinio secunda. Ita Filliucius *tom. 1. tract. 20. cap. 3. num. 80.* vbi testatur de praxi Pœnitentiariæ. Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 10. num. 2.* Suarez *de censur. disp. 45. sect. 6. num. 5.* & Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 3. dub. 2. concl. 1. n. 3.*

Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, & secundam negatiuam absolutè præter DD. citatos tuentur Auila *de censur. part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 3. concl. 2.* & Megala *de cens. lib. 7. cap. 2. quæs. 5. num. 81.* vbi ita asserit: Dubitari hîc potest, an irregularitatem contrahat adulter, qui ita imprudenter accedit ad vxorem alterius, vt probabiliter exponat illam periculo mortis? Et videtur esse respondendum affirmatiuè, siquidem si tunc mors sequatur, quamuis illam per se noluerit adulter, voluit tamen in causa moraliter data homicidio. Tu verò dicas adulterum non esse irregularem, quia ad contrahendam irregularitatem ex homicidio casuali proueniente ex opere illicito, non sufficit quælibet causa, sed necessariò requiritur, vt alterum ex his interueniat, vel vt opus illud per se sit aptum ad inferendum homicidium, vel vt sit causa immediata illius: sed adulterium nec per se est aptum ad inferendum homicidium, nec est causa immediata illius; ergo adulter non erit irregularis. Sic Megala *loc. cit.* Vide etiam Turrianum *de censur. lib. 9. disp. 63. dub. 4.* & Præpositum *in 3. part. quæst. 5. de irregularit. dub. 11. num. 88.*

RESOL. II. *An adulter efficiatur irregularis si maritum aggressorem causa necessariæ defensionis occidat?*

ESse irregularem docuit Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 21. diffic. 24. num. 4.* vbi sic ait: *El que dio à otro vn bofeton, aunque no pueda euitar la muerte si no es huyendo, si mata el otro queda irregular porque pudo euitar la muerte euitando la iniuria y lo mismo iusgo del adultero que fue hallado en adulterio y el marido le pretende matar, que en tal caso aunque para librarse de la muerte el le mate queda irregular, pues lo pudo excusar con excusar el pecado.* Ita ille, & ante illum Nauarr. *cap. 27. num. 238.* Molina *de iust. tract. 3. disp. 72. num. 5.* Vgolinus *de irregular. cap. 29. §. 3. num. 3.* Maiolus *de irregularit. lib. 5. c. 48.* Philiarcus *de offic. sacerd. part. 1. lib. 4. cap. 11. §. 3.* Gutierrez *in canon. lib. 2. cap. 6. num. 43.* & alij penes Doctores *infrà* citandos, quia adulterium est de se illicitum, & via quædam ad homi-

homicidium perpetrandum, & ideò præuideri poterant & debuerant ab occidente huiuſmodi effectus.

Verùm his non obſtantibus, negatiuam ſententiam docet Sotus *de iuſtit. lib.5. quæſt.1. art. 9.* & alij decem DD. quos adducit & ſequitur Sayrus *de cenſur. lib.6. cap.17. num.18.* quibus ego addo Petrum Cornejo *in 3.part. D.Thomæ tract.5. de irregul. diſp.4. dub.1. quæſt.3.* Iacobum Gordonum *in Theolog. mor. tom.2. lib.7. quæſt.18. cap.10. §.2.num.72.* Auilam *part.7. diſp.5. ſect.3. dub.3. concl.1.* Turrianum *de cenſuris lib.9.diſp.65.dub.2.* Leſſium *lib.2.cap.9. dub.15.nu.106.* Mercadum *de contract.lib.6.cap.4.* & nouiſſimè Hurtadum *diſp.2.de irregular.diffic.10.n.36.* vbi ſic ait: Quamuis occidens dederit occaſionem alteri vt ipſum inuadat, vt adulterando cum vxore inuadentis, non eſt irregularis. Ratio eſt, quia ex Clem. *ſi furioſus, de homicidio*, abſolutè & ſine vlla diſtinctione habetur, quòd qui ſe inuadentem occidit pro defenſione propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ, non eſt irregularis: ergo, &c. Dicendum eſt igitur abſolutè quòd etiam quando quis ſua culpa ſe ingeſſit in neceſſitatem, vt ad defendendam vitam ſuam opus ſit occidere inuaſorem, non eſt irregularis. Vnde ex his Sayrus benignè multos caſus interpretatur. Primò quando quis alterum ignauiæ accuſat, vel ad pugnam prouocat opprobriis. Secundò quando quis furatur, & poſteà volendo deſiſtere à furando occidit dominum bonorum volentem illum occidere. Tertiò quando quis iuit ad bellum iniuſtum, poſteà verò vt propriam vitam defenderet, occidit militem contra ſe venientem. Quartò quando quis ingerit ſe volendo eripere reum à miniſtris iuſtitiæ, vel impedire ne capiatur ab eis, & poſteà opus eſt vt ſe defendat à dictis miniſtris volentibus ipſum occidere, & defendendo ſe occidit aliquem. In his & ſimilibus caſibus dicendum videtur ſupradictos non incurrere irregularitatem, vt obſeruat Sayrus *loco citato*; ſed an probabiliter, remitto me iudicio aliorum, aliqui enim non approbant dictos caſus, vt videre eſt apud Petrum Cornejo *in 3.part.D.Thomæ tract.5.de irregular.diſp.11.dub.2.quæſt.3.*

Non deſinam tamen hîc adnotare Coninch *de Sacram. diſp.8. dub.9. num.64.* Layman *ſect.5. tract.3. cap.10.num.1.* Suarez *de cenſur. diſp.46. ſect.1.num.12.* ſupradictas pugnantes ſententias fœdere diſtinctionis reconciliare, aſſerunt enim tunc talem fieri irregularem, quando potuit antè præuidiſſe ex tali occaſione ſe futurum in morali periculo aut occumbendi, aut occidendi. Secus autem eſſe, quando omnino ſibi perſuadebat nullum tale periculum hîc & nunc ſubeſſe, quia in priori caſu homicidium fuit voluntarium in cauſa, ſecus autem in ſecundo: ſed abſolutè ſecundam ſententiam negatiuam probabilem eſſe puto cum Portel *in dubiis regular. ver. homicidium, num.32.* dummodò, vt obſeruat Turrianus *loc. cit.* homicidium fiat ſine peccato, & cum moderamine.

RESOL. III. *An quis efficiatur irregularis ſi fugiendo potuit mortem euadere, & maluit inuaſorem occidere?*

AFfirmatiuè reſpondet Syluius *in 2.2.quæſt.64. art.7.quæritur nonò, concl.1.* Vega *en eſpejo de curas tom.2. cap.12. §.26. num.254.* Auila *part.7. diſp.5. ſect.3.dub.2.concl.3.* Villadiego *de irregul. cap.6. nu.75.* Layman *ſect.5.tract.3.part.3.cap.9.num.3.* Reginaldus *tom.2.lib.30.tract.2.cap.9.num.105.* Vgolinus *de irregular. cap.29.§..num.3.* Maiolus *de irregular. lib.5.cap.48.num.6.* Nauarrus *cap.27.num.271.* & alij. Ratio eſt, quia *in Clem. ſi furioſus, de homicidio*, excipitur tantùm caſus in quo aliter non poteſt ſe defendere; ergo, &c.

Sed tu contrariam ſententiam tene, quam tuetur Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract.5. de irregular. diſp.4. dub.1. quæſt.4.* Turrianus *de cenſur. lib.9.diſp.65.dub.1.* Hurtado *de irregular. diſp.2. diffic.10.num 36.* Coninch *de Sacram. diſp.18.dub.9.nu.90.* Villalobos *tom.1. tract.21. diffic.24.num.2.* Filliucius *vbi infrà.* Suarez *tom.5. diſp.46.ſect.1.num.6.* Præpoſitus *in 3.part.quæſt.5.de irregul. dub.11. num.87.* Tannerus *in 3.part. diſp.6. quæſt.10. dub.11. nu.210.* Dico igitur, eum qui non potuit euitare occiſionem inuadentis iniuſtè, niſi fugiendo cum dedecore notabili, non eſſe irregularem, quia tunc non tenetur cum tanto detrimento proprio vitare mortem iniuſtè inuadentis, niſi quando inuaſus dedit cauſam grauem inuaſioni, vt quando adulterio, aut verbis contumeliæ incitauit iniuriatum ad inuaſionem. Verùm ſi hæc per accidens conſecuta eſſent, occidentem etiam in hoc caſu non incurrere irregularitatem, docet Filliucius *vbi infrà, num.135.* tunc igitur incurritur irregularitas quando in tali caſu homicidium præuiſum eſt, vel præuideri potuit ab inferente iniuriam. Verùm Cornejo *vbi ſuprà* abſolutè docet, quòd ſi aliquis aggreſſori alapam dedit, aut iniurioſum verbum dixit, aut cum eius vxore inuentus eſt, in tali caſu ſi aggreſſus poteſt fugere, non poteſt ſe licitè defendere occidendo, vnde ſibi imputet infamiam fugæ, cùm ipſe occaſionem dederit, & ideò cogita an opinio Filliucij ſit probabilis, nam contra illum præter Cornejo adeſt etiam Portel *in dubiis regular. ver. homicidium num.32.in fine*, vbi citat Suarez *de cenſ.diſp.46. ſect.1.num.12.*

Nota tamen quòd ex hac doctrina infert Suarez & DD. citati *vbi ſuprà*, Clericum incurrere irregularitatem occidendo inuaſorem ſi non fugiat cùm poſſit, quia Clericis non eſt ignominioſum fugere; & à fortiori idem dicendum eſt de Religioſo, & Sotus *de iuſtit. lib.5. quæſt.2. art.8.* & alij. Idem aſſerunt de homine infimæ notæ, qui nullam incurrit infamiam ex fuga. Verùm ſi in aliquo caſu etiam Clerico fuga eſſet ignominioſa, puto cum Felino *in cap. ſuſcepimus, de homicidio*, non incurritur irregularitas, & ita notat Filliucius *tom.1. tract.20.cap.5.num.133.*

Notandum eſt tamen hîc obiter id quod alibi notauimus, irregularitatem contractam ex homicidio facto in defenſionem ſui, culpabilem non eſſe moraliter indiſpenſabilem, (ſicut contractam ex directè voluntario, in qua ſolus Papa diſpenſat) ſed comprehendi ſub decreto Concilij Tridentini *ſeſſ.24. cap.6.* quia idem Concilium *ſeſſ.14.c.7. de reform.* tam homicidium factum in defenſionem

nem immoderatam, quàm caſuale diſtinguit ab homicidio facto ex induſtria in ordine ad irregularitatem. Et confirmari poteſt ex eo quod Iuriſperiti docent, homicidium factum in defenſionem immoderatam non puniri pœna ordinaria. Et ita hanc ſententiam tenet Mercerus *de Sacram. in 3. part. D. Thomæ quæſt. 24. dub. 7. propoſ. 1.*

RESOL. IV. *An ſit irregularis qui occidit inuaſorem in defenſionem bonorum temporalium, honoris, pudicitiæ, &c.*

ESſe irregularem tenet Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 3. dub. 4.* Nauarrus *cap. 27. num. 209. & 213.* Villadiego *de irreg. cap. 6.* & ratio eſt, quia *Clem. ſi furioſus*, ſolùm excipit eum, qui non poteſt aliter defendere propriam vitam: ergo. & ita hanc ſententiam nouiſſimè docet Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 9. num. 107.* Salonius *in 2. 2. quæſt. 64. art. 8. controu. 2. concl. 1.* & Bannez *eodem art. dub. 2. & 3.* Vega *en eſpejo de curas tom. 2. cap. 22. quæſ. 26. nu. 255.* Layman *ſect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 9. nu. 3.* vbi citat Abbatem, Sylueſtrum, D. Antoninum, Armillam, Guttierez, Molinam, Henriquez, & alios.

Sed ego contrariæ ſententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. diſp. 4. dub. 1. quæſt. vlt.* Portel *in dubiis regul. ver. homicidium, n. 34.* Gordonus *in Theol. mor. tom. 2. lib. 7. quæſt. 18. cap. 10. §. 3. num. 73.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 21. diffic. 24. nu. 8.* Filliucius *tom. 1. tract. 20. cap. 5. nu. 150.* Caſtrus *de lege pœn. lib. 2. cap. 14.* Sotus *lib. 5. quæſt. 1. art. 8.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 5. de irregul. dub. 11. nu. 90.* Tannerus *in 3. part. diſp. 4 quæſt. 10. dub. 11. num. 210.* Hurtado *diſp. 2. de irregular. diffic. 10. num. 36.* Mercerus *de Sacram. in 3 part. D. Thomæ quæſt. 24. dub. 7. propoſ. 2.* Coninch *de Sacram. diſp. 18. dub 9. num. 88. concl. 4.* Turrianus *de cenſ. lib. 9. diſp. 65. dub. 3.* Suarez & alij penes ipſos: quia tale homicidium non eſt peccatum, vt clarè patet: ſed propter priuatum homicidium non eſt impoſita irregularitas niſi quando eſt peccatum, vt latè probat Suarez, Tannerus, Præpoſitus, & alij; ergo, &c.

Nota tamen in tali caſu eſſe licitam defenſionem ſine metu peccati & irregularitatis, ſi adſint aliquæ conditiones. Prima, vt nocumentum temporale ſit graue, & actu iniuſtè inferatur. Secunda, vt non ſit reparabile, vel cum tanta difficultate, vt ob eam cenſeatur graue nimis detrimentum. Tertia, vt verè ſit defenſio & moderata. Quarta, vt non poſsit alio modo fieri defenſio niſi per mortem aggreſſoris. Ad Canones verò, quos pro affirmatiua ſententia adducunt DD. reſpondet optimè Coninch, Mercerus & Turrianus *locis citatis.*

RESOL. V. *An incurratur irregularitas propter defenſionem licitam proximi?*

INcurri putat Layman *ſect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 9. num. 3.* qui citat gloſſam, Nauarrum, Abbatem, Sylueſtrum, & ante Layman ex eadem Societate Ieſu docuerat hanc ſententiam Stephanus de Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 3. dub. 4.* Vide etiam Bizozerum *in ſumma cap. 5. de cenſuris num. 2.* Maiolum *de irregul. lib. 5. c. 48. n. 9.* & ratio eſt, quia talis caſus non excipitur in dicta Clement. *ſi furioſus.* ergo, &c. Deinde æquè eſt diligenda vita vtriuſque proximi.

Sed contrariam ſententiam docet Couarruu. Maior, & Suarez, quos citat & ſequitur Turrianus *de cenſur. lib. 9. diſp. 65. dub. 4.* quibus ego addo Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. diſp. 4 dub. 1. quæſt. 11.* Mercerum *de Sacram. in 3. part. D. Thomæ quæſt. 24. dub. 7. propoſ. 3.* Tannerum *in 3. part. diſp. 6. quæſt. 10. dub. 11. num. 210.* Hurtadum *diſp. 2. de irregular. diffic. 10. num. 36.* Coninch *de Sacram. diſp. 18. dub. 9. num. 83. concluſ. 3.* Dico igitur non eſſe irregularem qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit alterum in defenſionem proximi innocentis, præſertim ſibi propinqui; & hoc verum eſſe puto, non ſolùm in caſu, quo defenſio innocentis cadit ſub obligatione, ſed etiam quãdo tantùm eſt licita, & ita præter DD. citatos tenet etiam hanc ſententiam Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 21. diffic. 24. num. 11.* & Filliucius *tom. 1. tract. 20. cap. 5. num. 159. & 160.* ad auctoritatem verò Clement. *ſi furioſus*, ſæpiùs adductam reſpondeo, quòd non adducit ius nouum, quod declaret antiquum, & argumentum à contrario ſenſu eſt inefficax in hac materia.

RESOL. VI. *An ſit irregularis, qui occidit inuaſorem ne grauiter vulneretur?*

NEgatiuè reſpondeo cum Hurtado *diſp. 2. de irregular. diffic. 11. num. 36.* Salonio *in 2. 2. quæſt. 64. art. 8. contr. 2. concluſ. 1.* Sayro *de cenſ. lib. 6. cap. 17. num. 4.* quia ita ſe defendens vitam ſuam tuetur, cùm hoc ad vitæ conſiſtentiam pertineat; & ideò Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 21. diffic. 24. num. 7.* ſic aſſerit: *No ſe incurre irregularidad quando no ay peligro de muerte ni mutilacion ſi le ay de graue percuſsion como ſi le yua à dar de palos y no lo pudo euitar de otra manera.*

Vnde aliqui putant contra Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. diſp. 4. dub. 1. quæſt. 7.* & Auilam *de cenſ. part. 7. diſp. 5. ſect. 3. dub. 1.* qui citat Nauarrum, quòd occidens inuaſorem ad ſe defendendum à graui deformitate vultus non incurrit irregularitatem, & ita tenet Sayrus *vbi ſuprà*, & magis in terminis Martinus Bonacina *de cenſ. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 6. num. 8.* quia homo tanti facit grauem vultus deformitatem, quanti grauem diuitiarum iacturam; ſed, vt dictum eſt, poteſt quis ad defendendas ſuas diuitias occidere inuaſorem: ergo, &c. Adde quòd graue vulnus in facie magnum dedecus & infamiam affert: & ita hanc ſententiam ante Bonacinam docuerat Henriquez *lib. 14. cap. 10. num. 3.* Notandum eſt tamen hîc obiter contra Nauarrum *lib. 5. conſil. 33. de homicidio*, quòd qui verbis, vel factis iniuriando aliquem dedit occaſionem rixæ, ſi illum occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrere irregularitatem. Ita Mercado *de contr. lib. 6. cap. 4.* & Auila *vbi ſuprà*, quia iniuria non dat ius alteri vt quis ſe vindicet manu propria.

RESOL. VII. *An non impediens homicidium quod tenetur ex iuſtitia impedire, incurrat irregularitatem?*

Hic

HIc casus frequenter potest accidere, & affirmatiuam sententiam tenet Auila *de cens. part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7. concl. 2.* vbi citat Sylvestrum, Nauarrum, Henriquez, Rodriquez, Felinum & alios, quibus ego addo Mercerum *de Sacram. in 3. part. D. Thomæ quæst. 24. dub. 6. ad 2.* Bagnes *in 2. 2. quæst. 64. art. 8. dub. 1. part. 2. concluſ. 4.* Paulum Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 2. nu. 7.* Megalam *3. part. lib. 7. cap. 2. quæſ. 5. nu. 89.* Coninch *de Sacrament. disp. 18. dub. 8. nu. 71.* Vega *en espejo de curas tom. 2. cap. 12. §. 26. nu. 274.* Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 22. nu. 16.* Sayrum *de cens. lib. 7. cap. 4. n. 3.* & Bonacinam *de cens. disp. 7. quæst. 4. punct. 8. nu. 37.* qui citat Suarez, Filliucium, Reginaldum, Toletum, asserentes quòd quotiescumque omissio, seu permissio homicidij est solùm contra charitatem, non incurritur irregularitas, licet omissio illa sit peccatum. Si verò omissio sit contra iustitiam, qua quis vel ex officio, vel ratione stipendij, vel alicuius obligationis factæ alium à morte, vel mutilatione defendere tenetur, tunc incurritur irregularitas ex homicidio secuto ex illa omissione; & ratio est, quia in tali casu quis censetur causa moralis homicidij, priuat enim alium iure suo, & re sibi necessaria ad sui defensionem, vnde consequenter moraliter influit in homicidium. Vnde ex hac doctrina supradicti DD. inferunt, quòd Iudex, vel alius Gubernator, per omissionem non defendens innocentem si occidatur, vel mutiletur, incurrit irregularitatem. Idem de aliis ministris iustitiæ, qui ex officio tenentur. Sic etiam dicendum est de illis, qui ex officio & iuramento assumpserunt custodiam viarum, vt viatores tutò possint itinerari, si dolosè quemquam occidi permittant; & similiter qui ex promissione se obligauit ad defendendum aliquem. Idem dicendum est de aliis personis, quæ ex subiectione tenentur defendere suos superiores, vt sunt filij, serui, vasalli, & è contrà domini, parentes, &c. Item Aduocatus, vel Procurator assumptum patrocinium rei dolosè deserens, si reus ob desertionem damnetur ad mortem. Idem dicendum est de teste, qui productus & legitimè citatus dolosè tacet veritatem, vnde posteà reus morte damnatur. Item Medicus si officium suum non exequitur, & sit stipendio conductus, & infirmus moritur. In his & similibus casibus supradictos incurrere irregularitatem, tenet Sayrus & DD. cit. quibus etiam adde Fernandez *in medulla part. 2. cap. 10. §. 14. n. 11.*

Verùm his non obstantibus (attendas quæso amice Lector) ingeniorum phœnix Gabriel Vasquez contrariam sententiam docuit, quam nouissimè tuetur Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 9. nu. 34.* vbi sic ait: Vasquez in manuscripto docet non impedientem homicidium iniustum non esse irregularem, etiamsi teneatur ex iustitia, & quamuis ex dolo non impediat, & meritò, quia etiamsi iste non impediens influat moraliter & voluntariè in homicidium, & sit causa moralis & voluntaria homicidij quod non impedit, non tamen est causa positiua positiuè influens, nec opere aliquo, nec auxilio, nec consilio: in iure autem non fertur irregularitas nisi contra verè & positiuè homicidas, saltem consilio, aut animatione, non contra non impedientes homicidium, quod etiam est verum quamuis occidens id efficiat ad vindicandam iniuriam illatam non impedienti, quamuis non contradicenti verbis ei, qui occidit, quia etiam tunc permittens, seu non impediens non influit positiuè. Ita Hurtado, qui citat etiam D. Antoninum & Tabienam, & hanc sententiam ex Neotericis docet etiam Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 63. dub. 3.* quia, ait ille, licet talis peccet contra iustitiam, tamen non dicitur in iure propriè occisor, neque dicitur propriè dedisse causam homicidio, sed tantùm est per accidens non prohibendo. Item quia sicut non diceretur excommunicatus, qui ex iustitia tenebatur impedire Clerici percussionem, & non impediuit, nisi esset expressum *in cap. quanta, de sent. excommun.* ita non est dicendus ille irregularis. In eo autem capite non excommunicantur omnes, qui non impediunt, sed qui dolo non impediunt percussionem Rectoris Ecclesiæ. Item quia licet peccat contra iustitiam non impediens, tamen non debet puniri eadem pœna cum ea qua punitur ille, qui positiuè operatur. Vnde sicut in iure non dicitur fur, qui non impedit furtum, sic etiam non dicitur homicida, qui non impedit homicidium, & ita sensit P. Vasquez *in manuscripto tract. de irregular.* hæc omnia Turrianus, & hanc sententiam probabilem putat Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 8. nu. 71.* nam affirmatiuam sententiam, quam ipse tenet, vocat tantùm satis probabilem. Imò hanc opinionem negatiuam esset probabiliorem quàm affirmatiuam, tenet nouissimè Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 10. num. 79.* Quid ego sentiam dicam breuiter. Prima opinio est communior & probabilior; secundam verò puto probabilem, vnde si quis illam sequi vellet, non damnarem.

Notandum est hìc à fortiori contra Suarez *to. 5. disp. 45. sect. 4. num. 3.* Vegam *en espejo de curas tom. 2. cap. 22. §. 26. num. 275.* Megalam *in 3. part. lib. 7. c. 2. quæſ. 5. nu. 90.* Sayrum *de cens. lib. 7. cap. 4. nu. 8.* & alios penes ipsum non esse irregularem qui per vim, vel dissuasionem impedit, ne aliquis impediat hominis occisionem, & ita tenet Auila *part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7. concl. 2. §. ex dictis.* quem sequitur Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 4. num. 7.* Sed circa præsentem materiam olim mihi tale dubium propositum fuit,

RESOL. VIII. *An sit irregularis Sacerdos qui sciens mulierem prægnantem à se redditam, abortum procurare, illam impedire non studet?*

AFfirmatiuè respondet Sylvester, Nauarrus, Suarez, Sanchez, Reginaldus, Bonacina, Sà, quos citat & sequitur nouissimè Aloysius Bariola *in aphor. lit. I. ver. irregularis est Sacerdos.* quibus ego addo Portel *in dubiis regul. ver. abortus, num. 14.* Rodriquez *in summa to. 1. cap. 5. ad finem.* Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 4. num. 7.* & Auilam *part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7. concluſ. 2. §. sequitur quartò*; & ratio est, quia tamquam pater tenetur titulo iustitiæ vitam seruare filio.

Verùm ego olim, vt dixi, de hoc casu interrogatus respondi negatiuam sententiam etiam probabilem

bilem eſſe. Primò ex doctrina, quam adducit Vaſquez, Hurtado & Turrianus *in ſuperiori reſol.* nempe ſi quis non impedit homicidium, quod impedire tenetur ex iuſtitia, non eſſe irregularem. Secundò, quia ſatis probabiliter Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 13. nu. 94* docet patrem non teneri defendere vitam filiorum lege iuſtitiæ, ſed pietatis, & officij paterni; ergo, &c.

RESOL. IX. *An quis incurrat irregularitatem ſi ſciens non contradicat volentibus alium occidere in vindictam iniuriæ ei illatæ?*

AFfirmatiuè reſpondet Vega *en eſpejo tom. 2. c. 12. §. 26. nu. 275.* vbi ſic ait: *El que recebio iniuria de otro y vee à ſus deudos y amigos querer vengar la iniuria, y el no lo prohibe quanto puede, ſino conſiente ſi ſe ſigue muerte ò cortamiento de miembro eſta obligado de culpa y es irregular. Otra coſa ſerà ſi lo eſtoruo quanto pudo.* Ita ille.

Verùm quia hic caſus frequenter poteſt accidere, non deſinam hic adnotare contrariam ſententiam docere ex Vaſquez Turrianum *de cenſur. lib. 9. diſp. 63. dub. 4.* & Hurtado *diſp. 2. de irregular. diffic. 9. num. 34. in fine.* quia in tali caſu permittens homicidium, ſeu illud non impediens, non influit poſitiuè; ergo non eſt irregularis: quod eſt valdè notandum, quia quotidianum, & fundatur in doctrina ſuperiùs poſita, quòd non impediens homicidium non incurrit irregularitatem. Hinc à fortiori infertur contra Barboſam *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 12. cap. 17. n. 3.* Riminaldum iuniorem *conſil. 441. n. 31. vol. 4.* Oſaſcum *deciſ. 104. nu. 5.* & alios, non eſſe irregularem, qui rixam habens cum Titio admonet accurrentes in ſui auxilium, ne quid mali Titio inferant. Ita Bonacina *de cenſur. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 8. num. 34.* qui citat Auilam, Henriquez & Reginaldum.

RESOL. X. *An ſi vulneratus vulnere non lethali mortuus eſt, Medici, vel propria incuria, incurratur irregularitas?*

AFfirmatiuam ſententiam tenet Nauarrus *c. 27. n. 223.* Molina *tract. 3. diſp. 32. num. 2.* Gutierrez *in can qq. lib. 2. cap. 6. num. 9.* Auila *part. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub 5 concl 2.* Henriquez *lib. 14. cap. 14. nu. 4.* Turrianus *de cenſ. lib. 9. diſp 64. dub. 1.* Layman *ſect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 10. nu. 5.* Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 21. diffic. 23. n. 9.* & alij. Ratio eſt, quia ſi vulnus illatum non fuiſſet, mors non accidiſſet; quare non ſola Medici, aut infirmi incuria, ſed ſimul etiam ipſa vulneratio fuit cauſa mortis; ergo, &c. Imò Villalobos *loc. cit.* aſſerit, *Han ſe de ponderar las palabras del texto* in cap. audientiam de homicidio. in dorſo aliquantulùm vulnerauit, *donde ſe da à entender que haſta herida pequeña ſi de alli reſulto la muerte.*

Sed ego negatiuam ſententiam etiam probabilem eſſe puto, quam docent Sotus *lib. 5. quæſt. 1. art. 9.* Syluester *ver. homicidium 2. q. 22.* Caietanus & Aragon. *in 2. 2. quæſt. 64 art. 8.* Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 5. n. 102.* & Hurtado *diſp. 2. de irregular. diffic. 8. num. 31.* quia etſi vulnus ſit aliqua occaſio, tamen reuerà non eſt cauſa mortis, ſed negligentia Medici, vel ipſius vulnerati, tenebatur enim vterque diligentiam adhibere: ergo illi, qui neglexit, imputandus eſt effectus; & *in cap. ſignificaſti 2. de homicidio*, hoc apertè indicatur. Si verò vulnus fuerit leue, non incurrere in noſtro caſu irregularitatem ita vulnerantem, licet vulneratus moriatur modo, quo *ſupra*, teſtantur Layman, Auila, Villalobos *loc. cit.* quibus adde Coninch *de Sacram. diſp. 18. dub. 9. n. 80.*

RESOL. XI. *Vtrùm qui tradit arma Titio quibus Caium occidit, ſit irregularis?*

AFfirmatiuè reſpondet Bonacina *de cenſ. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 8. nu. 35.* vbi citat Suarez, Filliucium, Molinam, Vgolinum & Felinum, ſi ſuſpicionem aliquam habuit illa peti ad homicidium patrandum, tunc enim occiſio inde ſequens cenſetur ſufficiens voluntaria, ita vt imputetur ad culpam, & ad pœnam irregularitatis ex homicidio caſuali; ſi verò neſciuit, nec ſuſpicatus eſt peti ad malum, excuſatur ab irregularitate.

Non grauabor tamen hîc adnotare ſententiam Gaſparis Hurtado *diſp. 2. de irregul. diffic. 8. nu. 32.* vbi ſic aſſerit: Id tamen quod docet Sayrus & Auila, nempe eum eſſe irregularem qui præbet arma, ſciens, aut timens eſſe ad iniuſtè occidendũ, quamuis verum exiſtimemus, quando ea præbet ex intentione homicidij, quia tunc verè dicitur occidere iuuãdo ad illud, imò id pertinet ad homicidium ex propoſito, quia aſſumit medium vtile ad occiſionem ex intentione occiſionis. Id tamen difficile exiſtimamus, quando ea præbet abſque intentione homicidij, quia tunc non dicitur occidere, nec ad id iuuare, quia tunc tantùm tribuit arma, quibus occidens poſſet benè & malè vti abſque intentione mali vſus, quod non pertinet ad homicidium abſque dicta intentione, quia ita eſt vtile ad homicidium, vt etiam ſit vtile ad alia bona, & ad ſummum id tantùm eſt peccatum ſcandali paſſiui, & contra iuſtitiam ſecundariò, & non obligans ad reſtitutionem damni, ita Hurtado; ſed ne diſcedas à prima opinione.

RESOL. XII *An quis incurrat irregularitatem quando alteri conſilium dedit, vt, v. g. intret in duellum, vel occidat inimicum, & is, cui dedit conſilium, occiſus eſt?*

CAſus poteſt eſſe frequens, & affirmatiuam ſententiam docet Suarez *de cenſ. diſp. 44. ſect 3. n. 18.* à qua nec ſpeculatiuè, nec practicè putat eſſe recedendum. Idem tenet Nauarrus & Coninch penes Hurtadum *vbi infrà*, quibus adde Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregul. diſp. 1. dub. 2. q. 2. n. 3.* Auilam *de cenſ. part 7. diſp. 6. ſect. 2. dub. 5. concl. 4.* Sayrum *lib. 7. c. 3. num. 3.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 21. diffic. 20. num. 10.* vbi ſic ait: *El que aconſejo, ò mando à vno que mataſſe à otro y ſucedio al reues que otro le mato à el queda irregular, la razon es porque aſsi como el que aconſeja à otro que ſe mate ſiguiendoſe el effecto queda irregular, aſsi tambien el que iniuſtamente pone à peligro de muerte, porque en coſas morales lo miſmo es hazer y ponerſe à peligro de hazer; luego lo miſmo ſe ha de dezir de aconſejar y mandar.* Ita ille.

Sed contrariam ſententiam vt probabilem noniſſimè tuetur Turrianus *de cenſ. lib. 9. diſp. 63. dub. 4.* vbi adducendo plures rationes pro hac firmanda ſententia, tandem ſic ait: Noui viros doctiſſimos huius ætatis qui hanc ſententiam vt veram ſecuti

ſunt,

sunt, alij qui vt acutam & probabilem laudarunt, & mihi videtur satis probabilis. Ita ille. & post illũ hanc opinionem docet etiam doctus Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 6. n. 22.* vbi sic ait: Addo contra Nauarrum & Coninch, mandantem, aut consulentem alicui vt occidat alterum (& idem est de mutilatione) non esse irregularẽ adhuc ex homicidio casuali, etiamsi mandatarius, aut consultarius, seu consiliũm accipiens occidatur ab altero, quem inuadit, quia in iure non est lata irregularitas nisi ob mandatum, aut consilium, quo quis mandat, aut consulit alicui vt vel seipsum, vel alterum occidat secuto effectu. In præsenti autem casu mandans, aut consulens non mandat, nec consulit inuadenti occisionem ipsius, sed alterius; sicuti nec mandatarius, aut consultarius seipsum occidit (quãuis constituatur in occasione & periculo vt occidatur ab altero, & ob id peccet contra fortitudinem, quando id timet prudenter,) quia verè non apponit causam ex se ordinatam ad homicidium, & independentem à voluntate aliena, quod erat necessarium vt diceretur seipsum occidere. Hæc omnia Hurtado. Sed sciat etiam Lector hanc sententiam ante Turrianum & Hurtadum docuisse sapientissimum Vasquez *in 1. 2. tom. 1. disp. 100. q. 73. art. 9. dub. 3. nu. 45.* ita asserentem: Qui alteri suaderet furtum, ex quo scit illum puniendum pœna mortis, non incurreret irregularitatem, quia non fuit causa homicidij; irregularitas verò non est in iure inflicta propter consilium, quo quis alterum mouet, vt se morti offerat, sed propter consilium, quo quis mouet aliquem ad occidendum alium, aut etiam seipsum, quia est consilium directè tendens ad occisionẽ ipsam, tametsi in opinione positum sit, vtrùm seipsum occidere sit contra fortitudinem, aut contra iustitiam: consilium autem traditum ei, qui occiditur, quod non tendit ad mortem nisi ratione periculi, quod incautè aggreditur, non videtur in iure prohibitum, nec is dicitur homicida presè & propriè in iure ad effectum irregularitatis, sed ille solùm qui consiliũ præbet occidendi aut seipsum, aut alterum. Ita ille, qui apud me instar multorum est. Vide etiam Henriq. *lib. 14. c. 16. nu. 1.* qui eamdem sententiam docet, quam etiam nouissimè probat Præpositus *in 3. part. q. 5. de irregul. dub. 10. nu. 78.* Vnde hæc opinio satis probabilis remanet aduersus Suarez. Sed tu ne discedas à prima opinione tamquam probabiliori & tutiori, quia iste vt est vera causa moralis, incurrit irregularitatem huius speciei; si verò non intendebat eius mortem, incurreret irregularitatem homicidij casualis.

RESOL. XIII. *An qui homicidium suo nomine factum postea ratum habet, incurrat irregularitatem?*

INcurrere mordicus sustinet Molina *de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 33. membr. 4.* Syluester *ver. homicidium 1. quæst. 7.* Maiolus *de irregul. lib. 5. c. 48. §. 6.* Nauarrus *cap. 27. num. 233.* & multi Iurisperiti, quia, secundùm regulam iuris, ratihabitio mandato comparatur. Sed ex mandato homicidij incurritur irregularitas; ergo, &c. & hanc sententiam tamquam communem docet etiam Fernandez *in medulla part. 2. cap. 10. §. 14. num. 11.* vbi citat Speculatorem, Archidiaconum, Boich, Sylvest. & Rosel.

Sed prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam tenuit Vasquez *in tract. manuscripto de irregular.* vt notat & sequitur Præpositus *in 3. par. q. 5. de irregul. dub. 8. n. 66.* Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 63. dub. 3.* Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 7. num. 25.* Petrus Cornejo *in 3. part. tract. 5. de irregular. disp. 1. dub. 2. q. 3. num. 3.* Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 8. num. 72.* Suarez *de censur. disp. 44. sect. 3. num. 24.* Auila *part. 2. disp. 6. sect. 2. dub. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 16. n. 2.* Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 20. n. 12.* Megala *in 3. part. lib. 7. cap. 2. quæs. 9. n. 85.* Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. c. 4. n. 6.* ponit illud iam factum: sed ista irregularitas infligitur contra eos, qui sunt causa homicidij; ergo, &c. Adde quòd ratihabitio mandato æquiparatur quoad culpam, non autem quoad pœnam, si Superior aliter non disponit, sicut disposuit respectu percussionis Clericorum *in cap. cùm quis, de sentent. excommunic.*

RESOL. XIV. *An mandans homicidium, ad vitandam irregularitatem, non solùm teneatur reuocare mandatum, sed monere occidendum vt caueat, & quid de consulente?*

AFfirmatiuam sententiam docet Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 1. dub. 2. quæst. 2. nu. 2.* Turrianus *de cens. lib. 7. disp. 63. dub. 3.* & Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 6. num. 24.* Ratio est, quia ipse suo mandato in eo periculo constituit occidendum; ergo si non potest efficaciter reuocare mandatum, tenetur monere illum vt caueat, & ita hi Doctores asserunt de consulente.

Sed mihi contraria sententia probabilior videtur, quam tuentur DD. quos citat & sequitur Stephanus de Auila *part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 4. concluſ. 3.* vbi sic ait, Qui consulit homicidium, vt liberetur ab irregularitate debet efficaciùs reuocare consilium, quàm mandatum, quia in mandato agitur res mandãtis, in consilio verò agitur res ipsius consulti, vnde consulens debet conari precibus importunis, ne consilium mãdetur executioni; quòd si non firmiter credat, preces profuturas, debet indicare occidendum in particulari, vel in generali ad arbitriũ viri prudentis vt caueat: at verò mandans non tenetur monere. Ita Auila & ante illum Henriquez *lib. 14. cap. 16. num. 2.* vbi sic asserit, Curet mandans persuadere mãdatariò, vt omnino desistat; sed quia ille non agit nisi in gratiam mãdantis, satis est huic intimasse reuocationem mandati, nec tenetur monere eum, qui periclitatur vt caueat, vt tenetur qui dedit consilium. Hæc Henriquez. Est igitur magna differentia inter mandantem & consulentem in tali casu, & ideò optimè Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 21. diffic. 20. numer. 7.* aduertit, *que no basta para euitar la irregularidad reuocar el Consejo antes de la muerte que si de hecho se siguio la muerte en virtud del Cõsejo toda via quedaria irregular el que lo dio, que en esto ay grande differencia del mandato al Consejo porque en el mandato aquel aquien se manda siempre esta pendente de la voluntad del que se lo mando en virtud de la qual obra lo qual no aconteçe en el Consejo, porque el effecto del Consejo propriamente hablando es enseñar al entendimiento, y hecho esto no pende de la voluntad del que le aconsejò y assi para euitar la irregularidad es menester dissuadirle.*

Non desinam tamen in gratiam studiosorum hîc adnotare Præpositum *in 3.part.q. 5. de irregul. dub.8. n.62. & 64.* & Petrũ Nauarra *lib.3.de restit.c.4. n.26.* nullam agnoscere differentiam inter mandantem, & consulentem,& docere in nostro casu sufficere, reuocare mandatum & consilium, sic enim Nauarra asserit. Tertiò notandum quòd antequam qui iussus est & consilium accipit opus exequatur, iubens, & consulens reuocet mandatum & consilium, si sequatur damnum, non tenetur imperans, vel consulens restituere,quia tunc actio iniusta non procedit ex eo consilio, vel imperio, sed alterius malitiæ imputatur sicut totali causæ. Vnde in iure immunis est ab irregularitate qui cùm mandasset, vel consuleret Clericum occidi,ante factum reuocauit, & dissuadere conatus est. Ita ille, cuius sententiam probabilem putat Lessius *lib. 2. cap. 13. dub. 3.num.17.& 18.* vt notat Coninch *de Sacram. disp.14. dub.15.num.177.*

Notandum est tamen hîc obiter quòd si bona fide consulens putauit sufficere tantùm reuocationem solam, non erit irregularis, etiamsi sequatur homicidium.Ita Sayrus *lib.7.cap 3.n.6.* Petrus Cornejo *in 3.part. D.Thom. tract.5. de irregul. disp.1. dub.2. q.2.n.4.*qui etiam *q.1.n.4.*rectè notat, quòd si mandatarius occidatur, mandantem manere irregularem, non quidem irregularitate homicidij voluntarij,sed casualis,siue voluntarij indirectè,quia mãdans non intendit mortem mandatarij, neque ad eam directè operatur,sed solùm indirectè in quantum dando operam rei illicitæ cogitare debuerat talem rem contingere posse,vt *infrà* dicemus.

Resol. XV. *An sit irregularis qui non potuit dimouere feminam à consilio dato de abortu faciendo?*

Affirmatiuè ex Nauarro & Corduba respondet Auila *de censur.part.7 disp.6 sect.2.dub.4. concl.3.* quia,vt dictum est *in superiori resolut.* non sufficit reuocare cõsilium vt euitetur irregularitas, si in effectu mors ex dato consilio sequatur. Adde quod aliqui addunt,quòd si consulens non potest occidendum monere de periculo, adhuc remanet irregularis:sed hoc accidit in casu nostro; ergo, &c. Et hanc sententiam docet etiam doctus Petrus Cornejo *in 3.part.tract.5.de irregular. disp.1. dub. 2. quæst.2. num.3.*

Verùm non reticebo contrariam sententiam docere Henriquez *lib.14.cap.16.nu.5 & in gloss. lit.O.* vbi sic ait: Non fit irregularis Clericus, qui coniugatam dissuadere non potest à consilio abortus dato,quia sat est præmonuisse infantem in matre sua vt moneri potuit.Ita ille, cuius sententiam ipse testatur docuisse aliquos recentiores. Sed asserit Auila quòd illa monitio infantis in matre nullius est momenti, siquidem infans in vtero nullo modo potest se liberare; posset tamen quis dicere, quòd in tali casu consulens vt auertat homicidium facit quod facere potest,& ideò Villalobos *in sum.tom.1. tract.21.diffic.20. num.* 8. rectè notat *que el Consejo no es meramente causa natural, que ponga necessidad phisica como el veneno, sino solamente es causa moral,y por esto si el Consejero hizo lo que moralmente pudo y deuia hazer para impedir el effetto, es visto hauer quitado la causa y assi no se le imputarà el homicidio.*Ita ille,qui citat Suarez.His tamen non obstantibus,contra Henriquez ante Auilam docuit affirmatiuam sententiam Sayrus *lib.7.cap.3.n.5.in fine.*Verùm Nauarra & Præpositus, quorum doctrinam probabilem putat Lessius,vt visum est *in superiori resolutione,* dixerunt sufficere consulentem reuocare tantùm mandatum, & non monere occidendum;sed hoc accidit in casu nostro, ergo. Adde quod suprà probabiliter dictum est, quòd non impediens homicidium, ad quod tenetur de iustitia, non est irregularis; ergo. quantò magis in casu nostro, in quo impedimentum fuit præstitum. Vnde sententia Henriquez probabilis mihi videtur,sed primam puto probabiliorem & tutiorem.

Resol. XVI. *An qui fecit abortum, sit irregularis si dubitetur de animatione fœtus?*

Affirmatiuam sententiam docent communiter DD. quos citat & sequitur Merolla *in disp. Theolog.tom.1. disp.3.cap.3.num.237.* Sayrus *lib. 6. cap. 15.num.9.* Sotus *in 4. dist.25. quæst. 1. art. 3. concluſ. 4.* Barbosa *in collect. tom. 2. lib.5. tit. 12. cap. 12. num.15.* Auila *part.7.disput.2.dub.1. concluſ. 1.* Sanchez *in sum. tom.1.lib.1.cap.10. num. 43.* quia in tali casu,qui præbuit causam abortus, est dubius an sit homicida; ergo censendus est irregularis.

Sed contrariam sententiam tenet doctus Emanuel de Moura *opusc.de ensal. & incant.sect.3. cap. 1. nu.27.*vbi sic ait: Non incurrit irregularitatem ille, qui cùm certus sit iniquè se cõcurrisse ad abortum, dubitat verò an proles per abortũ occisa fuerit iam animata anima rationali. Ita ille. & post illum nouissimè docet hanc sententiam ex Theologis Societ. Iesv Ioannes Præpositus insignis Theologus *in suis comment.ad 3.part. D. Thom.quæst.5. de irregular. dub.8. num.* 58. vbi sic asserit: Incurritur irregularitas si quis post fœtum & animationem procuret abortum; peti verò potest quid sit censendum si dubitetur de animatione fœtus. Respondeo si adhibita diligentia verè remaneat dubium, non videri irregularem, quia nec est censendus irregularis ex eo quòd irregularitas homicidio sit apposita,cùm dubitetur num hîc & nunc commissum sit homicidium,neque etiam ex eo quòd in dubio homicidij aliquis debeat se habere tamquã irregularem, quia si benè perpendantur iura id statuentia, aduertetur ea nõ comprehẽdere prẽsentem casum, cùm omnia supponant subiectum capax mortis, nã agunt,quando constat de morte alicui illata,& dubium est à quo ex variis concurrentibus sit illata, quo casu decernitur eos,de quibus dubitatur, habendos irregulares. In præsenti verò casu dubium versatur circa conditionem subiecti, an scilicet viueret nécne; vnde dispositio iuris non intelligitur de nostro dubio,& proinde non satis constat an in præsenti casu irregularitas iure sit illata, & per cõsequens non est dicenda incurri. Ita Præpositus;& hanc sentẽtiam videtur approbare Gomez *de delict. cap.3.in rubr.de homicidio,num.3.in fine.*& Baiardus *in addit.ad Iul.Clar.quæst. 68. num.9.* vbi tenent, quod in dubio fœtus præsumi debet inanimatus. hæc opinio est probabilis, verùm ne discedas à prima opinione tamquã probabiliori, quam præter DD.

citatos

citatos tenet Farinacius *in fragment. crimin. part. 2. num. 444.*

RESOL. XVII. *An si intimus amicus bono animo associauit aliquem ne in rixa periclitaretur, incurrat irregularitatem, si amicus inimicum occidat?*

NEgatiuè respondet Auila *part. 7. disp. 6. sect. 3. dub. 3. concl. 1.* & Henriquez *lib. 13. cap. 16. num. 1. in fine,* & à fortiori idem dicendum est de patre, vel filio, &c. Vnde Nauarr. *consil. 32. de homicid.* docuit non esse irregularem eum, qui bono animo tenebat ensem euaginatum in manu sine alia lęsione, quamuis alius percussus à fratre in rixa posteà mortuus sit; & ratio est, quia dabat operam rei licitæ. Sed hanc opinionem limitat nouissimè Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 8. num. 65.* si exteriùs ita amicum rixantem associando non videatur illum animare ad occidendum.

RESOL. XVIII. *An consulens ad mutilandum aliquem sit irregularis?*

AFfirmatiuè respondent communiter DD. sed de hoc non datur (vt obseruat Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 2. dub. vnico quæst. 5. num. 3.* & Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 9. n. 64.*) expressus textus, & non sequitur, consulentes sunt irregulares quando concurrunt ad homicidium; ergo etiam quando concurrunt ad mutilationem. nam quoad pœnas non debet asseri de mutilatione sine textu, quod asseritur de homicidio, quia nulla irregularitas incurritur si non sit in iure expressa, vt patet. Sed hanc irregularitatem consulentibus ad mutilationem nullum ius imponit, sicut imposuit consulentibus ad homicidium. ergo, &c. Adde quòd in materia incurrendæ irregularitatis respuitur argumentum à paritate rationis, à simili, imò à maiori ad minus. ergo, &c. Verùm Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 75. n. 3.* Præpos. *in 3. part. q. 5. de irregular. dub. 2. n. 4.* & alij putant non esse recedendum à cõmuni sententia. Nota tamen quòd etiam sequendo dictam communem opinionem, non erit irregularis qui dedit consilium mutilationis membri ei, quem non potest aliter ab homicidio auertere. Ita Cornejo *vbi suprà*, & Doctores quos refert Sayrus *de censur. lib. 7. cap. 3. num. 13.*

RESOL. XIX. *An mandans aliquem verberari modo cauto & prudenti, & cum ministro fideli, & ille occidatur, incurrat irregularitatem?*

AFfirmatiuè respondet Suarez *de censur. disp. 45. sect. 2. nu. 3.* ex *cap. vlt. de homicidio in 6.* quod hanc irregularitatem ponit solùm, quia mandator in culpa fuit, & hoc euenire posse debuit cogitare, quæ duo concurrunt etiam post diligentiam adhibitam in casu nostro, adhuc enim cogitari debet, non obstante illa posse mandatarium excedere si non ex malitia, saltem ex alio casu, & ideò ait Suarez quòd nulla humana diligentia mandantis est sufficiens ad euitandam irregularitatem si effectus homicidij sequatur.

Sed licet hæc opinio sit probabilis, non minùs probabilem esse existimo negatiuam sententiam, cum Præpos. *in 3. part. q. 5 de irregular. dub. 10. num. 78.* quia ita mandans nullo modo est reus homicidij; decisio autem illius *cap. vltimi, de homicid.* videtur agere de eo, qui reus est homicidij, & qui potuit præuidere homicidium, fortè ex verberatione, vel suo mandato secuturum.

RESOL. XX. *An incurratur irregularitas ob homicidium casuale quando factum fuit dando operam rei illicitæ, etiamsi adhibita fuerit debita diligentia?*

AFfirmatiuè respondet Caietanus *in 2. 2. quæst. 64. art. 9.* Syluester *ver. homicidium 2. nu. 2.* & alij, & hanc sententiam multi tenent, quando homicidium sequitur dando operam rei illicitæ periculosè, & tendenti ad illud. Ita Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disput. 3. dub. 2. conclus. 2.* Auila *part. 7. disput. 6. sect. 1. dub. 1. opin. 3.* vbi citat Couarr. Sotum, Cordubam, Castrum, Medinam, Aragon. & Nauarrum, quibus ego addo Fernandez *in medulla part. 2. cap. 10. §. 14. num. 9.* Maiolum *de irregular. lib. 5. c. 48. §. 3.* Paludanum, Gabrielem, Contadum, Nauarrum, Felicianum penes Tannerum *vbi infrà*, Villalobos *in summa tom. 1. tract. 21. dub. 23. nu. 3.* Valentiam *to. 3. disp. 2. q. 3. punct. 3.* Sanchez *de matrim. to. 2. lib. 9. disp. 32. n. 25.* & alios penes ipsos. Ratio est, quia tale homicidium est voluntarium in causa.

Sed ego negatiuæ sententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam docet Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 9. n. 80.* Hurtado *disp. 2. de irregular. diff. 8. num. 28.* Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 10. nu. 63.* Filliucius *tom. 1. tract. 20. cap. 3. num. 64.* Tannerus *in 3. part. disp. 6. quæst. 10. punct. 11. num. 216.* Henriquez *lib. 13. cap. 11. num. 1. & cap. 15.* Emanuel Sà *ver. irregularitas ex deformatione licita, num. 4.* & alij. Dico igitur occidentem in casu nostro numquam fieri irregularem, nisi ipsa actio hîc & nunc ita sit periculosa, vt peccet contra ius naturæ præcisè ratione periculi occidendi, cui hîc & nunc ita operando se exponit. Et ratio horum est, quia irregularitas, de qua agitur, non incurritur nisi intercedat culpa homicidij, cùm sit irregularitas ex homicidio casuali; sed in nostro casu non intercedit culpa homicidij, cùm ratione diligentiæ præstitæ homicidium non censeatur plenè voluntarium. ergo, &c.

Adde quòd, vt sæpiùs dictum est, irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis; sed in nullo iure expressum est homicidam esse irregularem ob homicidium omnino casuale, licet factum dando operam rei illicitæ etiam ex se tendenti ad homicidium. ergo, &c. Vide Hurtadũ & Coninch, qui respondent ad *cap. dilectus, & cap. Ioannes, de homicid.* quæ facere videntur contra nostram sententiam, sed reuerà non faciunt.

RESOL. XXI. *Quæ negligentia requiratur, vt per homicidium casuale ex ea consequens efficiatur quis irregularis?*

REspondeo contra Megalam *in 3. par. lib. 7. cap. 2. quæst. 5. num. 110.* quòd requiritur negligentia, quæ omnibus consideratis pertueniat ad peccatum mortale. nam irregularitas homicidij casualis est pœna peccati commissi in non adhibendo diligentiam requisitam; cùm autem hæc pœna sit valdè grauis, non videtur esse intentio Ecclesiæ eam

infligere propter leuem culpam, & ideò *in cap. quæsitum, de pœnit.* declarantur Clerici esse irregulares ex oppressione filiorum, si ipsis procurantibus, aut studiosè negligentibus fuerunt oppressi; & ita docet Syluius *in* 2.2. *D. Thom. quæst.* 64. *art.* 8. *conclus.* 3. qui citat Sotum, Bannes, & Suarez, quibus ego addo Filliucium *tom.* 1. *tract.* 20. *cap.* 3. *num.* 59. & 61. Coninch *disp.* 18. *dub.* 9. *num.* 88. & alij communiter.

Resol. XXII. *An qui alterum occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defensionem non vitæ, sed alicuius membri, sit irregularis?*

NEgatiuè respondet Nauarra *de restit. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 364. & alij communiter, quia inuasus, vt docent DD. si non excedat moderamen inculpatæ tutelæ, non solùm vitam, sed & membrorum integritatem licèt tueri: ergo.

Verùm hæc sententia ab aliquibus non probatur, quia sublata est irregularitas iuris antiqui, quæ incurrebatur ex occisione ob necessariã vitæ suæ defensionem. loquitur enim *Clement. si furiosus*, de illo qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inuasorem. Neque satis est respondere quòd quantum ad irregularitatem, paria sunt homicidium & mutilatio, quoniã etsi sunt paria quantum ad hoc quòd ex vtroque contrahitur irregularitas, non tamen quantum ad hoc, quòd quidquid de homicidio statuitur, dicendum sit de mutilatione, alioquin non esset irregularis, qui se defendens tunc occideret, quando posset euadere mutilando; cuius tamen contrarium est tenendum, quia iste non seruaret moderamen inculpatæ tutelæ, & ita hanc sententiam docet Toletus, quem citat & sequitur Antonius Fernandez *in medulla part.* 2. *cap.* 10. §. 14. *n.* 9. & inclinat Syluius *in* 2.2. *D. Thom. quæst.* 64. *art.* 7. *quæritur* 7. Sed licet hæc opinio sit probabilis, negatiuam non minùs probabilẽ & tutam in praxi esse puto. nam, vt *suprà* ostensum est, potest quis sine metu irregularitatis occidere inuasorẽ, ne recipiat graue vulnus in facie, vel in defensionem bonorũ magni momenti, quantò magis ne recipiat mutilationem membri, & ita hanc sententiam tenet etiam Hurtado *de irregular. disp.* 7. *diffic.* 10. *num.* 36. vbi sic ait: Si ob homicidium factum in defensionem propriorum bonorum magni momenti non incurritur irregularitas, quia licitum est, multò minùs incurretur quando fit ne occidens mutiletur, aut aliter grauiter vulneretur, quia tunc non minùs licitè fit. In Clem. verò tantùm declaratur esse immune ab irregularitate homicidium factum in defensionem propriæ vitæ, quia id esse licitum, erat certum apud omnes. Ita Hurtado, & ego.

Resol. XXIII. *An Clericus in Sacris exercens chirurgiam per incisionem, vel aduſtionem, sit irregularis morte secuta, licet adhibeat necessariam diligentiam? & explicatur cap. tua nos, de homicidio.*

AFfirmatiuam sententiam tenet Nauarrus, Couarr. Corduba, quos citat & sequitur Auila *part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 2. quibus ego addo Turrianum *de censur. lib.* 9. *disp.* 68. *dub.* 1. Filliucium *tom.* 1. *tract.* 20. *cap.* 4. *n.* 74. Bonacinam *de censur. disp.* 7. *q.* 4. *punct.* 7. *num.* 9. Molinam *de iust. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 75. *num.* 3. Suarez *disp.* 45. *sect.* 4. *numer.* 10. Villalobos *in summ. tom.* 1. *tract.* 21. *difficul.* 23. *num.* 8. Layman *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 10. *num.* 3. Sayrum *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 13. & ratio est; quia dat operam rei illicitæ & prohibitæ, & ita videtur determinatum *in cap. tua nos, de homicidio.* & hanc opinionem ego teneo.

Sed contrariam sententiam probabilem esse puto, quia, vt *suprà* satis firmatum est, non incurritur irregularitas ex opere illicito etiam periculoso, & de se tendenti ad homicidium, si adhibita fuit omnis diligentia. ergo, &c. Nec valet dicere quòd hoc particulariter accidit in casu nostro, quia Monachis interdicitur illa actio per sacros Canones, nam respondeo quòd prohibitio non facit, vt opus maiorem habeat connexionem cum effectu, & magis inuitabilem, quàm haberet secluſa prohibitione, cùm ea sit plenè extrinseca operi. Vnde si citra prohibitionẽ opus non habeat talem cõnexionẽ, neque dicendum habere posita prohibitione; neque sufficienter potest probari quòd positis aliis paribus vnus sit censendus homicida, quia vacat operi periculoso, sibi prohibito; alius verò cui idem opus non est prohibitũ, non sit homicida, quod confirmatur, quia prohibitio facta eò quòd tale opus minùs deceat statũ Monachorũ & Clericorũ, efficit vt actio sit contra Religionem, non verò contra iustitiam, neque contrarium potest sufficienter ostendi.

Restat modò respondere ad *cap. tua nos.* Dico igitur, quòd hoc ius pro nobis facit, quia ibi Pontifex ait talem posse celebrare si peritus omnem diligentiam adhibuerit, & culpa mulieris mors acciderit, alioquin si imperitus, aut negligens fuerit, ab Altari amouendum, clarè indicans fore irregularem, si qua ratione sua temeritate fuerit causa mortis, aliàs non. Nec refert quòd dicatur in eo misericorditer cum eo agi, quia per hoc aut significatur pœnitentia, quæ ipsi ob vsurpatum officium prohibitum erat iniungenda, aut de rigore posse diutiùs ob eam culpam ab Altari arceri. Similiter *c.* 1. *de corpore vitiatis*, dicitur cum eo, qui in duello partem digiti amiserat, posse misericorditer agi, & peracta pœnitentia permitti ministrare, cùm tamen talis, præsertim ante Tridentinum, non fuerit irregularis. & hæc omnia docet Coninch *de Sacr. disp.* 18. *dub.* 9. *n.* 87. vbi tenet supradictum Monachum, de quo agitur *in d. cap. tua nos*, non incurrisse irregularitatẽ. neque aliter *in d. cap.* determinari. & ita hanc sentẽtiam docet etiam Præpos. *in* 3. *part. quæst.* 5. *de irregular. dub.* 10. *num.* 86. vbi sic ait: In cap. *tua nos*, videtur decerni irregularis quidam Monachus, verùm ex ipsomet textu potest probabiliter colligi non fuisse, cùm dicatur, quòd licet prædictus Monachus multũ deliquerit alienũ officium vsurpando, quod sibi minimè congruebat, si tamen causa pietatis, & non cupiditatis, id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit diligentiã adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium eius accidit, adeò reprobandus, quòd non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer possit agi, vt Diuina valeat celebrare. Vbi indicatur & non fuisse reum homicidij, & nõ incurrisse irregularitatẽ homicidij casualis. Nec obstat quòd dicatur *post satisfactionem*, &c.

miseri-

miſericorditer, &c. quia ſimilia ſæpè adduntur in iure, vt oſtendatur eſſe ſalutare præmittere aliquam ſatisfactionem propter aliqualem fortè culpam quæ interuenerit, non quòd id ſit plenè neceſſariũ. Confirmatur, quia hæc verba non ſufficienter exponunt & exprimunt irregularitatem quam non conſtat aliunde incurri. Adde quòd, licet non fuerit irregularis, potuerit Epiſcopus eũ punire; quòd alieno officio ſeſe immiſcuerit. ergo miſericordia non neceſſariò ſupponit irregularitatem, ſed delictum, propter quod poterat ei prohibere exercitiũ Ordinis, quod tamen ex miſericordia non prohibebatur. Hæc omnia Præpoſ. *loco cit.at.* & ideò Sotus, Dominicanæ familiæ decus, aſſeruit *lib.5.quæſt.1.art.* 9. ſupradictum Monachum de quo agitur *in d.cap. tua nos*, non incurriſſe irregularitatem; vnde hæc opinio ſatis probabilis alicui videri poteſt, verùm quia contraria eſt communis, tu ne recedas ab ea. Licet igitur, vt *ſuprà* tenui, non incurratur irregularitas propter homicidium ſecutum ex opere aliàs illicito adhibita diligentia, tamen hęc doctrina non procedit in caſu noſtro, cùm contrarium ſit in iure expreſſum.

Non deſinam tamen in gratiam Confeſſariorũ adnotare, Primò quòd *in d. c. tua nos*, illa actio Monachis, & Clericis in Sacris non prohibetur in extrema neceſſitate quãdo non adeſt alius chirurgus, vt poteſt ſæpiùs accidere tempore peſtis, & ſi illam operarentur extra hoc tempus cum ignorantia inuincibili huius prohibitionis, non incurrerent irregularitatem. ita ex Vaſquez, Turrianus *de cenſur.lib.* 5.*diſp.*64.*dub.*1. Molina *vbi infrà num.*3. & alij. Secundò, Monachus, vel Clericus qui applicat emplaſtrum mollificatiuum quo apoſtema ſeſe aperit, & mors inde ſequitur ſine eorum culpa, non incurrunt irregularitatem, quia *in cap. tua nos*, agitur de ſciſſione, & aduſtione. Ita Molina *to.*4. *diſp.*75. *nu.*4. & alij. Tertiò ſi ſuprà dicti ſecundùm peritiam artis iubeant inciſionem & aduſtionem, ſi mors inde ſequatur, non incidũt in irregularitatem, quia pœna lata contra facientes non ligat mandantes, neque conſulentes, niſi exprimantur. Ita Molina *loco cit.* Quartò Clericus qui ſecundùm artem abſcidit, vel aduſſit, quando mors eſt ſecuta propter morbi grauitatem, & non ex aduſtione, vel abſciſſione, puto non eſſe irregularem. Ita contra Suarez *diſp.* 47. *ſect.*7.*num.*4. dicendum eſt cum Auila *part.*7. *diſp.*6. *ſect.*1.*dub.*10.*concl.*5. & aliis; ſed ex ſupradictis oritur pulchrum dubiolum,

RESOL. XXIV. *An venæ ſectio ſit Religioſis & Clericis in Sacris prohibita, ita vt incurrant irregularitatem latam in cap. tua nos. ſi ex tali ſectione ſecuta ſit mors?*

AFfirmatiuè reſpondet Auila *part.*2.*diſp.*6.*ſect.*1. *dub.*10. *ante concluſ.*3. vbi ſic ait: Licet Clerico perito Medico dare conſilium quòd fiat minutio ſanguinis, dummodo per ſeipſum non faciat dictã minutionem. Ita ille. & ratio eſt, quia illa ſectio venæ videtur inciſio quam prohibet *d.c. tua nos.* ergo.

Sed contrariam ſententiam docet Molina *de iuſtit.tom.*4.*tract.*...*diſp.*75.*num.*4. vbi ita aſſerit: Illud admonuerim, venæ apertionem non eſſe chirurgiæ actum, ac proinde nec iure inueniri prohibitum initiatis Ordinibus ſacris, neque enim actus ille ad chirurgos ſpectat, ſed ad tonſores, qui ad præſcriptum Medicorum & Chirurgorũ venas ſcindunt; in pœnalibus autem & odioſis, vt ſunt prohibitiones, quæ irregularitatem inducunt, facienda non eſt extenſio à paritate, quin neque à maioritate rationis eorum, quæ diſpoſita comperiuntur in iure. Sic ille. Et licet poſt hæc ſcripta inuenerim Bonacinam *de cenſ.diſp.*7.*quæſt.*4.*punct.*5.*nu.*5. aduerſus Molinam cum Auila affirmatiuam ſententiam docere, tamen ego puto vtramque eſſe probabilem.

Notandum eſt hîc obiter contra Auilam *loco cit.* & Henriquez *lib.*14.*cap.*11.*n.*1. Clericos in minoribus quamuis habeant beneficiũ, poſſe exercere artem medicam & chirurgiam abſcindendo & adurendo ſecundùm artem. Ita Molina *vbi ſup.n.*2. quod etiã extendit ad Religioſos, ſi non ſint Subdiaconi, vnde Felinus, vt notat Auila *vbi ſuprà cap. tua nos, de homicidio*, intellexit de Religioſo Sacerdote.

RESOL. XXV. *An ſi quis maneat dubius, an ſuum conſilium influxerit ad homicidium factum, debeat ſe reputare irregularem?*

AD hunc caſum frequentiſſimum affirmatiuè reſpondet Præpoſitus *in* 3.*part. quæſt.*5. *de irregul.dub.*8.*num.*64. Sed negatiuam ſententiam tenet Henriquez *lib.*13 *cap.*16. *num.*3. *in gloſ. lit. D.* vbi ſic ait: In dubio æquali poſt factam diligentiam poteſt practicè deponere dubium & ſcrupulum, reputans ſe excuſatum ab irregularitate propter poſſeſſionẽ innocentiæ. Sic ille.

Verùm ſententiam affirmatiuam tenet etiam Sanchez *tom.*1. *lib.*1. *cap.*10. *num.* 44. Saytus *de cenſ. lib.*7.*cap.*3.*n.*2. Merolla *in diſp.Theol.tom.*1.*cap.*3. *diſp.*3. *num.*251. Tabiena & Auila *part.*7.*diſp.*6. *ſect.*2. *dub.*2. *concl.*5. vbi notat quòd ſi homicidium commiſſum ſit poſt multos dies, res manet dubia, an conſilium influxerit. Sed quoad hoc, contrarium tenet Tabiena *ver.conſilium.num.*5. vbi ſic aſſerit: In dubio præſumitur delinquentem fuiſſe motum ex conſilio, aliàs non fuiſſet facturus, & etiamſi ſtetiſſet per multos dies poſt, præſumitur quòd fecit propter illud conſilium. Ita Tabiena. At cum Auila tenet Præpoſitus *loco citato*; tu ne diſcedas à ſententia affirmatiua, quam præter Doctores citatos tenet etiã Petrus Cornejo *in* 3.*part.tract.*5. *de irregularitate diſp.* 1.*dub.*2. vbi tamen, & optimè aduertit quòd in tali caſu ſtandum eſt dictis ipſius conſulti, ita vt ſi dicat ſe motum non fuiſſe per conſilium, liber manet conſulens ab irregularitate.

RESOL. XXVI. *An qui mutilauit alterius pollicem, ſit irregularis?*

AFfirmatiuè reſpondet Caietanus *in* 2. 2. *quæſt.* 68.*art.*1. & Sotus *de iuſtit.lib.*5.*quæſt.*2.*art.*1. quia putant illud eſſe membum, quod habet officium diſiunctum, vel coniunctum cum aliis membris, vt eſt digitus.

Sed tu contrariam ſententiam tene. nam membrũ propriè dicitur illa pars corporis, quæ propriũ habet officium diſtinctum ab aliis partibus, vt ſunt oculus, manus, pes, auris, membrum virile, &c.

non autem digiti,etiam pollices,vngues,dentes, teſtes,barba, capilli, labia, &c. ita tenet Villalobos *in ſum.tom.1. tract.21. difficul.19. num.4.* Hurtado *de irregular.diſp.2.diffic.5.num.18.* Præpoſ. *in 3.part. quæſt.5. dub.10.num.71.*& alij, quos citat & ſequitur Bonacina *de cenſ.diſp.7.quæſt.4.punct.8.num.3.* qui noſtram ſententiam de pollice in terminis tenet,ſicut etiam Auila *de cenſur part.7. diſp.5.ſect.1. dub.1.* & Megala *in 3.part.lib.7.cap.1.num.31.* & alij, licet Suarez & Vaſquez contrarium docuerint,vt notat Turrianus *infrà*,& noſtra opinio eſt fundata in doctrina Ariſtotelis *lib.10. de par.animal. c.5.* aſſerentis quòd membra ſunt in corpore operationis gratiâ.

Ex his infertur primò non eſſe irregularem eum, qui alteri abſcindit auriculam, id eſt, cartilaginem. nam ipſa ſolùm deſeruit ad ornatum & tutelam auris.Ita Auila *loco cit.* & Præpoſ. cum Turriano *de cenſur.lib.9.diſp.67. dub.2.* contra Nauarrum & Suarez penes ipſum. Secundò nota non eſſe irregularē qui præſcindit mamillam feminæ. Ita probabiliter Auila, Villalobos *vbi ſuprà*, ex Couarr.& aliis. Sed contraria ſententia eſt probabilior, quam docuit ex Vaſquez Turrianus *loc.cit.*& anteà Molina *to. 4. tract.3.diſp.69.nu.6.*& alij. Tertiò nota cum Megala *vbi ſuprà*, qui citat Toletum, non eſſe irregularem qui excæcauit hominem, eum priuando ſolo viſu, non autem illi oculum extrahendo,quia ſic non dicitur mutilaſſe membrum. Vide etiam Molinam *diſp. 68.* Et tandem quartò nota non eſſe irregularem qui non abſcindit, ſed tantùm debilitat membrum, & reddit illud inutile. Ita Megala *num.30.* Villalobos *num.7.* Auila & alij *vbi ſuprà.*

RESOL. XXVII. *An milites pugnantes in bello iniuſto.ſi aliquem non occidant, remaneant tamen irregulares?*

AD hanc dubitationem ſic reſpondet Coninch *de Sacram.diſp.18.dub.10.numer.98.* Communiter Doctores dicunt omnes adhortantes ad bellum iniuſtum, aut in eo pugnantes, imò cuſtodientes pugnantium ſarcinas, contrahere irregularitatem homicidij,vt voluntarij, ſi aliqui ex parte hoſtium occidantur, quia omnes ſunt vna cauſa moralis, quia ſe mutuò excitant; ſed quamuis hoc, quando ſunt ita pauci,vt ſe mutuò omnes videre,vel audire poſſint,ſit communiter verum, quia omnes ſe mutuo animant; quando tamen ſunt multa millia, videtur valdè difficile intelligere quomodo ſinguli quoſuis occidentes,aut mutilantes ad hoc animēt, cùm multi ſint,qui eos nec videre, nec audire poſſint, & difficilè intelligitur, quomodo quis hîc & nunc poſſit ad pugnam ab aliquo excitari, quem nullo ſenſu percipit, vnde hanc irregularitatem extenderē ad quinquaginta, vel etiā centum milites, quia poſſunt hi omnes ſe mutuò animare. Ita ille.

Sed aduerſus Coninch quoad hanc limitationē inſurgit nouiſſimè Hurtado *diſp. 2. de irregular. difficult.6.num.21.* vbi ſic ait: In bello iniuſto omnes milites,quamuis ſint plura millia, & etiam omnes cuſtodientes ſarcinas,fiunt irregulares,quamuis vnus tantùm occidat,aut mutilet, quia quilibet aſſiſtentia aliorum animatur, & cuſtodia adiuuatur; non ergo placet Ægidio Coninch, qui quando ſunt plura millia,id tantùm limitat ad quinquaginta, vel ad centum ex circumſtantibus occidentem,aut mutilantem. Hæc Hurtado. Vide etiam Petrum Cornejo *in 3.part. D.Thomæ tract.5. de irregular. diſput.11. dub.2.quæſt.2.* Mercerum *de Sacram.in 3.part. D. Thomæ quæſt.24.dub.9. num.1.* Aurlam *part.7.diſp.5.ſect.3. dub.2.concluſ.1.* Layman *ſect.5.tract.3.part.3.cap.8.nu.2.* Villalobos *tom.1.tract.21.diffic.29.num.1.* & alios penes ipſos. Verùm his non obſtantibus limitationem quam in hoc caſu adducit Coninch, aliqui tamquam probabilem admittunt, nam Leſſius *lib. 2. cap.13.dub.4.num.37.*cum Paludano *in 4. ſentent.diſt. 15.quæſt.2.num.30.* non putat omnes milites exercitus teneri in expugnatione vrbis ad totum damnum,quod alij dederunt, & adducit rationem quæ militat etiam in irregularitate. Verùm mihi opinio prima magis placet.

Notandum eſt tamen hîc obiter militantes in bello iuſto aggreſſiuo non fieri irregulares, modò ſuis manibus ſanguinem non fundant, etiamſi alij mutilent,vel occidant, vt colligitur ex *cap. petitio, de homicidio.* Nec valet dicere quòd tales etiamſi per ſeipſos non occidant,tamen occidūt per alios quos animant & adiuuant. Ergo non minùs erunt irregulares quàm Iudex, vel ſatellites aſſiſtentes per ſuam auctoritatem, vel auxilium executori homicidij iuſti. Nàm reſpondeo negando antecedens, quia miles qui per ſe non occidit,ex eo ſolùm quòd iuſtè militet,non cenſetur iuuare alios ad occidendum, ſed tantùm ad ſtrenuè militandum; remotè igitur & tantùm per accidens cenſetur cooperari, quod non ſufficit ad irregularitatem. Iudex autem & ſatellites cōcurrunt ad determinatam actionem homicidij;&,quod præcipuum eſt,habemus declarationem in vno caſu à iure,& non in alio.

RESOL. XXVIII. *An qui vendit arma, vel tribuit & mutuat illa ad bellum iuſtum, incurrat irregularitatem?*

AD hunc caſum ita reſpondet Turrian. *de cenſ. lib.9.diſp.68. dub.1.* ſi iſtæ actiones ex mente P. Suarez fiant ſolùm generatim, & ordinentur ad bellum iuſtū, non incurritur irregularitas propter illas. Si verò fiant in ipſo bello, & determinatè ordinentur ad occidendum, incurretur irregularitas, quia actio illa tendit determinatè ad homicidium. Alij putant non incurri irregularitatem, quia hæc irregularitas requirit homicidium non quomodocumque, aliàs Princeps qui gerit bellū ex ſolo imperio & præcepto erga milites illam incurret; ergo ſicut in illo nō ſufficit tale imperium, multò minùs in priuata perſona actio vendendi, vel mutuandi arma ad bellum gerendum, etiam quando iudicatur prudenter futurum homicidium, & hoc placitum non videtur improbabile. Ita Turrianus. Et licet ſententiam Suarez docuerat antè Syluester *ver. homicidium* 3. Henriquez *lib.13.cap.12. num.4. in gloſſ. litt.N.*& Villadiego *de irregularitate cap.6.num.5.* ego tamen cum Turriano puto contrariam ſententiam probabilem eſſe,quam abſolutè docet Auila *part.7. diſp.5. ſect.3 dub.2. concluſ.1.* vbi aſſerit, Ex dictis ſequitur quòd vendentes, vel donantes arma militibus ad bellum iuſtum,non manent irregulares. Et

hoc

hoc intelligo, quamuis præbeat arma offensiua in ipso cõflictu belli,& quamuis sit Clericus in Sacris. Sic Auila.Sed quoad Clericos intellige, modò non prębeant arma ad occidendũ hunc, vel illũ in particulari,& ita rectè aduertit amicissimus & doctissimus Barbosa *in collect.tom.2.lib.5.tit.12.c.24.n.2.*

RESOL. XXIX. *An milites in bello iusto si occidunt alios ad defendẽdam propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ,incurrant irregularitatem?*

AFfirmatiuam sententiam, si dicti milites processerunt ad bellum pugnandi causa, & non alio fine, docet Suarez, Henriquez, Rodriquez & alij, quos citat & sequitur Bonacina *de cens. disp. 7. quæst.4.punct.5.num.2.* quia tales procedendo ad bellum tali intentione voluntariè se exponunt periculo homicidij, & saltem in causa volunt homicidium.ergo,&c.

Verùm mihi contraria sententia probabilis etiã videtur, quam tenet Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ, tract. 5. de irregular. disp. 11. dub. 2. quæst.3.* & Auila *de censur.part.7.disp.5.sect.3.dub.1.* qui citat Sylueſtrum & alios viros doctos. Ratio est, quia talis defensio est licita.& confirmatur:nam si Iudex, aut carnifex inuadatur à reo,quem volebat decapitare, & pro necessaria sui defensione occidat illum, non manet irregularis.ergo,&c.

Non desinam etiam hîc adnotare id quod docet Præpositus *in 3.part. quæst. 5. de irregularit. dub.12. num.93.*vbi sic asserit:Si bellum iniustum sit aggressiuum, constat eos, qui occidunt, vel mutilant,incurrere irregularitatem homicidij voluntarij; similiter mandantes, cooperantes, animantes, subministrantes arma, &c. excepto fortè casu, quo aliquis inuasus non possit sibi aliter consulere.nam eo casu non est improbabile quòd possit, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere inuadentem absque periculo irregularitatis.Ita ille. Sed hoc non admittit Petrus Cornejo *loco citato.* Hincà fortiori dicendum est, quòd si bellum defensiuum sit iustum & licitum,milites,etsi occidant, non sunt irregulares. Ita Tannerus *in 3.part.disput.6. quæst.10. dub.11. num.* 208. qui citat Suarez. nam in hoc casu militat eadem ratio quæ in priuata defensione. Et tandem hîc obiter nota cum Cornejo *loco citato,* non esse irregulares qui exhortantur milites in bello iusto,vt strenuè se gerant, nec qui illis vendunt, vel donant arma, modò non incitent ad determinatam hominis occisionem; quamuis non desint auctores qui probabiliter asserant non incurrere, eò quòd irregularitas hæc imposita non sit, nisi contra eos,qui propria manu occidunt.

RESOL. XXX. *An qui pugnauit in bello iusto, si dubitet an occiderit, vel mutilauerit,debeat se iudicare irregularem?*

AFfirmatiuè videtur respondendum ex Villalobos *tom.1. tract. 21. diffic. 28.num. 6.* Bonacina *de cens.disp. 7. quæst. 4. punct.5. num. 5. & 10.* in editione nouissima,& aliis,asserentibus ex *cap. petitio tua, de homicidio,* quòd Clericus assistens bello, irregularis iudicatur si aliquem interfecit,vel si dubiam de hoc habet conscientiam.

Verùm non desunt DD. negatiuam sententiam docentes,& ideò Præpos.*in 3. part. quæst.5. de irregular.dub.12.num.97.* sic ait: Petitur an qui solùm dubitat,an in bello iusto occiderit, sit censendus irregularis, etiam eo casu, quo non possit probabiliter iudicare se occidisse. Varij affirmant,sed non videtur improbabile quòd nõ teneatur se habere tamquam irregularem,quia Pontifex *in d.cap.petitio tua,* dicit: Si de interfectione cuiusquam in illo conflictu tua conscientia te remordeat, quod non contingit quando nullum probabile iudicium formari potest. Ita ille, & ante illum hanc sententiam docuerat etiam Auila *par.7.disp.6.sect.3. dub.2. concluſ.3.* vbi citat Nauarrum & Henriquez, & addit, quòd si solùm dubium sufficeret ad irregularitatẽ in his qui pugnant in bello iusto,innumeri essent irregulares, & ideò hanc sententiam post hæc scripta inueni docere Merollam *in disp.Theol. tom.1. disp.3 cap.3.num.252.*qui respondet ad *cap.petitio tua.*

RESOL. XXXI. *An testis præcepto Iudicis obligatus, vel graui metu coactus, & in casibus, in quibus iure naturali tenetur testificari,incurrat irregularitatem?*

NEgatiuè quoad duos primos casus respondet Coninch *de Sacram. disput. 18. dub. 10. num. 56.* vbi sic ait: Dubium est inter Doctores, vtrùm qui obligatus præcepto Iudicis agentis merè criminaliter contra reum, aut graui metu coactus, fert testimonium,ex quo sequitur alterius mors, fiat irregularis. Multi affirmant, sed non probant; quare quidam viri docti putant contrarium verius esse, saltem quando testis apertè protestatur se hoc inuitum facere, nec alterius mortem petere. Primò, quia hic directè tantùm seipsum tuetur à damno corporis,vel animæ,quo casu ne quidem fit irregularis alium occidens sua manu. Secundò, quia hæc irregularitas deberet incurri ob defectum lenitatis (gratis enim fingitur omnis alia indecentia)sed hîc nullus est defectus lenitatis, quia hic solùm reperitur in inuoluntariè occidente,sicut faciunt ministri iustitiæ, qui sponte talia officia retinent, quæ eos quandoque ad occisionẽ obligant; hic autem omnino inuoluntariè ad alterius mortem concurrit. Ita ille. Quando verò testes tenentur ferre testimonium iure naturali, non incurrere irregularitatem præmissa protestatione, tenet ex Henriquez Auila *de cens.part.7.disput.5. sect.2. dub. 12. concl. 2.* Nam ius concedens hoc priuilegiũ Clerico accusatori, censetur consequentur concessisse testi in hoc casu ne priuilegium reddatur inutile. Exemplum est, vt quando tenetur testificari ad liberandum à morte iniustè accusatum, vel quando tenetur testificari ne ille qui iustè accusauit machinantem contra Rempublicam deficiens in probatione puniatur pœna talionis.

Verùm aduersus has sententias insurgit nouissimè doctus Hurtado *disp.2.de irregular.diffic.11.n.40.* vbi sic ait:Id quod ait Coninch,nempe testem præcepto Iudicis obligatum, aut graui metu coactum ad testificandum non fieri irregularem, falsum est, quia absque fundamento sufficiente excipitur testis ab irregularitate,& etiam in aliis,in quibus iure naturali tenetur.(quidquid in his dicat Auila)quia

quamuis in omnibus prædictis caſibus non reperiatur in teſte defectus lenitatis formaliter, quia id efficit obligatus & coactus, reperitur tamen defectus lenitatis materialiter, & indecentia ob rigorem per ſe & ex obiecto in cooperatione ad mortem, intuitu cuius indecentiæ lata eſt dicta irregularitas; ſicut etiam fieret irregularis Iudex ſua ſententia interficiens, aut mutilans, quamuis obligatus & coactus aſſumeret officiū, & ferret ſententiam. Ita Hurtado, ſatis quidem probabiliter. Et hanc ſententiam ego teneo, & tenet etiam Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 27. num. 1.* Fillincius *tom. 2. tract. 19. cap. 9. num. 254.* Fabrus *de ſacram. ordin. in 4. ſentent. diſp. 25. quæſt. 1. diſp. 3. num. 211.* & alij. Sed aduerſus Hurtadum, ſententiam negatiuam Coninch, & Auilæ, quam ipſe falſam vocat, puto probabilem eſſe cum Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 5. de irreg. dub. 13. nu. 105.* ſic aſſerente: Teſtis in cauſa ſanguinis fit irregularis, nec ei prodeſt proteſtatio ad euitandam irregularitatem. Aliqui probabiliter cenſent eum non fieri irregularem, quando obligatur vel iure naturæ, vel iuſto Iudicis præcepto ad teſtimonium ferendum, & multò potiori ratione, quando ad id graui metu obligatur, cùm eo caſu non cenſeatur voluntariè ad mortem concurrere, ſed quadam neceſſitate antecedente voluntatem, qua ratione diſtinguitur à Iudice & aliis, qui liberè ſuſcipiendo officium ex cōſequenti cenſetur ſe obligare ad pœnam ſanguinis interdum infligēdam. Hæc Præpoſ. *vbi ſuprà.* Et poſt hæc ſcripta inueni ſupradictam ſententiam negatiuam, quam, vt dixi, non benè falſam vocat Hurtado; docere etiam Mercerum *de Sacram. in 3 par. D. Thomæ quæſt. 24. dub. 8. reſp. 3.* Petrum Cornejo *in 3 part. D Thomæ tract. 5. de irregul diſp. 11. dub. 1. quæſt. 7.* Eſt igitur opinio ſatis probabilis, licet ego, vt dixi, affirmatiuam ſententiam teneam.

Resol. XXXII. *An Aduocatus & teſtes in cauſa ſanguinis incurrant irregularitatem, ſi præmittant proteſtationem eo modo quo facit accuſator?*

SVppono Clericos & laicos in cauſa criminali accuſando cum proteſtatione non incurrere irregularitatem, ſi hoc faciant petendo ſatisfactionem pro iniuria ſibi, vel ſuis rebus illata, vel parentibus. Hoc ſuppoſito affirmatiuè ad caſum noſtrū reſpondeo cum Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 21. diffic. 27. num. 1.* vbi ſic ait: *Aunque en el derecho ay excepcion en el que acuſa ſi haze la proteſta no quedando por eſto irregular, no lo ay en el teſtigo y aſsi la proteſta no le eſcuſa la irregularidad.* Idem docet Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thom. tract. 5 de irregul. diſput. 11. dub. 1. quæſt. 6.* Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 11. numer. 133.* Vgolinus *de irregul. cap. 6. § 9. num. 3.* Layman *ſect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 7. num. 5.* Molina *tom. 4. tract. 3. diſp. 74. num. 10.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. num. 9.* Turrianus *de cenſ. lib. 9. diſp. 66. dub. 3.* & ratio eſt, quia dicta facultas proteſtationis ſolùm conceditur in iure accuſatori. ergo non poteſt extendi ad teſtes & Aduocatos.

Verùm non deſinam hîc adnotare opinionem Ioannis Præpoſiti *in 3. part. quæſt. 5. de irregul. dub. 13. num. 104.* vbi ſic aſſerit: Aduerte primò, quo caſu proteſtatio poteſt excuſare accuſatorem ab irregularitate, eodem poſſe excuſare Aduocatum illi neceſſarium; niſi enim eius Aduocatus eodem priuilegio vti poſſet, ſæpè redderetur inutilis facultas accuſandi ſine periculo irregularitatis. Idem dicendum eſt de teſte illi neceſſario. Sic ille.

Et ita hanc ſententiam ante Præpoſ. docuit Coninch *de Sacram. diſp. 18. dub. 10. num. 95.* putat enim in caſu quo accuſator cum proteſtatione non incurrit irregularitatem, non etiam incurrere Aduocatum & teſtem, quia in his, ait ille, eſt eadem ratio, cui enim conceditur aliquid, cenſentur etiam concedi ea omnia quæ ad hoc neceſſaria ſunt, ne conceſſio ſit inutilis; ſed cùm accuſatori conceſſum ſit priuilegiū accuſandi in aliquibus caſibus ſine metu irregularitatis, præcedente proteſtatione: hoc autem priuilegium videretur inutile, ſi teſtis non poſſet abſque irregularitate cum proteſtatione teſtari, nam timore tantæ pœnæ retraheretur à teſtando, & conſequenter accuſator nihil probare poſſet, & nihil obtineret, eiuſque priuilegium vanum & inutile redderetur. ergo, &c. & idem dicendum eſt de Aduocato, & hanc opinionem tamquam probabilem admittit Ioan. de la Cruz *in director. part. 2. de irregul. dub. 6. concluſ. 5.* vbi ſic ait: Probabile eſt non fieri irregularem qui in fauorem alterius, & maximè Reipublicæ, accuſat, teſtificatur, aut patrocinatur in cauſa ſanguinis cum proteſtatione. Ita ille.

Resol. XXXIII. *An Clerici & laici incurrant irregularitatem, ſi accuſent in cauſa criminali cum proteſtatione quando tantùm agitur non de damno illato ipſis, ſed eorum conſanguineis?*

IRregularitatem incurrere docet Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. diſp. 11. dub. 1. quæſt. 6. n. 4.* Vgolinus *de irregul. c. 6. § 9 nu. 4.* & Bonacina *de cenſur. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 2. n. 4.* vbi citat plures Doctores pro hac ſententia minimè hoc aſſerentes. Ratio verò huius ſententiæ eſt, quia *in cap. penult. de homicidio in 6.* permittitur Clericis & laicis in conſequentia conqueri coram Iudice de malefactoribus ſuis, non autem alienis. ergo, &c.

Sed tu contrariam ſententiam tene, quam tuetur Hurtado *diſp. 2. de irregular. diffic. 11. nu. 41.* Coninch *diſp. 18 dub. 10. num. 93.* Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 26. numer. 6. & 7.* Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 2. dub. 11.* Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 5. de irregul. dub. 13. numer. 101.* & alij penes ipſos. Dico igitur quòd accuſator excuſatur ab irregularitate quando accuſat ob læſionem factam in propria perſona, aut in propriis bonis, ſi ante ſententiam proteſtetur ſe non accuſare ad vindictam; & idem eſt quando accuſat ob læſionem factam eis, qui ſunt ipſi commiſſi, aut ei ſunt ita propinqui, vt eorum iniuria ad ipſum pertinere cenſeatur, quales ſunt parentes, filij, fratres, &c. Idem cum Præpoſ. *loc. cit.* dicendum eſt de accuſante eum, qui dedit damnum Eccleſiæ, vel ſuis ſubditis, & quando accuſator accuſat ad euitandum graue damnum innocentis, vel Reipublicæ, quando aliter impedire tale damnum non poſſit, & in iſto vltimo caſu ex Molina, Auila *loc. cit.* putat non eſſe neceſſariam proteſtationem, quod etiam tenet Præpoſ. *loc. cit. num. 102.*

Resol.

RESOL. XXXIV. *An Aduocatus, qui reum defendit, incurrat irregularitatem, si sequatur mors accusatoris?*

AD hoc dubium ex Vasquez Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 66. dub. 3.* respondet negatiuè, nisi Aduocatus rei postulet pœnam talionis contra accusatorem, secus si solùm defendat reum suum, & ex accidēti sequatur pœna mortis accusatoris. & Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 13. num. 104.* ita asserit: Aduocatum patrocinantem reo non fieri irregularem si accusator deficiens in probationibus morte puniatur, dummodo in progressu non censeatur eum impetere crimina obiiciendo, nisi id sit necessarium ad defensionem rei grauiter alioquin periclitantis, nam verisimile est Aduocatum rei eo casu obiicientem accusatori crimen, non fieri irregularem si præmittat protestationem. Ita ille.

RESOL. XXXV. *An Clerici assistentes quando reus in patibulo suspenditur, incurrant irregularitatem, & peccent mortaliter?*

SI intersunt nullam præstando auctoritatem, non incurrunt irregularitatem, peccant tamen mortaliter, ex *cap. sententiam sanguinis, ne Clerici vel Monachi*, secundùm Sayrum *de censur. lib. 6. cap. 18. num. 20.* & alios. Alij putant peccare tantùm venialiter, si assistant ex curiositate ob paruitatem materiæ. Ita Suarez *de cens. disp. 47. sect. 4. nu. 10.* Auila *part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 14.* quia licet Clericis sit prohibitum in dicto Canone ne se immisceant in causa sanguinis, tamen hæc materia est leuis.

Sed ego puto Clericos etiam in Sacris, Beneficiarios, & Religiosos assistendo tantùm executioni sententiæ mortis, non peccare, neque venialiter, quia Canones hoc prohibentes videntur contraria consuetudine abrogati. Adde quòd Vgolinus *de irreg. cap. 5. §. 3. num. 3.* asserit iura id prohibentia intelligenda esse de Clericis auxilium & fauorem sua præsentia præstantibus.

RESOL. XXXVI. *An quis incurrat irregularitatem si committat aliquid quod sit iure naturæ prohibitum, vt homicidium, ignorans tamen esse prohibitum iure Ecclesiastico, aut saltem pœnam irregularitatis ei esse annexam?*

AFfirmatiuè respondet Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 6. num. 1.* vbi sic ait: *El que ignora el derecho de la irregularidad si haze el atto à que està anexa, incurre en ella, esto es comun y llano porque tambien otras penas, como la del blasfemo y homicida se incurren ignorādo el derecho, y en esto difiere tambien estas penas de las cēsuras porque aquellas como son medicinales no las incurren, los que las ignoran con ignorancia inuincible, mas ha se de entender la conclusion del que ignora el precepto Ecclesiastico tan solamente cometiendo culpa contra ley natural, ò diuina, porque estas irregularidades que se ponen por culpa miran la indecencia que el atto en si tiene, y ansi saltando essa no se incurren.* Sic ille. Et ita hanc sententiam tenet Suarez & Vasquez, quos citat & sequitur Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 8. num. 28.* quia, ait ipse, homicidium, v.g. & quodcumque aliud delictum factum contra ius naturale, etiam cum omnimoda ignorantia prohibitionis Ecclesiasticæ, ob quod lata est irregularitas, est simpliciter tale delictum, v.g. homicidium, aut aliud; & quamuis in eo delicto non sit contumacia in Ecclesiam, remanet in eo sufficiens indecentia ad suscipiendos Ordines, & ad exercendos iam susceptos, ob quam euitandam fertur irregularitas, imò in eo remanet sufficiens culpa, vt ea pœnalitas ei infligatur, quamuis irregularitas infligatur vt pœna. ergo absque fundamento prærequiritur notitia prohibitionis Ecclesiasticę ad incurrendam irregularitatem latam ob delictum alio iure prohibitum. Adde multò minùs prærequiri scientiam, seu notitiam annexionis ipsius irregularitatis ad eam incurrendam, quia de ratione pœnæ, aut quasi pœnæ, non est quòd sit voluntaria; quòd autem delictum absque notitia irregularitatis factum habeat minorem contumaciam, seu inobedientiam respectu Ecclesiæ, parum refert, quia absque ea notitia sufficientem habet contumaciam & indecentiam, est tamen peculiari excommunicatione, & aliis pœnis latis per statuta Ordinariorum, quòd probabiliter ignoratæ non incurrant. Hæc omnia Hurtado.

Verùm non omittam hîc adnotare quòd non desunt DD. contrariā sententiam tenentes, & hi sunt inter neotericos, Thom. Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 32. num. 17. iuncto num. 9.* & Ægid. Coninch *de Sacram. disput. 18. dub. 4. num. 19. & 31.* vbi sic asserit: Probabilius est exercentem actum, cui annexa est in puram pœnam irregularitas, hanc non incurrere si inuincibiliter ignoret iure Ecclesiastico prohibitam: & etiam non est improbabile ignorantiam pœnę irregularitatis excusare, etiam si quis sciat agere contra legem Ecclesiasticam. Ita Coninch, qui multos adducit textus & rationes, & hanc sententiam tenet etiam Ioan. Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 2. nu. 9.* vbi docet absolutè non incurrere irregularitatem committentem aliquid contra legem naturalem, vel diuinam si ignorat, quod idem lege Ecclesiastica prohibetur sub pœna irregularitatis; & licet *n. 10.* teneat hoc non procedere, quando non præceptum Ecclesiasticum, sed solùm pœna irregularitatis ei annexa ignoratur; attamen hanc sententiam, quam ipse contra Sanchez tenet, vocat tantùm veriorem, vnde cum Coninch *vbi suprà* putat illam etiam in hoc casu, quando tantùm ignoratur pœna irregularitatis, esse probabilem; sed tu ne recedas à prima sententia, quoad irregularitatem homicidij, vt optimè obseruat Merolla *in disp. Theolog. tom. 1. disp. 1. cap. 2. corollar. 1. num. 49.* & ego *infrà in hoc tract. resol. 85.* nam quoad alias irregularitates impositas in pœnam puram delicti, ego puto secundam sententiam negatiuam esse probabilissimam. Vide Merollam *vbi suprà*, & de hac quæstione iterùm redibit sermo *in d. resol. 85.*

RESOL. XXXVII. *An irregularitas reddat aliquem inhabilem ab beneficium obtinendum, & ad fructus percipiendos?*

AFfirmatiuè respondet Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 2. num. 12.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 22. num. 120.* Auila *part. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 351.* Sayrus *lib. 6. cap. 2. num. 2.* Couarr. *in cap. alma mater. part. 1. §. 7. num. 1.* Henriq. *lib. 4. cap. 2. num.*

num.7. in gloss. lit.C. & alij penes ipsos, asserentes irregularitatem reddere hominem inhabilem ad obtinendum beneficium, & ideò irregularem non posse tuta cònscientia beneficium retinere, vel fructus ex eo perceptos. Imò obtenta dispensatione ab irregularitate beneficium non potest retineri sine noua collatione, seu reualidatione collationis priùs factæ, & adducunt pro hac firmanda sententia *cap. 2. de Clerico non ordinato ministrante, cap.2. de Clericis pugnantibus, cap.dudum, de electione, cap. cùm bonæ, de ætate ordin.* & secundùm hanc opinionem non valet collatio Prælaturæ Regularis facta irregulari.

Sed ego contrariam sententiã probabilem etiam esse teneo cum Turriano *de censur.lib.7.disp. 58. dub. 2.* Suarez *disp.40. sect.2. num.35.* Hurtado *disp.1.de irregular. diffic. 20. num. 21.* Præpos. *in 3.part.quæst.5.de irregul. dub. 3. num. 18.* Coninch *disp.18. dub.1.num.6.* qui tres vltimi respõdent ad Canones supradictos. Igitur secundùm hanc sententiam certum est peccare mortaliter irregularem acceptando beneficium in irregularitate, & similiter retinendo; valet tamen collatio beneficij, & potest facere fructus suos, neque teneri eos restituere, etiamsi per Iudicem beneficio priuaretur. Item potest validè resignare beneficium, antequam eo priuetur. Item potest impetrata dispensatione irregularitatis, potest, inquam, quis licitè beneficium retinere absque alia habilitatione, vel noua collatione. Potest etiam validè exercere omnes actus competẽtes ratione beneficij, imò & licitè, si nõ sint actus Ordinis, & saltem non sit in mora petendi dispensationem. hinc validè eligit, præsentat, confert beneficia, iurisdictionem, potestatem excipiendi confessiones, ministrandi Sacramenta, benedicendi sponsis, &c. Hæc omnia Præpos. *loc.cit.* & ideò hanc sententiam absolutè tenet Sylvester *ver.excommunicatio 4. nu. 4.* & Plouius *de irregular.reg.44.num.39.* & 40. Verùm his non obstantibus, tu ne recedas à prima opinione affirmatiua tamquam tutiori in praxi, vt obseruat Suarez, Coninch & Turrianus *locis citatis.*

RESOL. XXXVIII. *Quædam notabiliora circa irregularitatem bigamiæ.*

AN laicus bis contrahens, sed cum altera, vel cum vtraque inualidè, aut inualidè contrahens cum vidua, efficiatur irregularis, non constat apud DD. nam aliqui in omnibus his casibus affirmant, alij in quibusdam, in aliis negant; sed, vt verũ fatear, nemo ius aliquod adfert, quo vllo ex his casibus irregularitatem cõtrahi clarè probetur. Hinc infertur primò laicum contrahentem bis inualidè, non esse irregularem. Secundò fictè contrahentem secundùm matrimonium, aut cum vidua, neque etiam in irregularitatem incurrere. Infertur tertiò etiam laicum contrahentem secundùm matrimonium inualidè ob alium defectum minimè irregularem esse. & hæc omnia docet Coninch *disp. 18. dub.11. n. 101.* licet hoc vltimum cum aliqua formidine asserat; verùm illud docet Hurtado *disp. 2. de irregular.diffic.13.n. 41.* Vide etiam ad supradicta stabilienda Auilam *part.7.disp.8.dub.1. & 2.* cũ Henriq. *lib.12.c.6.n.9.* Turriano *de cens. lib.9. disp.70. dub.2.* & Præpos. *in 3. part. quæst.5. de irregular.dub.7.n.135.*

Notandum est hîc obiter pro praxi, quòd ducens feminam à seipso defloratam non incurrit irregularitatem. Ita contra non paucos, docet ex Sanchez Turrianus *loc.cit.* & Præpos. *in 3.part. quæst. 5. de irregul.dub.1.num.133.* cum Petro Cornejo *in 3.part.tract. 5.de irregular. disp.10.dub.2.num. 4.* & ratio est, quia in tali casu neuter diuidit carnem suam nec verè, nec interpretatiuè, cùm illa non fuerit à pluribus cognita, sed ab vno & eodem.

RESOL. XXXIX. *An Clericus sæcularis sacris Ordinibus initiatus, si contrahit cum virgine, incurrat irregularitatem bigamiæ?*

AFfirmatiuam sententiam docet Petrus Cornejo *in 3.part.D.Thomæ tract.5.de irregul.disp.10.dub. 2.quæst.5.* Auila *part.7. disp.8. dub.1.* Præpos. *in 3.part. quæst.5.de irregular.dub.7.nu.136.* Toletus *lib.1.cap.26. n.7.* Valentia *tom.4.disp.7.quæst.19. punct.3.* Emanuel Sà *ver.irregularitas*, vbi de bigamia *num. 4.* Sanchez *de matrim.tom.2.lib.7.disp.85. nu.5.* Suarez *de cens.disp. 49.sect.6.* Coninch *disp.18.dub.11.n.102.* & alij penes ipsos. & probant hanc opinionem ex *cap.1. qui Clerici, vel vouentes,* & ex *c.2.eodem titulo.*

Sed aduersus hanc sententiam nouissimè insurgit Hurtado *disp.2.de irregular. diffic.13. num. 47.* vbi sic ait: Bigamia similitudinaria contingit, quando quis post votum solemne castitatis contrahit matrimonium, quamuis cum virgine, quæ tantùm habet locum cum Religioso, & non cum sæculari in Sacris initiato, vt contra Suarez & Coninch aduertunt non pauci, tum quia *in cap.quotquot 27. quæst.1.* vbi inducitur hæc irregularitas, tantùm est sermo de Religiosis, tum etiam, quia aliàs superfluè sæcularibus in Sacris constitutis apposita esset irregularitas *in cap.nuper*, quando post vnum matrimonium validum ante ordinationem contractum post ordinationem contrahunt aliud, quia primum matrimonium non esset necessarium ad irregularitatem, quia sufficeret contrahere post ordinationem, & etiam superfluè apposita esset eis irregularitas *in cap.vlt.de bigamis*, quando post ordinationem contrahunt cum vidua, quia ad hanc irregularitatem ex bigamia similitudinaria sufficeret contrahere cum Virgine, vt patet *in d.cap.quotquot.* Ita Hurtado, & ante illum Tannerus *in 3.part.disp.6.quæst.10. dub. 10.num.184.* qui citat Henriquez. Ad Canones verò quos pro contraria sententia adducit Sanchez & alij, respondet Turrianus *de cens. lib.9.disp.70. dub. 3.* quòd in illis capitulis non apparet initiatos sacris Ordinibus contraxisse cum virgine.

RESOL. XL. *An vxorem vi ab altero cognitam, maritus post adulterium violentum cognoscens incurrat irregularitatem bigamiæ?*

AFfirmatiuè respondet glossa, Turrecremata, Henriquez, Maiolus, Palatius, Vualdus & alij, quos affert & sequitur Thom. Sanchez *de matrim. tom.2.lib.7.disp.84.n.15.* quibus ego addo Villalobos *in sum.tom.1.tract.21.diffic.31.nu.6.* Suarez *de cens.disp. 49.sect.3.n.16.* Et ratio est, quia vis illa præcisa excusat feminam à culpa, at non efficit matrimonium illud aptum esse ad significandam coniunctionem Christi cum Ecclesia; ergo, &c.

Sed

Sed contrariam ſententiam eſſe probabilem,docet Ioan.Præpoſ.*in 3. part. D. Thom.quæſt.5. de irregular.dub.7.num.*135. quia Canones requirunt vt vxor adulterium commiſerit,vt clarè patet ex textu; ſed vim paſſa non poteſt dici adulterium commiſiſſe. ergo, &c. Nec valet dicere quòd qui ducit corruptam ab alio, etiam vi, ſit irregularis. ergo qui cognoſcit propriam vxorem ab alio cognitam. Nam reſpondetur negando conſequẽtiam,quia in priori caſu eſt expreſſa iuris deciſio, cùm Canones ſolùm requirant eſſe corruptam , quod in omni proprietate etiam dici poteſt de ea,quæ vi eſt corrupta. In noſtro autem caſu dicitur in Canone, *cùm vxorem adulterium commiſiſſe*, &c. Item ſi laici vxor in adulterio fuerit deprehenſa, quod nullo modo dici poteſt in proprietate ſermonis de ea,quæ vi ab alio eſt cognita , & in materia odioſa verba legis ſunt reſtringenda quantum verborum proprietas patitur.

Nec valet dicere ſecũdò quòd irregularitas quæ ex bigamia interpretatiua oritur, eſt ex defectu ſignificationis,qui etiam reſultat ex acceſſu ad ſuam, quæ vi ab alio eſt cognita, nam reſpondeo id non referre , quia propter illam ſolam congruentiam hæc irregularitas non incurreretur ſi non eſſet in iure impoſita: ſed in noſtro caſu non ſufficienter cõſtat hanc irregularitatem eſſe in iure impoſitam, vt patet ex dictis conſiderando Canones.ergo,&c. Vnde patet reſponſio ad argumentum factum à Sanchez pro prima opinione.

RESOL. XLI. *An quis incurrat irregularitatem bigamiæ ſi cognoſcat vxorem poſt eius adulterium , licet non ſit notorium,vel ignoretur ab eo?*

QVoad primum , affirmatiuam ſententiam ex Nauarro & Caſtro docet Sanchez *de matrim. tom.2. lib.7. diſp.*84. *num.*15. & patet ex *cap. ſi cuius,& cap.ſi laici,diſt.*34. Verum Ioan. Præpoſ. *in 3 part q.5. de irregular. dub. 7. num.* 133. notat quòd videtur requiri vt adulterium ſit notorium. nam in d. cap. *ſi cuius*,dicitur.*ſi cuius vxorem adulterium commiſiſſe, cùm eſſet laicus,euidenter fuerit comprobatum*;ſed non eſt recedendum à prima ſententia, quia textus ille intelligitur quoad forum externum,non autem in conſcientia. Quoad ſecundum Emanuel Sà *ver.irregularitas*, qui agit de bigamia, *num.*3. Petrus Ledeſma *de matrimon. quæſt.*66. *art.*3. & alij putant,tunc maritum in noſtro caſu incurrere irregularitatẽ,quando habet copulam cum vxore quam ſcit cõmiſiſſe adulterium,ſecus autem ſi adulterium ignoret.

Verùm contraria ſententia eſt tenenda , quam tuentur Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez *loco cit.* quibus ego addo Petrum Cornejo *in 3.part. D.Thomæ tract.5.de irregul.diſp.*10.*dub.2.quæſt.*4.Villalobos *tom.1.tract.21.difficult.*31.*n.*6. Ioan. de la Cruz *in director.part.2.de irregular. dub.* 1. *concluſ.* 1. Hurtadum *diſp.2.de irregular.diffic.*13 *num.*49. Turrianum *de cenſur.lib.9.diſp* 70.*dub.2.* & Auilam *de cenſ.part.7. diſp.8.dub.*1.vbi cum D. Thom. & aliis rectè docet hoc eſſe verum, licet maritus compulſus per cenſuras Eccleſiç(quia non plenè probauit adulterium in foro externo, vel alia de cauſa) cognoſcat vxorem quæ fornicata eſt.Igitur ſiue ſciẽter,ſiue ignoranter maritus cognoſcat vxorem poſt quam adulterauit,incurrit irregularitatem bigamiæ,quia talis irregularitas incurritur ex defectu ſignificationis, qui reuerà eſt in noſtro caſu, etiamſi in marito adſit ignorantia. Vnde cognoſcens poſteà vxoris delictum,ſoluto matrimonio ab Ordinibus ſuſcipiendis debet abſtinere. Et ita præter Doctores citatos tenet etiam hanc ſententiam Petrus Cornejo *in* 3. *part.D.Thomæ tract.5.de irregular.diſp.*10.*dub.2.quæſt.*4.

RESOL. XLII. *An ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiratur in copula ſeminis virilis emiſsio intra vas femineum?*

AD incurrendam dictam irregularitatem ſufficere tantùm copulã abſque ſeminatione , docet Auila *de cenſur.part.*7.*diſp.*8.*dub.*1. Henriquez *lib.* 11.*c.*15.*n.*3.*in gloſſ.lit.B*. Tabiena, Armilla, Viualdus, Palacius & alij, quos citat Sanchez *de matrimon. to.* 2.*lib.*7.*diſp.*83.*num.*6.Sed ipſe, & meritò,ſententiam contrariam docet cum Borghaſio & Vega,quibus ego addo Hurtadum *diſp.2.de matrimon. difficult.* 13. *n.*48.Turrianum *de cenſur.lib.*7.*diſp.*70.*dub.*1.Præpoſ. *in 3.p. quæſt.5.de matrim.dub.9.n.*75. iuncto cum *n.*77. Coninch *diſp.*18.*dub.*11. *num.* 102. & Megalam *in* 3. *part.lib.*7.*cap.*1.*num.* 65. Vnde in tali caſu quis poſſet promoueri ad ſacros Ordines ſi res occulta fuerit ſine aliqua diſpenſatione ; rationes verò huius ſententiæ inuenies apud Sanchez,ſed maior difficultas conſiſtit *in dub.ſeq.*

RESOL. XLIII. *An ad incurrendam dictam irregularitatem bigamiæ requiratur non ſolùm effuſio ſeminis viri,ſed etiam feminæ?*

SOlùm viri ſemen requiri docet Vega *in ſum.tom.* 1.*c.*38.*caſ.*4. Turrianus *de cenſ.lib.*7.*diſp.* 70. *dub.*1. qui citat Sanchez *vbi infrà*, quia ſemen femineum nõ eſt neceſſarium ad cõſummationem matrimonij & generationem, vt poſt Ariſtotelem docet D. Thom.*in* 3.*part.quæſt.* 31.*art.*5.*ad* 5.

Sed ego contrariam ſententiam non minùs probabilem eſſe exiſtimo,quam tuetur in terminis caſus noſtri,de quo loquimur,Ioan. Præpoſ. *in* 3. *part. quæſt.*5.*de inſolubilit.matrimonij, dub.*9. *num.*81. & probabilem etiam eſſe exiſtimat Sanchez *de matrim. tom.2.lib.*7.*diſp.*83.*num.*6. *in fine*,quia ex Medicorum ſententia ſemen femineum eſt neceſſarium ad generationem & conſummationẽ matrimonij.Vnde ex his vltra deciſionem caſus noſtri ſequitur primò quòd ſi viro ſeminante mulier non ſeminauerit,idque partibus conſtet, poſſint Religionem ingredi, ſitque probabile quòd per profeſſionem ſoluatur matrimonium , atque adeò pars in ſæculo relicta poſſit aliud matrimonium inire.Ita Præpoſ. & alij. Secundò infertur deciſio alterius caſus , quem alibi tetigi,licet cum aliqua formidine. Dico igitur eſſe ſententiam probabilem & ſatis tutam in praxi aſſerere,quòd ad contrahendam affinitatem non ſufficit ſeminatio viri in feminæ matricem , in qua eſt ſanguis menſtruus ad generationem paratus , ſed etiam requiritur ſeminatio feminæ. & ita docet Hurtado *tract. de matrim. diſp.* 20. *diffic.* 1. *num.*5. qui citat Innocentium & Lopez , & hanc ſententiam probabilem etiam putat Præpoſ. Sanchez

&

& Turrianus *loc. cit.* Vnde stante probabilitate huius sententiæ qui habuit copulam cum consanguinea, vel affine vxoris, si illa non seminauit, nō contraxit vllum impedimentum, & ideò potest sine alia dispensatione petere debitum.

RESOL. XLIV. *An hæreticorum fautores, receptatores, defensores, &c. incurrant irregularitatem?*

AFfirmatiuam sententiam tenent communiter DD. quos citat, & sequitur Auila *part. 7. disp. 4. dub. 2. conclus. 2.* quibus ego addo Villalobos *to. 1. tract. 21. diffic. 15. num. 6.* Ioan. de la Cruz *in director. part. 2. de irregular. dub. 4. concl. 2.* Præpos. & Coninch *vbi infrà*, Suarez *de cens. disp. 43. sect. ... num. 5.* Valentiam *tom. 4. disp. 7. quæst. 19. punct. 3.* Toletum *lib. 1. cap. 69. num. 2.* & amicissimum Sanctarellum *tract. de hæresi cap. 25. dub. 1. n 4.* qui hoc probat ex *cap. 2. §. hæretici, de hæret. in 6.* vbi isti dicuntur esse inhabiles ad omne beneficium & officium publicum, & sub nomine officij publici comprehenduntur non solùm officia temporalia, sed Ecclesiastica, & consequenter etiam Ordines qui pertinent ad officium publicū. Alij adducunt alios canones, sed Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 62. dub. 2.* obseruat quòd hæc sententia ex iure non omnino apertè colligitur, & ideò Hurtado *disp. 2. de irregular. diffic. 3. num. 9.* difficile existimat supradictos incurrere irregularitatem, quia in iure dicuntur tantùm inhabiles ad beneficia & officia publica: quòd autem sub nomine officiorum non includatur Ordo, aduersus Sanctarellum & alios, probat Hurtado *loco cit. n. 7.* adi illum, & non pigebit; & hanc sententiam absolutè docet Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 8. dub. vnico quæst. 8.* Sed stando in prima opinione Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 7. num. 44.* Coninch *disp. 18. dub. 7. nu. 51. concluſ. 2.* & alij, limitant illam, vt intelligatur, si supradicti foueant hæreticos formaliter, seu vt tales, ita vt per hoc foueantur in hæresi, secus autem si ob amicitiam, parentelam, &c.

RESOL. XLV. *An filius natus ex patre Catholico, qui postea in hæresim incidit, & in ea mortuus est, vel etiam si pœnituerit, brachio seculari traditus est, an, inquam, in his casibus filius incurrat irregularitatem?*

AFfirmat Auila *part. 7. disp. 4. dub. 7.* Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 62. dub. 2.* & alij. Negat Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 3. num. 8.* Villalobos *tom. 1. tract. 21. difficult. 16. num. 9.* & alij.

Sed licet vtramque sententiam existimem probabilem esse, tamen aduerte amice Lector, quòd sententia negatiua parum refert in nostris partibus. nam licet supradicti non incurrant irregularitatem inflictam in cap. *statutum* contra filios hæreticorū, incurrere tamen facilè possunt irregularitatem ortam ex infamia. Igitur sententia negatiua deseruiet pro locis hæresi valdè infectis, vbi hanc irregularitatem ex infamia filij hæreticorum non incurrerent, vt obseruat Tannerus *in 3. part. disp. 6. quæst. 10. dub. 10. num. 201.* secus autem, vt dictum est, in nostris; & ita aduertit Præpositus *in 3. part. quæst. 15. de irregular. dub. 7. num. 2.* & Coninch *de Sacrament. disp. 18. dub. 7. num. 51. in fine*, quod est valdè notandum, quia multi in hoc possunt se decipere ex auctoritate DD. asserentium supradictos non incurrere irregularitatem, qui tamen nihil asserunt de irregularitate ex infamia, sed loquuntur tantùm, vt dictum est, de irregularitate lata contra filios hæreticorum.

RESOL. XLVI. *An hæreticus occultus incurrat irregularitatem?*

AFfirmatiuè respondet Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 62. dub. 1.* Filliucius *tom. 1. tract. 20. can. 9. num. 228.* Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 7. num. 51.* Coninch *de cens. disp. 18. dub. 7. nu. 50.* Suarez *de cens. disp. 43. sect. 1. num. 4.* Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 25. dub. 1.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 25. nu. 2.* & alij penes ipsos, adducentes pro hac firmanda sententia multos canones.

Sed non desunt Doctores negatiuam sententiam asserentes, & ita nouissimè docet Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 9. dubio vnico, quæst. 4.* Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 4. num. 13.* & Tannerus *in 3. part. disp. 6. quæst. 10. dub. 10. nu. 200.* Layman *in Theolog. moral. lib. 2. tract. 5. part. ... cap. 6. n. 11.* Philiarcus *de officio Sacerd. tom. 1. part. 1. lib. 4. cap. 15.* Auila *part. 7. disp. 4. dub. 2.* Henriquez *lib. 14. cap. 4. n. 6.* Emanuel Sà *ver. irregularitas ex defectu animæ, num. 2.* Sayrus *de cens. lib. 7. cap. 12. num. 16.* & Garzias *de benefic. tom. ... part. 11. ca. 10. n. 83. & 84.* Vnde secundùm hos Doctores hæreticus occultus post impetratam absolutionem potest sine vlla dispensatione & metu irregularitatis celebrare. & ad *cap. ad abolendam*, respondent, quòd loquitur de publico hæretico, vt apparet in illis verbis, *quicumque manifestè fuerit in hæresi deprehensus.* Sic etiam *cap. saluberrimum 1. quæst. 3.* loquitur pariter de hæretico publico, & de solemni abiuratione, quæ in scriptis fit, & hanc sententiam probabilem esse docet Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 15. n. 193.* Sed tu ne discedas à prima opinione tamquam probabiliori.

RESOL. XLVII. *An qui de hæresi suspecti coguntur per Inquisitores abiurare de vehementi, incurrant irregularitatem?*

HOs esse irregulares ratione suspicionis vehemētis de hæresi, & notorię quidē, tradit Azorius *tom. 1. lib. 8. c. 21. quæst. 8.* & nouissimè hanc sententiam docet etiam Emanuel Moura *opusc. 1. de exsalmis & incantationibus sect. 3. cap. 6. num. 21. & 22.*

Sed dicendum est nullatenus esse irregulares, & ita docet Coninch *de censur. disp. 18. dub. 7. num. 55.* Sanctarellus *de hæresi cap. 25. dub. 1. numer. 9.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 25. num. 12.* Henriquez *lib. 13. cap. 56. num. 1.* Sousa *in aphorism. inquis. lib. 3. cap. 5. num. 6.* Farinacius *de hæresi, quæst. 192. §. 5. num. 80.* Nauarrus *lib. 5. de hæret. consil. 16. num. 1.* Portel *in addit. ad dubia regul. ver. irregularitas, num. 20.* Garzias *de benefic. tom. 2. part. 11. cap. 10. num. 88.* asserens ita fuisse resolutum in Rota. Emanuel Sà *ver. hæresis, num. 5.* & alij. Ratio est, quia hi non damnantur tamquam hæretici, nec imponitur eis aliqua pœnitentia ob hæresim, sed ob ea gesta, ex quibus hæresis suspicio orta est, à qua se purgat per abiurationem,

&

& in iure imponitur pœna irregularitatis hæreticis, non autem abiurantibus hæresim, & ideò Villalobos *in summa tom.1. tract.21. diffic.15. num.2. dize de vn Prelado que abiuro* de vehementi, *y el dia siguiente sin dispensacion de fue à dezir Missa, loqual aprobo, y loo el Papa, y toda la curia.*

RESOL. XLVIII. *An suspecti de hæresi sint irregulares?*

AFfirmat Pesantius *in addit. 3. part. q. 20. disp.5.* Turrianus *de censur. lib.9. disp.62. dub.2.* & alij. negat Præpositus *in 3.part. quæst. 5. de irregular. dub. 7. num.47.* & alij.

Sed tu dic cum Sanctarello *tract. de hæresi cap.25. dub.1 num.9.* & aliis penes ipsum, quòd suspecti de hæresi sunt irregulares quando suspicio oritur ex eo, quòd fauent hæreticis, vel illos defendunt, vel recipiunt, sed si suspicio oritur ex alio crimine, tunc non erunt irregulares propter huiusmodi suspicionem, sed solùm propter infamiam, si crimen fuerit notorium; quare si auferatur infamia, & suspicio purgetur, consequenter etiam tollitur huiusmodi irregularitas, & ita docet Sanchez *to.1. lib.2. cap.25. num.10.* Filliucius *tom.1. tract.20. cap.9. num.235.* Villalobos *in summa tom.1.tract.21.diffic.16. num.7.* & alij penes ipsum.

Notandum est tamen hîc obiter secundùm Auilam *de censur. part. 7. disp. 4. dub.2.* Saytum *de censur. lib. 7. cap.12. num.16.* & alios posse Clericum qui lapsus est in hæresim post pœnitentiam & abiurationem exercere susceptos Ordines; sed non posse ante susceptam legitimam dispensationem saltem ab Episcopo, docet Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 7. num. 42.* Coninch *de censur. disp. 18. dub.7. num.57.* Verùm non omittam hîc etiam adnotare affirmatiuam sententiam absolutè & sine vlla distinctione docere nouissimè Hurtado *disp. 2. de irregular. diffic. 3. num. 10.* vbi sic ait, Clerici conuersi ab hæresi non possunt ad superiorem Ordinem promoueri, vt patet ex *canon. saluberrimum 1. quæst.7.* possunt tamen absque dispensatione aliqua suis Ordinibus vti quidquid nonnulli dicant, vt ex eodem canone deducitur. Ita ille. Sed tu negatiuam sententiam tene per ea, quæ adducit Sanctarellus *tract. de hæresi cap.25.dub.1.nu.3.& 6.* & Pegna *in director.inquisit. part.3. comment. 175.* vbi etiam asserunt Pium V. *anno* 1567. prohibuisse Inquisitori Generali Hispaniarum, vt non possit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus dispensare vt Missam celebrent. Vide Suarez *de censur. disp. 43. sect.1. num.6.* vbi asserit cum supradictis hæreticis pœnitentibus posse Episcopos dispensare circa vsum Ordinum vsque ad Diaconatum inclusiuè, secus autem quoad dispensationem Sacerdotij.

RESOL.XLIX. *An fictè negans fidem ab ea apostatando, siue sponte, siue timore ductus, incurrat irregularitatem?*

HIc casus olim mihi in facti contingentia accidit, & supradictum apostatam esse irregularem docet Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 25. dub.1. num. 4.* Maiolus *de irregular. lib. 5. cap. 34. num. 2.* Sanchez *in summa tom.1.lib.2. cap.25. num.6.* Suarez *de cens.disp.43.sect.2.n.2.* Farinacius *de hæresi quæst.92. n.73.* quod probat Sanchez ex *c. Presbyteros, dist.50.* qui textus de fictis apostatis videtur apertè loqui.

Verùm ego contrariam sententiam cum Filliucio *tom.1.tract.20.cap.9.num.230.* probabilem puto, si crimen occultum sit. nam si crimen esset notorium, incurreret irregularitatem ex infamia, non autem irregularitatem peculiarem; & ratio est, quia talis irregularitas non videtur inflicta contra tales in nullo canone: ergo, &c. & ita hanc sententiam tenet Azorius *tom.1. lib. 8. cap. 11. quæs. vlt. & cap.21.quæs.8. & ad cap. Presbyteros* respondet Filliucius *loco citato, num.231.* & hanc sententiam probabilem etiam esse putat Bonacina *de censur. disp. 7. quæst 3.punct.7. num 2.* nam sententiam contrariam, quam ipse, & meritò, tenet, & ego teneo, vocat tantùm probabiliorem.

RESOL. L. *An filij Sacramentorum, Paganorum, Iudæorum, &c. sint irregulares?*

REspondeo quòd si dicti baptizati sunt ab infantia, nullam incurrunt irregularitatem, quia non sunt filij hæreticorum, contra quos lata est in iure irregularitas. Ita DD. quos citat & sequitur Bonacina *de censur.disp.7.quæst.3.punct.7.nu.11.* Si autem conuersi sunt, & baptizati in adulta ætate, dicuntur Neophyti, & sunt irregulares, vt communiter tradunt Doctores; difficultas verò consistit quanto tempore sit iudicandus aliquis Neophytus, vt ratione irregularitatis non possit etiam minores Ordines recipere. Mihi placet sententia Filliucij *tom.1. tract.20. cap.9. num.240.* Suarez *de cens. disp. 42. sect.3. num. 6. & 7.* & aliorum, asserentium non posse vllum certum tempus assignari ad iudicandum aliquem pro Neophyto, sed hoc remitti arbitrio Episcopi, qui potest eum promouere, quem post aliquam temporis dilationem à die susceptæ Baptismi iudicat habilem & idoneum ad Ordines. Nota tamen quòd in tali casu Episcopus non dispensat in irregularitate, sed declarat irregularitatem cessasse, iura enim certum tempus non præscribunt. Nota tamen hîc cum Hurtado *disp.2.de irregular. diffic.19. num.61.* & aliis, quòd post decem annos à suo Baptismo Neophytus non est ampliùs irregularis.

RESOL. LI. *An irregularitas homicidij tollatur per Baptismum?*

MOrdicus negatiuam sententiam tenet Vgolinus *de irregular. cap. 56. §. 7. num. 4.* vbi ex pluribus rationibus illam conatur defendere, sed aduersus illum insurgit Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic.7.n.2.* vbi sic asserit: *De la irregularidad que nace del homicidio cometido antes del baptismo ay difficultad. Vgolino dize que no se quita por el baptismo que este solo quita la culpa y no la irregularidad, mas la contraria sentencia tienen casi todos y consta de vn testo* cap. si quis vidua dist.50. *aunque no es muy fuerte, por que se trahe por argumento à contrario sensu. Y aunque estando in puncto iuris se podria defeder lo que dize Vgolino; mas esta es mas probable y se ha de seguir en practica.* Ita ille. Vide etiam Hurtado *disp.2.de irreg. diffic.20.n.64.* & nouissimè Io. Honorium *in compend. iuris canonic. lib. 5. tit. 39.*

*num.*111.vbi ſic ait : Tollitur Baptiſmo omnis irregularitas etiam ex homicidio contracta, præterquàm ea quæ contracta eſt ex defectu Sacramenti, vt bigamia. Ita ille, & nouiſſimè Petrus Cornejo *in 3.part. D.Thomæ tract.5.de irregul.diſp.1.dub.4.q.5.*

Resol. LII. *An in dubio facti non ſolùm in caſu homicidij, ſed etiam in aliis caſibus quis cenſendus ſit irregularis?*

DE hoc caſu alibi pauca diximus, & ad illum affirmatiuè reſpondet Hurtado *diſp. 1. de irregular. diffic. 4. num. 15.* & ante illum Vaſquez *in 1.2. diſp.66. cap.1.* & Turrianus *de cenſuris lib. 8. diſp.57. dub.5.* Ratio eſt, quia aliàs ſic dubius temerè ſe exponeret periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis,quod efficaciter deducitur ex *cap.ad audientiam, & cap. ſignificaſti, de homicidio,* in quibus generaliter traditur doctrina pro omni puro dubio facti, quia in eis non traditur ratio aliqua peculiaris & propria dubij homicidij,ſed generaliter omnibus dubiis, (excepto dubio in materia iuſtitiæ) quia in illis capitibus non dicitur in dubio homicidij abſtinendum eſſe à miniſterio Altaris,quia in eo dubio, ſed quia in dubiis tutiorem ſemitam debeamus eligere : vbi exponendum eſt quod dicitur *debeamus,* quo denotatur tunc non imponi à Pontifice peculiarem aliquam obligationem pro caſu homicidij, ſed obligationem generaliter in dubio cuiuſcumque facti aliunde prouenire,ex lege videlicet, aut ex præcepto, cuius tranſgreſſioni dubius ſe temerè exponit. Hæc Hurtado, & ideò Turrianus ait quòd in ſupradictis iuribus interrogatus Pontifex non condidit nouum ius, ſed declarauit obligationem iuris naturalis,nam circa factum non debebat ſtatuere legem, ſed pro futuro. Item quia reddit rationem ſuæ regulæ,nempe quia in dubiis tutior pars eſt eligenda. quæ ratio ineptè ſubiungeretur ſi eſſet falſa, & non contineret doctrinam vniuerſalem.

Verùm his non obſtantibus, communiter contrariam ſententiam docent DD. nempe in ſolo homicidio quem cenſeri irregularem in dubio facti, ſecus autem in aliis caſibus. Ita Malderus 1.2. *D.Thom.quæſt.19.art.5.diſp.87.dub.8.* Alfonſ.de Leone *tract. de offic. & poteſt.confeſſ.to.1.recollect.17.nu.68.* Suarez *de cenſur. diſp. 40.ſect. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 13. num. 4.* Auila *part. 7. diſp. 2. dub.5. concluſ.2.* Sanchez *tom.1. lib.1. cap.10. num.48.* Layman *lib.1. tract.1. cap.5.§.4. num.3.* Coninch *de Sacram. diſp.18. dub.2.nu.22.* Salas *in 1.2. quæſt.21.tract.8.diſp.1.ſect.18. nu.168.* & alij penes ipſos. Prima pars noſtræ concluſionis probatur ex dictis *c.ad audientiam, & cap. ſignificaſti.* Secunda pars probatur, quia omnia iura clamant in caſu dubio neminem eſſe puniendum, eò quòd in dubiis melior ſit conditio poſſidentis; ad rationes verò ſuperiùs adductas reſpondet Suarez & alij *vbi ſuprà.* Ex his infertur contra Henriquez *lib. 14. cap. 3. num. 4.* dubium an mutilauerit non eſſe irregularem, cùm iura, vt dictum eſt, in ſolo dubio homicidij hanc irregularitatem ſtatuerint, non ſunt extendenda ad dubium facti mutilationis. Ita Sanchez *tom.1.lib.1.cap.10.n.49.* & alij. Deinde ex his ſequitur quòd in dubio iuris quis non ſit cenſendus irregularis, quando videlicet non conſtat irregularitatem aliquam eſſe à iure ſtatutam, quod clarè probatur ex *cap. is qui, de ſent. excommun. in 6.* vbi deciditur irregularitatem non incurri niſi quando eſt expreſſa in iure : at quando ius eſt dubium,non dicitur eſſe expreſſa in iure:ergo. & ita docent DD. cit. *vbi ſuprà.*

Non deſinam tamen hîc adnotare aliquos aſſerere etiam in dubio facti homicidij neminem ſe irregularem gerere debere, & ad *cap. audientiam,* reſpondent procedere quando homicidium eſt ita dubium, vt veriſimilius ſit fuiſſe perpetratum, idque ſic videri declaratum ab Innocentio III. *cap. ſignificaſti 2. ad fin.* & hanc ſententiam non eſſe improbabilem docet ipſemet Suarez *de cenſ. diſp. 40. ſect.6.num.70.* & poſt illum Salas *in 1.2. tom.1. quæſt. 21. tract.8. diſp.1. ſect.6. num.70.* Alfonſus de Leone *tract.de poteſt. confeſſor.to.1.recollect.17.n.57.* & Rebellius *part.2.lib.1.quæſt.3. ſect.2. num.13.* aſſerens quoſdam recentiores ita ſentire ; ſed non eſt recedendum à contraria ſententia, niſi in dubio homicidij iuſtè commiſſi, vt in bello iuſto. nam in hoc caſu dubitantem, vt ſuprà diximus, puto non eſſe irregularem, quia *in cap. ad audientiam, & in cap. ſignificaſti,* ſermo eſt de dubio facti homicidij : occiſio autem iuſta non venit ſub nomine homicidij, ergo, &c.

Resol. LIII. *An Epiſcopi incurrant irregularitatem, quæ fertur aliquo iure generali?*

NEgatiuè reſpondet Maiolus *lib. 1. de irregular. cap.1. num. 7.* nam *in cap. quia periculoſum 4. de ſentent. excommun. in 6.* ſtatuitur Epiſcopos non teneri iure generali ferente ſuſpenſionem, aut interdictum. Sed quia iſte Doctor erat Epiſcopus, agebat cauſam ſuam : cùm igitur ſine fundamento loquatur, non eſt recedendum à contraria ſententia quam docet Hurtado *diſp.1. de irregul. diffic.7.nu.26.* & Turrianus *de cenſ. lib.8. diſp.59. dub.1.* quia nullo iure excipiuntur ab incurrendo irregularitatem, imò nec ab incurrendo excommunicationem, quamuis iure dicti cap. excipiantur ab incurrendo ſuſpenſionem & interdictum, quæ iure generali feruntur,quæ ſunt diſtincta ab irregularitate & ab excommunicatione.

Resol. LIV. *An ſit irregularis Latinus ſi ordinetur à Græco, vel Græcus ſi ordinetur à Latino, & quid ſi ordinetur ab Epiſcopo ſchiſmatico?*

AFfirmatiuam ſententiam quoad primum docet Maiolus *lib. 4.de irregular.cap.32.* quod probat ex *cap.cùm ſecundùm,* & ex *cap.ex parte,de tempor. ordin.* Sed contrarium tenendum eſt,quia in priori cap. *cùm ſecundum,* verum eſt quòd id prohibetur, ſed pœna irregularitatis non imponitur;in cap.verò *ex parte,*nõ eſt ſermo de hac materia,& ita hanc ſententiam negatiuam tenet Turrianus *de cenſuris lib.9.diſp.61.dub.3.* Filliucius *tom.1.tract.20.cap.7.nu.* 203. & alij; non nego tamen eſſe prohibitum Græcos ordinari à Latinis, & Latinos à Græcis,vt probat Azorius *tom.2.lib.3.cap.48.quæſt.14.*

Quoad ſecundum dico non incurri irregularitatem propter ſuſceptionẽ Ordinum ab Epiſcopo ſchiſmatico, & ita cenſuerunt quinque Theologi Socie-

Societatis Iesv in Collegio Rom. in consultatione de hac re habita, vt testatur & probat Io. Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 5. nu. 28.* non obstante instructione Clement. VIII. super Ritibus Græcorum *anno* 1595. quam interpretatur Præpositus *vbi suprà.*

Resol. LV. *An efficiatur irregularis si quis suscipiat Ordinem furtiuè, & quid dicendum in aliis casibus sæpiùs in praxi occurrentibus?*

Respondeo quòd qui ordinatur furtiuè, incurrit irregularitatem; dicitur verò furtiuè ordinari qui non examinatus, neque admissus suscipit Ordines, vel quando fecit vt alius examinaretur, & ipse loco illius & nomine suscipit Ordines, vt patet ex *cap. 1. de eo, qui furtiuè ordinatur*; dispensatio verò huius irregularitatis committitur Episcopo, *cap. 1. & vlt. tit. cit.* cum hac tamen conditione, vt non fuerit denuntiatus ab Episcopo, vel Archidiacono, vel alio ministro mandante vt nullus se furtiuè ingerat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, in hoc enim casu non potest Episcopus dispensare, nisi aut Religionem ingrediatur, aut faciat ibi condignam pœnitentiam, & ita docet Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 61. dub. 3.* Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 1. num. 3.* Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 5. num. 26.* Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 5. nu. 43.* Suarez *de cens. disp. 42. sect. 3. nu. 5.* & alij penes ipsos, verùm quia hoc tempore Episcopi communiter ferunt excommunicationem contra furtiuæ ordinationi se ingerentes, ideò dicta irregularitas regulariter Papæ est reseruata.

Non desinam tamen hîc adnotare, Bonacinam *de censur. disp. 7. quæst. 3. punct. 4. nu. 6. in fine.* docere, licet cum aliqua formidine, supradictam doctrinam esse veram, quando quis diaconatum furtiuè suscipit, & consequenter in hoc casu incurri irregularitatem, vt loquitur *dict. cap. 1.* Secus autem in suscepti one furtiua aliorum Ordinum. nam in hac contrahitur tantùm suspensio.

Nota etiam hîc non incurrere irregularitatem si quis ordinetur in his casibus. Primò quando quis accipit Ordines ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui quoad locum & dignitatem. Secundò qui ordinatur ante legitimam ætatem. Tertiò qui ordinatur ab Episcopo alieno sine licentia proprij. Quartò qui ordinatur non seruatis interstitiis. Quintò qui ordinatur per saltum. Sextò qui recipit Ordines extra tempora sine dispensatione. Septimò qui existens in irregularitate si recipiat Ordines sine dispensatione dictæ irregularitatis; in his enim casibus non irregularitas, sed suspensio incurritur. Ita Filliucius *tom. 1. tract 20. cap. 7. nu. 190. & seq.* Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 12. n. 1.* & alij.

Nota etiam secundò quòd aliqui probabiliter asserunt ligatum maiori excommunicatione recipiendo scienter, vel cum ignorantia crassa, vel affectata Ordines sacros, non incurrere irregularitatē. Vide Bonacinam *vbi suprà.* Idem dicendum est etiam probabiliter de suspenso & interdicto, & de recipiente Ordines sine confirmatione, vnde in gratiam Confessariorum dico absolutè, quòd in duobus tantùm casibus quis in mala Ordinum susceptione incurrit irregularitatem. Primò si furtiuè ordinetur modo, quo *suprà* dictum est. Secundò si durante matrimonio, etiam non consummato, præsumit sacros Ordines suscipere; in aliis autem casibus quos adducunt DD. asserentes incurri irregularitatem in susceptione Ordinum, tu tenē contrarium, quia cùm non exprimantur in iure, non sunt admittendi, vnde prudens Confessarius à multis irregularitatibus liberabit pœnitentes & consulentes, & ita hanc opinionem tenet Hurtado *disp. 2. de cens. diffic. 1. n. 3.* & Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 5. n. 27.*

Resol. LVI. *An qui sine Ordine requisito administrat Sacramenta sit irregularis?*

Svppono primò quòd si quis præsumat solemniter baptizare carens Ordine ad id requisito, & qui sine sacerdotali Ordine præsumat Missam celebrare, efficitur irregularis, ex *cap. 1. & 2. de Cleric. non ordin. minist.* Sed difficultas est, an irregularitatem incurrat is qui sine Ordine requisito administrat alia Sacramenta, vt, v.g. si Clericus præsumat sacramentaliter absoluere, vel conferre Extremam vnctionem, imò & Sacerdos qui solùm priori ordinatione est ordinatus. Item si simplex Sacerdos præsumat conferre sacramentum Confirmationis, vel Ordinis, &c. ad hanc difficultatem communiter respondent DD. affirmatiuè, vide Auilam *part. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 15.* Coninch *disp. 18. dub. 6. num. 48.*

Sed, vt verum fatear cum Io. Præposito *in 3. part. quæst. 5. dub. 6. nu. 35.* hæc opinio videtur pati difficultatem, cùm nullo iure expresè habeatur aliquem carentem Ordine administrantē Sacramenta fieri irregularem. Sed DD. id tradunt ex *cap. 1. cit.* vbi dicitur: Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur ab Ecclesia, & numquam ordinetur. Sub diuinis autem Officiis non satis constat hîc contineri administrationem Sacramentorum, cùm sæpè in iure inter se distinguantur, vt patet ex *c. Episcoporum, de priuileg. in 6.* & ex *cap. responsio, de sent. excommun. c. alma mater, eodem tit. in 6.* & ex Trident. *sess. 21. c. 4. de reform.* Confirmatur, quia Baptismus *in cap. cit.* cōdistinguitur contra diuinum Officium ergo non videtur satis constare diuinum Officium ibi comprehendere Sacramentorum administrationem, quamuis quibusdam aliis capitulis comprehendere videatur, & ideò opinio negatiua videtur aliquibus probabilis, & illam docet Syluester *ver. Confessor 1.* ego autem non audeo recedere ab opinione affirmatiua.

Notandum est tamē hîc obiter quòd digladiantur DD. inter se, an laicus exercens actum Ordinis incurrat irregularitatem? alij negant, alij affirmāt, & omnes quidem probabiliter; sed mihi affirmatiua opinio videtur probabilior, quia licet titulus affixus in supradictis capitibus loquatur de Clericis vsurpātibus Ordinem quo carent, tamen dicta iura absque limitatione loquuntur de vsurpante Ordinem, quem non habet, & titulus ipsis affixus post ipsa iura lata affixus est, & non à ferente illa, vt benè obseruat Præpos. *vbi sup.* & Hurtado *vbi infrà.*

Verùm vt hæc irregularitas incurratur siue à Clerico, siue à laico, requiritur vt Ordinem quem vsurpat exerceat seriò, & quòd exerceat illum vt ordinatus, seu solemniter, id est, eo modo, quo nequeat à non ordinato exerceri, vnde laici qui exercent Ordines minores, quocumque modo eos exerceant, non fiunt irregulares, quia actus eorum Ordinum iam non censentur propria eorum, nec qui in Missa canit Epistolam sine manipulo, quamuis cum Dalmatica. Imò laicus, canens prædicta cum omnibus requisitis, quamuis peccet, non fit irregularis si id efficiat animo exercendi eum Ordinem, sed supplendi defectum ordinati, & qui baptizat non solemniter, quamuis sit laicus, & extra necessitatem, non fit irregularis, & qui fingens se Parochum assistit matrimonio, non fit irregularis, & hæc omnia docet Hurtado *disp.2. de irregul. diffic.2. nu.5.* & alij, licet, vt *suprà* dixi, probabiliter aliqui asserant absolutè laicum exercentem actum Ordinis non fieri irregularem. Vnde ego olim interrogatus, an laicus sacramentaliter absoluens incurrat irregularitatem? respondi negatiuè cum Sayro, Henriquez & aliis, quos citat & sequitur Barbosa *in collect. tom.2.lib.5.tit.28.c.1.n.7.* licet magis probabiliter contrarium dicendum sit, quia talis absolutio est actus Ordinis: ergo, &c.

RESOL. LVII. *An Clericus excommunicatus incurrat irregularitatem, si faciat coram se celebrare? & multi casus aduersus Maiolum deciduntur.*

AD hunc casum affirmatiuè respondet Villalobos *in summ. tom.1.tract.21. diffic.14.num.3.* vbi sic ait: *El que haze celebrar delante de si estando descomulgado incurre en irregularidad como dize la glosa, Abad, Couarr. y otros muchos y lo prueuan de lo texto* cap. illud, de Cleric.excommunic.minist. *ibi*, celebrationi se ingesserit, *y dize Suarez que es comun sentencia y aunque el la restringe à los Sacerdotes los de mas Doctores no la restringen.* Et ita etiam docet Pet.Cornejo *in 3. par.D.Thom.tract.5. de irregul.disp.6.dub.vnico, quæst.5.* qui citat Nauarrum, & Sayrum.

Verùm contrariam sententiam nouissimè tuetur Præpos. *in 3.part.quæst.5. de irregular. dub.6.nu.38.* vbi sic asserit, An Ecclesiasticus excommunicatus faciens coram se celebrari, incurrat irregularitatem? affirmant varij ex *cap.illud, de Cleric.excommun.* &c. ex quo tamen non sufficienter colligitur, vt patet ex textu; verius est non incurrere. Ita ille.

Nota tamen hîc obiter quòd si aliquis non est censura ligatus, & faciat vt excommunicatus, suspensus, vel interdictus coram se celebret, non est irregularis. Ita Cornejo *vbi suprà*, contra Sayrum & Nauarrum, quia talis irregularitas non reperitur in iure, & *in cap.illud*, est sermo quando excommunicatus facit coram se celebrari.

Nota etiam hîc quòd licet Clericus ligatus censura incurrat irregularitatem exercendo actum Ordinis, attamen per indignam administrationem Ordinis non incurritur irregularitas quando non est administratio contra censuram. Ex qua regula excluduntur casus ab irregularitate, quos falsò apponit Maiolus *lib.3. cap.18.* aduersus quem insurgit Turrianus *de censur.lib.9.disp.61.dub.5. per totum.*

Et nota etiam hic contra dictum Maiolum *lib. 4 cap.1.num.8.* Episcopum qui malè vtitur potestate sua in conferendo Ordines, non incurrere irregularitatem. Ita Turrianus *loco cit.* qui etiam notat aduersus dictum Maiolum *lib.3.cap.26.num.5.* quòd non est irregularis qui celebrat prætermisso toto ritu Ecclesiæ in celebrando & sacrificando. Item non incurrit irregularitatē Sacerdos qui pro persona viuenti Missam defunctorum dicit, quidquid ipse Maiolus asserat *lib.3. cap. 25. num.6.* vt optimè notat Turrianus *vbi suprà*, nec per iteratam receptionem sacramenti Confirmationis contra Maiolum *lib.3. c.15.* nec per susceptionem fictam Baptismi contra eumdem *lib.3.c.7.* & nota cum Turriano *vbi suprà disp.62.dub.3.* dictum Maiolum *lib.5.* ferè per quadraginta capita referre multa peccata, propter quæ dicit incurri irregularitatem, & de nullo id satis probat, exceptis aliquibus, vnde cautè illum lege, & in casu occurrenti consule alios DD. & tene menti illam regulam ab omnibus receptam, & *in cap. is qui, de sententia excommunic. in 6.* latam, videlicet quòd nulla irregularitas incurritur nisi sit in iure expressa, ex quo principio à multis irregularitatibus cōsulentes, vel pœnitentes liberabis, & ideò quando accidit casus, considera si in iure adest textus clarus & expressus imponens irregularitatem, & tunc non est dubium, quòd irregularitas incurritur: si autem adsunt opiniones probabiles ex vtraque parte, vel dubium si in illo textu imponatur irregularitas, tunc potes liberare consulentem, seu pœnitentem ab irregularitate, & ita docent communiter Doctores. Vide Villalobos *tom.1.tract.21.diffic.22.n.1.*

RESOL. LVIII. *An expositi dicantur irregulares?*

HAnc quæstionem ego tractaui *in 2. part.tract. 15. resolut. 22.* & pro parte affirmatiua multos Doctores adduxi, quibus nunc addo Hurtado *in disp.2.de irregul.diffic.14.n.57.*

Sed ibi ego negatiuam sententiam tenui, & nunc etiam teneo, & præter DD. quos ibi pro hac sententia citaui, nouissimè illam tenet, me citato, Io. Dominicus Tassonus *in pragmat. de antifato vers. 13. obseru.1.num.78.* Squillante *de priuileg. Cleric. cap.4. dub.2. num.39.* Mercerus *in 3. part. D. Thomæ de Sacram. quæst. 24. dub. 12. quæritur 2.* Malderus *in 1. 2. D. Thomæ quæst. 19. art.5. disp. 87. in fine.* Præpositus *in 3.part. quæst.5. de irregul. dub. 16. num. 127.* Salas *in 1.2. tract.8. disp. vnic. sect. 24. num. 246.* Pesantius *in addit. ad 3.part. q. 20. disp. 5.* & Turrianus *de censur. lib.9.disp.71.dub.1.* asserit de iure nouo hanc sententiam tenendam esse: nam Gregor.XIV. Bulla quadam edita *anno 91.* in gratiam confraternitatis pro expositis decernit, vt habeantur pro legitimis, quod etiam testatur Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract.5.de irregular. disp.15.dub.1.n.4.* Coninch *in disp. 18. dub. 12. num. 105.* Peirinus *tom.2. de Relig. Prælat. quæst.2.cap.5.§.9. num.136.* Henriquez *lib.13. cap.8. num.10. in glossa lit. L.* & Auila *de cens. part. 7. disp. 3. dub. 7.* Vnde sine vllo metu irregularitatis puto supradictos expositos posse sacros Ordines suscipere; & ratio est, quia expositi nullo iure decernuntur illegitimi, & quòd aliquis exponatur,

non

non est sufficiens signum quòd sit extra matrimonium susceptus, cùm parentes ob paupertatem prolem suam interdum exponant; ergo, &c.

RESOL. LIX. *An dubius si quis sit illegitimus, debeat censeri irregularis?*

AFfirmatiuam sententiam tenet Vasquez, Couarr. & Toletus, quos citat, & sequitur Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 17. n. 56.* ne se exponat periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis; quod autem dicitur neminem in dubio esse condemnandum, tantùm est verum de pura condemnatione, seu pœna; non verò de condemnatione, seu pœna, quæ est prohibitio, ob rationem dictam. Hæc Hurtado, cui adde Reginaldum *to. 2. lib. 30. tract. 2. c. 7. n. 78.* & Turrianum *de censur. lib. 9. disp. 71. dub. 1.*

Verùm ego contrariæ sententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 15. dub. 1. quæst. 2.* Coninch *disp. 18. dub. 12. num. 102.* & Auila *de censur. part. 7. disp. 3. dub. 10.* iuncta *disp. 2. dub. 5. concl. 2.* quia, vt *suprà* ostensum est, in aliis casibus præter homicidium si vtrimque sit æquale dubium facti, & pro vtraque parte adsint rationes æquè probabiles, non tenetur se reputare irregularem, sed poterit adhærere alteri parti, scilicet, quòd non sit irregularis; & ratio est, quia nemo censendus irregularis, nisi in casibus à iure expressis: sed extra casum homicidij non exprimitur in iure quòd in dubio sit aliquis irregularis: ergo, &c.

Notandum est tamen hîc primò ex communi sententia DD. quòd si mater coniugata dicat filio etiam in fine vitæ, vel si dicat cum iuramento eum esse illegitimum, is non tenetur credere, nisi circumstantiæ valdè vrgeant, & rationibus conuincatur: vt si vterque parens id affirmet. Vide Bonacinam *de censur. disp. 7. q. 2. punct. 3. nu. 5.* & Mercerum *de Sacram. in 3. part. D. Thom. q. 24. dub. 12. quæritur 2.* vbi etiam docet neminem debere se reputare illegitimum propter aliquem rumorem & infamiam, quia hæc non inducunt sufficientem probationem, & prævalet possessio bonæ fidei cum iusto titulo matrimonij.

Nota secundò non esse illegitimum filium quando tempore quidem conceptionis intercedebat impedimentum dirimens, tamen eo sublato tempore eius natiuitatis parentes validè poterant contrahere, vt quando, v. g. quis carnaliter cognouit suam consanguineam, quam impetrata dispensatione in vxorem accipit, antequàm proles nascatur. Ita Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 7. n. 19.* & Sayrus *de censur. lib. 6. cap. 10. n. 19.* licet contrariam sententiam docuerit Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregularitate, dub. 16. n. 126.*

Nota tertiò celebrem doctrinam adductam à Reginaldo *tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 7. num. 72.* vbi sic ait: Aduerte probabile esse illegitimum qui sine dispensatione ad aliquem Ordinem promotus est antequam ipsius parentes matrimonio inter se coniungerentur, posse post initum tale matrimonium, per quod factus est legitimus, Ordinem susceptum exercere, & ad altiorem ascendere. Nam per illam susceptionem Ordinis non incurrit in nouam irregularitatem, sed tantùm suspensionem ab executione susceptæ, atque illa, cui subiiciebatur ex defectu natalium, purgata est per sequens matrimonium, per quod verè factus est legitimus; quia igitur nulla ei supereſt irregularitas, nulla opus habet dispensatione. Cessat pariter suspensio secuta ex illa ordinatione, nam cessat effectus, cessante ipsius causa. Ideoque sicut ordinatus ante ætatem hoc ipso, quòd ætas debita aduenit, potest sine dispensatione exercere susceptos Ordines; ita & is qui adhuc illegitimus ordinatus est, potest prædicto modo factus legitimus in susceptis Ordinibus ministrare. Hæc omnia Reginaldus, & alij.

Nota quartò quòd filij censentur legitimi, quando matrimonium contractum inter duos inualidè fuit ob occultum aliquod impedimentum; sed vnus eorum bona fide contraxit in facie Ecclesiæ. Ita Bonacina *de censur. disp. 7. quæst. 2. punct. 3. nu. 3.* licet Suarez & alij penes ipsum hoc verum esse asserant, dum vterque contrahentium bona fide contraxit. Sed nostra sententia est probabilissima, quam tenet etiam Hurtado *disp. 2. de irregular. diffic. 14. num. 56.* Peirinus *tom. 2. de relig. Prælat. q. 2. cap. 5. §. 9. nu. 106.* Coninch *disp. 18. dub. 12. num. 103.* Secus autem si clàm contraxissent, aut vterque parens impedimentum sciuisset.

RESOL. LX. *An si quis culpa sua ab aliquo fuit mutilatus, etiamsi membrum sit occultum, & non impediat vsum Ordinis, sit irregularis?*

AFfirmatiuè respondeo cum Molina *de iustit. tom. 4. tract. 3. disp. 70. num. 18.* vbi sic ait: Est obseruandum, si alicui ob suam culpam ac delictum membrum, aut pars membri abscindatur, siue à Iudice, siue ab alio iniustè in vindictam delicti quod is commisit, aut quia ipse occasio fuit rixæ in qua ei abscissum est membrum, aut pars membri, vel aliqua alia ratione dando operam rei illicitæ, irregularitatem incurrere. Vnde Doctores communiter affirmant, si adultero, aut alteri inhonesto membrum virile, aut testiculi abscindatur in vindictam delicti quod commisit, irregularitatem eo ipso eiusmodi inhonestum incurrere. Sic Molina, & ante illum Sayrus *de censur. lib. 6. cap. 7. nu. 15.* qui multos Doctores citat, quibus addo Bonacinam *de cens. disp. 7. q. 2. punct. 2. num. 29. & 33.* Reginaldum *tom. 1. lib. 30. tract. 2. cap. 5. num. 47.* Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 35. num. 6.* Ioan. de la Cruz *in director. part. 2. de irregularitate, dub. 2. concluſ. 2.*

Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quam docent Præpositus *in 3. part. quæst. 5. dub. 114. num. 117.* & Hurtado *disp. 2. de irregularitate, diffic. 14. num. 52.* Ratio est, nam, vt ex Suarez *de censur. dis. 51. sect. 2. num. 8.* obseruat nouissimè Turrianus *de censuris lib. 9. disp. 62. dub. 4.* si iura imponentia hanc irregularitatem in rigore inspiciantur, omnia loquuntur de propria culpa seipsum mutilandi ex indignatione, aut aliquo zelo indiscreto, vt colligitur ex *cap. si quis 1. 2. & 3. & cap. is qui, distinct. 55. & cap. maritum, distinct. 33. & can. 22. & 23. Apostolorum*, & *in cap. ex parte*, pendenda

sunt illa verba, *affectauerint*, &c. & verba, *in hac materia sicut in materia de cens.* secundùm proprietatem sunt explicanda. Hæc Turrianus. Cùm igitur clarum sit quòd irregularitas non incurritur nisi sit in iure expressa, & irregularitas, de qualoquimur, minimè in iure, vt dictum est, expressa videtur; ergo illam non incurri dicendum erit. & hanc sententiam videtur etiam docere Acugna *in Decret. part. 1. distinct. 33. cap. 2. num. 6.* vbi docet hanc irregularitatem incurri propter culpam actiuæ absciſſionis. Vide etiam Coninch *disp. 18. dub. 14. num. 108.* qui putat affirmatiuam sententiam vniuersaliter non esse veram, sed tantùm quando defectus mutilationis, seu absciſſionis ipsi mutilato in se, vel in causa fuit voluntarius, iuxta illa, quæ tradit *num. 64. 77. & 74.* Sed, vt dixi, ego primam sententiam teneo.

Notandum est hîc obiter illum, qui sponte sibi membrum, vel membri partem, v. g. digitum, vel partem digiti ex indignatione, vel impatientia abscidit, irregularem esse, etiamsi ex tali absciſſione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentum ad celebrationem, vt patet *in cap. qui partem 6. distinct. 55.* Attamè non desinam hîc adnotare quòd multi ad incurrendam hanc irregularitatem requirebant notorietatem facti, scilicet absciſſionis ex indignatione & impatientia. Ita Tannerus *in 3. par. disp. 6. quæst. 10. dub. 10. num. 188.* Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 5. num. 4.* Vgolinus *de irregularitate cap. 51. num. 1.* Bartholomæus ab Angelis *in examin. ordin. dialog. 5. §. 158.* Et licet hæc opinio sit probabilis, contraria tamen non requirens hanc notorietatem est probabilior, & ita inter alios tenet Fernandez *in exam. Theol. moral. part. 2. cap. 10. §. 7. n. 1.*

Resol. LXI. *An irregularitas orta ex bigamia propria & interpretatiua, sit aliquando ab Episcopo dispensabilis, etiam ad sacros Ordines?*

NEgatiuè respondeo cum communi DD. sententia, quos affert Mauritius Alzedo *in praxi Episcop. part. 2. cap. 6. num. 51.* & Barbosa *de potestate Episcopi part. 2. allegat. 49. num. 25.* Verùm non grauabor hîc apponere sententiam Ioan. Præpositi *in 3. part. quæst. 5. de irregularitate, dub. 7. num. 138.* vbi sic ait: Peculiaris difficultas est, an Episcopus nõnumquam possit dispensare in irregularitate orta ex bigamia interpretatiua, v.g. si res sit occulta? Aliqui vniuersim censent non posse, quia hæc irregularitas non oritur ex delicto, sed ex defectu significationis, vel ex ipso facto coniugij attentati etiam inualidè; non videtur tamen improbabile quòd possit in ea quæ oritur ex delicto etiam alieno, v.g. in irregularitate, quam contrahit is, qui cognouit vxorem, postquam ea commisit adulterium cum alio, etiamsi adulterium vxoris sit occultum, quia talis irregularitas verè oritur ex delicto. Item quòd possit in ea, quam contrahit Sacerdos qui post mortem vxoris legitimæ existens in Sacris, tentat aliam in vxorem accipere, quia etiam hæc irregularitas oritur ex delicto, idque etiamsi conetur contrahere cum vidua: nam cùm matrimonium sit irritum, non inducit irregularitatem ex defectu significationis, sed ex peccato. Idem si laicus contrahat irregularitatem ineundo matrimonium cum duabus inualidè, vel inualidè cum vidua, quam irregularitatem oriri ex delicto tenet Sanchez *lib. 7. disp. 84. num. 6. in fine. & disp. 86. nu. 12.* censet Episcopum in nostro casu posse dispensare. Non est, inquam, improbabile in his & similibus casibus, quando irregularitas est occulta, Episcopum posse dispensare, non solùm quoad minores Ordines recipiendos, vel exercendos, sed etiam quoad maiores, iuxta potestatem ei concessam à Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformatione.* Posset etiam dispensare in irregularitate occulta, quam cõtraxit Subdiaconus ducens viduam, quia eius irregularitas est ex delicto. Ita Præpositus *vbi suprà.* Et hanc sententiam tenet etiam Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouit. disp. 9. dub. 15. num. 3.* qui citat Sanchez, & illam extendit ad Prælatos Regulares cum eorum subditis, & post illum Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. disp. 17. quæst. 2. num. 3.* Sed licet hæc opinio sit probabilis, tu ne recedas à prima sententia negatiua.

Resol. LXII. *An saltem dicta irregularitas veræ bigamiæ sit dispensabilis ab Episcopo quoad Ordines minores, & simplex beneficium?*

NEgatiuam sententiam tenet Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 31. num. 13.* Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 70. dub. 5.* Bizozerus *in summa tract. de cens. cap. 2. n. 7.* Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 4. dub. 6. nu. 97.* & alij penes ipsos, asserentes Episcopum non posse dispensare cum bigamis in bigamia vera, vel interpretatiua, non solùm ad Ordines minores suscipiendos, sed neque ad vsum susceptorum; & ratio est, quia Episcopus non potest dispensare in lege Pontificis nisi in casibus iure concessis; sed ius excludens bigamos ab omnibus Ordinibus latum est à Concilio Nicæno, teste D. Ambrosio *epist. 82.* ergo, &c. Deinde *in cap. nuper, & cap. vlt. de bigamis*, negatur illis potestas suscipiendi Ordines minores.

Non desunt tamen DD. affirmatiuam sententiam tenentes, vt Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 1. quæst. 5.* Comitolus *in respons. moral. lib. 1. q. 106.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 86. num. 11.* Auila *de censur. part. 7. disp. 7. dub. 4.* Azorius *part. 2. lib. 5. cap. 20. quæs. 2.* Miranda *in manual. Prælat. to. 2. quæst. 8. art. 2. concl. 2.* Sayrus *de cens. lib. 6. cap. 6. num. 11.* & alij penes ipsos, quibus adde nouissimè Mauritium Alzedo *in praxi Episc. part. 2. cap. 6. nu. 52.* Ioan. de la Cruz *in direct. part. 2. de irreg. dub. 1. concl. 1.*

Sed tu ne recedas à negatiua sententia, quia ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio, vt testatur Piasecius *in praxi part. 1. cap. 1. art. 10. num. 11.* Armendar. *in recopil. ad leg. Nauarræ lib. 2. tit. 19. n. 16.* Garzias *de benef. tom. 2. part. 7. cap. 6. num. 5.* Molfesius *in summa tom. 1. tract. 6. cap. 7. num. 28.* de Vecchis *in praxi nouitior. disp. 9. dub. 15. nu. 2.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 2. disp. 7. quæst. 3. n. 2.* Nouarius *tract. de elect. fori quæst. 52. nu. 25.* Leo *in thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 8. nu. 36.* & ita etiam fuisse decisum in Curia Archiepisc. Neapolitana, testatur Riccius *part. 4. decis. 331. n. 8. in fine.*

Notandum est tamen hîc obiter cum Turriano

& aliis DD. ſuptacitatis poſſe Epiſcopum diſpenſare in bigamia ſimilitudinaria cum eo, qui contraxit cum virgine, contra Maiolum *lib. 1. de irreg. cap. 33. num. 7.* Secus ſi cum vidua, vel ſi duplex iniit matrimonium, contra Palatium *in 4. diſt. 27. diſp. 4.* & Henriquez *lib. 12. 6. n. 11.*

RESOL. LXIII. *An ſaltem irregularitas bigamiæ veræ & interpretatiuæ ſit diſpenſabilis à Prælatis Regularibus cum ſuis ſubditis?*

NEgatiuè reſpondet Rodriquez & alij, quos citat & ſequitur Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 49. num.* Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouit. diſp. 9. dub. 15. nu. 2.* & Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 17. q. 3. nu. 2.* Ratio eſt, quia in priuilegiis ſemper cenſetur excepta bigamia, nec inuenitur priuilegium, quod hoc concedat Prælatis Regularium: ergo, &c.

Verùm his non obſtantibus, Auila *de cenſ. part. 7. diſp. 8. dub. 4. concl. 8.* & Henriquez *lib. 2. de matrim. cap. 6. nu. 11. in gloſſa lit. Z.* docent Religioſos diſpenſare poſſe in bigamia præfata non ſolùm à Superioribus, ſed etiam à quocumque Confeſſario Ordinis, & hoc ex priuilegio Sixti V. Vide etiam Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregular. diſp. 10. dub. 1. in fine.*

Sed hoc priuilegium non eſſe ita clarum, tenet Tamburinus *vbi ſuprà*, & alij, vnde adducam aliud ex Hieronymo Rodriquez *in compend. qq. regular. reſolut. 16. num. 14.* vbi ſic ait: Nota cum Portel *in addit. ad dub. regul ver. diſpenſare, num. 5.* quòd Prælati Regulares per quamdam conceſſionem Pauli III. de qua in Bullario, poſſunt ſemel ſingulis annis prima die lunæ Quadrageſimæ diſpenſare cum ſuis ſubditis in omni irregularitate, quauis occaſione, vel cauſa contracta, vbi nil excipit, neque bigamiã, neque homicidium voluntarium, quæ ſolent excipi priuilegiis: vnde cùm nec lex, nec Princeps diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus. quæ ſententia tamquam pia & probabilis poteſt in praxi ſequi, licet oppoſita ſit tutior, & conformior menti Pontificum, qui ſemper bigamiam excipiunt, iuxta ſtylum Curiæ. Ita Rodriquez *vbi ſuprà*, & ita hanc ſententiam tenet etiam nouiſſimè Peirinus *de relig. Prælat. tom. 2. quæſt. 2. cap. 5. §. 8. n. 99.* Non deſinam etiam hic adnotare quòd, vt notat Portel *in dub. regular. ver. diſpenſare, n. 4. in compend. Soc.* IESV, *ver. diſpenſare, §. 5. & 6.* dicitur quòd Generalis ipſorum poteſt diſpenſare cum ſubditis in bigamia ex conceſſione Sixti IV. facta Carthuſienſibus.

Sed ego in facti contingentia non recederem à prima ſententia, quam præter DD. citatos tenet etiam Sebaſtianus à Bononia *tract. de elect. part. 2. cap. 4. dub. 71. num. 2.* vbi, & rectè, notat poſſe ſupradictos Prælatos diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper bigamiam ſimilitudinariam, eo modo, quo poſſunt Epiſcopi diſpenſare cum ſuis.

RESOL. LXIV. *An irregularitas occulta ex defectu natalium ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis quoad ſacros Ordines?*

NEgatiuè reſpondent DD. quos citaui *in part. 2. tract. 15. reſolut. 21.* quibus nunc addo Layman *vbi ſ. à*, Hurtadum *diſp. 2. de irregular. diffic. 20. n. 63.* Alzedum *in præxi Epiſc. part. 2. cap. 6. nu. 30.* & Turrianum *de cenſ. lib. 9. diſp. 71. dub. 2.* quia talis irregularitas non prouenit ex delicto, ſed ex defectu, quia quamuis parentes filium illegitimum ſine peccato in amentia generarent, etiam fieret irregularis.

Sed affirmatiuam ſententiam, licet improbabilem & ſine fundamento vocet Suarez & Hurtado, tamen, vt *in d. reſolutione* notauimus, illam tenet Auila, & probabilem exiſtimat Coninch, quibus nunc addo Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. de irregular. diſp. 15. dub. 2 quæſt. 1.* Layman *lib. 2. tract. 10. part. 1. cap. 5. num. 2.* & Io. Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 5. de irregular. dub. 16. num. 131.* vbi ſic ait: Non eſt improbabile quòd Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate illegitimi, vt inquit Auila, aſſerens viros doctos id ſentire, quia licet illius prolis hæc irregularitas ſit ex defectu, rem tamen moraliter conſiderando oritur ex delicto, & Eccleſia eam inducendo voluit punire parentum incontinentiam, atque adeò poteſt ſortiri rationem pœnæ. Confirmatur, quia omnia iura hanc irregularitatem inducentia ſupponunt communiter peccatum in parentibus, ex quo illa oriatur, & variis caſibus vbi peccatum illorum non interuenit, proles non eſt irregularis, quamuis nata ſit extra matrimonium verum à parte rei. Nec refert quòd ſi proles abſque culpa parentũ naſceretur extra matrimonium, etiam putatum legitimum, cenſenda eſſet irregularis, quia non obſtante tali caſu rariſſimo, & quem lex non ſpectauit, dicendum quòd moraliter & ſecundùm quod communiſſimè accidit, illegitimitas prolis oriatur ex peccato parentum, & quòd lex ſpectauit id, quod ſæpiùs accidit, quamuis in eo caſu rariſſimo, quem non excipit, etiam incurreretur irregularitas; in quo tamen inuenitur actio materialiter mala, & ſufficiens fundamentum malitiæ, ſi adeſſent cetera requiſita. Vnde fit veriſimile quòd Epiſcopus in caſu reſolutionis poſſit diſpenſare abſolutè (ſicut poteſt abſolutè diſpenſare per Concilium) quoad ſacros Ordines & beneficia maiora, ſeu dignitates & prælaturas, hinc ſi quis ſuſceptus ex occulto adulterio habeatur paſſim legitimus, poſſet ab Epiſcopo impetrare diſpenſationem ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, & beneficia duplicia. Hæc omnia Præpoſitus *loc. cit.* & ita hanc ſententiam affirmatiuam cum Auila & ſupracitatis DD. tenet etiam poſt illos Laurentius de Peirinis *tom. 2. de relig. Prælat. quæſt. 2. c. 5. §. 9. nu. 143.* Et tandem nouiſſimè hanc opinionem, me citato, docet Barboſa *de iure Pontificio lib. 1. cap. 11. num. 156.* Verùm his non obſtantibus, nouiſſimè ego puto non eſſe recedendum à negatiua ſententia.

Notandum eſt tamen hic obiter poſſe Epiſcopum cum illegitimis ex quocumque damnato coitu ad maiores Ordines, & ad beneficium ſimplex diſpenſare, cum cauſa tamen & eorum ſuffragantibus meritis, & hoc procedit etiam quoad Canonicatus Collegiatarum Eccleſiarum, & in dimidiis portionibus, ſeu inferioribus beneficiis Eccleſiæ Cathedralis, & hanc diſpenſationem modo, quo *ſuprà*, poſſe etiam Capitulum Sede vacante impertiri exiſtimo. Vide Barboſam *de poteſtate*

Epiſc. part.2. allegat.45. num.19 & ſeq. & Sanctarellum *var. reſol. part.1.quæſt.41. per totam.* Nota etiam hîc quòd Layman *vbi ſuprà*, docet quòd ſi aliquis bona fide ordinatus fuerit, cognito natalium defectu Episcopus diſpenſare poteſt, vt in ſuſceptis miniſtret. Imò forſaſſe etiamſi mala fide Ordines accepit, vt colligitur ex *cap. niſi cùm pridem, §. perſonæ, de renunt.* Hæc Layman, qui etiam addit quòd ſi filius ſciat, aut credat ſe eſſe illegitimum, & ex vna parte cauſa vigeat cur ſacros Ordines ſuſcipiat, ex altera parte ſi hoc faceret petendo diſpenſationem, ſe infamaret grauiter apud Papam, tunc ſine diſpenſatione poteſt ordinari. Exemplum habes ſi primogenitus Regis occultè ſciens ſe illegitimum eſſe, hereditatem legitimo fratri non poſſit aliter relinquere quàm ſi fiat Cardinalis, vel Sacerdos, non teneretur ſe infamare apud Summum Pontificem.

RESOL. LXV. *An irregularitas ex defectu natalium tollatur per profeſſionem ſolemnem Religionis, non ſolùm quoad ſacros Ordines, ſed etiam ad Prælaturas ſuſcipiendas?*

LIcet illegitimus per profeſſionem legitimetur quoad Ordines ſuſcipiendos, non tamen legitimatur quoad Prælaturas intra Religionem, vel extra eam obtinendas. & ita docent communiter DD. vt Barboſa *in collect. tom.1. lib.1. tit.17. c.1. num.3.* Peirinus *tom.2. de relig. Prælat. q.2. cap.5. §.9. nu.135.* Sanctarellus *var. reſol. part.1. q.40. nu.1.* Præpoſ. *in 3. part. q.5. de irregular. dub.16. nu.130.* Sebaſt. à Bononia *tract. de elect. part.2. cap.4. dub.72. nu.2.* Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouit. diſp.13. dub.6. nu.1.* Leſſius *lib.2. cap 41. dub.8. nu.75.* Auila *part.7. diſp.10. dub.6.* Suarez *de cenſ. diſp.50. ſect.5. num.15.* Henriquez *lib.14. cap.7. nu.2.* Azorius *part.2. lib.6. cap.4. quæſ.10.* Sanchez *in ſumm. tom.2. lib.5. c.5. nu.16.* & alij penes ipſos, & hoc patet ex *cap.1. de filiis Presbyterorum.*

Non deſinam tamen hîc in gratiam ſtudioſorum apponere quæ adnotauit Villalobos *in ſum. tom.1. tract.13. diffic.60. num.10.* vbi ſic ait: *Los Padres de la Congregacion de ſan Iuan Euangeliſta en Portugal tienen vn Priuilegio de Eugenio IV. concedido al Conuento de ſan George de Allega de ſu Orden para que entre ellos.* Admiſſus ad profeſsionem ſi habet defectum natalium, ipſo facto ſit diſpenſatus, non ſolùm ad Ordines, ſed etiam ad omnia ſolita gubernari per Fratres illius Ordinis Prioratus, ſeu Præpoſituras, Rectorias, aut officia inuicem compatientia. *De ſuerte que entre ellos el profeſſo no ſolamente queda diſpenſado à las ordenes, ſino tambien à los oficios, y dignidades de la orden, y dixo vn Padre que fue General de aquella orden en Portugal que ſe praticaua entre ellos aſsi, y hauiendo communicacion de Priuilegios me parece que ſe podria gozar deſte no obſtante que por ignorancia no ſe aya vſado del. Porque Nicolao IV. concedio à los Padres de la Lartioxa que puedan vſar de los Priuilegios à ellos concedidos, aunque por ſimplicidad ò ignorancia del derecho no hayan vſado dellos en tiempos atras como no ſe aya preſcripto contra ellos ni eſtan derogados, y preſupueſto que gozamos de todos los Priuilegios que eſtan concedidos à las demas ordenes, parece que podamos gozar tambien deſte, y ſupueſto que Sixto V. Clem. VIII. y Paulo V. en las confirmaciones que hizieron de los Priuilegios de nueſtra orden no puſieron la clauſula*, quatenus ſunt in vſu, *por todo eſto me parece, que ſe podria vſar deſte Priuilegio, ſaluo meliori iudicio.* Ita Villalabos, & de hoc priuilegio meminit etiam Portel *in dub. Regul. ver. illegitimus, num.9.*

Notandum eſt tamen præter ſupradictum priuilegium adeſſe conſtitutionem Gregorij XIV. in qua conceditur Prælatis Regularium, vt poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis illegitimis ad Prælaturas, & dignitates, in Capitulo tamen Generali, vel Prouinciali. Ita Barboſa *de iure Pontificio lib.1. cap.42. n.290.* & ego alibi.

Notandum eſt etiam hîc contra Sayrum *de cenſ. lib.6. cap.9. n.3.* per profeſſionem Religionis deleri etiam irregularitatem ex vſu Ordinis contractam, vt ſi illegitimus in ſæculo abſque diſpenſatione ad Ordines promotus fuiſſet. Ita Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouit. diſp.13. dub.6. num.3.* qui citat Sanchez *in ſumma tom.2. lib.5. c.5. n.10.*

RESOL. LXVI. *An electi à Religione, vel dimiſſi à Superioribus ex Societate* IESV, *incidant in irregularitatem ex defectu natalium, ita vt non poſſint exercere Ordines receptos, nec ad alios promoueri?*

HIc caſus frequenter poteſt accidere, & eſt difficilis & curioſus, & ad illum negatiuè reſpõdet Sanchez *in ſumma tom.2. lib.5. cap.5. num.14.* aſſerens ſupradictos poſſe in Ordinibus ſuſceptis in Religione miniſtrare, & ad alios nondum promotos promoueri, & probat hoc ex multis rationibus.

Sed aduerſus illos inſurgit nouiſſimè Hieron. Rodriquez *in compend. quæſt. regular. reſolut.76. nu.7.* qui reſpondet ad omnia argumenta quæ ipſe adducit, & hanc ſententiam tenet etiam Miranda *in manual. Prælat. tom.1. quæſt.25. art.10. concl.1.*

Quid ego ſentiam, dicam breuiter. Opinio Sanchez abſolutè quoad electos aliarum Religionum probabilis mihi videtur, & illam tenet Villalobos *in ſumm. tom.1. tract.13. diffic.60. num.6.* & Peirinus *de relig. Prælat. tom.2. quæſt.2. cap.5. §.9. nu.199. in fine.* ex ratione vbi *infrà.* Verùm quoad dimiſſos ex Societate IESV puto non poſſe ad Ordines promoueri poſt egreſſionem, & ita docet ex eadem Societate Turrianus *de cenſ. lib.9. diſp.71. dub.2.* vbi ſic ait: Addendum eſt hanc irregularitatem ex defectu natalium tolli per emiſsionem trium votorum ſimplicium poſt biennium in Societate noſtra, quia per illa verè ſunt Religioſi, vt definitum eſt à Gregorio XIII. *in conſtit. Aſcendente Domino.* Difficultas verò eſſe poteſt, an ſi quis dimitteretur à Societate poſt talia vota, ante ſuſceptionem tamen Ordinis, intelligeretur, quaſi reuiuiſcens ea irregularitas, vt non poſsit Ordines ſuſcipere ſine diſpenſatione; & quamuis res ſit dubia, mihi eſt probabilius neceſſariam eſſe diſpenſationem, quia prædictus fauor conceſſus videtur iis, qui ita fiunt Religioſi, vt in eo ſtatu ſuſcipiant Ordines. Ita Turrianus.

Adde quòd eſt diſpar ratio inter dimiſſos è Societate, & electos ab aliis Religionibus, nam dimiſsi è Societate, vt patet *in dicta conſtitutione Gregorij XIII.* & obſeruat Hieronymus Rodriquez *vbi ſuprà*,

prà,& docet Sanctarellus *tract. de apostasia cap.7.dub. 2. nu.* 10. manent omnino soluti à vinculo monachatus, & à votis Religionis; electi verò ab aliis Religionibus, vt obseruat Peirinus *loco cit.* & alij communiter, quamuis propter delicta expellantur ab Ordine, non per hoc desinunt esse Religiosi,& tenentur ad vota eo modo quo docent DD. quos citat & sequitur Sanctarellus *vbi suprà cap.6. dub.1. num.1.* non est ergo mirum si isti possunt gaudere post electionem à Religione aliquibus priuilegiis Religioni concessis, & dimissi è Societate IESV minimè; quia hi post dictam dimissionem sunt meri sæculares, illi verò post electionem minimè, sed remanent veri Religiosi. Prælati enim per illam expulsionem non possunt facere de Monacho non Monachum, vt notat Rodriquez *loc. cit. resolut. 57. n.6.* & alij: ergo, &c. Verùm his non obstantibus, non nego contrariam sententiam esse probabilem,quam tuetur nouissimè Barbosa *de iure Pontificio lib.1.cap.42. num.192.* vbi citat Suarez & Sanctarellum,asserentes electos è Societate IESV non reincidere in pristinam irregularitatem ex defectu natalium; mihi verò, vt dixi, sententia Turriani magis placet. Sed quid dicendum de Religioso illegitimo post annullatam professionem, potéstne post latam sententiam in sæculum rediens exercere susceptos Ordines, & ad alios promoueri? Affirmatiuè respondet Peirinus *loc. cit. de relig. Prælat. tom.2.q.2.cap.5.§.9.num.149.* qui citat Sanchez. Sed ipse de hoc casu in illo loco non loquitur, sed tantùm de illis, qui validè professionem emiserunt, vt qui dimittuntur è Societate, & qui expelluntur propter crimina è Religione, & ideò contrariam sententiam tenendam esse puto,quam in terminis, vt dici solet, terminantibus tenet doctus Aloysius Riccius *in praxi tom.2. resol.311. per totam,* & Barbosa *in collect.tom.1.lib.1.tit.17.cap.1.nu.9.* Ratio est manifesta, nam, vt patet ex communi sensu DD. irregularitas ex defectu natalium tollitur per professionem; sed in casu de quo loquimur,non fuit vera professio, sed nulla: ergo dictam irregularitatem tollere minimè potuit. Alias rationes adducit Riccius *vbi suprà*, quas tu videre poteris.

Notandum est hîc obiter professionem non solùm tollere irregularitatem quoad Ordines suscipiendos; sed etiam quoad vsum Ordinum susceptorum. Vide Sanctarellum *variar. resolut. part. 1. quæst.39.nu.8.* Vecchium *in praxi nouit.disp.13.dub.6. num.3.* & alios penes ipsos. Nota tamen, quòd post hæc scripta inueni, sacram Cardinalium Congregationem *sub die 21. Septembris anno* 1624. declarasse,electos à Religione & extra illam degentes esse perpetuò suspensos ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi ac moderandi.

RESOL. LXVII. *An irregularitas incurratur à pueris ante pubertatis annos?*

NEgatiuè respondet Io.Sancius *in selectis disp.26. n.18.* vbi sic ait: Puto non incurrere irregularitatem puerum occidentem ante pubertatem, nam cùm odia restringenda sint,ex *regula iuris in 6. Odia,*&c. fit excommunicationem nec ceteras pœnas incursuros pueros nisi post annum decimumquartum, & feminas post completum duodecimum. Ita ille, qui citat Auilam *part.7. disp. 6. sect.1. dub.13.* & Henriquez *lib.13. cap.3. nu.4.* Sed isti Doctores hoc non asserunt, sed docent pueros doli capaces incurrere irregularitatem,quod aliqui extendunt etiam, si ante septennium habeant plenum vsum rationis, quod Auila, & meritò, negat. Et ita affirmatiuam sententiam tenet nouissimè Gauantus *in aphorism.Episc.ver.irregularitas,n.91.* vbi sic ait, Puer maior septennio occidens fit irregularis. Vide etiam Præpositum *in 3 part.quæst.5.de irregul.dub.10.num.76.*

RESOL. LXVIII. *An irregularis inualidè absoluat?*

AFfirmatiuam sentẽtiam docet nouissimè Hurtado *disp.1. de irregularitate difficil.11.n.19.* vbi sic ait: Existimamus contra aliquos absolutionem à peccatis factam ab irregulari esse nullam,quia irregularitate impeditur quis ab vsu Ordinum quantum potest ab Ecclesia impediri, Ecclesia autem potest absolutionẽ à peccatis irritare, quia quamuis sit vsus potestatis, seu iurisdictionis Ordinis, pendet tamen ab Ecclesia quoad applicationem subditorum, quia ex vi Ordinis nullus est determinatus,absolutio autem in non subditum est nulla. Ita Hurtado, & ante illum Auila *de cens. part. 7. disp.2. dub.6. concl.7.* quod confirmatur, quia absolutio est actus Ordinis ex parte potestatis actiuæ, licet connotet iurisdictionem ex parte materiæ.

Verùm mihi contraria sententia placet, quam docet Petrus Cornejo *in 3.part. D. Thomæ tract.5.de irregular. disp.5.dub.3.quæst.3.num.4.* Villalobos *tom.1. tract.21.difficult.2.num.8.* vbi sic ait: *No esta priuado el irregular de la Iurisdicion en el fuero de la penitencia segun la mas probable opinion de suerte que licitamente puede el prouisor ò Obispo aunque este irregular dar licencia à vn Sacerdote para que confiesse y si el irregular oyesse confessiones aunque pecaria mortalmente porque haze oficio de orden, mas si de hecho absoluiesse valdria la absolucion porque tiene potestad de orden y de Iurisdicion y ansi como el que esta prohibido de celebrar por estar descomulgado ò irregular si celebrasse, consegraria, lo mismo es à qui.* Ita ille, & ante illum Suarez *de censur. disp. 40. sect. 2. num.45.* & nouissimè hanc sententiam tenet etiam Præpositus *in 3. part. quæst.5. de irregul. dub.3. num.13.* vbi sic asserit: Dubitari potest, an absolutio impensa ab irregulari sit valida,quando scilicet ratione irregularitatis impeditur eam impendere. Suppono futuram validam, si quis per Iudicem non sit nominatim declaratus irregularis, iuxta *Extrau. ad euitanda,* cùm in gratiam aliorum saltem eo casu relinquatur vsus iurisdictionis; quamuis peccet irregularis si se ingerat; quæstio verò procedit in casu quo irregularitas sit per Iudicem promulgata. negat Auila, asserit Suarez si non inueniatur obex ex parte pœnitentis, quod dicit sensisse viros doctos à se consultos. Idem censet de suspensione ab Ordine & de interdicto,quæ sententia est valdè probabilis, quia irregularitas non irritat actus Ordinis, etiam eos, qui sunt ex institutione Ecclesiæ, vt consecrationem templi, altaris, calicis, &c. nec etiam irritat actus iurisdictionis, nam irregularis

præcisè

præcisè ratione irregularitatis non impeditur, quò minùs possit etiam licitè excommunicare, leges ferre, &c. ergo ex hoc capite absolutio sacramentalis non redditur inualida. Hæc Præpositus *loco citato.*

Sed pro praxi circa præsens dubium dicendum est cum Turriano *de censur. lib.* 8. *disp.* 58. *dub.* 2. secluſa ignorantia pœnitentis in casu de quo loquimur non posse validam esse absolutionem, quia peccaret grauiter petens absolutionem ab eo, quem scit non posse illam conferre sine peccato graui. Sed si accedat pœnitens bona fide, existimans illum Sacerdotem posse absoluere, quia est toleratus ab Ecclesia, & publicè exercet officium suum, valida erit absolutio. Ita ille. Sed Præpositus, vt visum est, hoc etiam admittit in casu, quo irregularis esset publicè denuntiatus, quod tu semper intellige, quando pœnitens accedit bona fide. nam aliter poneret obicem, & ex hoc capite absolutio esset inualida, & ita hanc sententiam affirmatiuam etiamsi irregularis sit publicè denuntiatus, præter Doctores citatos tenet etiam Coninch *de censuris disp.* 18. *dub.* 1. *num.* 7. probans absolutionem ab illo datam esse validam, licet Hurtado & Auila *vbi suprà*, & Nauarr. *in manual. cap.* 9. *n.* 8. doceant quòd suspensus & interdictus inualidè absoluit.

RESOL. LXIX. *An irregularitas contracta ex defectu lenitatis sit dispensabilis ab Episcopo, vel Prælatis Regularium?*

NEgatiuam sententiam docent penes Barbosam *vbi infra*, decem Doctores, quibus ego addo Præpos. *in* 3. *part. quæst.* 5. *de irregularit. dub.* 13. *num.* 112. Mauricium Alzedo *in praxi Episc. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 46. Franc. Leo. *in Thesaur. fori Eccl. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 32. Petrum Cornejo *in* 3. *part. D. Thomæ tract.* 5. *de irregul. disp.* 11. *dub.* 3. Bonacinam *de censur. disp.* 7. *quæst.* 4. *punct. vlt. num.* 13. Hurtadum *disp.* 2. *de irregul. diffic.* 20. *num.* 66. Auilam *part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 1. Bannez *in* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. *part.* 2. *in fin. dub.* 2. Tanner. *in* 3. *part. disp.* 6. *quæst.* 10. *dub.* 11. *num.* 113. quia in Concilio Trident. solùm conceditur irregularitas ex delicto; sed hæc irregularitas non est ex delicto: ergo, &c.

Non desunt tamen DD. affirmatiuam sententiam tenentes, vt Emanuel Rodriquez, Couarr. Campanili, Viualdus, Medina, quos citat & sequitur Barbosa *de potestate Episcopi part.* 2. *alleg.* 39. *nu.* 47. quibus ego addo Nouarium *in nouo iure Pontificio concl.* 8. *num.* 3. Plazam *de delictis lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 11. Emanuel. Sà *ver. irregularitas ex occisione licita, num.* 5. & Hieronymum Rodriquez *in compend. quæst. regular. resol.* 81. *n.* 3. *& resol.* 52. *n.* 22.

Quid ego sentiam dico breuiter. Secunda opinio est probabilis, sed prima est probabilior & sequenda. Verùm quoad Prælatos Regulares puto secundam opinionem tenendam esse: nam, vt affirmat Auila *part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 1. *concl.* 2. Caietanus *in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *ad* 2. Mercerus *de Sacram. in* 3. *part. D. Thomæ quæst.* 24. *dub.* 9. *in fine*, & alij, qui habet priuilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta bigamia & homicidio voluntario, potest dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis. Sed tale priuilegium habent Prælati Regulares circa suos subditos: ergo. & ita in terminis nostram sententiam tenet Villalobos *to.* 1. *tract.* 21. *diffic.* 28. *n.* 10. Filliucius *to.* 1. *tract.* 19. *cap.* 10. *n.* 282. & nouissimè Lezana *in summa quæst. regular. cap.* 18. *nu.* 43. nisi tale priuilegium fuerit concessum viuæ vocis oraculo. Hinc obseruat Auila *loco citato*, & optimè, quòd commissarius Cruciatæ potest in dicta irregularitate ex defectu lenitatis dispensare, quia in eius commissione dicitur, *& super quacumque alia irregularitate, quæ non procedat ex homicidio voluntario*, quod est valdè notandum.

RESOL. LXX. *An irregularitas orta ex homicidio iusto sit per Episcopum dispensabilis, & quid de Prælatis Regularium?*

NEgatiuè respondet Gauantus *in enchirid. Episcopor. ver. irregularitas, nu.* 105. Alzedus *in praxi Episc. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 46. Gutierrez *in Can. quæst. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 170. Cornejo *vbi infrà*, Molina *de iustit. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 79. *num.* 8. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 19. *cap.* 10. *num.* 281. & alij communiter. Ratio est, quia Concil. Trident. *in sess.* 24. *cap.* 6. tantùm concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate ex delicto. Aliqui tamen asserunt Episcopum posse dispensare in irregularitate iustæ occisionis, quia hoc conceditur Episcopis in dicto loco Concilij, dum excipitur homicidium voluntarium. nam ibi sub nomine homicidij voluntarij excipitur tantùm occisio hominis iniusta, prohibita in quinto præcepto Decalogi, & ideò hanc sententiam tenet Barbosa *de potestate Episc. part.* 2. *allegat.* 39. *num.* 47. Bannez *in* 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *dub.* 4. Medina *in summa part.* 1. *cap.* 12. §. 12. Campanili *in diuer. iur. Can rubr.* 11. *cap.* 23. *n.* 138. Hieronymus Rodriquez *in compend. quæst. regular. resol.* 81. *nu.* 3. Nouarius *in iure nouo Pontif. concl.* 81. *num.* 3. & Ioan. de la Cruz *in direct. part.* 2. *de irregul. dub.* 9. *concluſ.* 1. probabilem esse docet, licet, & meritò, *in concluſ.* 2. negatiuam sententiam tamquam probabiliorem teneat. Verùm ego puto Prælatos Regulares absolutè posse dispensare cum suis subditis super irregularitate proueniente ex bello iusto, vt tenet Filliucius *loco citato*, & Hieronymus Rodriquez *in compend. quæst. regular. resol.* 52. *num.* 23. quia sub nomine homicidij voluntarij, vt suprà dictum est, & obseruat in specie Vega *en espejo de curas to.* 2. *cap.* 12. §. 32. *num.* 325. & alij, non includitur homicidium iustum, *como* (ait ipse) *el echo por los ministros de Iuſticia y el echo por los ſoldados en guerra iuſta.* Et ita nostram sententiam præter Doctores citatos tenet etiam Petrus Cornejo *in* 3. *part. D. Thomæ tract.* 5. *de irregul. disp.* 13. *dub.* 3. *quæst.* 2.

RESOL. LXXI. *An irregularitas contracta ex mutilatione alicuius membri sit ab Episcopo dispensabilis, & quid de Prælatis Regularium?*

NEgatiuam sententiam tenet Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 49. qui citat Henriquez *lib.* 14. *cap.* 9. *num.* 3. & ante illos Medina *in summa lib.* 1. *cap.* 11. §. 12. & rationem adducunt, quia in Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. sola dispensatio irregularitatis ex delicto consurgentis conce-

conceditur Episcopis, vnde si non exciperetur ibi irregularitas ex homicidio voluntario, censeretur excepta eò quòd non sit ex solo delicto, sed etiam ex significatione. Sed irregularitas ex mutilatione est ex delicto & significatione; ergo non censetur concessa eius dispensatio Episcopis. & ita hanc opinionem tenet etiam Franciscus Leo *in Thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 8. n. 89.*

Sed contraria sententia est communis, & illam tenent sedecim Doctores, quos citat & sequitur Barbosa *de potestate Episcopi part. 2. allegat. 39. num. 49.* quibus ego addo Portel *in dubiis Regularium ver. dispensare, num. 7. & 9.* Didacum de Arrojo *de Sacram. cap. de irregular. num. 10.* Homobonum de Bonis *in exam. Eccles. part. 1. tract. 12. cap. 3. quæs. 10.* Alzedum *in praxi Episcop. part. 2. cap. 6. num. 2.* Villalobos *in summa tom. 1. tract. 21. diffic. 21. num. 2.* Hurtadum *disp. 2. de irregular. diffic. 20. num. 66.* Filliticium *tom. 1. tract. 20. cap. 2. num. 51.* Gauantum *in enchirid. Episcop. ver irregularitas, nu. 108.* Nouarium *in iure nouo Pontificio, concl. 81. nu. 16.* Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 9. num. 73.* & Tannerum *in 3. part. disp. 6. quæst. 10. dub. 11. num. 229.* Bartholomæum de Vecchis *in praxi nouit. disp. 9. dub. 17. num. 1.* Vt autem dicatur mutilatio membri, requiritur ipsius abscissio; itaque etiamsi aliquis debilitet membrum alterius, & ita quidem vt plenè mutilatus reddatur ineptus functionibus Ordinum, propter quod reddatur irregularis, ipse tamen non contrahet irregularitatem, sed ad hoc requiritur, vt membrum abscindat, & quidem viuum. Ita præpositus & multi ex Doctoribus citatis, & ideò ait Fernandez *in exam. Theol. moral. part. 2. cap. 10. §. 14. nu. 7.* qui alium excæcat, sed oculum non foras eruit, non est mutilator, neque irregularis, neque qui fœtum antequàm animetur occidit.

RESOL. LXXII. *Quid sit homicidium voluntarium & casuale, ex quibus irregularitas incurritur?*

HÆc resolutio deseruiet ad explicationem multorum casuum, vt quis scire possit quando irregularitas sit ab Episcopo dispensabilis. Dico igitur quòd sub nomine homicidij voluntarij, & de quo agitur in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6.* & in multis priuilegiis Regul. intelligitur homicidium illicitum & prohibitum in quinto Decalogi præcepto, quod per insidias & ex proposito fit. Concilium enim *in d. loco* iterùm ac multoties repetit huiusmodi particulas, *per industriam, per insidias, ex proposito, propria voluntate*, &c. ad insinuandum quòd huiusmodi homicidium, de quo loquitur, & cuius irregularitas dicitur *ibidem* quòd sit Summo Pontifici reseruata, debet esse illicitum, intentum ac volitum, siue voluntarium in se. Ita Barbosa *de potest. Episcop. part. 2. alleg. 39. num. 47.* & alij communiter, & ideò ex Vasquez obseruat Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 63. dub. 1.* quòd vt homicidium voluntarium dicatur, necesse est vt in illo perpetrando adsit voluntas directa & expressa, & non sufficit vt sit voluntarium in causa; quod perpetuò tene mente. Et ad maiorem explicationem addit Turrianus posse in homine considerari triplicem voluntatem, vna est expressa occidendi, & hæc sine dubio sufficit. Secunda est expressa non occidendi, sed vulnerandi tantùm, & hæc non videtur sufficere, vt dicatur voluntarium homicidium per se vt distinctum à casuali. Tertia potest esse voluntas vulnerandi expressè, nulla præmissa cogitatione de occasione, & hæc etiam voluntas non videtur sufficere vt in hac materia dicatur homicidium voluntarium. Homicidium verò casuale non solùm est illud quod est commissum indirectè eo modo, quo explanat Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 10. num. 74.* qui omnino videndus est, sed etiam quod est commissum directè excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, & etiam quod est commissum ex subita ira, quamuis directè & plenè voluntariè. Ita Hurtado *disp. 2. de irregular. diffic. 20. num. 66.* ex quibus omnes Confessarij & consulentes casuum conscientiæ habent principia satis ampla ad extricandos multos casus circa dispensationem irregularitatum occurrentium, licet quando vulnus per se est lethale, & voluntariè infertur, aliqui putant esse homicidium voluntarium.

Notandum est hîc obiter quòd est magna differentia inter Episcopos & Prælatos Regulares quoad potestatem dispensandi circa irregularitatem homicidij casualis. Nam Episcopi possunt dispensare illam, quando homicidium est occultum. Ita Auila *de censur. part. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 2. concl. 2.* & alij. Prælati verò Regulares dispensant circa dictam irregularitatem, etiam quando homicidium est publicum. Ita Vecchius *in praxi nouit. disp. 9. dub. 18. num. 6.* Sebastianus à Bonomia *tract. de elect. part. 2. cap. 4. dub. 71. num. 14.* & alij.

RESOL. LXXIII. *An spectet ad Prælatos Regulares iudicare circa suos subditos an defectus corporis sit ita notabilis vt inducat irregularitatem, vel non?*

CIrca Clericos sæculares spectare id ad Episcopum, firmaui ego ipse *in part. 2. tract. 6. resol. 61.* quoad Regulares id ad suos Superiores minimè spectare, tradunt Barbosa *de potest. Episc. part. 2. allegat. 42. num. vlt.* Campanili *in diuer. iur. Can. rubr. 11. cap. 17. nu. 204.* Henriquez *lib. 14. cap. 14. §. 1.* & nouissimè Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. Regular. resol. 52. n. 17.*

Verùm affirmatiuam sententiam tenet Peirinus *tom. 2. de relig. Prælat. quæst... cap. 4. num. 24.* Auila *de censur. part. 7. disp. 3. dub. 2.* Layman *lib. 2. tract. 5. part. 5. cap. 7. num. 6.* Miranda *in manual. Prælat. tom. 2. quæst. 8. art. 3. concluf. 3.* & Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouit. disp. 9. dub. 21. num. 3.* Suarez *de censur. disp. 51. sect. 3. num. 16.* & hæc opinio videtur mihi probabilis cum Petro Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 12. quæst. 2.* quia hoc magis spectat ad iurisdictionem Episcopalem quam ipsi Prælati habent, quàm ad Ordinis characterem. Aduertit tamen Layman, Suarez, Vecchius & Miranda *vbi suprà*, liberum esse Episcopo qui datutus est Ordines, admittere, vel reiicere tale arbitrium factum à præfato Religionis Prælato circa defectum corporis subditi sui, vt non inducat irregularitatem. Possunt tamen Prælati regulares auctori-

ctoritate quasi Episcopali gaudentes dispensare cum suis subditis in irregularitate ex vitio corporis proueniente, dummodò vitium non sit tam fœdum, aut turpe, vt ex eo scandalum oriri rationabiliter formidetur. Ita Villalobos & Rodriquez *vbi suprà*. Vecchius *loco cit. dub.* 20. *num.*3. & Miranda, Ioan. de la Cruz *de statu Relig. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 17. *concl.*2. & alij, & ita in facti contingentia ego consului potuisse Prælatum dispensare ad sacros Ordines suscipiendos cum subdito, qui digito carebat, non tamen pulgari, siue pollice.

Sed difficultas est, an dicti Prælati possint dispensare cum subdito, qui caret pede, & ambulat cum pede ligneo. Affirmatiuam sententiam tenet Villalobos *in summa tom.*1. *tract.*22. *diffic.*9. *num.*21. Hieronymus Rodriquez *in compend. quæst. regular. resol.*52. *num.*16. & alij, & hæc opinio videtur mihi probabilis, licet aliqui illam non admittant, vt Petrus Cornejo *in* 3 *part. D.Thomæ tract.*5. *de irregular. disp.*12. *dub. vnico, quæst. vlt.* Idem etiam dicendum puto de Religioso si careat oculo dextro, nam cum ipso potest Prælatus dispensare, vt tenet Vecchius *loc. cit.* cui adde Peirinum *in priuileg. Minim. tom.*1. *constit.*2. *Iulij II.* §.29. *nu.*118. qui citat Ioan. de la Cruz, imò licet orbatio oculi siniſtri irregularitatem inducat, si oculus dexter tali polleat virtute, vt sine deformi faciei conuersione Canon legi possit, ad quam rem inseruire potest Missalis accommodatio, puto in tali casu non adesse irregularitatem. Ita Layman *lib.*2. *tract.*5. *part.*5. *cap.*7. *nu.*2. & alij. Ex quibus omnibus ego olim consului potuisse Prælatum dispẽsare cum Sacerdote sibi subdito, & maximè in occulto, ad offerendum sacrificium Missæ, qui quidem Sacerdos ob manus tremulas, vel ob chiragram, vel ob aliud huiusmodi impedimentum, laboraret aliqua inhabilitate obseruandi omnes ceremonias in celebratione Missę consuetas, dummodò hæc impotentia non sit tanta, vt ex ea graue oriatur scandalum, & dispensatus possit sine periculo explere ministerium, & maximè sine effusione sanguinis, si habet manus tremulas. Ita Vecchius *vbi suprà dub.*21. *n.*6.

Et tandem notandum est hîc obiter contra Nauarr. *cap.*27. *num.*223. non esse irregularem, qui aures non habet, ita Henriquez *lib.*14. *cap.*8. *num.*3. quod probabile esse puto cũ Coninch *disp.* 18. *dub.* 13. *num.*108. & Auila *part.*7. *disp.*3. *dub.*3. quando crinibus, aut simili ratione defectus iste ita potest tegi, vt non appareat. nam hoc modo cessat deformitas, quidquid in contrarium cum Nauarro sentiat Vinaldus *in candel. aur. tract. de irregul. tit. de aurium defectu, num.* 4.

Resol. LXXIV. *De irregularitate ex ignorantia, & an Regulares non multùm litterati sint ordinandi?*

CLarum est quòd ex ignorantia oritur irregularitas: vnde constat *in can. illitteratos, dist.* 36. *& in cap. cùm in cunctis, de elect.* & ex *cap. vlt. de temp. ordin. in* 6. illitteratos non posse ordinari, & consequenter semel ordinatos, quamuis bona fide, non posse Ordines exercere; quæ autem scientia ad quemlibet Ordinem requiratur, tradit Concilium Tridentinum *sess.*23. *cap.*4. 13. *&* 14. *de reform.*

Sed difficultas est circa Regulares. Dico igitur cum Hieronymo Rodriquez *in compend. quæst. regular. resolut.*52. *nu.*22. quòd cum Religiosis non multùm litteratis possunt Episcopi dispensare vt ad Ordines sacros promoueantur, quia in illis non requiritur tanta scientia, quanta in Clericis sæcularibus, eò quòd ad curam animarum non ordinentur, & ex continuo conuictu & communicatione cum doctis in Religione semper manet spes discendi, idque colligitur ex *cap. nullus de tempor. ordin. in* 6. vbi illitteratus tonsurari prohibetur, nisi Religionem intret. Vnde sufficit quòd constet prædictis dominis Episcopis per litteras testimoniales suorum Prælatorum Religiosos ordinandos esse examinatos, & sufficienter litteris instructos ad suscipiendos Ordines, nec hoc est contra Concil. Trident. *in decreto de examine ordinandorum*, nec contra aliud decretum *de sufficientia ordinandorum in Presbyteros ad docendum populum*; & cur magis credere debet Episcopus sæculari examinatori, quàm Prælato Regulari testificanti de scientia & sufficientia ordinandi? Ita Rodriquez & ego ipse alibi *in part.* 2. *tract.* 16. *resolut.* 29. vbi citaui Villalobos, Henriquez & Portel, & hanc sententiam, me citato, tenet etiam nouissimè Peirinus *tract.* 2. *de relig. Prælat. quæst.* 3. *cap.* 7. *num.* 20. vbi citat plures alios Doctores asserentes, quòd licet Episcopis initiare etiam sacerdotio Regularem, qui benè legit & cantat, quamuis minùs sit litteratus. Vide etiam Aloysium Bariolam *in aphorism. lit. R. ver. Regulares ad Ordines*, hanc etiam opinionem tenentem. Et ideò illam sine vllo metu & scrupulo possunt domini Episcopi in praxim deducere.

Resol. LXXV. *An protestatio liberet ab irregularitate si ficto animo efficiatur & sequatur mors?*

HIc casus potest frequenter accidere, & negatiuam sententiam tenet Vega *en espejo de curas, tom.*2. *cap.*12. §. *in* 6. *num.*270. Toletus *lib.*1. *cap.*82. *num.*5. Nauarrus *cap.*27. *num.* 226. Sylvester *ver. homicidium* 2. *quæst.*8. & Io. Baptista Bizozerus *in summa tract. de censur. cap.*5. *num.*5. sic habet: Ille qui coram Iudice, vel alio reum accusat sine protestatione, se id non facere vt reus ad mortem, seu mutilationem damnetur, sed vt suum habeat, vel vt publica scandala tollantur, fit irregularis; secus si accusat cum tali protestatione, quæ protestatio potest fieri ore, vel in scriptis, & protestatio talis vt euitetur irregularitas, non tantùm verbo, sed verè & animo fieri debet. nam si verbo faceret talem protestationem, & cuperet animo, vel sibi placeret, vt talis suspenderetur, vel mutilaretur, non euitaret irregularitatem, & ita omnes Doctores. Sic Bizozerus.

Sed fallitur. nam hoc minimè asserunt omnes Doctores, dempto Nauarro & aliis *vbi suprà*, & ideò affirmatiuam sententiam docet Petrus Cornejo *in* 3. *part. D. Thomæ tract.* 5. *de irregular. disp.* 11. *dub.*1. *quæst.*6. Turrianus *de cens. lib.*9. *disp.*66. *dub.*2. Hurtado *disp.*2. *de irregular.* Præpos. *in* 3. *part. quæst.* 5. *de irregularitate, dub.* 12. *num.* 103. Suarez *de censur.*

disp.

disp.47.sect.2.num.3. Henriquez *lib.14. cap.11.in fine.* Coninch *de Sacrament. disp.18.dub.10 num.93.* Auila *de censur.part.7.disp.5.sect.2.dub.9.concl.1.* & alij penes ipsos. Ratio est, quia *cap. Prælatis, de homicidio in 6.* solùm requirit protestationem externam, qua deficiente etiamsi non esset peccatum, aut voluntas homicidij incurreretur, & illa posita non est causa vt dicamus illam incurri. Deinde protestatio ficta tantùm valet apud Iudicem ignarum fictionis, quantum valeret si ex animo, & non fictè fieret. ergo, &c. Deinde Ecclesia non imponit irregularitatem ob intentionem & actum internum, sed ex omissione protestationis.

Notandum est tamen hic obiter quòd etiam laici facta dicta protestatione non incurrunt irregularitatem, quæ etiam excusat, quamuis non fiat simul cum ipsa accusatione, sed postea coram Iudice ante prolationem sententiæ, & non solùm quando accusat, sed etiam quando reum detinet & Iudici tradit.

Nota etiam à fortiori Clericum consulentem alteri vt accuset in casu permisso cum protestatione, non incurrere irregularitatem, quia sicut accusans in præfato casu non incurrit irregularitatem cum protestatione, ita neque consulens. Sic Paulus Comitolus *in resp.mor. lib.6.q.59.* Filliucius *tom.1.tract.19.cap.9.num.248.* & alij.

RESOL. LXXVI. *An qui laqueo se suspendit, & impeditus ab aliis non moritur, maneat irregularis?*

VIdetur negatiuè respondendum, quia contra Maiolum *de irregul. lib. 5. cap.48.num.5.* secutum glossam vltimam *in cap. perniciosè, de pœnitent. dist.1.* irregularitas imposita est homicidio voluntario, & non attentato; ergo quamdiu quis non moritur, licet se lethaliter vulneret, non erit irregularis, pœnæ enim extendendæ non sunt, sed potiùs coarctandæ ad proprietatem verborum legis: sed hoc accidit in casu nostro, quia talis venit tantùm in actum proximum homicidij, illudque solùm attentauit. ergo, &c.

At his non obstantibus Petrus Cornejo *in 3. p. D.Thom.tract.5.de irregularitate, disp.1.dub.2.quæst.4. nu.1.* putat talem manere irregularem, non ratione homicidij attentati, sed ratione delicti enormis infamiam inducentis; sed tu cogita.

RESOL. LXXVII. *An laicus celebrans Missam, vel sacramentaliter absoluens, incurrat irregularitatem?*

AFfirmatiua sententia suadetur ex *cap. 1. de cler. in ordin.ministran.* vbi generaliter dicitur *si quis ministrauerit*, &c. & ita hanc sententiam docet Gauantus *in enchirid.Episc. ver.irregularitas, nu.58.* Paludanus, Syluester, Scotus, Nauarrus, Suarez, Valentia, & alij, quos citat Sayrus *de cens.lib.7.cap.10.n.6.* quibus adde Auilam *de cens. part.7. disp.9. dub.15.* Hurtadum *de irregul.disp.2.diffic.2.nu 5.* Ledesmam *in 2 parte quarti, quæst.47.art.73.dub.5.*

Sed Sayrus meritò negatiuam tenet opinionem, quam nouissimè tuetur etiam Petrus Cornejo *in 3 p.D.Thom.tract.5. de irregularitate, disput.7. dub.2.quæst.1.* Bonacina *de cens.disp.7.q.3.punct.6.n.1.* Henriquez *lib. 2. cap. 29. §.1. & lib.14.cap.6.§.1.* & alij, quia textus loquuntur tantùm de Clericis, & ideò dicendum est quòd laicus solemniter baptizans, aut Missam celebrans, vel absolutionem sacramentalem conferens, fingens se Sacerdotem, non incurrit irregularitatem; & ad cap.1. adductum respondeo esse intelligendum iuxta titulum, sub quo ponitur. ergo cùm ponatur sub titulo de Clerico non ordinato ministrante, de Clericis & non de laicis intelligendum est.

Verùm in dicta irregularitate contracta, vt diximus, à solis Clericis si non Sacerdotes confessiones audiant, vel Missas celebrent, vt ascendant ad vlteriores Ordines solus Papa dispensare potest; in susceptis verò vt ministret proprius Episcopus: quòd si delictum occultum sit, etiam quoad vlteriores Ordines dispensare potest; per Bullam autem Cruciatæ potest hęc irregularitas quoad vtrumque effectum tolli, quia habet rationem censuræ. Et hæc omnia docet Petrus Cornejo *vbi suprà quæst 2.*

RESOL. LXXVIII. *An Ecclesiastici committentes Iudici laico in particulari casum alicuius rei dignum morte, si sequatur, incurrant irregularitatem?*

AFfirmatiuè respondet Henriquez *lib.14.cap.3. n.6.* qui adducit ad hanc firmandam sententiam Nauarrum *lib.5.consil. de homicidio.* Sed Nauarrus ibi tantùm loquitur de Prælato qui præcipit Iudici, vt manè exequeretur sententiam mortis, quam ipse Iudex tulerat, in quo casu reuerà irregularis esset, sicut si præciperet Iudici vt hunc furem, vel homicidam suspendat, ex textu *in cap. his à quibus 23.quæst.8.* ibi, *aut inferendas præcipiant.*

Vnde in casu proposito puto Prælatum non incurrere irregularitatem, & hanc sententiam ex Suarez firmat Petrus Cornejo *in 3.part. D. Thom. tract.5.de irregular.disp.11.dub.1.q.1.* vbi sic asserit: Ex textu *in ca.vlt.ne Clerici vel Monachi in 6.* dicendum est Ecclesiasticos temporalem iurisdictionem habentes posse sine irregularitate causas sanguinis aliis delegare, quod procedit etiamsi in communi dicat Iudici cui causas committit, vt contra malefactores inuigilet. imò etiamsi committant ei in particulari casum dignum morte, vt colligitur ex eodem textu. Ita ille. Et nouissimè Gaspar Hurtado *de irregular.disp.2.diffic 11.n.42.*

RESOL. LXXIX. *An collatio beneficij facta irregulari sit irrita & inualida ipso iure ante Iudicis sententiam?*

AFfirmatiuè respondent communiter Doctores, vt Suarez *de censur.disp.40.sect.2.n.30.36.& 41.* Sayrus *lib.6.cap.2. num. 21.* Auila *part. 7.disp. 2. dub.6.* & alij penes ipsos, quia beneficium datur propter officium, siue propter exercitium Ordinis; ergo qui per irregularitatem non potest Ordines exercere, incapax est beneficij, ita vt eius collatio irrita sit, non minùs ac si daretur purè sæcularibus Ordinibus carentibus. & ita hanc sententiam nouissimè docuit etiam Turrianus *de cens.l.8. disp.58. dub.2.*

Sed contrariam opinionem Syluestri *ver.excommunicatio, n. 4.* probabilem esse puto. Dico igitur collationē beneficij factam irregulari validā esse, & ideò talis solùm indiget dispensatione super irregularitate, non tamē noua collatione beneficij,

vnde potest fructus suos facere in conscientia; & ratio est, quia sicut irregularis potest retinere beneficium quod ante irregularitatem obtinuerat, ergo etiam potest retinere beneficium quod impetrauit post irregularitatem incursam, quia in vtroque casu militat eadem ratio priuationis exercitij Ordinis; & ad argumentum factum pro sententia communi responderi potest negando consequentiam, & rationem discriminis optimè adducit Petrus Cornejo *in 3.part.D. Thom. tract.5. de irregular.disp.5.dub.2.quæst.1.* vbi docet hanc Syluestri sententiam esse satis probabilem.

Resol. LXXX. *An irregularitas incurratur in aliquo casu à iure non expresso?*

Respondeo negatiuè, & ita habetur expressè *in cap.is qui,de sent.excomm.in 6.* Vnde in hac materia non valet argumentum à simili, vt pluries *suprà* dictum est, neque à fortiori, &c. nec obstat *cap.ad audientiam, & cap significasti, de homicido,* vbi statuitur censendum esse irregularem eum, qui de irregularitate sua dubius, atque incertus est, eò quòd in dubio tutior pars sit eligenda. ergo non solùm vbi est irregularitas expressa, sed etiam vbi dubium est, incurritur.

Non, inquam, hæc iura obstant, nam procedunt vbi dubium est de facto, sed *cap.is qui,* procedit de iure; igitur quando dubium est de iure, hoc est, an sit pro aliquo delicto commisso imposita à iure aliqua irregularitas, tunc est iudicandum non esse irregularitatem in eo casu constitutam, cùm talis irregularitas non sit in iure expressa, & ita docent Aloysius Bariola *in aphorism.lit.I. verbo irregularitas,* §.10. Valent.*tom.4.disp.7.quæst.19.punct.20. notab.3.* Petrus Cornejo *in 3 part.D. Thomæ tra.5.de irregularitate,disp.1.dub.2.* Suarez *de censur. disp. 4.sect.4.n.* 15. Sayrus *lib.6. cap.2. num.* 4. & alij communiter; vnde summopere notanda est hæc doctrina à Confessarijs & casuum conscientiæ responsoribus, nam ex illa ab incursione irregularitatis multos pœnitentes liberabunt.

Resol. LXXXI. *An aliqua species irregularitatis sit dispensabilis per Bullam Cruciatæ?*

Negatiuam sententiam docent Doctores, quos citaui *in 1.par.tract.de Bulla Cruciatæ,resolut.17.* quibus nunc addo Ægidium Trullench *in exposit. Bull.Cruciatæ lib.1.§.7.cap.2.dub.17. num. 5. & seq.* & hæc opinio est probabilior.

Sed ego ibi affirmatiuam sententiam probabilem esse dixi, & præter Doctores quos adduxi, tenet etiam hanc sententiam nouissimè Petrus Cornejo *in 3.part D.Thom.tract.5.de censur.in genere,disp. 1.dub. 2. diffic.* 2. Dicendum est igitur per Bullam tolli non posse eam irregularitatem, quæ est pura inhabilitas, & quæ ob defectum lenitatis & repræsentationis contrahitur, qualis est bigamia, homicidium iustum, & illegitimitas. Neque tolli posse eam irregularitatem, quæ simul est pœna & inhabilitas, qualis est illa, quæ contrahitur ex homicidio iniusto voluntario, vel mutilatione; solùm ergo per Bullam tolli potest irregularitas, quæ est pura pœna peccati, & ideò Cornejo *loco citato tr.5. de irregular.disp.5.dub.1.quæst.12.* docet irregularitatem ex iteratione Baptismi posse tolli per Bullam Cruciatæ in foro conscientiæ, & quando delictū est occultum, quia cùm imposita sit propter culpam, & non propter significationem, habet rationem censuræ & pœnæ Ecclesiasticæ, à quibus absolui potest per Bullam Cruciatæ. Item *disp.6.q. vlt.* docet per Bullam tolli etiam posse irregularitatem incursam ex violatione censurarum, vt si aliquis sit suspensus, excommunicatus, &c. vnde *disput.16.* asserit, quòd si quis ante ætatem ordinatus est, & celebrauit virtute Bullæ Cruciatę, potest obtinere dispensationem ab irregularitate incursa, eò quòd irregularitas hæc censura sit, & pœna Ecclesiastica; & tandem *disp.7.dub.2.quæst.2.* docet posse tolli per Bullam Cruciatæ irregularitatem, quam quis incurrit ministrando in Ordine quem non habet, quia talis irregularitas habet rationem censuræ, & pro confirmatione supradictorum ne prætermittas videre me ipsum *vbi suprà.* Vnde ex dictis in dicta resolutione apparet, non benè Turrianum *in selectis disputationibus centur. 2. cens.Theol. dub.29.* asserere hanc sententiam esse improbabilem, quam communiter esse receptam in schola D.Thomæ asserit Ioan. de la Cruz citatus *in dicta resolutione.*

Resol. LXXXII. *An Religiosus nulliter professus incurrat suspensionem si Ordines recipiat, & irregularitatem si celebret?*

Affirmatiuè respondeo, tum quia Ordines sacros sine titulo suscipit, tum quia accedit ad Ordines sine litteris dimissoriis legitimi Prælati, & ideò consequenter incidit in suspensionem, & si celebret, irregularitatem incurrit, nisi ignorantia, vel metus infamiæ excuset à culpa suscipientem, vel exercentem Ordines susceptos sine valido professionis titulo, leges enim humanæ cum graui incommodo obligare non solent, & hæc omnia docet Bonacina *tractat. de clausura, quæst.2. punct.10.diffic.5.n.4.*

Sed ego hic pro Dominis Episcopis aduertam quid facere debeant quando Regulares in sacris Ordinibus ordinant, nempe nullum Regularem ordinare nisi iuratum, scriptoque suo chirographo confirmato affirmet coram Antistite, se quēadmodum fecerit professionem, ita firmam & ratam semper habuisse, quod scriptum in Episcopali archiuio asseruandum Cancellario tradat; & ita ordinabat Regulares Eminentiss. Cardinalis Fridericus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis, vt patet in sua institutione pro ordinandis, edita Mediolani *anno 1602. fol.mihi* 110. & ideò Bartholomæus Gauantus *in enchirid.Episcoporū,ver. Ordines maiores,num.28* sic asserit: Regulares titulo paupertatis ordinentur, sed iurent coram Episcopo se sponte professionem solemnem emisisse, aut ratam habuisse. Ita ille: qui etiam citat Synodum Prouincialem Quintam Mediolanensem.

Resol. LXXXIII. *An damnatus ad triremes efficiatur irregularis?*

Hic casus frequenter potest accidere. & de illo interrogatus fui propter quemdam Religiosum, qui cùm abiurasset in nostro sacro Tribunali

Inqui-

Inquiſitionis, & fuiſſet damnatus per triennium ad remigandum, poſteà elapſo tempore, ad Religionem reuerſus, Superior putabat ſupradictum eſſe irregularem; & tunc negatiuam ſententiam probabilem eſſe dixi. Et ita docet Riccius *deciſ. cur. Neapol. part. 1. deciſ. 119.* & Homobonus *in conſultat. caſuum conſcient. vol. 1. part. 4. reſponſ. 158.* nam irregularitas non contrahitur niſi in caſibus à iure expreſſis, quod idem dicendum eſt de pœna infamiæ, ex gloſſa *in cap. infamibus, de reg. iuris, in 6.* Sed numquam legitur condemnatum ad remigandum contrahere infamiam, ex Borello *conſil. 52.* & aliis; ergo &c. quæ omnia notent Confeſſarij, nam hi caſus ſæpè in praxi accidunt, vnde cum Riccio *vbi ſuprà* dicendum eſt non benè ſecundùm hanc ſententiam quemdam Prouincialem Religionis voluiſſe excludere ab electione Capituli Monachum olim condemnatum ad triremes.

Non deſinam tamen hîc adnotare affirmatiuam ſententiam docere Barboſam *de poteſt. Epiſcopi p. 2. allegat. 43. nu. 15.* Lezanam *in ſumma quæſt. regul. cap. 16. num. 32.* & Campanili *in diuer. iur. canon. rubr. 11. cap. 18. nu. 16. & ſeq.* cum aliis aſſerentibus damnatos ad triremes eſſe irregulares, vnde vtramque opinionem puto probabilem eſſe.

RESOL. LXXXIV. *An Aethiopes ſint irregulares?*

NEgatiuè reſpondet Maiolus *de irregular. lib. 1. cap. 21.* Sed hanc ſententiam Vgolinus *tract. de irregular. cap. 50. num. 4.* veram cenſet inter Æthiopes, nam leproſus inter leproſos admittitur, ſecus autem inter nos, horrorem enim generant; opinio tamen Maioli locum habere poſſet, vbi paululùm niger eſſet. Ita Vgolinus.

Verùm ſententiam Maioli in fauorem Æthiopum abſolutè tenet nouiſſimè Bartholomæus Gauantus *in enchirid. Epiſcopor. ver. irregularitas, num. 18.* & mihi ſatis probabilis eſſe videtur.

RESOL. LXXXV. *An ignorans alicui actui impoſitam eſſe irregularitatem excuſetur ab illa?*

OQuàm plauſibilis erit Confeſſariis hæc reſolutio, & negatiuam ſententiam docet Hurtado *tract. de irregular. diſp. 1. diffic. 8. num. 28.* Vaſquez *in 3. part. tom. 4. dub. 16. de excommunic.* Azorius *to. 1. lib. 1. c. 15. quæſ. 7.* Corduba *in qq. lib. 2. quæſt. 27.* Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 40. ſect. 5. num. 10.* Aluarez *in part. 2. diſp. 158. nu. 5.* Auila *de cenſ. part. 2. cap. 5. diſp. 5. dub. 10. concl. 2.* Sotus *in 4. diſt. 22. q. 1. ar. 2. ad finem,* & Martinus Ledeſma *in 2. 2. q. 24 art. 6.* Verùm ego puto contrariam ſententiam non minùs probabilem eſſe. Dico igitur quòd ignorantia iuris inuincibilis excuſat ab irregularitate, etiamſi imponatur pro facto iure naturali damnato, quia pœna non incurritur abſque culpa. Ita Nauarrus, Reginaldus, Peregrinus, Sanchez & Bonacina, quos citat & ſequitur Merolla *in diſp. Theol. to. 1. diſp. 1. cap. 2. coroll. 1. n. 48.* quibus adde Caſtrum Palaum *in opere mor. to. 1. tr. 2. diſp. 1. punct. 18. n. 6.* Coninch *de Sacra. diſp. 18. dub. 4. n. 31.* & Portel *vbi infrà,* & ideò ſi excommunicatus celebret ignorans inuincibiliter eſſe impoſitam pœnam irregularitatis excommunicato celebranti, non incurrit irregularitatem. Imò Merolla *vbi ſuprà dub. 3. nu. 83.* docet etiam ignorantiam moraliter vincibilem excuſare à pœna irregularitatis, dummodo non ſit craſſa, quia hæc non oritur ex lata culpa.

Sed dicet aliquis, ſi hæc doctrina eſſet vera, ſequeretur quòd ſi quis occideret aliquem neſciens homicidio impoſitam eſſe irregularitatem, illam non incurreret. Sed hoc dicere eſt abſurdum; ergo. Reſpondeo Laurentium de Portel *in dubiis regularium, ver. ignorantia, n. 19.* totum hoc concedere; ſic enim aſſerit: Præmittendum eſt aliam irregularitatem conſurgere ex delicto, vt ex homicidio, ex celebratione in excommunicatione, &c. in pœnã delicti. Alia verò eſt irregularitas, quæ non ponitur ob delictum, ſed ex indecentia, vel defectu ſignificationis, & comitatur non culpam, ſed indecentiam, qualis eſt bigamia, & irregularitas contracta à Iudice ſine culpa damnante hominem ad mortem iuſtè. Et quidem certum eſt apud omnes hanc irregularitatem ſecundi generis certò contrahi, etiamſi operans operetur ignorantia inuincibili. Eſt ergo ſola quęſtio de irregularitate primi generis orta ex delicto, an iſta quæ pœna eſt, ſimiliter & ſuſpenſio, interdictũ inhabilitas & ſimiles incurrantur ab operante inuincibiliter ignorante? Sotus & Ledeſma affirmant; Sanchez verò tenet probabiliùs has omnes pœnas nonincurri ab operante qui habet ignorantiam iuris poſitiui illas imponentis. ita Portel, qui, vt apertè apparet ex eius verbis, tenet expreſsè irregularitatem ex homicidio tamquam ortam ex delicto non incurri ab ignorante illam; & hanc ſententiam etiam apertè videtur docere Caſtrus Palaus *vbi ſuprà.*

Verùm his non obſtantibus, contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quia, vt benè obſeruat Merolla *loc. cit. in diſp. Theol. to. 1. diſp. 1. c. 2. num. 49. & num. 87.* irregularitas ex homicidio, vel mutilatione, licet videatur eſſe ex delicto, includit tamen præcipuè defectum lenitatis; ergo incurritur, licet occidens ignoret homicidio illam impoſitam eſſe; & hoc dubium eſt valdè notandum, quia quotidianum, & à paucis diſcuſſum, & ſcio quòd aliquando doctorum hominum torſit ingenia. Vide etiam Guilielmum Mercerum *de Sacram. in 3 par. D. Thomæ q. 66. art. 9. num. 6.*

Dicendum eſt igitur ad incurrendam excõmunicationẽ non ſufficere quòd ſciam opus eſſe prohibitum, ſed vt ſciam de pœna, idque prohiberi ſub excõmunicatione. Ita de ceteris pœnis ſuſpenſione, interdicto, irregularitate, &c. quod eſt valdè conſolatorium, & verum eſt, etiamſi ignorantia, vt *ſuprà* diximus, eſſet vincibilis. & ita præter Merollam docet Laurentius de Portel *vbi ſuprà n. 27.* vbi ita ait: Ignorãtia vincibilis ſiue facti, ſiue iuris imponentis cenſuras, & alias pœnas ſpirituales, ſiue factum illud ſit peccatum mortale, ſiue non, ſi tamen non fuerit ignorantia craſſa & ſupina, excuſat ab omnibus illis pœnis; & hæc cõcluſio eſt magnæ conſolationis, eſtque intelligenda de quibuſcumque pœnis ſiue latis à iure communi Papę, ſiue à particulari Diœceſanorum. Craſſa verò & ſupina ignorantia eſt illa quę procedit ex culpa lata, quæ interuenit in adhibẽda diligentia; culpa verò lata

lata eſt,quando ignorans, aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam vt ſciret quæ noſſe tenetur,vel quæ ex malitia,vel ex nimia negligentia procedit.Vbi vides poſſe aliquem euadere prædictas omnes pœnas, etiamſi operetur culpabiliter mortaliter cum ignorantia iuris, vel facti,dummodo ignorantia non ſit craſſa & ſupina, ſiue magna. Vnde etiam colliges non incurri irregularitatem homicidij ob ſolam culpam venialem.Sic Portel,& ego *ſuprà in reſol.37.*

RESOL. LXXXVI. *An qui plura homicidia commiſit, contraxerit plures irregularitates neceſſariò in diſpenſatione manifeſtandas?*

AFfirmatiuè reſpondet Coninch *de Sacram.diſp.* 18.*dub.*14.*num.* 112. Suarez *de legibus lib.* 6. *cap.* 24.*num.*12. vbi ſic ait : Similiter cenſeo, qui plura homicidia commiſit, ſi vno tantùm narrato velit diſpenſationem vnius irregularitatis obtinere,nihil faciet,quia licet illæ cenſeantur irregularitates numero diuerſæ, moraliter efficiunt vnam grauiorem, vel certè nulla illarum ſatis explicatur ſine alia. Ita ille, & hanc ſententiam docet etiam Emanuel Rodriquez, quem citat Auila *de cenſur. part.*7.*diſp.*10.*dub.*8.

Sed ipſe ibi contrariam ſententiam docet,quam etiam tuentur Henriquez *lib.* 12. *cap.* 10.§.3.*& lib.* 14.*cap.*7.§.3. Filliucius *tom.* 1. *tractat.*10.*part.*2.*cap.* 10.*quæſt.*7.*&* 8.& Sanchez, quem citat & ſequitur Caſtrus Palaus *in opere morali tom.* 1. *tract.*3. *diſp.*6. *punct.* 16.§.4. *numer.* 16. vbi ſic ait:Non caret probabilitate, contracta vna irregularitate ob homicidium, non contrahi aliam numero diſtinctam, etiamſi aliud homicidium committas, quia cùm irregularitas ſit inhabilitas per modum habitus, non potes ampliùs ex eadem cauſa inhabilitari, neque vna cauſa ſuper aliam operari.Ita ille,& ſic de excommunicato qui pluries in excommunicatione celebrauit,tenet Nauarrus *conſil* 3 *de raptoribus,num.*6.Zerola *in praxi Epiſcop.part.*2.*tit.de irregularitate,*§.12.*ad finem.* Garcias *de benefic.tom.*2.*part.*8. *cap.*3.*num.*80. *vſque ad* 87.

Quæ omnia confirmantur,nam copula ſæpiùs repetita non inducit nouum impedimentum, neque eſt neceſſariò facienda mentio omnium illorum delictorum,ſed ſufficit ſi vnius tantùm mentionem faciat,vt docet Sanchez *lib.*8.*diſp.*24.*nu* 7. Azorius *part.*3. *lib.*3.*c.*10.*q.*1. Garcias *nu.*77. Item ſi quis teneat in Baptiſmo plures filios alicuius,vnica tantùm eſt compaternitas,vt tenet Garcias *nu.* 78.Et tandem ſi quis ter, vel quater contraxit nuptias, non eſt neceſſarium id exprimere quando petit diſpenſationem bigamiæ.Ita Vgolinus *de irregul.c.*56.§.7.*n.*3.Auila *de cenſur part.*7.*diſp* 8.*in fine.* Garcias *n.*79.& Sanchez *lib.*7.*diſp.*86.*n.*24.Verùm his non obſtantibus, aſſerunt multi hanc ſecundam opinionem non eſſe tenendam, quia ſtylus Curiæ eſt in contrarium.

RESOL. LXXXVII. *An Prælati Regulares poſſint diſpenſare in irregularitate ſuorum ſubditorum contracta ex abortu animato?*

NEgatiuam ſententiam docet Emanuel Rodriquez *in quæſt.regul.to.*2. *quæſt.*33. *art.*4. quia, ait ille,tale homicidium eſt nimis qualificatum,vnde ſi quis petiit diſpenſationem à Papa quòd occideret hominem, tacendo fuiſſe Clericum occiſum, non manet diſpenſatus, quia homicidium Clerici eſt magis qualificatum.ergo,&c.

Sed aliqui putant contrariam ſententiam eſſe probabilem; dicunt igitur in ſupradicta irregularitate poſſe Prælatos regulares diſpenſare, dummodo ſit occulta, quamuis Aloyſius Vega *in ſumma tom.*2. *cap.*15.*caſ* 6. teneat quòd ſi homicidium eſt occultum apud ſæculares,& manifeſtum apud Fratres, poſſunt adhuc Prælati in illo diſpenſare; ſed non poſſe quando eſt notorium, ita vt poſſit probari in iudicio,docet Miranda *to.* 2.*q.*8.*art.*10. *concluſ.* 2. Et ita hanc ſententiam affirmatiuam tenet Laurentius Portel *in dubiis Regularium,ver.Abortus,num.*10.& poſt illum Villalobos *in ſumma to.*2. *tractat.*12. *diffic.*14. *num.*6. & Hieronymus Rodriquez *in compend.qq.regul.reſol.*4.*num.* 6. & reſpondent ad argumentum Rodriquez ; dicunt igitur quòd Eccleſia non ponit irregularitatem ob grauius & qualificatum peccatum, & ad exemplum de homicidio Clerici, aſſerunt cum Caſtro Palao *in opere morali tom.*1.*tract.*3. *diſp.*6.*punct.*16.§.4.*n.*16. non eſſe neceſſariam in diſpenſatione illius qualitatis manifeſtationem,quia ad irregularitatem eſt omnino extrinſecum, & per accidens occiſum fuiſſe Clericum,non enim ob ſacrilegium, ſed ob defectum perfectæ lenitatis imponitur, qui defectus in quacumque hominis occiſione reperitur. ergo,&c. Sed his non obſtantibus, non eſt recedendum à contraria ſententia,quidquid ſit an poſſit diſpenſare in irregularitate homicidij voluntarij.

Nota verò quòd poſt hæc ſcripta inueni Hieronymum Rodriquez *in compend.qq.regular.vbi ſuprà,reſol.*4.*nu.*15. docere probabilem ſatis eſſe ſententiam Alphonſi de Vega aſſerentis, vt diximus, poſſe Prælatos diſpenſare in irregularitate abortus, etiamſi ſit manifeſta & notoria apud Fratres; ſed tu ne recedas à prima ſententia,maximè quod intelligo, ſi verum eſt, hoc priuilegium eſſe viuæ vocis oraculum,quod vide.

RESOL. LXXXVIII. *An irregulares poſſint initiari prima tonſura ſine prauia diſpenſatione?*

NEgatiuam ſententiam docet Auila *de cenſur. part.*7.*diſput.*2.*dub.*6.*concluſ.*1.Præpoſitus *in addit.ad* 3.*part.* D.*Thomæ quæſt* 5.*de irregularit.dub.*3. *numer.*12. Suarez *tom.* 5. *diſput.* 40. *ſect.*1. *numer.*11. & alij communiter, aſſerentes irregularitatem reddere hominem inhabilem etiam ad primam tonſuram.

Sed aduerſus hanc ſententiam (attendas quæſo amice Lector) adeſt maximum argumentum, ſuppoſita communi ſententia Theologorum aſſerentium primam tonſuram non eſſe Ordinem, cum D.Thoma *in* 3 *part.quæſt.*40. *art.*2. Vaſquez *tom.*3. *diſp.*236.*cap.*1.*num.*9. *& diſput.*237.*cap.*2. Bellarmino *lib.*1. *de Clericis, cap.*11. Martino Fornario *tract. de Ordine cap.*7.*num.*1.Filliucio *tom.* 1. *tract.*9.*cap.*1. *num.*13.& nouiſſimè ſolidè, vt ſemper ſolet, cum Patre Hurtado *de Sacrament.tract.de Ordine,diffic.*2. quorum ſententia ſuppoſita, ſic argumentor.

In

In odioſis non eſt facienda extenſio de vno caſu ad alium; ſed Canones aſſerunt irregularem eſſe incapacem Ordinum; ergo non erit incapax primæ tonſuræ, quia, vt dictum, propriè non eſt Ordo; tonſuratus enim ordinatus dici non poteſt, quia ordinatus habet peculiare officium ad Euchariſtiæ celebrationem directum; ſed tonſuratus nullum habet officium circa miniſterium Altaris, ita vt dici poſſit deputatus ad Ordines, ſed non ordinatus. ergo, &c. Sed his non obſtantibus, quia opinio negatiua eſt communis, non audeo ab ea recedere, & ideò illam omnino tenendam eſſe exiſtimo.

RESOL. LXXXIX. *An Sacerdos qui non habet licentiam confitendi, ſi excipiat alicuius confeſſionem, incurrat irregularitatem?*

AFfirmatiuam ſententiam poteſt quis tribuere Ioanni Præpoſito *in 3. part. D. Thomæ q. 5. de irregular. dub. 6. num. 36.* vbi ſic aſſerit: Diaconus præſumens ſacramentaliter abſoluere, vel conferre extremam Vnctionem, fit irregularis; imò & Sacerdos qui ſolùm priori ordinationi eſt ordinatus, quia in ea nondum recepit poteſtatem abſoluendi. Ita ille; ſed non loquitur in caſu propoſito, ſed in alio, in quo deeſt Ordinis poteſtas. Sed mihi placet contraria ſententia quam tuetur Bonacina *de cenſur. diſp. 7. quæſt. 3. punct. 6. num. 6.* quia irregularitas incurritur ab exercente Ordinem quem quis non habet; ſed Sacerdos in hoc caſu nõ exercet actum quem non habet, cùm verè ſit Sacerdos, ſed potiùs dicitur exercere actum iuriſdictionis quam non habet. ergo non eſt irregularis, cùm non ſit lata irregularitas contra exercentem actum iuriſdictionis alienæ. Ita Bonacina, qui citat Coninch, & Henriquez. Et idem dicendum eſt ſi talis Sacerdos adminiſtraret extremam Vnctionem.

RESOL. XC. *An Sacerdos excommunicatus ſi excipiat confeſſiones, incurrat irregularitatem?*

HIc caſus poteſt frequenter accidere, & ad illum reſpondet affirmatiuè Laurentius Portel *in dubiis Regularium, ver. irregularitas n. 13.* vbi ſic ait: Dubium eſt, an Sacerdos excommunicatus maiori excommunicatione, ſi miniſtret alicui ſacramentum Pœnitẽtiæ, maneat irregularis? Quòd enim Sacerdos celebrans excommunicatus ſit irregularis, omnes admittunt. At de audiente confeſſiones apud nullum clarè inueni, & eſt dubium quotidianum. Ego iudico talem Confeſſorẽ manere irregularem. Moueor ex eo quod tradit Nauarrus *in man. cap. 27. n. 244.* vbi pro regula generali tradit, fieri irregularem illum, qui celebrat diuina Officia, vel facit aliquem actum deputatum Ordini ſacro maiori quàm habet. Conſtat autem quòd audire confeſſiones eſt actus ſpecialiter deputatus Ordini Presbyterij. Secundò probo ex regula generali, videlicet fieri irregularem illum Clericum, qui exercendo actum Ordinis violat cenſuram: at Sacerdos excommunicatus audiens confeſſiones primò exercet actum Ordinis Preſbyterij, vt patet; ſecũdò violat cenſuram excommunicationis, per quam illi interdicitur miniſtrare Sacramenta. ergo fit irregularis, & hoc intellige quantumcumque excommunicatio, vel delictum ſit occultum. Ita Portel, qui licet dicat hunc caſum à nemine fuiſſe diſcuſſum, ego tamen illum inuenio reſolutum etiam affirmatiuè apud Auilam *vbi infrà*, Henriquez *lib. 13. cap. 7. nu. 1.* Alterium *de cenſuris lib. 2. diſp. 1. cap. 2. dub. 1.* Suarez *de cenſur. diſp. 10. ſect. 3. n. 15.* Martinum Bonacinam *de cenſ. diſp. 7. quæſt. 3. punct 5. n. 6.* qui docet hanc ſententiam eſſe veram, etiamſi abſolutio eſſet inualida ob culpam pœnitentis. Verùm his non obſtantibus, Didacus Perez *in annotat. ad Villadiegum de irregular. t. 2. n. 12.* docet tunc excommunicatum abſoluentem incurrere irregularitatem, quando abſoluit cum orationibus, ſtola & Miſerere, ſecus quando ordinario modo abſoluit; ſed ego non audeo recedere à communi ſententia. Vnde ex his rectè ego olim in caſu contingenti conſului quemdam Sacerdotem excommunicatum irregularitatem incurriſſe ex ſola adminiſtratione Euchariſtiæ, licet Miſſam non celebrauerit, quia talis adminiſtratio eſt actus deputatus Ordini ſacro. Ita Auila *de cenſur. part. 7. ſect. 2. dub. 2.*

RESOL. XCI. *An Clericus nondum Sacerdos ſi excipiat alicuius confeſſionem efficiatur irregularis?*

AFfirmatiuè reſpondet Sayrus *de cenſuris lib. 7. cap. 10. n. 5.* Henriquez *lib. 14. cap. 6. §. 2.* Maiolus *de irregular. lib. 4. cap. 13. num. 5.* Auila *de cenſur. part. 7. diſp. 9. dub. 15. concluſ. 1.* Bonacina *de cenſur. diſput. 7. quæſt. 3. punct. 6. num. 4.* & alij penes ipſos. Ratio eſt, quia ſic determinatur *in cap. 1. de Clerico non ordinato*, &c. ibi, *Si quis baptizauerit, vel aliquod diuinum Officium exercuerit.* Sed abſolutio ſacramentalis eſt diuinum Officium. ergo.

Sed, vt verum fatear, hæc opinio videtur pati difficultatem, cùm nullo iure expreſſè habeatur aliquem carentem Ordine adminiſtrantem Sacramenta fieri irregularem, ſed Doctores id tradunt ex citato *c. 1.* Sed ſub nomine diuinorum Officiorum non ſatis conſtat contineri in dicto capite adminiſtrationem Sacramentorum, cùm ſæpè in iure inter ſe diſtinguantur, vt patet ex *c. Epiſcoporum, de priuileg. in 6.* & ex *c. reſponſo, de ſentent. excommunicat. c. alma mater, eodem tit. in 6.* & ex Concilio Trid. *ſeſſ. 21. c. 4. de reform.* Quod confirmatur (attende quæſo amice Lector) ex contextu litteræ ſupradicti *c. 1.* vbi Baptiſmus condiſtinguitur contra diuinum Officium. Ergo non videtur ſatis conſtare diuinum Officium in dicto capitulo cõprehendere Sacramentorum adminiſtrationem, quamuis quibuſdam aliis capitulis comprehendere videatur. Sed quia affirmatiua ſententia eſt communis, non audeo ab ea recedere. Vide Coninch *de Sacram. diſp. 18. dub. 6. num. 48.*

Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd in irregularitate exercendi Ordinem quem non habet, Epiſcopus poteſt diſpenſare vt vtatur Ordine ſuſcepto. Ita Auila *loco cit. concluſ. 3.* & poſt Concilium Tridentinum, etiam vt aſcendat ad Ordines vlteriores ſi delictum ſit occultum.

RESOL. XCII. *An ſuſpenſus ab Ordine incurrat irregularitatem ſi ad Ordinem ſuperiorem aſcendat?*

AFfirmatiuè reſpondet Couarr. *in ca. alma part. 2. §. 3. n. 5.* Nauarr. *lib. 1. conſil. 26. num. 2. de tempor. ordin.*

ordin. & alij apud Henriquez *lib.*14.*c.*6.*n.*4.*in gloſſa litt.* C. quia aſcenſus ad Ordinem ſuperiorem eſt veluti exercitium Ordinis inferioris à quo ſuſpenſus eſt. Et ideò ſi Diaconus ab Ordine ſuſpenſus ſacerdotium accipiat, exercet miniſterium Preſbyteri ſacrificando cum Epiſcopo. Item Subdiaconus cantando ſolemniter Euangeliũ.ergo,&c.

Sed ego negatiuam ſententiam probabiliorem eſſe exiſtimo cum Suarez *de cenſuris diſp.* 42.*ſect.*3.*n.*2.Sayro *de cenſuris lib.*4.*cap.*16.*n.*22.& aliis communiter:quia talis irregularitas non eſt in iure expreſſa, nec valet primum argumentum *ſuprà* adductum, quia, vt probat Layman *in Theol.moral. lib.*1.*tract.*5.*part.*3.*c.*1.*corollar.*6.ſuſceptionem Ordinis ſuperioris non niſi impropriè & abuſiuè dici poſſe exercitium Ordinis inferioris.

Ad primum argumentum aſſero, vt alibi probaui,primum ſacrificium non æſtimari actum illum concelebrationis. Ita Auila *de cenſuris part.*3. *diſp.*5.*dub.*7.*aſſert.*3.Henriquez *lib.*14.*c.*3.*n.*6.Medina *in ſumma lib.*1.*c.*11.§.8.& alij.

Notandum eſt etiam hîc obiter Epiſcopum ſuſpenſum à Pontificalibus non incurrere irregularitatem ſi Miſſam celebret cum apparatu Epiſcopali;quia ab actu celebrandi ſecundùm ſubſtantiã ſuſpenſus non eſt, ſed tantùm ſecundùm ſolemnitatem accidentalem. Ita Auila *de cenſur. part.*7. *diſp.*9.*ſect.*2.*dub.*2.§.*ſed notandum.* Couarr. *in Clem. part.*1.§.1.*n.*1. Sylueſter *ver.ſuſpenſio,quæſt.*5.& alij.

Nota etiam excommunicatos & ſuſpenſos non fieri irregulares; ſi exercent ea quæ pertinent ad iuriſdictionem fori exterioris,vt ſi aliquis excommunicet, ſuſpendat,aut abſoluat ab aliqua cenſura,dummodo abſoluat abſque ſolemnitate, nempe ſine ſtola,Pſalmis,&c.hinc ego olim rectè conſului, Parochum excommunicatum matrimonio aſſiſtentem non incurriſſe irregularitatem. Vide Auilam *loco cit.*qui *dub.*3.rectè etiam docet contra Sylueſtrum & Nauarrum,excommunicatum ſuſpenſum,& interdictum non incurrere irregularitatem, ſi exerceat ſolemniter actus minorum Ordinum.

Resol.XCIII. *An irregularitas orta ex infamia iuris contrahatur ſi crimen ſit occultum?*

AFfirmatiuam ſententiam docet D.Antoninus *part.*3.*tit.*28.*c.*6.§.7. Sylueſter *ver.irregularitas, quæſt.*14.& P.Suarez *de cenſ.diſp.*48.*ſect.*1.*n.*17. cùm ait, quòd talis qui occultè commiſit crimen, cui infamia ipſo iure annexa eſt,teneatur abſtinere ab Ordinibus tamquam irregularis, ſi ceſſet periculum ſe infamandi,&c.

Verùm contrariam ſententiam probabiliorem eſſe exiſtimo,quam tuetur Couarr.*lib.*3.*var.c.*3.*n.*2. Tannerus *tom.*4.*diſp.*6.*quæſt.*10.*dub.*11.*n.*227. Coninch *de cenſ.diſp.*18.*dub.*7.*n.*56. Henriquez *lib.*14. *cap.*5.*n.*2.& Auila *de cenſ.part.*7.*diſp.*4.*dub.*7.*concl.*1. vbi docet quòd nullum crimen, quantumuis enorme, inducit hanc irregularitatem, ſi non ſit notorium, præter homicidium, ex *cap.ex tenore,de tempor.ordinat.*

Hinc contra Couarr.*in Clem ſi furioſus.part.*2.§.3. *n.*4.*ver.hoc ipſum,* ſimonia in Ordine ſi occulta ſit non inducit irregularitatem, quia non inuenitur textus expreſſus in quo talis irregularitas infligatur, & licet videatur hoc dicere *cap.inquiſitionis,de accuſat.*tamen ſimonia per illum textum,vt attentè legenti patebit, non inducit irregularitatem, ſed ſuſpenſionem.Imò ego puto cum Auila *loco citato, concl.*7. ſimoniam in beneficio non inducere irregularitatem,etiamſi publica ſit,quod anteà docuit Henriquez *lib.*13.*c.*37.*n.*5.

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Nauarrum *in man.c.*25.*n.*73.*&* 77.Sacerdotem publicum concubinarium, vel adulterum, poſt peractam pœnitentiam, & vitæ emendationem publicam, interpoſito ſaltem aliquo temporis ſpatio,ſine diſpenſatione celebrare poſſe, quia ex infamia facti non oritur irregularitas ſimpliciter dicta & indelebilis,donec per diſpenſationem tollatur;nec obſtat quòd D.Antoninus *part.*3.*tit.*27.*c.*3. Sylueſter *ver.concubinarius,quæſt.*5. Couarr.*in Clem ſi furioſus, part.*1.§.1.*num.*5. doceant Clericos concubinarios notorios ſuſpenſionem ab officio contrahere, ex *cap.præter,diſt.*32.*c.ſi qui ſunt,diſt.*81.*cap.vlt.de cohabit. Cler.& mulier.* Nam reſpõdeo ſuſpenſionem iſtam conſuetudine ſublatam eſſe, vt docet Sotus *in* 4. *diſt.*1.*quæſt.*5.*art.*6.*circa* 2.*argum.*& alij,quos citat & ſequitur Layman *in Theol. mor. lib.*1. *tract.*5 *part.*1. *cap.*4.*n.*11.

Resol.XCIV. *An excommunicatus recitando Horas canonicas priuatim, & dicendo,* Dominus vobiſcum, *incurrat irregularitatem?*

IN aliquibus caſibus affirmatiuè reſpondet Suarez *de cenſ.diſp.*12.*ſect.*2.*n.*13, vbi ſic ait: Quando excommunicatus Horas canonicas recitat, debet omittere ſalutationem, *Dominus vobiſcum*, & loco illius dicere,*Domine exaudi orationem meam,*adeò vt ſi ſit Sacerdos,aut Diaconus,dicendo,*Dominus vobiſcum,* irregularis fiat, vt aduertit Nauarrus *lib. de orat.c.*7.*n.*16.quia iuxta vſum Eccleſiæ ille verſiculus à ſolis Sacerdotibus, vel Diaconibus dici poteſt,& præſefert perſonam publicam. Ita ille, & abſolutè hanc ſententiam tenet Maiolus *de irregul. lib.*3.*c.*25.*n.*6.

Sed ego puto excommunicatum dicendo; *Dominus vobiſcum,*nõ peccare mortaliter,& ita docet Auila *de cenſ.part.*2. *diſp.*5.*diffic.*2.*n.*3. Præpoſitus *in* 3.*part.D.Thomæ quæſt.*2. *de excommun. dub.*9. *n.*56. & per conſequens non incurrere irregularitatem,& ideò ex eadem Societate doctus Hurtado *tract. de excommun.diffic.*2.*diſp.*5.*n.*3.ſic ait:Excommunicatus priuatim recitando Horas canonicas poteſt abſque peccato dicere, *Dominus vobiſcum,* quia poteſt illud dicere vt priuata perſona; ſicut etiam poteſt dicere,*Venite adoremus.*Et quamuis peccaret dicendo,*Dominus vobiſcum,* non peccaret niſi venialiter, quia eſt materia leuiſſima, ac proinde nec ob id incurreret irregularitatem,quę quando ob peccatum incurritur,non niſi ob mortale incurritur.Ita ille,& ante illum Villalobos *in ſum. tom.*1.*tract.*17. *diffic.*7.*n.*3. vbi nominatim improbat Maiolum, & docet excommunicatum ſi priuatim recitet Horas canonicas,& dicat,*Dominus vobiſcum,*nõ incurrere irregularitatem:vide etiam Filliucium *to.*1.*tract.*12. *c.*4.*n.*93. & Coninch *de Sacram.diſp.*14.*dub.*7.*n.*54.

Resol.

Resol.XCV. *An Episcopus incurrat irregularitatem si concedat licentiam Iudici laico exhumandi corpus occisi ab Ecclesia, ad finem capiendi informationem de delicto in genere?*

Respondet negatiuè Iulius Lauorius *in suis variis elucubrationibus tit.2.c.7.n.31.* quia ad incurrendam irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis requiritur quòd actus qui fit, sit causa proxima & directa in mortem, vel mutilationem, non autem causa remota, vt ex Nauarro *cap.21.n.211.* & Auila *de cens.part.7.disp.5.sect.2.* docet Turrianus *de cens. lib.9. disp.66. dub.3.* Sed in nostro casu actus ostendendi cadauer occisi, est remotissimus, & suapte natura non directus ad mortem, vel mutilationem, & Episcopus nihil operatur, sed tantùm permittit exhumari corpus, & capi informationes: ergo, &c. & ita hanc sententiam præter Lauorium docet etiam in terminis, vt dici solet, terminantibus doctus Aloysius Riccius *in praxi to.1.resol.453.* & ita practicatum fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur M. Antonius Genuensis *in praxi c.42.n.10.* & ita etiam docet Venerus *in exam. Episc. lib.2.c.23.n.19.*

Notandum est etiam hîc quòd Genuensis *vbi suprà* testatur in dicta Curia resolutũ fuisse, posse concedi Curiæ sæculari copiam sententiæ depositionis, siue degradationis verbalis, & renuntiationis habitus clericalis alicuius Clerici inquisiti de homicidio in Curia sæculari, alleganti se esse Clericum, & Curia sæcularis negabat esse Clericum, ob prædictam depositionem, & renuntiationem; sed tu in supradictis cogita.

Resol.XCVI. *An ferens testimonium in fauorem rei incurrat irregularitatem, si ob id sequatur mors accusatoris?*

Negatiuè respondeo, quia mors accusatoris respectu testis censetur sequi per accidens ex ipsius testificatione; nam ipsius dictum per se & ex natura sua ordinatur ad manifestandam rei innocentiam, & ad illius defensionem; & ad incurrendam hanc irregularitatem, vt alibi dicemus, opus est vt adsit causa proxima ad mortem, & vt dictum, vel factum ex sui natura sit ad illam directum. Et ita hanc sententiam tenet Sayrus *de cens. lib.6.c.18.n.11.* Suarez *disp.47.sect.4.num.9.* Filliucius *tom.1.tract.19.c.9.n.257.* Vgolinus *de irregul. cap.7.num.7.* & alij, quod procedit etiamsi testis sit Clericus, qui in fauorem rei potest testari de licentia Episcopi, vel eius Vicarij, nam Clericum ferre testimonium in fauorem rei, nullo iure prohibetur.

Resol.XCVII. *An Episcopus possit dispensare in irregularitate, si delictum fuit deductum ad forum contentiosum & iam finito iudicio punitum?*

Negatiuam sententiam docet Barbosa *de potestate Episc.part.2.allegat.39. n.35.* vbi citat Guttierrez, Rodriquez, Suarez, & Bonacinam, quibus ego addo Sayrum *de cens. lib.4.cap.17.n.23.* Garsias *de benefic.tom.2.part.7.cap.11.n.50.* Bartholomæum de Vecchis *in praxi Nouitiorum disp.9 dub.16.in fine.* Ratio est, quia non potest negari quòd delictum non fuerit deductum ad forum contentiosum, nec deinde occultum, imò publicum. nam quæ probantur in iudicio, appellantur publica. Sed Concilium Tridentinum *sess.24.cap.6.* facultatem dispensandi super irregularitate concedit Episcopis in casibus occultis, & non deductis ad forum contentiosum, nec vllam adhibet distinctionem: ergo, &c.

Sed ego puto contrariam sententiam esse probabilem, & tutam in praxi, quam tuentur Gaspar Hurtado *de irregul.disp.2.diffic.20.n.68.* Sebastianus à Bononia *in tract.de electione part.2. cap.4. dub.71. nu.13.* Auila *de cens.part.7.disp.10.dub.7.* Sanchez *in summa to.1.lib.2.cap.11.n.21.* Henriquez *lib.14.cap.7. n.5.* Reginaldus *tom.2.lib.30. tract.2.num.29.vers.6.* & alij. Ratio est, quia in dispensatione super irregularitate de qua loquimur, non turbatur tribunal Iudicis, quod vitare intendit Concilium Tridentinum dicta exceptione. nam intentum Concilij fuit conseruare auctoritatem Iudicibus: sed in nostro casu nihil auctoritati detrahitur Iudicis, quia iam functus est iudicio suo: ergo, &c. Deinde Concilium ideò requirit delictum esse occultum, vt vitetur publicum scandalum; sed hoc cessat per punitionem factam per Iudicem, & humiliter toleratam à delinquente: ergo, &c. ex quibus patet responsio ad argumentum pro prima sententia adductum.

Quando verò delictum dicatur deductum ad forum contentiosum, vt Episcopus non possit dispensare super irregularitate, Riccius *in praxi tom.1. resolut.449.* putat vbi primùm citatio facta fuerit; sed tu tene dici delictum deductum ad forum contentiosum post litis contestationem.

Resol.XCVIII. *An Consiliarij Principum, vt v.g. Regentes, Præsides, Magistri Rationales, &c. sint irregulares, ita vt sine dispensatione ordinari non possint?*

Videtur affirmatiuè respondendum, ex *cap.1. 2. & 3. dist.15.* vbi Curiales, & qui publicis functionibus occupantur, sunt irregulares, & sub nomine Curialium in dictis testibus vocantur quicumque Curiæ sæculari obligati sunt in ministerio alicuius officij publici, siue in perpetuum, siue ad tempus, & siue talis obligatio sit ex iuramento, pacto, aut stipendio.

Sed his non obstantibus, vt optimè obseruat Mercerus *in 3.part.D.Thomæ quæst.24.dub.13.* Petrus Cornejo *in 3.part.D.Thomæ, tract.de irregular.disp.14. dub.2.n.3.* excipiuntur ab hac generalitate, qui sunt Principum Consiliarij, siue hæc exceptio sit expressa Pontificis cõcessione, siue ex consuetudine præscripta, quod etiam docet Suarez *de cens.disp.51. sect.3.n.16.* quibus adde Hurtadum *tract.de irregul. disp.2.diffic.18.n.60.* vbi etiam docet cum Mercero & Cornejo *locis citatis*, Iudices, & officiales Episcoporum, & Administratores rerum Ecclesiasticarum, imò rerum piarum, quamuis sæcularium, vt sunt res personarum miserabilium, ordinari posse, quod deducitur ex *can.vlt.dist.86.* & ex *can.1.dist.88.*

Notandum est etiam hîc obiter contra Toletum *li.1.c.60.* & alios quòd obligatus ad ratiocinia non potest ordinari ante rationem redditam, etiam

deſerto officio; ſecus verò dicendum eſt ante ſolutionem debiti pecuniarij relicti ex officio, vel adminiſtratione, poſt deſertionem officij, & rationem redditam, quia ſolutio nullibi in ſacris Canonibus requiritur. Ergo in tali caſu poterit ordinari. Ita DD. citati *vbi ſuprà*.

Et tandem nota hîc cum Cornejo *loc. cit.* quòd in caſibus in quibus ob ratiocinia reddenda aliqui ab Ordinibus excluduntur, ſi fideiuſſorem exhibeant, qui cauſam ratiocinij in ſe aſſumat, ordinari non prohibentur. Ita ille, qui citat Panormitanum & Sayrum, quod eſt valdè notandum, vt in caſu contingenti aliquis ex ſupradictis poſſit, ſi velit, ſtatim ordinari.

RESOL. XCIX. *An Confeſſarius qui obligat pœnitentem ad confitendum delictum dignum morte, ſi iuridicè interrogetur, incurrat irregularitatem?*

NEgatiuè reſpondeo, quia hoc non eſt concurrere ex parte inferentis mortem, ſed ex parte ſuſtinentis, & hoc iuſtè, præterquam quòd ſolùm intendit conſulere animæ pœnitentis, & mors eſt per accidens ſecuta. Et idem eſt ſi illi conſulat vt conſentiat ſententiæ mortis iuſtæ, quam differre non poteſt, niſi per iniuſtam appellationem; eſſet tamen irregularis ſi conſulat omittere appellationem iure conceſſam, quia eſſet cauſa acceleratio-nis mortis. Ita Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. diſp. 11 dub. 1. q. 4.*

RESOL. C. *An Epiſcopus in aliquo caſu poſſit diſpenſare cum irregulari ex homicidio occulto, vt miniſtret in Ordinibus ſuſceptis?*

REſpondeo affirmatiuè vrgente magna neceſſitate ſcandali, vel alia, & difficili exiſtente recurſu ad Papam, vel propter inopiam, vel magnam diſtantiam; & hoc ſiue ex eius ordinaria poteſtate, ſiue ex tacita Pontificis commiſſione, non enim credendum eſt, Papam ſibi diſpenſationem reſeruaſſe in tanto animarum periculo, vt de diſpenſatione in impedimẽtis dirimentibus matrimonij dixit Sanchez *lib. 2. diſp. 4 n. 7.* & DD. communiter. Et ita noſtrã ſententiã ex Henriquez, & Sylueſtro docet doctus Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ, tract. 5 de irregular. diſp. 1. dub. 4. quæſt. 4.* & ante illum Auila *de cenſ. p. 7. diſp. 6. ſect. 5. dub. 3. in fine concluſionis.*

Notandum eſt tamen hîc obiter, Henriquez *lib. 14 c. 14. n. 1.* docere Epiſcopum poſſe etiam modò poſt Concilium Tridentinum diſpenſare cum homicida voluntario ad vſum ſaltem minorum Ordinum, & *lib. 13. c. 57. n. 1.* docet poſſe diſpenſare cum eo ad beneficium ſimplex, quia exiſtimat Concilium Tridentinum non abſtuliſſe ab Epiſcopis id quod aliàs erat omnibus iure communi conceſſum, vt *cap. 20. de clericis pugnantibus in duello*, vbi vtrumque videtur Epiſcopis concedi. Sed hæc ſententia, pace viri doctiſſimi, falſa videtur, & conuincitur ex verbis Concilij, ibi: *Nec illis aliqua beneficia Eccleſiaſtica etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat, ſed omni Ordine & beneficio Eccleſiaſtico perpetuò careant.* vbi clarè loquitur de beneficio ſimplici, & etiam de vſu minorum Ordinum. cùm talis vſus officium ſit Eccleſiaſticũ. Et hæc omnia docet Cornejo *vbi ſuprà quæſt. 2.* Non deſinam tamen hîc adnotare Guilielmum Mercerum *de Sacram. in 3. part. D. Thomæ quæſt. 24. dub. 9. n. 1.* aſſerere poſſe Epiſcopum in irregularitatem incurſam ex bello diſpenſare cum Clericis conſtitutis in ſacris Ordinibus ne mendicare cogantur, & ad beneficium obtinendum; ſed hoc etiam videtur contra mentem Concilij.

RESOL. CI. *An DD. Inquiſitores poſſint remittere familiares Iudici laico, quando non gaudent priuilegio fori, abſque metu irregularitatis?*

PArs affirmatiua ſuaderi poteſt, quia, vt obſeruat Ioannes de Vanſhel *in c. ſi Iudex laicus, de ſentent. excommun. in 6. litt. B.* captus à Iudice laico in habitu clericali debet remitti ad Eccleſiaſticum, donec conſtet an ſit Clericus, aut non, & ſi non conſtet quòd non ſit Clericus, adhuc poſteà debet remitti ad ſæcularem; ergo dicendum eſt in caſu noſtro idem faciendum eſſe à DD. Inquiſitoribus; nam, vt obſeruat Narbona *in recopil. li. 4. tit. 1. leg. 20. gloſſa vlt. num. 1.* praxis Inquiſitionis in tali caſu conuenit praxi vſitatæ, cùm inter Eccleſiaſticũ & ſęcularem Iudicem, cui eorum alicuius Clerici punitio ſpectat, controuertitur. Sed, vt dictum eſt, quando caſus occurrit Epiſcopus remittit Iudici laico Clericum foro priuilegij non gaudentem; ita & DD. Inquiſitores debent in tali caſu etiam Iudicibus ſæcularibus ſuos familiares remittere, vnde in Concordia quam *vbi ſup.* exponit Narbona *fol. 358. n. 8.* ſic habetur: *Y que en tanto que ſe vee, y haze la dicha remiſſion el familiar delinquente eſtè preſo en la carcelaria que le huuiere poſto el que en la captura huuiere preuenido, ſin que ſe proceda haſta la dicha remiſsion. la qual luego que ſe hiziere y preſentare al Inquiſidor, ò Iuez ſeglar contra cuia juriſdicion ſe huuiera declarado, remita en tal proceſſo, y cauſa, y lo dexe à aquel en cuio fauor ſe huuiere fecho la dicha remiſsion, para que proceda en el conocimiento y determinacion de la cauſa.* Sic ibi. Nec valet dicere quòd in dictis verbis non præcipitur Inquiſitoribus remittere reum, ſed cauſam & proceſſum; nam reſpondeo quòd ſi talis remiſſio eſſet facienda ſine reo, etiam Iudex laicus cauſam & proceſſum ſine reo Inquiſitoribus remittere poſſet; nam Cõcordia iiſdẽ verbis loquitur de remiſſione facienda ab Inquiſitoribus, ac de facienda à Iudice laico. Sed hoc dicere eſt abſurdũ: ergo, &c.

Confirmantur inſuper ſupradicta ex ratione: nam, vt rectè obſeruat ex Societate IESV Turrianus *de cenſur. lib. 9. diſp. 66. dub. 3.* & noſtra Religione Megalius *in 3. part. inſtit.* Peregrinus *lib. 7. c. 5. quæſ. 5. num. 39.* Bizozerus *in ſumma cap. 5. de cenſur. num. 1. §. dixi ſeptimò.* Vega *en eſpejo de curas, tom. 2. c. 12. §. 26. n. 261.* & alij, ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis opus eſt vt cauſa ſit proxima, nempe dictum, vel factum ex natura ſua tendens ad mortem, vt notat Homobonus *in exam. Eccleſ. part. 2. tract. 12. c. 1. quæſt. 2.* Beia *in reſponſ. caſ. 37. part. 1.* & alij. Sed in noſtro caſu remiſſio rei per ſe, & ex natura ſua non tendit ad mortem: ergo. Probatur minor à fortiori, quia, vt rectè obſeruat Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 21. diffic. 25. num. 8.* Inquiſitores qui tradunt hæreticum brachio ſæculari, etiam

Nota quòd his verbis vtitur Concordia, *vbi suprà.*

etiam seclusis Bullis Pontificiis, non incurrunt irregularitatem, quia, ait ille, in tali remissione & traditione, *el Inquisidor ni da sentencia, ni comete la jurisdicion; sino solamente remite la causa al Iuez seglar, que por otro camino tenia jurisdicion contra aquel*; quam rationē priùs docuerat Suarez *de cens. disp. 47 sect. 1. n. 10. & seq* Filliucius *tom. 1. tract. 19. cap. 9. n. 244.* & Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. c. 7. n. 3.* Et idem dicendum est de Episcopis qui tradunt Iudicibus laicis Clericos degradatos, vt patet ex *c. nouimus, de verbor. significat.* vnde ex dictis Gaspar Hurtado *de irregular. disp. 2. diffic. 11. n. 42.* sic asserit: Iudices Ecclesiastici, & Inquisitores, eorumque ministri, non fiunt irregulares, si aliquem degradatum, aut hæreseos condemnatum tradant brachio sæculari, quia non cooperantur ad mortem. Ita ille, & ante illum Emanuel Sà *ver. irregularitas, §. ex deformatione licita, n. 4.* vbi ita ait: Oportet verò dedisse ad id causam propinquam & directam ex natura sua ad deformationem; tale autem est adiudicare morti, accusare, testificari; at tale non videtur esse tradi hæreticum ab Inquisitore brachio sæculari. Hæc ille. & nouissimè hanc sententiam docet Mercerus *in 3 part. quæst. 24. de irregular. dub. 6.* Bonacina *de censuris disp. 7. quæst. 4. punct. 1. n. 27.* Igitur si Episcopi & Inquisitores tradentes supradictos brachio sæculari, minimè irregularitatem incurrunt, quia non sunt causa proxima, nec cooperantur ad eorum mortem; quantò magis dicendum est in nostro casu neque irregularitatem incurrere si tradant reum Iudicibus laicis.

Nec supradictis obstat primò quòd Greg. XIV. in Bulla *de immunitate Eccles.* vt docet Farinacius *in append. c. 22. n. 343.* liberat ab irregularitate Iudices, qui in casibus exceptuatis in dicta constitutione, tradunt reos Iudicibus sæcularibus. Ergo non est verum, quod suprà conati sumus firmare, nempe dictam remissionem & traditionem non esse causam proximam, neque per eam irregularitatem incurri; non, inquam, hęc obstant, quia puto Pontificem in dicta Bulla non dispensare in irregularitate, sed declarare non incurri, vt apparet, si attentè verba Bullæ considerentur. Adde quòd ad tollendos scrupulos, & pacandas cōscientias, Pontifices solent dispensare, & concedere multa priuilegia, quæ in rigore necessaria non forent.

Non obstat secundò quòd in casu *c. si Iudex laicus*, & in casu *c. nouimus, suprà* citatis, Inquisitores & Episcopi sunt immunes ab irregularitate ex vi præcepti Apostolici, quia, vt obseruat Gambacurta *de immun. Eccles. lib. 2. §. 7. ver. Absque irregularitatis nota*; cùm Pontifices in aliquibus casibus iubeant Ecclesiasticis, vt tradant reos Iudici sæculari, eo ipso intelligūtur irregularitatē auferre, ne ex obedientia, & obseruatione Canonū, videantur damnum incurrere; quod quidē non accidit in casu nostro, nam præceptū tradendi familiares Iudicibus laicis, non emanat à Pontifice, qui ab incursu irregularitatis liberare potest, sed à supremo Consilio Inquisitionis, quod hac potestate caret. Fateor hoc argumentum apud me validissimum esse: sed posset quis respondere Hurtadum, Sà, Villalobos, Suarez & alios *vbi suprà*, excusare Ecclesiasticos in supradictis casibus ab irregularitate, nō ex vi præcepti Apostolici, sed quia in remissione & traditione reorum Curiæ sæculari, minimè sunt causa proxima, neque cooperantur ad mortē, vnde non incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis.

Et tandem non obstat tertiò quòd qui detegit malefactorem, vt comprehendatur, incurrit irregularitatem, vt colligitur ex *c. tua nos, de homicidio*, & inter multos docet Adamus Tannerus *in 3 part. D. Thomæ, disp. 6. quæst. 10. dub. 13. n. 306.* Sed in nostro casu non solùm detegitur malefactor, sed curiæ sæculari traditur: ergo, &c. Nam respondeo supradictum manifestantem tunc irregularitatem incurrere, quando esset accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel hoc faceret vt minister iustitiæ. Et ita tenet Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 67. dub. 4.* qui respondet ad *cap. tua nos.*

Verùm his minimè suffragantibus, quia casus est magni momenti, putaui de illo interrogatus à DD Inquisitoribus huius Regni consulendum esse summum fidei Quæsitorem, supremum S. Inquisitionis Consilium. Saluo semper, &c.

RESOL. CII. *An Inquisitores possint se adinuicem super irregularitatibus dispensare?*

AFfirmatiuè respondet Royas *de hæret. part. 2. n. 423.* vbi sic ait: Si aliquis Inquisitorum incurrat in irregularitatem, alter eum poterit absque alia dispensatione absoluere, vt in Extrauaganti Vrbani III. quæ incipit, *Dilectis filiis*, quam refert Repertorium Inquisitorum *in ver. Inquisitores, & in ver. irregularis.* Ita Royas, & post illum Pegna *in Director. Inquis. part. 3. comment. 72.* & Campegius *in addit. ad Sanchium tract. de hæret. c. 31. littera A.*

Sed an hoc priuilegium Commissariis Inquisitorum competat, dubitari potest, & verius est secundùm Pegnam *vbi suprà* competere, & hoc fauore fidei. quod est valdè notandum.

RESOL. III. *An absentes possint absolui ab irregularitatibus quæ includuntur sub nomine censuræ?*

DIximus *suprà, & in tract. de Bull. Cruciatæ res.* 7. probabilem esse illam sententiam quam asserunt esse communem in schola D. Thomæ, nempe sub nomine censuræ in Bulla Cruciatæ includi irregularitates procedentes ex delicto, & quæ sunt pura pœna peccati; sed modò quæritur an absens possit absolui, seu rectiùs dispensari per Bullam à dicta irregularitate? Et negatiuā sententiam docebunt illi, qui tenent virtute Bullæ, non posse extra sacramentū Pœnitentiæ absolui à censuris, & ideò consequenter, & a fortiori dicendū est non posse absolui absentem à censuris, & per consequens ab irregularitate, quia ex decreto Clem. VIII. *sub die 20. Iunij 1602.* asseritur esse temerariū dicere quòd absolutio sacramētalis possit absentibus conferri, cùm ergo absolutio excommunicationis & irregularitatis conferri debeat intra Sacramentum, & hoc nō possit exerceri inter absentes, sequitur necessariò quòd nec absolutio censurarum & dictarum irregularitatum possit absentibus conferri.

Verùm illi quos ego citaui *in part. 1. tract. de Bull. Cruciatæ resol. 25.* tenentes posse aliquem absolui à censu-

censuris extra Sacramentum virtute Bullæ Cruciatæ, sententiam affirmatiuam docebunt, nempe absolutionem censurarũ & irregularitatum posse in absentes conferri; & ratio erit, quia absolutio censuræ quæ independenter est ab absolutione à peccatis, ex natura sua potest conferri absenti, vt tenent cõmuniter Doctores, nisi expressè à concedente priuilegium limitetur ad sacramentum Pœnitentiæ. Sed in Bulla Cruciatæ absolutio ab excommunicatione non limitatur ad sacramentum Pœnitentię, nec limitatur vt in præsentia conferatur. Ergo virtute Bullæ potest absolui absens à censuris, & per consequens dispensari in irregularitatibus, quæ sub nomine censuræ in dicta Bulla includuntur. Et ita hanc sententiam loquens de censuris tenet in terminis, vt dici solet, terminantibus, Ægidius Trullench *in exposit. Bull. Cruc. lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 18. *n.* 12. verùm *n.* 13. subdit hoc non expedire communiter fieri ob reuerentiam censuræ, & ad vitanda scandala, nisi in casu aliquo raro, vt si valdè expediret excõmunicato absolutio, & non facilè, aut sine scandalo adire posset Cõfessarium, nam in tali casu licitũ erit absolui per litteras, aut per nuntium, quo in casu tunc tenebitur absolutus quando recipit litteras, aut notificatur ei absolutio per nuntium, nisi aliter de mente absoluentis constiterit, nam si intendat vt nunc pro tunc sit absolutus, statim ac eum absoluit absentem, manet absolutus; interim tamen dum absens absolutionem ignorat, tenetur se gerere pro excommunicato. Hæc Trullench. quæ si vera sunt, procedunt etiam in irregularitatibus, sub nomine censuræ contentis; & facit etiam pro hac sententia opinio Laurentij Portel *in dubiis regular. ver. Confessor dispensans, n.* 13. asserentis posse contra Sayrum & Capucinum, Confessores Regulares dispensare cum sæcularibus ad petendum debitum extra sacramentum Confessionis; sed *n.* 14. quærit an possint cum illis dispensare in absentia per scriptum, accepta informatione rei per scriptum, dari enim potest casus in quo vrgeat necessitas talis dispensationis, & sit magna difficultas adeundi talem Cõfessarium Regularem: vnde dictus Portel sic ait: Ego apud nullum inuenio hoc dubitatum, & in primis dico talem Confessorem Regularem sic dispensantem in absentia non violare mandatum D. Papę Clem. VIII. quo prohibetur audire confessiones per scriptum in absentia; hæc enim dispensatio cum his absentibus ob votum castitatis, vel incestum, non est absolutio sacramentalis, vt patet. Secundò de ratione dispensationis non est quòd fiat in præsentia, multi enim dispensantur in absentia à Papa, videlicet, Episcopis & ceteris Prælatis. Tertiò, quia in ista dispensatione facta à tali Confessore Regulari in absentia non incurrunt, nec timentur illa pericula, quæ timentur in absolutione sacramentali facta in absentia. Hæc omnia Portel, quæ confirmant opinionem Trullench, & quòd absenti possit dari absolutio super irregularitate, quę includitur sub nomine censuræ per Bullam Cruciatæ. Verùm his non obstãtibus, an omnia supradicta probabilia sint, remitto iudicio aliorum.

TRACTATVS III.

De conscientia dubia.

RESOLVTIO I. *An sit licitum operari cum conscientia dubia speculatiuè, & non practicè?*

PETRVS Lorca *in* 1. 2. *D. Thom.* agens de actibus humanis, *disp.* 37. *membr.* 1. ineptam esse putat distinctionem inter dubium speculatiuum, & practicum; verùm quia omnes DD. illam admittunt, ideò respondeo ad quæsitum affirmatiuè, quando sufficiens diligentia adhibita fuit ad vincendum dubium speculatiuum, & quando subest rationabilis causa, suadens variare practicè, seu hîc & nunc iudicium speculatiuum. Exempli gratia, si bona fide res possidens incipiat dubitare, an res illa sit aliena, quod est dubium speculatiuum, tenetur diligentiam adhibere vt veritatẽ assequatur, eaque præmissa, nec veritate detecta, potest licitè eam retinere, & practicè hîc & nunc non dubitare, non obstante dubio speculatiuo, quia melior in pari causa est conditio possidentis, vt patet ex *reg.* 61. *de reg. iur. in* 6.

Notandum est hîc obiter contra Paulum Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 1. *n.* 3. quòd licet ad rectè operandum requiratur iudicium practicum moraliter certum, non tamen ita, quo excludatur omnis formido oppositi, vt rectè docet Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 5. & Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 19. sufficit enim assensus probabiliter dictans, quamuis non sine formidine oppositi, hoc, vel illud honestè agi.

RESOL. II. *An hæc regula, scilicet,* In dubio melior est conditio possidentis, *non solùm sit vera in materia iustitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum?*

CElebris, & difficilis est ista quæstio, & negatiuam sententiam docet Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 65. *cap.* 3. *& disp.* 66. *cap.* 1. Antonius Perez *in laurea Salmantina certam.* 10. *scholast. num.* 132. Salas ex parte *tract.* 5. *disp. vnica sect.* 17. *num.* 162. Turrianus *in opusc. Theolog. opusc. de conscientia dubia, disp.* 1. *dub.* 1. *& seq.* Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *quæst.* 4. *& lib.* 11. *c.* 15. *q.* 2. Comitolus *in respon. moral. lib.* 2. *q.* 18. Sayrus *in claui regia lib.* 1. *c.* 13. *n.* 9. *&* 36. & alij penes ipsos, quorum sententia satis probabilis est, vnde mihi displicet Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 18. asserens esse falsum, & sine fundamento, possessionem in sola iustitiæ materia suffragari.

Sed non minùs probabilem affirmatiuam sententiam esse existimo, quam tuentur ipse Suarez etiam *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *de voto, cap.* 5. *num.* 7. Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Coninch *de Sacram. disp.* 34. *dub.* 10. *num.* 86. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 3. *in glossa litt. P.* Filliucius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4.

num.

*num.*159. Sancius *in ſelectis diſp.*42.*num.*7. Villalobos *in ſumma tom.*1.*tract.*1. *diffic.*21.*n.*1. vbi ſic ait: *En caſo de duda tambien en las de mas materias ſuera de la juſticia, es mejor la condicion del que poſſee. El fundamento deſto es, porque la poſſeſsion es titulo vniuerſal para todas las virtudes, à la manera que la obediencia de la ley es vniuerſal à todas las virtudes, y aſsi el que eſta en tal duda puede deponerla, y obrar practicamente contra ella.* Sic ille; vnde ex hac opinione benignè in hoc tractatu reſoluendi ſunt multi caſus ad alleuiandas animas; & præter Doctores citatos tenent etiam hanc opinionem Sanctarellus *var.reſol. tom.*1.*q.*44.*n.*9. Tannerus *tom.*2. *diſp.*2.*q.*6. *dub.*4.*n.*47. Malderus *in* 1.2. *D.Thomæ q.* 19. *art.*5. *diſp.*87. Merolla *tom.* 1. *diſp.*3.*cap.*3.*dub.*2. *n.*60. Caſtrus Palaus *tom.*1.*diſp.*3. *punct.*6.*n.*1. & alij penes ipſos.

RESOL. III. *An in dubio tutior pars ſit eligenda?*

HÆc regula habetur *in cap.iuuenis, de ſponſal.* & *in c.ſi quis autem, diſt.*7. *de pœnit.* habetur, Tene certum, & dimitte incertum. Sed Malderus *in* 1.2. *D.Thomæ quæſt.*19.*art.*5.*diſp.*87. Caſtrus Palaus *to.*1. *diſp.*3.*punct.*6.*n.*4. Suarez *de cenſur. diſp.*40.*ſect.*6.*n.*9. Merolla *tom.*1.*diſp.*3.*cap.*3.*dub.*2. *num.*67. Emanuel Moura *opuſc.*1.*de incant ſect.*1.*c.*5.*n.*2. & alij, aſſerunt ſupradictam regulam non præceptum, ſed conſilium continere. Viger. *in* 2.2. *D.Thomæ q.*19. *art.*6. *dub.*6.*n.*55. Naldus *in ſumma ver.dubium, n.*39. ex Nauarro tenent dictam regulam procedere, quando in iure exprimitur de caſu aliquo ſpeciali. Alij verò aſſerunt diſtinguendum eſſe inter incertitudinem, ſeu dubium propriè & ſimpliciter practicũ, & dubium abſtractum, quod etiam ſpeculatiuum appellatur; nam in illo quiſque obligatus eſt ſequi partem tutiorem, veluti ſi dubito vtrùm mihi hîc & nunc licitum ſit inſtituere contractum cambij, v.g. *con la ricorſa*, peccabo niſi abſtineam, quia committerem me peccandi periculo. In dubio autem abſtracto, & ſpeculatiuo, v.g. vtrùm contractus cambij *con la ricorſa* ſecundùm ſe & ſuapte natura ſit iuſtus, neceſſe non eſt ſequi partem tutiorem, quia ſequendo partem minùs tutam, tamen probabilem, formare poſſum conſcientiam, ſiue iudicium moraliter certum, licitum eſſe mihi hîc & nunc operari ſecundùm ſcientiam ſpeculatiuam probabilem; & hæc omnia docet Paulus Layman *in Theol.mor.lib.*1.*tract.*1.*c.*5.§.2.*n.*8. Tannerus *tom.*2. *diſp.* 2.*q.*6.*dub.*4.*n.*46. Becanus *in* 1.2.*tract.*1.*c.*4.*q.*9. *n.*4. & alij communiter, vnde deueniendum eſt ad deciſiones particulares caſuum.

RESOL. IV. *An dubitans, vtrùm caſus ſit reſeruatus, poſſit illum abſoluere?*

NEgatiuè reſpondet Armilla, Frias, & Corduba, quos citat Sanchez *vbi infrà*, quia hęc pars tutior eſt, & eſt ſolius habentis poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, iudicare an caſus reſeruatus ſit.

At ego contrariam ſententiam teneo cum Sà *verb.caſus reſeruatus.n.*5. Ochagauia *de ſacram. Pœnit. tract.*2.*q.*13.*n.*8. Hurtado *de Sacram.to.*1.*diſſic.*11. *de pœnit.dub.*6. Homobono *in conſult.caſ.conſcient.vol.*2. *part.*5. *reſponſ.*87. Filliucio *tom.*2.*tract.*21.*c.*4. *n.*172. & Suarez *de Relig.tom.*2.*lib.*4.*c.*5.*n.*15. & aliis, quos citat & ſequitur nouiſſimè Laurentius Portel *in dubiis regularium, ver. caſus reſeruati, num.* 7. vbi ſic ait: Si ſit in dubio quòd caſus ſit reſeruatus, præſumitur non reſeruatus, & poteſt abſolui tamquam non reſeruatus. Ita ille; & ratio eſt, quia reſeruatio eſt odioſa, & per conſequens ſtrictè interpretanda.

Verùm hanc ſententiam Sanchez *in ſum.tom.*1. *lib.*1.*c.*10. *n.*74. limitat, niſi eſſet præſumptio fori externi pro illius delicti admiſſi veritate, quia ſtante hac præſumptione, eſt pro certitudine delicti poſſeſſio, & illi præſumptioni eſt in vtroque foro ſtandum, dum contraria veritas non conſtat: vt v.g. hæreſis externa reſeruatur quãdo etiam mente ita ſentitur, dubius autem eam proferens eſt, an ita mente ſenſerit, vel an mente ita ſentienti protulerit exteriùs animo eius aſſerendæ; & ſic fit verè externa, ac proinde reſeruata, ait ſolius loci animo cenſebitur in hoc dubio reſeruata, quia cùm verba ſint naturaliter ſigna intentionis, & nullus præſumat dicere quod in corde non habet, nec aliter quàm in eo habet, præſumptio eſt ac poſſeſſio in hoc dubio vt hæreſis illa proceſſerit exteriùs ex vero conſenſu interiori in illam. Sic Sanchez.

Non reticebo tamen, nouiſſimè aduerſus illum inſurgere Thomam Merollam *in diſp.Theol.tom.*1. *diſp.*3.*c.*3 *dub.*2.*coroll.*23.*n.*370. vbi impugnat ſupradictam Sanchez limitationem; exiſtimat enim caſum non cenſeri reſeruatum, niſi certò conſtet de reſeruatione, nec ſatis eſſe quòd præſumatur reſeruatus, quia cùm reſeruatio ſit odioſa, & ideò ſtrictè interpretanda, quando Prælatus reſeruat ſibi, v.g. hæreſim, debet intelligi de peccato hæreſis certo, & non tantùm præſumpto; & confirmatur hoc à ſimili. nam quamuis quando quis eſt certus, ſe emiſiſſe votum caſtitatis, ſed dubitat an habuerit animum ſe obligandi, teneatur caſtitatem ſeruare, quia poſſeſſio ac præſumptio ſtat pro illo voto caſtitatis; nihilominus tale votum non cenſetur Pontifici reſeruatum, vt concedit ipſe Sanchez *l.*4. *c.*40.*n.*26. & *c.*44.*n.*3. Et hoc non alia ratione, niſi quia, cùm reſeruatio ſit odioſa, reſtringenda eſt ad caſus certos; ergo eadem ratione dicendum eſt in caſu noſtro. hæc omnia Merolla *loc.cit.* ſed ſententiam Sanchez nouiſſimè tenet Alphonſ. de Leone *de poteſt.confeſſ.part.*1.*recollect.*15. *n.*25. verùm vtramque ſententiam ego puto probabilem eſſe.

Notandum eſt etiam hîc obiter, poſſe reſeruari peccatum in dubio, an ſit mortiferum in materia aliqua determinata, quod fusè probat nouiſſimè Turrianus *in ſelectis diſput.part.*1.*diſp.*38. *dub.vnico.*

RESOL. V. *An qui dubitat, vtrùm commiſerit peccatum mortale, nécne, teneatur illud confideri?*

NEgatiuam ſententiam indicat Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſt.cap.*45.*n.*3. *in gloſſa lit.*P. Et hanc ſententiam multis rationibus confirmat Layman *lib.*1.*tract.*1.*cap.*5.§.4.*n.*37. licet non audeat aliquid determinare, & nouiſſimè ad hoc dubium ita reſpondet Ioannes Præpoſitus *in* 3.*part. D.Thom. q.*5. *de integritate confeſſionis, dub.*3.*n.*117. Ex vna parte videtur obligari illud confiteri. Primò, quia in dubio tutior pars eſt eligenda. Secundò in tali caſu

poteſt

potest homo dici habere conscientiam peccati, nam tale peccatum est in conscientiam saltem dubiam. Tertiò homo tenetur conteri de tali peccato; ergo tenetur illud confiteri, quia in homine baptizato illud quod est necessarium contritionis obiectum, est etiam necessarium confessionis obiectum, cùm illud nequeat remitti sine ordine ad claues, & ita tenent aliqui, quos citat & sequitur Suarez *disp.22.sect.9* Ex altera autem parte videtur non teneri, quia qui non habet probabile indicium, quòd peccauerit, potest censere se non esse obligatum ad aperiendum peccatum in Confessione, & potest censere meliorem suam conditionem possidentis suam libertatem, & immunitatem confitẽdi. Secundò, qui post diligens examen remanet dubius de voto, non astringitur quidquam ex voto adimplere; similiter non tenetur alteri soluere qui dubitat num contraxerit debitum: ergo idem in præsenti dici potest.

Dices: Hoc dubium, quo aliquis dubitat num peccauerit, est solùm speculatiuum, cum quo stare potest moralis certitudo de obligatione illud cõfitendi. Respondeo potuisse quidem ita institui sacramentum Pœnitentiæ, vt etiam imponeretur obligatio recensendi peccata dubia, nõ verò constare an ita sit institutum, & de cetero de hac obligatione non posse iudicare sicut de aliis ortis ex præcepris, in quibus ex dubio speculatiuo quoad rem ipsam iuncto principio practico, quòd melior sit conditio possidentis suam libertatem, concludimus non astringi aliquo præcepto.

Dices: est certum peccatum esse dubium. Respondeo non videri quidquam hinc posse conuinci. Vnde hæc opinio semper mihi visa est speculatiuè probabilis, similiter ex Lessio, & quibusdam aliis à me consultis.

Ad rationes prioris sententiæ dici potest.

Ad primam. Quando dubium est omnino practicum, tutiorem partem esse eligendã; si verò ex dubio speculatiuo iunctis aliis principiis elici possit conclusio practica, qua concludamus nos non teneri aliquod onus subire, non semper tutiorem partem eligendã, vt variis exemplis ostendi potest.

Ad secundam respondeo negando assumptum quantum ad præsens institutum pertinet. patet in simili, qui dubitat de voto, qui non est dicendus habere conscientiam voti in ordine ad obligationem, & vt teneatur aliquid ex vi voti exequi: similiter qui dubitat num commiserit contra legem habentem annexam excommunicationem, si post diligens examen non possit rei veritatem agnoscere, non tenetur se habere excommunicatum; ergo similiter videtur dicendum, quòd is qui post diligens examen non potest iudicare se peccasse, non teneatur censere se obligatum ad illud in confessione aperiendum.

Ad tertiam respondeo negando cõsequentiam, ad cuius probationem dico, per se loquendo obiectum necessarium contritionis in baptizato esse obiectum confessionis, quando scilicet constat de peccato, per accidens autem non esse; nam inter præceptum cõtritionis ex vna parte, & confessionis ex altera, est discrimen, quòd de lege ordinaria contritio formalis, vel virtualis de peccato mortali ita sit necessaria extra Sacramentum, vt nullus sine ea possit consequi remissionem peccati, confessio autem in re non ita sit necessaria; vnde licet homo propter necessitatem medij contritionis teneatur censeri de peccato etiam dubio, non idcircò tenetur illud sub tali statu consideratũ confiteri, quia in eo statu potest censeri non obligare ius diuinum positiuum; & licet dicatur, quòd nullum mortale commissum post Baptismum remittatur sine ordine ad claues, potest intelligi quòd præceptum solùm vrgeat pro tempore, quo moraliter constat de peccato; sed licet hæc opinio sit, vt dixi, speculatiuè probabilis, non iudico in praxi recedendum à priori opinione. Hæc omnia Prælocutus, *vbi suprà*. Verùm ego absolutè supradictam sententiam improbabilem puto, & ideò tu omnino in proposito dubio sententiam affirmatiuam tene; nempe dubitanté si peccatum mortale commiserit, teneri illud confiteri, & ita tenet Sanchez *in summa tom.1.lib.1.c.10.n.66.* & alij, quos citat & sequitur Merolla *tom.1.disp.3. c.3. dub.2. corollar.23. n.353.* quibus ego addo Syluium *in addit. ad 3.part. quæst.6.art.4.in respons.ad 3.* Homobonum *in consult. cas. consc.vol.2. part.5. respons.131.* Guilielmum Mercerum *in 3.part.D.Thom. quæst.9. art.4. n.7.* Hurtadum *de Sacrament.disp.9. de pœnitentia, diffic.7.* Filliucium *tom.2.tract.21.cap.4. num.171.* Faustum *in Theol.moral.tom.1.lib.4.quæst.72.* Turrianum *de pœnit. quæst.9. art.2. disp.29. dub.6.* Valentiam *tom.4. disp.6.quæst.9. punct.3.* Azorium *to.1.lib.1.c.4.quæs.3.* Salas *in 1.2.tom.1.tract.8.disp.1.sect.5.* Emanuelem Sà *ver.confessio, num.5.* & ipsummet Henriquez *lib.2.de pœnit.cap.4.§.5.* & indicat Concilium Tridentinum *sess.14.cap.5.*

Nota tamen hæc omnia procedere, quando pœnitens est in dubio puro, secus autem si habeat assensum probabilem circa factum, quòd iudicet vel nullum commisisse peccatum, vel saltem tale peccatum non esse mortale. Ita Syluius *vbi suprà*, & Syluester *ver.confessio 2.quæst.2.* cum Mercero, qui addit, excepto fortasse mortis articulo propter irreparabile periculum salutis, cui tunc certiùs prouidere tenetur.

Nota etiam hîc obiter docere Turrianum & Sanchez *locis citatis*, quòd si post confessionẽ huius peccati in dubio pœnitens habeat notitiam certam, vel probabile indicium, quòd tale peccatum fuerit mortiferum, obligari pœnitentem iterùm in confessione manifestare illud vt certum; & ita quando pœnitens confitetur hoc peccatum, in dubio tenetur illud confiteri cum alio peccato certo. Verùm Merolla *vbi suprà n.557. & 559.* contrarium tenet, sed nouissimè sententiam Sanchez & Turriani docet etiam Hurtado *loco citato.*

RESOL. VI. *An in dubio quis censendus sit illegitimus?*

REspondeo negatiuè cum Maldero *in 1.2.D. Thomæ quæst.19.art.5.disp.87.* vbi sic ait: Qui dubitat an sit legitimi tori, non tenetur sequi partem tutiorem, sed potest sequi mitiorem, etiam contra possidentẽ, saltem in materia iustitiæ. v.g. quando adeunda est hereditas; probatur ex *l.filium.ff.de his*

quæ ſui, vel alieni iuris ſunt, & eſt Sylueſtri *ver. filius q.* 12. & communis aliorum, extendit id Salas etiam ad illum de cuius natalibus ab initio dubitatum fuit, & cuius fratres iam ſunt in poſſeſsione hereditatis. Hinc ſequitur expoſitum, de cuius parentibus dubium eſt, habendum eſſe legitimum. Ita Malderus; vide etiam Martinez *in* 1.2. *to.* 1. *quæſt.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 2. Turrianum *in opuſc. Theologicis opuſc.* 10. *diſp.* 5. *dub.* 3. Caſtrum Palaum *tom.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 5. *per totum.* Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 20. *num.* 10. & Sanctarellum *var. reſolut. tom.* 1. *quæſt.* 24. *nu.* 20. *& ſeq.* vbi etiam probat quòd ſi dubitetur an aliquis filius ſit naturalis, vel ſpurius, debet præſumi quòd potius ſit naturalis quàm ſpurius.

RESOL. VII. *An milites dubitantes de iuſtitia belli poſſint bellare?*

PRima opinio abſolutè affirmat, ſiue miles ſit ſubditus Principis bellum indicentis, ſiue non; quia dum de iuſtitia belli clarè non conſtat, ſemper præſumendum eſt pro Principe bellum indicente, vt iuſtè procedat. Ita Petrus Nauarra *de reſtit. lib.* 2. *cap.* 3. *part.* 2. *dub.* 12. *n* 260. quem citat & ſequitur Ioannes Salas *in* 1.2. *D. Thomæ quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp.* 1. *ſect.* 26. *num.* 272.

Secunda opinio abſolutè negat, etiamſi miles ſit Principis ſubditus, quia in dubio an res præcepta ſit licita, non poteſt ſubditus obedire, niſi ſaltē per extrinſeca principia dubium deponat, formans iudicium determinatum, quo rem illam licitam eſſe iudicet. Ita Vaſquez *in* 1.2. *D. Thomæ, diſp.* 66. *cap.* 9. *num.* 53. & Lorca *in* 2.2. *ſect.* 3. *diſp.* 53. *num.* 7.

Tertia opinio diſtinguit, nam ſi milites ſint ſubditi Principis indicentis bellum, poſſunt in dubio de iuſtitia belli, ad bellum procedere; ſecus autem ſi non ſint ſubditi; & ratio eſt, quia in dubio. & vbi contrarium apertè non conſtat, ſubditi licitè acquieſcunt ſui Superioris iudicio; ceteri verò, qui non ſunt ſubditi, communi lege tenentur ad examinandam honeſtatem actionum quas aggrediuntur; & ita tenet Adamus Tannerus *in* 2. 2. *D. Thomæ diſp.* 2. *quæſt.* 6. *dub.* 4. *nu.* 48. Sanchez *in ſum to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 15. Syluius *in* 2.2. *D. Thomæ quæſt.* 40. *art.* 1. *quæritur* 4. *concl.* 5. *&* 6. Valentia *to.* 4. *diſp.* 3 *quæſt.* 6. *punct.* 2. § *ſi autem miles*, Molina *tom.* 1 *tract* 2. *diſp.* 113. Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 19. *quæſ.* 9. Bannez *in* 2.2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *dub.* 6. & Iacobus Granado *in* 2.2. *D. Thomæ contr.* 3. *tract.* 12. *diſp.* 4. *ſect.* 3. §. 4. *num.* 41.

Omnes iſtę tres ſentētiæ ſunt probabiles, & Tannerus *vbi ſuprà nu.* 49. aſſerit Romæ Patrem Suarez primā ſententiam docuiſſe, quia Aduocatus etiam in dubia cauſa vtriuis parti patrocinari poteſt, & famulus ſeruire poteſt domino exercēti contractus ſpeculatiuè dubios. Et hanc ſentētiam tenet etiam Wiggers *in* 2.2. *D. Thomæ quæſt.* 40. *art.* 1. *dub.* 3. *nu.* 50.

Verùm ſtando in tertia ſententia tamquam probabiliori, ſub nomine militum ſubditorum, puto intelligi non ſolùm ſubditos indigenas, ſed etiam alienigenas mercede conductos, qui continuis ſtipendiis ſub eodem Principe anteà degebant tam tempore belli, quàm pacis; ſecus de illis, qui ſolùm tunc tempore belli conducuntur. Ita ex multis Sanchez *vbi ſuprà num.* 16.

Notandum eſt tamen hîc obiter contra Sylueſtrum *ver. bellum* 1. *q.* 9. *concluſ.* 3. quòd ſupradicti milites ſi poſteà cognoſcunt iniuſtitiam belli, non tenentur reſtituere quæ conſumpſerunt; quia cùm non præcauerint, ſolùm tenentur reſtituere ratione rei acceptæ ſi extet, vel quantum ex ea facti ſunt locupletiores; ita ex multis tenet Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 3. *corollar.* 22. *nu.* 334. Non omittam etiam hîc adnotare cum Martinez *in* 1.2. *tom.* 1. *quæſt.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 2. quòd miniſtri Principum, etiamſi dubitent de iuſtitia ſententiæ, poſſunt, & tenentur, nihilominus illam exequi.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis ponam hîc ſingularem locum Paludani *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *nu.* 30. vbi ſic ait: De exercitu autem ſciendum, quòd quando conſtat dominum habere iuſtum bellum, ſubditi tenentur iuuare; vel quando dubium eſt: quando autem eſt certum de oppoſito, peccant obediendo; ſed quia non ſunt principales, nec vnuſquiſque eſt adiuuans talis, quòd ſine eo non fieret prædatio, non tenetur reſtituere omnia ſpolia exercitus, ſed ſolùm quantum ad eum peruenerit. Ita ille.

RESOL. VIII. *An ſubditus dubius de legitima Prælati poteſtate teneatur illi obedire, maximè ſi ſit in poſſeſsione ſuperioritatis?*

AFfirmatiuè reſpondet Sanchez *in ſumma tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *nu.* 29. quia cùm in poſſeſſione prælationis ſit (ſi enim in ea poſſeſſione non eſſet, denegari poſſet poſſeſſio donec de legitima electione, aut confirmatione conſtaret) non poteſt ob ſolum dubium, vel opinionem ſpoliari legitima poſſeſſione, denegando ei obedientiam, donec certus ſit defectus. hæc opinio eſt probabilis.

Sed non minùs probabilem contrariam eſſe ſentio, quam tuetur Vaſquez *in* 1.2. *q.* 19. *art.* 6. *diſp.* 62. *cap.* 6. *in fine*, & Salas etiam *in* 1. 2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp. vnica, ſect* 8. *num* 78. aſſerentes quando dubitatur de legitimi Superioris poteſtate, non teneri ſubditum obedire; & idem docent quando adſunt diuerſæ opiniones probabiles, quia ſubditus tunc habet obligationem obediendi Prælato, quando Prælatus habet ius, & poteſtatem certam præcipiendi: ſed in caſu noſtro eſt dubium de eius poteſtate legitima; ergo, &c.

RESOL. IX. *An ſubditus dubitans an res præcepta ſit licita, teneatur obedire?*

NEgatiuam ſententiam docet Vaſquez *in* 1. 2. *diſp.* 66. *cap.* 6. *num.* 51. Sed magis probabiliter affirmatiuam tuetur Sanchez *in ſumma tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 9. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 14. *punct.* 4. *quæſtiunc.* 4. §. *quartum eſt*, Suarez *de Relig. to.* 4. *lib.* 4. *c.* 15. *n.* 20. Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 113. *concl.* 3. & alij penes ipſos.

Sed ego ſententiam Vaſquez amplector in caſu quo ſubditus ita dubitans timeret obediendo ſibi, vel tertiæ perſonæ aliquod magnum damnum in rebus, honore, vel fama, aut corpore; vt ſi, v.g. Superior interrogaret illū de proprio, aut alterius delicto, & eſſet dubiū ſi iuridicè interroget, tunc enim ſubditus non tenetur illi obedire. Ita Aragon.

in 2.2.q.69.art.2. Medina *in 1. 2.q.19. art.6.* Henriquez *lib.14. c.3. num.3. in gloſſa littera X.* Leſſius *lib.2. cap.4.dub.9.num.77.* & alij penes ipſos; quidquid in contrarium aſſerat Ioan. Sancius *in ſelectis, diſp. 43. nu.28.* Et ratio eſt,quia in dubiis fauendum eſt reo, & licet ſubditus in tali caſu nõ ſit in poſſeſſione ſuę libertatis,eſt tamẽ in poſſeſſione ſuæ ſecuritatis, ſeu iuris, quo poteſt ſe, vel alium à rebus periculoſis cõſeruare;ſed de hac quæſtione ego alibi fuſiùs egi.

Nota hic etiam cum Sanchez *vbi ſuprà num. 26.* contra Sàlas *in 1.2. tract.8. diſp. vnica, ſect.19. nu.177.* quòd ſi Superior præcipiat aliquid ſub conditione de qua dubium eſt, an ſit adimpleta, ſubditus non tenetur ei in hoc caſu obedire; quia in dubio non eſt præſumendum conditionem eſſe adimpletam; ſed ante impletam conditionem præceptum illud non obligat ſubditum. ergo, &c. Et in his caſibus in quibus ſubditus non tenetur in dubio obedire Prælato, idem dicendum eſt ſi Prælatus præciperet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ; & ratio eſt,quia excommunicatio non imponi poteſt niſi pro inobedientia:ſed in his caſibus non reperitur, quia ſubditus iuſtè non obedit. ergo, &c. Ita Sanchez *loco citato, num.27.* & alij.

Notandum eſt etiam hîc, quòd ſi Prælatus dubius de honeſtate rei præceptæ, vel de exceſſu ſuæ iuriſdictionis imperet; ſubditus ſi ipſe etiam dubitet, non tenetur obedire. Ita contra Henriquez *lib.12.c.6.nu.5. in gloſſa litt.T.* Cordubam, vtrumque Ledeſmam, Lopez, & alios docet Caſtrus Palaus *tom.1.diſp.3 punct.13. nu.13.* & alij penes ipſum.

Resol. X. *An dubius de voto, & iuramento, teneatur illa adimplere?*

AFfirmatiuè reſpondet Baſilius Pontius *de matr. lib.10.c.15.nu.3.* Peſantius *in 1. 2. D. Thomæ quæſt. 19.art.6.diſp.3.* Vaſquez *in 1. 2. diſp.165. cap.3. in fine.* Azorius *tom.1 lib.2.c.19. quæſ.10.* Sayrus *in claui regia lib.1. c.13. nu.36.* Antonius Perez *in Laurea Salaman. certam.10. ſcholaſt. dub.2.num.132.* & nouiſſimè Turrianus *opuſc.10. diſp.1. dub.1. & de cenſ. lib.8. diſp. 57. dub.5. ad 3. argum.* & hanc ſententiam tenet Petrus Cornejo *in 1.2. D. Thomæ tract.8. quæſt.19. diſp.4.dub. 2.nu.2. & dub.3. num.6.* cum Salas *in 1.2. tract.8. diſp. vnica, ſect.17.num.162.& ſect.25.num.252. & 253.* cum hac tamen limitatione, quando in voti adimpletione non eſt magna incommoditas,ſeu difficultas, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda, nec iuuat poſſeſſio extra materiam iuſtitiæ.

Sed contrariam ſententiam abſolutè tenendam eſſe puto, quam tenet Malderus *in 1. 2. D. Thomæ quæſt. 19. art. 5. diſput. 87.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. diffic. 21. num. 2.* Fauſtus *in theſ. relig. lib. 1. quæſt. 23. num.4.* Layman *lib.1. tract.1. cap.5. §.4. num. 31.* Sanchez *de matrim tom.1.lib.1.diſp.9.num.11. & in ſumma tom.1. lib.4. cap.1. num.16.* Suarez *de cenſur. diſp. 40. ſect.5.num.15.* Rebellius *1.2.lib.1.quæſt.3.ſect.2.num.10. & 11.* Reginald. *tom.2. lib.18. num. 176.* Henriquez *lib. 8. cap. 45. num. 3. in gloſſa litt. P.* Filliucius *tom. 2. tract.21.cap 4.num.165.* Auila *de cenſ.part.7.diſp.2.dub. 5.concl.2.* Fagundez *1.2 lib.2. cap.1 num.10.* Aluarez *in 1.2.quæſt.19 art.6.diſp.79.num.5.* Sotus *de iuſt. lib.7. quæſt.3. art.2.* Medina *in ſumma lib.1. cap. 14. §. 7.* & alij penes ipſos. Ratio eſt, quia in noſtro caſu nulla eſt poſſeſſio pro voto, vel iuramento, ſed tota pro libertate voluntatis; & hanc opinionem veram eſſe puto contra Garziam *de benefic.tom.2.part.7.cap.2.nu. 16.* non ſolùm quando votum eſt affirmatiuum de aliquo opere faciendo, ſed etiamſi ſit negatiuum de non faciendo, tunc enim in dubio neque obligat votum, vt rectè obſeruat Merolla *tom.1.diſp.3. cap.3.corollar.2.num.83.*

Ex his infertur primò, certum ſe emiſiſſe votum Religionis, etſi dubium ſit an Religionis in communi, vel huius in particulari, poſſe quamlibet ingredi, quia poſſeſſio extat pro libertate. Secundò infertur,qui certus eſt quòd vouerit ſe non acceſſurum ad aliquam feminam, & dubitat num de acceſſu fornicario, vel vxorario ſenſerit,non tenetur abſtinere à nuptiis, quia poſſeſſio ſtat pro libertate. Ita Sancius *in ſelectis diſp.43.num.3. & 4.* qui citat alterum Sancium *de matrim.tom.1.lib.2.diſp.41.num.33.* quibus ego addo Petrum Cornejo *in 1.2. D.Thomæ tract.8. quæſt.19. diſp.4.dub.2.* Tertiò infertur, ſi quis certus eſt ſe vouiſſe caſtitatem aut perpetuam, aut temporalem, & eſt omnino verborum voti immemor, ſed tantùm certus eſt ſe alteram promiſiſſe, ad ſolam temporalem,quæ minor eſt,tenetur;ſecus autem ſi memor ſit verborum voti, vt, v. g. voueo caſtitatem, nam hæc verba perpetuitatem quamdam important. Ita Sanchez *in ſumma tom.1.lib.4. cap.13.num.16.& ſeq.* Quartò infertur contra Nauarrum *lib.3.conſil.tit. de voto, in prima edit.conſil.16.num. 2.& in poſteriori conſil.26.num.2.* eum qui vouit Religionem,dubitat autem vtrùm vouerit ſe profeſſurum, non teneri ad profeſſionem. Ita Suarez *de Relig.tom.2.lib.4.cap.8.num.7.* qui *num. 5.* tenet etiam, quòd ſi quis vouit quotidie dicere Roſarium, dubitat autem poſteà an per Roſarium intellexerit integrum Roſarium, vel tantùm tertiam partem eius, poteſt eligere tertiam partem, quia etiam tertia pars Roſarium Virginis appellatur,& obligatio cùm ſit dubia, ſtrictè interpretanda eſt.

Notandum eſt tamen hîc obiter,quod Alphonſus de Leone *in tract.de poteſt.confeſſ.par.1.recollect.17. concluſ. 8. num. 93.* docet, quòd dubius an habuerit voluntatem ſe obligandi voto, etiam interpretari poteſt, ſe non habuiſſe talem voluntatem, quia fauendum eſt libertati, & citat Rebellium *part.1.lib. 2.quæſt.14.* Sed dictus Rebellius nec ibi,nec alio loco hanc ſententiam tenet, & mihi non placet,nam quando aliquis eſt certus de voto, ſed dubitat an habuerit animum ſe obligandi, tunc poſſeſſio non eſt pro libertate voluntatis, ſed pro voto, vt poſt alios docet Merolla *vbi ſuprà tom.1.diſp.3.cap.3.nu.83.* ergo, &c.

Resol. XI. *An qui dubius eſt, vtrùm emiſerit votum, habens vſum rationis, teneatur adimplere?*

HAnc queſtionem pertractat Turrianus *in opuſculis Theologicis, opuſcul.10. diſp.1.dub.2.* & affirmatiuam ſententiam tenet, quia, ait ipſe, in dubiis tutior pars eſt eligenda, & hanc ſententiam etiam docet Suarez *de Religion.tom.2.lib.4.cap.6.num.10.* & Sanchez *in ſum. tom.1. lib.4.cap.1.nu.13.* quando dubium oritur ex deliberationis defectu, vt,v.g.quia factum

factum fuit ex aliqua animi perturbatione, ob aliquem metum mortis ex morbo, aut ob iracundiæ calorem, quia in his caſibus rarò contingit defectus deliberationis requiſitæ, & ideò ex communiter accidentibus præſumitur debitam deliberationem adfuiſſe.

Sed difficultas eſt quando defectus deliberationis oritur ex tenera vouentis ætate? Turrianus *vbi ſuprà* abſolutè affirmat pro obligatione voti. Villalabos *in ſumma tom. 2. tract. 34. diffic. 7. nu. 3.* Fauſtus *in tract. Relig. lib. 1. quæſt. 26.* Malderus *in 2. 2. tract. 10. cap. 1. dub. 5.* Sanchez *nu. 14.* diſtinguit; ſi vouens ſeptennium expleuerat tempore voti emiſſi, præſumendus eſt in eo dubio vſus rationis, ac proinde obligabit votum, ſeu iuramentũ: ſi autem non expleuerat, præſumitur defectus vſus rationis, niſi de illo conſtet, ac proinde non obligabunt. Quòd ſi dubium ſit, an expleuerat, vel ne, credo in voti fauorem præſumendum. Ita Sanchez.

Verùm contrariam ſententiam tenet Sotus *de iuſt. lib. 7. quæſt. 3. art. 2. docum. 1. ver. ſed eſt hîc.* Ludouicus Beia *in ſumm. part. 1. caſ. 49.* & alij, quos affert Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. diſp. 9. num. 12. in 4. argum.* aſſerentes dubitantem puerum de rationis vſu dum vouit, minimè teneri; & hanc opinionem probabilem eſſe docet nouiſſimè Caſtrus Palaus *tom. 3. diſp. 3. punct. 11. nu. 4.* & ego etiam probabilem eſſe iudico. Sed ſi quis ſtare vellet in prima ſententia, aduertat cum Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 6. nu. 7.* quamuis ex vi circumſtantiæ ætatis votum factum poſt ſeptennium præſumatur validum, quia in ea ætate ius præſumit vſum rationis; nihilominus tot poſſunt eſſe in contrarium coniecturæ, vt præualeant contra præſumptionem ætatis. Imò licet aliquando coniecturæ non ſufficiant ad formandum iudicium probabile defectu vſus rationis, poſſunt tamen efficere rem dubiam, ita vt ſaltem æquiualeant præſumptioni ætatis, & tunc votum non obligabit.

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd quando quis eſt certus ſe emiſiſſe votum, v.g. caſtitatis, ſed dubitat an habuerit animum ſe obligandi, tenetur ſeruare caſtitatem, quia poſſeſsio ſtat pro voto; nihilominus tale votum non cenſetur reſeruatum Pontifici, quoniam cùm reſeruatio ſit odioſa, eſt reſtringenda ad caſus certos. Et idem dicendum eſt in caſu noſtro, quando ſcilicet quis vouit expleto ſeptennio, ſed dubitatur an tunc habuerit vſum rationis. Ita Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 26. nu. 6.* Sanchez *in ſumma tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 26. & cap. 44. num. 3.* & alij.

Resol. XII. *An qui non omnino dubitat, ſed magis in eam partem inclinat vt votum emiſerit, teneatur illud adimplere?*

Affirmatiuè reſpondet Rebellius *part. 2. lib. 1. quæſt. 2. ſect. 2.* & Filliucius *tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 165.* & hunc teneri voto non integrè, ſed ad partem, pro ratione huius maioris propenſionis, docet Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 2. diſput. 41. num. 34.* & ratio eſt, quia maior inclinatio compenſat ſufficientem exceſſum poſſeſsionis, quam alter habet.

Verùm ego contrariam ſententiam teneo cum Garſia *de benefic. tom. 2. p. 7. c. 2. nu. 23.* Lorca *in 1. 2. D. Thomæ diſp. 38. membr. 3.* Fernandez *in exam. Theolog. moral. part. 1. c. 2. §. 2. nu. 4.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 31.* Caſtro Palao *tom. 3. diſp. 3. punct. 9. num. 2.* aſſerentibus in tali caſu dubitantem abſolutè non teneri ad votum; & ratio eſt, quia licet pro voto fortiores vrgeant rationes, ita vt homo poſsidens libertatem in eam partem magis inclinet; ſi tamen non ſunt adeò efficaces, vt illius partis aſſenſum generent, ſed rem adhuc relinquant dubiam; certa alterius poſſeſsio huic inæqualitati præponderat. Et ita ſe retractans hanc ſententiam tenet etiam Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. cap. 10. nu. 36.* Et idem de dubitante in materia iuſtitiæ docuit Vaſquez *in 1. 2. diſput. 66. cap. 7. num. 42.* & Salas *in 1. 2. tom. 2. tract. 8. diſput. 1. ſect. 23. num. 231.* vt infrà videbimus.

Resol. XIII. *An in dubio, vtrùm materia voti ſit bona, vel mala, teneatur quis illud adimplere?*

Abſolutè loquendo in tali caſu votum obligare ad ſui obſeruationem, vel non tranſgreſsionẽ, ac proinde non poſſe vouentem contra id votum operari ſine legitima diſpenſatione, docet Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 6. n. 12.* Filliucius *tom. 2. tract. 26. cap. 3. nu. 90.* Fauſtus *in theſ. Religioſ. lib. 1. quæſt. 28.* quia ad valorem voti duo neceſſaria requiruntur, primum vt homo velit ſe obligare, ſecundum eſt vt Deus acceptet; quando ergo quis eſt dubius de honeſtate materiæ, non eſt dubius de valore voti ex parte ſuæ voluntatis, ſed eſt dubius ex parte Dei acceptãtis. Ergo cùm homo de voluntate ſua ſit certus, tenetur procurare vt de diuina acceptatione certior fiat; tenetur ergo conſulere Pontificem vt in eo dubio vel diſpenſet, vel interpretetur.

His tamen non obſtantibus, Sanchez *in ſumma tom. 1. lib. 4. cap. 6. num. 6.* putat abſolutè quòd quando dubium eſt, an materia voti bona ſit, vel mala, votum non obligat. & hanc ſententiam tenet etiam Sotus *lib. 7. quæſt. 1. art. 3.* & Caſtrus Palaus *tom. 1. diſp. 3. punct. 12. num. 2.* Bonacina *de voto q. 2. punct. 4. §. 2. num. 5.* & quando eſſent opiniones circa hanc bonitatem, vel malitiam, fas erit quamcumque amplecti, etiam minùs probabilem; ſed licet hæc opinio affirmatiua ſit probabilis, negatiuam tamen, quam docet Suarez, puto probabiliorem.

Resol. XIV. *An dubitans, ſitne aliqua lex excommunicationem, ſuſpenſionem, vel irregularitatem imponens vſu recepta, poſſit exiſtimare non eſſe vſu receptam?*

Negatiuè reſpondet Sanchez *in ſumma tom. 1. lib. 1. cap. 10.* Filliucius *tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 164.* Bonacina *de legibus diſp. 2. quæſt. 4. punct. 7. nu. 21.* Merolla *tom. 1. diſp. 3. cap. 3. corollar. 8. num. 129.* Alphonſus de Leone *de poteſt. confeſſ. part. 1. recollect. 17. nu. 35.* & alij, quia in tali caſu præſumptio, & poſſeſsio ſtat pro lege, quam conſtat latam eſſe, ſed dubitatur tantùm de illius executione.

Non deſunt tamen Doctores contrariam ſententiam tenentes, Azorius *tom. 1. lib. 2. c. 19. quæſ. 12.* & Salas citat Azorium, ſed non impugnat, *in part. 2. quæſt. 21. tract. 8. diſp. vnica, ſect. 18. num. 169.* Primò,

quia cùm sit lex pœnalis, & odiosa, benignior pars est amplectenda. Secundò, quia possessio stare videtur pro subditis suam libertatem possidentibus. Tertiò, quia in hoc casu non constat de lege imposita, ac proinde non possidet, vbi enim dubium est, an aliquando fuerit vsu recepta, est dubium an aliquando obligauerit, ergo, &c. Et ideò hanc sententiam cum Castr. Palao *tom.1. disp.3. punct.7. nu.4.* valdè probabilem & tutam in praxi esse iudico, & illam præter Azorium & Salas tenet Emanuel de Moura *opusc.1. de ensal. & incant. sect.1. cap.5 num.13.* vbi etiam adducit doctrinam Rebellij asserentis quòd cùm existit æquale dubium an detur consuetudo sufficiens ad obligandum in foro conscientiæ, partem negantem sequi possumus. Ita Rebellius *part.2. lib.1. de contract. in genere, quæst.2. sect.1. nu.4. §. secundò.* quæ omnia sunt valdè notanda.

Resol. XV. *An coniux dubitans de valore matrimonij possit petere, & reddere debitum?*

Hic casus agitabitur quãdo post matrimonium bona fide contractum superuenit dubium de ipsius valore; & in tali casu coniugem ita dubitantem non posse petere, teneri autem debitum reddere, docuerunt præstãtissimi ætatis nostræ Theologi, Basilius Pontius *de matrim. lib.10. cap.15.* Montesinus *in 1.2. D. Thomæ disp.39. quæst.4.* Vasquez *in 1.2. disp.66. cap.4.* Hurtado *de matrim. disp.10. diffic.9. num.39.* Rebellius *lib.2. quæst.16. sect.2.* Turrianus *in opusculis Theologicis, opusc.10. disp.4. dub.1. & disp.5. dub.1.* Pesantius *in 1.2. quæst.19. art.6. disp.4. sent.6.* & hoc ait Hurtado, siue coniux bona fide, vel mala fide contraxerit; & ratio est, quia in dubiis tutior pars est eligenda: sed coniugi dubio (siue bona, siue mala fide contraxerit, & siue sit dubius ante sufficientem diligentiam, siue etiam postea) tutius est non petere, quia petendo se exponit periculo peccandi contra castitatem, & eidem coniugi tutius est reddere petenti bona fide, quàm non reddere, quia non reddendo se exponit periculo iniustitiæ contra ius coniugis petendi, & reddendo tantùm se exponit periculo fornicationis contra castitatem quæ est minus peccatum, quàm dictum iniustitiæ. Ergo coniux in dicto dubio non potest petere, tenetur tamen reddere. Hæc Hurtado, & in hanc sententiam magis inclinat Martinez *in 1.2. tom.1. quæst.19. art.6. dub.5. concl.2.*

Sed licet hæc opinio sit probabilis, tamen contrariam non minùs probabilem esse existimo. Dico igitur ante diligentiam adhibitam ad assequendam veritatem teneri coniugem dubitantem reddere debitum, non tamen posse petere, ea tamen sufficienter adhibita posse reddere, & petere. Ita Sanchez *tom.1. lib.2. disp.41. nu.46.* Suarez *de Relig. tom.2. lib.4. cap.5. nu.16.* Henriquez *lib.12. cap.6. num.5. & 7.* Emanuel Sà *ver. debitum coniugale, nu.7.* Sotus *de iust. lib.4. quæst.5. art. vlt.* Bannez *in 2.2. quæst.62. art.6. dub.5. concl.4.* & nouissimè Ioannes Wiggers *in 1.2. D. Thomæ quæst.19. art.6. dub.6. num.59. & 60.* Coninch *de Sacram. disp.34. dub.10.* Lorca *in 1.2. D. Thomæ disp.38.* Nam possessor bonæ fidei si dubitat rem esse alienam, & facto sufficienti examine, vt infrà videbimus, non potest dubium vincere, potest non tantùm rem detinere, sed etiam illa vti, quia in dubio est melior conditio possidentis. Ergo coniux dubitans si præmiserit sufficiens examen, & adhuc dubius maneat, poterit vti matrimonio non solùm reddendo, sed etiam petendo, & hoc verum est, etiam quando moraliter est impossibile adhibitâ diligentiâ posse vinci dubium, tunc enim, vt notat Sanchez *loco citato num.47.* potest coniux dubitans nulla adhibita diligentia reddere & petere.

Notandum est tamen, etiam stando in prima opinione, illam non procedere, vt notat Pontius, Vasquez, Montesinus, & Hurtado *vbi suprà*, quando dubium valoris matrimonij oritur ex dubio impedimenti impotentiæ. nam tunc vterque coniux potest reddere & petere debitum.

Sed difficultas est an coniux dubitans de valore matrimonij, si ante adhibitam diligentiam petat debitum, teneatur alter ei reddere? Affirmat Corduba *in summa q.45. punct.3.* Henriquez *lib.12. cap.6. nu.5. in gloss. lit. T.* vterque Ledesma, Bartholomæus *dub.20. de matrim. concl.1.* & Petrus *de matrim. q.45. art.1. ad finem. §. ad hoc dubium respondetur*, quia in dubio melior est conditio possidentis; sed in hoc dubio vterque possidet, suppono enim quòd bona fide contraxerint; ergo, &c.

Verùm mihi magis placet opinio negatiua Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2. disp.41. nu.45.* & aliorum, quia in tali casu coniux dubitans non habet ius ad petendum debitum donec adhibeat debitam diligentiam ad veritatem assequendam.

Difficultas etiam est, an si coniux dubitans de valore matrimonij contrahendi, illud ineat, possit adhuc reddere, & petere debitum. Quando alter solus coniux bona fide contraxit, ita dubitantem non posse reddere, nec petere, docent Sotus *in 4. dist.27. q.1. art.3.* Bartholomæus Ledesma *de matrim. dub.20.* & alij. Sed mihi placet opinio Ancharani *in cap. Dominicus, de secund. nupt.* Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2. disp.42. nu.2.* Henriquez *lib.12. cap.6 nu.5. & 7. in glossa littera S.* & aliorum asserentium, coniugem, qui tali dubio contraxit, nullo modo posse debitum petere, teneri tamen reddere alteri bona fide possidenti. Verùm si vterque coniux mala fide contraxit, neutrum posse petere, nec reddere, docet Coninch *de Sacram. disp.34. dub.10. num.102.* & alij *vbi suprà.* Ratio est clara, quia neutri suffragatur possessio mala fide incepta. At si curiosus lector inquirat, quid dicendum in tali casu, si coniuges habeant rationes probabiles matrimonium valere, quamuis probabilius iudicent matrimonium non tenere? posse in tali casu reddere, & petere debitum, affirmat Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2. disp.42. num.8.* Negat verò mordicus Merolla *tom.1. disp.3. cap.3. corollar.12. diffic.2. num.168.* Sed vtraque opinio est probabilis.

Et tandem pro coronide huius resolutionis, quæritur, vtrùm dubitans de valore matrimonij à se bona fide contracti, quia dubitat de seruitute alterius, possit ac teneatur reddere debitum? Respondeo affirmatiuè cum Hurtado *tract. de matrim. disp.10. diffic.9 num.42.* vbi sic ait: Tenetur coniux debitum reddere quamuis sit dubius de valore matrimonij, quia dubitat an contraxerit cum mancipio

cipio ignorata seruitute; quia ex vna parte non reddendo se exponit periculo iniustitiæ contra mancipium, & ex altera reddendo nullum patitur detrimentum, quo excusari possit à reddendo, quia ex eo quòd accedat ad mancipium affectu maritali, vt tuetur accedere, non reualidat matrimonium præcedens, quia non accedit intendendo de nouo contrahere si fortè fuit nullum, quod erat necessarium ad reualidationem, sed tantùm accedit vt soluat debitum si fortè debeat, ne se exponat periculo iniustitiæ. Ita Hurtado, & ante illum Sanchez *de matrimon tom.1.lib.2.disp.43.nu.8.* & alij penes ipsum, quidquid asserat Nauarr. Angles, & alij, quos refert Sanchez *num.2.*

Non desinam etiam hîc adnotare mirabilem opinionem Ioannis Salas *in 1.2. tract.8. disp.vnica, sect. 22. num. 218.* vbi asserit coniugem qui bona fide contraxit, si posteà non dubitet dubio suspensionis, sed potiùs opinetur matrimonium esse nullum, non solùm posse reddere, sed etiam petere debitum; sed tu ne discedas à contraria sententia, quam tuetur Sanchez *de matrim. tom.1.lib.2.disp.44.* quoad petitionem debiti.

RESOL. XVI. *An in dubio, vtrùm censura sit lata, vel ferenda, censenda sit tantùm ferenda?*

AFfirmatiuè respondeo cum Auila *de cens. 1. 2. cap.2.dub.2.* & Coninch *de Sacram. disp.13. num. 22.* quos citat & sequitur Hurtado *tract. de cens. in communi; difficult.5.num.22.* vbi sic ait: Quando verba relinquunt dubium, an contineant censuram latam, iudicandum est non continere illam, sed tantùm ferendam, quia odia sunt restringenda; sic Hurtado, qui etiam *in disp.2.de excomm.diffic.3.nu.7.* docet, quòd vt teneamur vitare excommunicatum, non sufficit dubium adhuc prudens denuntiationis, sed requiritur notitia moraliter certa dictæ denuntiationis.

RESOL. XVII. *Quid dicendum quando est dubium, an inter volentes contrahere adsit aliquod impedimentum dirimens?*

AD hoc dubium ita respondet Ioannes Sancius *in selectis disp.43.num.44.* Dubitans an impedimentum matrimonij habeat, facta sufficienti diligentia, potest illud inire absque dispensatione, quia possessio stat pro libertate ad contrahendum; dubium verò impedimento fauet: at absque certo iure nemo spoliandus est sua possessione. Sic ille.

Notandum est tamen hîc obiter Emanuelem Sà *verb. dispensatio num.1.* docere, in dubio an res egeat dispensatione, posse Episcopum iuxta quorumdam probabilem opinionem declarare non desiderari dispensationem, vel ad cautelam dispensare. Ita ille.

RESOL. XVIII. *An si quis dubiter in die Iouis cœnans, si sit transacta media nox, possit adhuc edere carnes?*

REspondeo affirmatiuè cum Villalobos *in sum. tom.1. tract.1. diffic. 21. num. 7.* vbi sic ait: *El que duda si son las doze de la noche, y el dia siguiente es dia de ayuno, este tal puede comer carne porque duda del precepto, y esta aun en possession de su libertad; mas si al contrario es oy dia de ayuno, y se duda se son las doze de la noche ò no, no puede cenar, porque esta la possession por el precepto que consta que es oy dia de ayuno, y no se sabe si ha passado ò no.* Ita ille, & post illum Ioannes Sancius *in selectis disp.43.num.5.* idem etiam docet alter Sancius *de matrim.tom.1.lib.2.disp.41.nu.40.* & Layman *lib.1.tract. 1.cap.5.§.4.n.36.* & Salas *in 1.2. tom.1.tract.8. disp.vnica, sect.25.num.264.* Naldus *in summa, ver. dubium nu. 25.* Castrus Palaus *tom.1. disp.3.punct.8.nu.6.* Fagundez *part.4.lib.1.cap.10.num.2.* Igitur si quis die Iouis cœnans dubitet, an hora duodecima noctis sonuerit, potest edere carnes: nam ius & possessio stat pro libertate edendi, certumque horas antecedentes esse diei Iouis, & dubium sit pro die Veneris; dubium autem ius præualere non debet contra ius certum. E contrario infertur, quòd si hodie sit dies Veneris, aut ieiunij, & dubitetur, an hora duodecima noctis sonuerit, non potest quis edere carnes, quia possessio est pro præcepto, cùm constet hodiernum diem esse ieiunij, & dubitetur an transacta sit hora. ergo, &c.

Sed posse ne dubitantem, an sit transacta hora mediæ noctis, & tunc edentem, vel bibentem, sumere Eucharistiam in die sequenti, diximus *in tract. de Eucharist. resol. 1.* Sed pro hac dubitatione oritur pulchra quæstio,

RESOL. XIX. *An si diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, possit qui tunc bibit, vel comedit, communicare sequenti die?*

AFfirmatiuè respondet Ioannes Sancius *in selectis disp.53.num.3.* vbi sic ait: Si horologia diuersa sint, ad pulsationem primi poterit refectio fieri; sicut enim in odiosis ad vltimum potest appellari, ita possunt comedentes post horam duodecimam noctis ab vno horologio designatam crastino Eucharistiam sumere, si aliud horologium sonuisse constet esu expleto. Ita ille, & ante illum alter Sancius *de matrim. tom.1.lib.2.disp.41.num.40.*

Sed nouissimè aduersus hanc opinionem insurgit Merolla *tom.1.disp.3.cap.3.corollar.11.num.139.* vbi sic ait: Falsum est id quod subdunt aliqui, id est, Sanchez, quòd scilicet si diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, potest qui tunc soluit ieiunium naturale communicare sequenti die, quia est veluti si essent duæ rationes, vel opiniones probabiles, liceret enim vtram illarum amplecti. Hoc, inquam, falsum est, quia in pari causa melior est conditio præcepti possidentis, & opiniones probabiles sunt tantùm speculatiuæ, & ideò homo tunc debet se gerere, ac quando factum est dubium. Ita Merolla.

At, pace huius viri docti, affirmatiuã sententiam non falsam, sed probabilem, & tutam in praxi esse existimo, & ideò illam non solùm tuentur vterque Sanchez *vbi suprà*, sed etiam Fagundez *præc.4. lib.1. c.10.* Pharaonius *tract.de sacr. Pœnit. in appendice sess.3. cas.14.* Vega *in sum.tom.1.c.14.cas.12.* & Villalobos *in sum.to.1.tr.1.diffic.21.n.7.* vbi ita ait: *Si ay diuersos relojes, se ha de iuzgar como si huuiesse dos opiniones probables que puede elegir la que quisiere, saluo si vno dellos fuesse tal, que de ordinario no anduuiesse bien cõcertado, y se aduierta*

que el primer golpe queda el relox es la hora, y anſi ſi beuio tras el, aunque no aya acabado de dar todos los golpes el relox, no podrà comulgar eſſe otro dia. Sic ille; verùm poſt hæc ſcripta inuenio ſententiam Merollæ docere etiam Salas *in 1.2. tom.2. tract.8. diſp. vnica, ſect. 25.nu.264.* vnde vtraque opinio eſt probabilis.

RESOL. XX. *An qui vouit ieiunare Quadrageſimam, & dubitat, an voluerit vouere abſtinentiam à lacticiniis, teneatur illa non comedere?*

AFfirmatiuè reſpondet Turrianus *in opuſc. Theologicis tom.1. opuſc.10. diſput.1. dub.2.* vbi ſic ait: Alterum dubiolum eſt de eo qui vouit ieiunare Quadrageſimam, cùm ad id aliàs non eſſet obligatus, & dubitat an voluerit vouere abſtinentiam à lacticiniis. Ego exiſtimo, quando eſt purum dubium, tutiorem partem eſſe eligendam. Sic ille.

Sed tu contrariam ſententiam tene, quam tuetur Angles *part. 1. de ieiunio, quæſt. 9. de abſtinentia à cibo, art.1. dub.2.* & Ioannes Salas *in 1.2. tom.2. tract. 8. diſp. vnica, ſect.25.nu.250.* quia melior eſt conditio poſſidentis.

RESOL. XXI. *Dubitans an expleuerit viginti & vnum annos, teneatúrne ieiunio?*

NEgatiuè reſpondeo cum Sancio *in ſelectis diſp. 43.num.6.* Naldo *in ſumma ver. dubium, num.23.* Caſtro Palao *tom.1.diſp.3.punct.8.nu.7.* Alphonſo de Leone *de offic. & poteſt.confeſſ.part.1.recollect.15.nu.22.* Layman *lib.1.tract.1.cap.5.§.4.nu.33.* Fagundez *prec. 4.lib.1.cap.8.nu.7.* Sanchez *de matrim.tom.1.lib.2.diſp. 41. nu.38.* & aliis, ideò ſi quis facta debita diligentia dubius adhuc eſt an expleuerit viginti & vnum annos, non tenetur ad ieiunium, quia tunc non eſt poſſeſſio pro præcepto ieiunij, ſed pro libertate illius dubitantis.

Vnde ſequitur quòd ſi facta debita diligentia quis dubitat an hodie ſit dies ieiunij, non tenetur ieiunare; & idem dicendum eſt, quando eſt dubius an hodie ſit dies feſtus, non enim tenetur ab operibus ſeruilibus abſtinere, & Miſſam audire, quia in his caſibus poſſeſſio ſtat pro libertate; vt rectè obſeruat Suarez *de cenſ.diſp.40.ſect.5.n.15.* & alij.

Contrarium tamen dicendum eſt quando quis dubitat, an habeat legitimam ætatem ad Ordines, vel beneficia, vel ad alium actum requiſitam, tunc enim poſſeſsio eſt pro præcepto, & ideò illud ſeruandum eſt, donec conſtet de ætate. Ita DD. citati, & præcipuè Ioan. Sanc. *num.7.* ſemper enim extat præceptum negatiuum non aſſumendi Ordines ante ætatem; cùm verò volens ſuſcipere Ordines toto tempore antecedente dubitationem, habuerit ius certum ad non ſuſcipiendos Ordines, hoc ius certum vinci non debet à iure dubio ſuperueniente.

RESOL. XXII. *An quando conſtat de lege, dubium autem eſt an in aliquo caſu obliget, liceat contra illam facere?*

AD hoc dubium ita reſpondet Ioannes Sancius *in ſelectis diſp. 43. num.4.* Quando dubitatur an præceptum ſit derogatum alio præcepto, vel conſuetudine, vel ſit diſpenſatum, non licet contra præceptum facere, quia lex poſsidet. Et idem dicendum dum conſtat de lege, vel præcepto: dubium autem eſt, an in aliquo caſu ratione neceſsitatis, aut alterius circúſtantiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione illius, teneri lege, vel præcepto, cùm lex poſsideat. Ob id qui dubitat an lex prohibens edere carnes in Quadrageſima ſe extendat ad obligandum ratione neceſsitatis, ſalutis ſcilicet, aut alterius circumſtantiæ, tenetur petere diſpenſationem à Superiore. Ita ille; vide etiam Medinam *in 1.2. quæſt.96.art.6.* Sanchez *de matrim. to.1.lib.2.diſp.41.num.37.* Suarez *de legibus lib.6.cap.8. nu.7.* Naldum *in ſumma ver.dubium num.22.* Villalobos *in ſumma tom.1.tract.1.difficult.21.num.4.* & alios penes ipſum.

Non deſinam tamen hîc adnotare, Ioan. Salas *in 1.2.tom.2. tract.8. diſp. vnica, ſect.25.num.259.* contrariam ſententiam docere, ſic enim ait: Addunt aliqui recentiores, dum conſtat de lege, vel præcepto, dubium autem eſt an aliquo caſu ratione neceſsitatis, aut alterius circumſtantiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione, teneri lege, vel præcepto, quia lex tunc poſsidet, ſicut de voto dixerunt in ſimili dubio: ſed ſicut nos reiicimus in voto, ita nunc reiicimus in præcepto, nam in vtroque euentu præceptum, vel votum impropriiſsimè dicitur poſsidere. Voluntas ſuam libertatem antea poſsidebat, qua in dubio expoliari non debet ſi ea indigeat ad damnum aliquod graue vitandum, & ſic debent reiici, vel limitari Doctores, dicentes in dubio præcepti circa qualitatem materiæ ipſius orto ſeruandum eſſe præceptum, vel intelligendi ſunt in dubio completè practico, & diſtrictè ſumpto. Hæc omnia Salas. Igitur ſecundùm Salas ſi certus ſis de lege impoſita, dubites autem an ratione alicuius neceſsitatis, vel alterius circumſtantiæ ab ea eximaris, non teneris eam obſeruare, ſi eius executio eſt tibi incommoda & moleſta; ſed opinio contraria eſt communis.

RESOL. XXIII. *An in caſu dubio detur locus Epiikeiæ?*

NEgatiuam ſententiam mordicus tenet Ioannes Sancius *in ſelectis diſp. 43.num.8.* vbi ſic ait: Non eſt locus Epiikeiæ in dubiis, ſed ſeruanda ſunt verba legis, vt ſonant, quia ipſa lex poſsidet, & propter dubium nõ debet ſua poſſeſsione priuari. Epiikeia namque cùm virtus ſit, vt ait D. Thomas *2.2.quæſt. 120.art.1.* non debet iniuſtè poſſeſſorem ſua poſſeſsione ſpoliare: iniuſtum autem eſſet Epiikeiam dictare ius dubium præferendum eſſe iuri certo. Ita ille, & Sotus *de iuſt. lib.1.q.6.art.8.* Vaſquez *in 3. part. tom.3. diſp.219. cap.8. num.43.* Suarez *de legibus, lib.6. cap.8. num.10.* Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2. diſp.41.num.37.* Merolla *tom.1.diſp.3.cap.3. corollar.7. num.128.* & alij penes ipſos. Igitur in tali caſu recurrendum eſt ad Superiorem, vt declaret ſi voluerit ad illum caſum legem ſuam extendere, & ſi dubium eſt de poteſtate Superioris, an, inquam, potuerit obligare, cùm clarè non conſtet eius impotentia, iniuſtũ videtur interpretari non poſſe obligare, & legem deficere, cùm pro lege & poteſtate Superioris ſit poſſeſsio. Et hanc doctrinam procedere,

dere, vt non poſsis vti Epiikeia, etiam in caſu vrgenti, in quo Superior conſuli non poteſt, docet Caſtrus Palaus *to.1.diſp.3.punct.8.n.4.* qui alios citat.

His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam tenet Sylueſter *ver.Papa q.16.dict.2.in fin.& ver. diſpenſatio q.4.* Corduba *in QQ. lib.3.q.13. ante reg.1.* & Ioannes Salas *in 1.2.tom.2. tract.8. diſp. vnica, ſect. 25.num.260.* vbi ſic aſſerit: Addunt aliqui recentiores in dubiis non eſſe locum Epiikeiæ, ſed ſeruanda eſſe verba legis vt ſonant: at hoc reiiciendum eſt, vel limitandum, & DD. exponendi quando nulla eſt neceſsitas operandi cum illo dubio, vel quando dubium eſt completè practicum, & ſtrictè ſumptum, contra tale enim dubium non licet agere, ſecus in dubio ſpeculatiuo, & incompletè practico, de quo nos loquimur. Quod probatur, quia quando dubito rationabiliter, an Superior velit me obligare, poſſum ſequi partem minùs tutam ad vitandam notabilem incommoditatem; ſed in caſibus dictis dubito an Superior velit me obligare. Ergo poſſum in partem minùs tutam ad vitandam incommoditatem inclinare. Ita Salas, & ante illum Henriquez *lib.14.cap.3.num.3.in gloſſ litt.X.* vbi ſic ait: Æquitas & Epiikeia ſuadet temperandum legis rigorem in dubio, iuxta præſumptam intentionem legiſlatoris, quia in dubio melior eſt conditio poſsidentis innocentiam ſuam. Hæc Henriquez.

Nec valet dicere cum Caſtro Palao *vbi ſuprà n.4.* hos DD. intelligendos eſſe non de dubio æquilibri, ſed de formidine, vel non potuiſſe, vel noluiſſe Superiorem in tali caſu obligare; non, inquam, hoc valet dicere, nam DD. citati loquuntur in dubio, & Salas *loc.cit.* in ſpecie refellit hanc declarationẽ Caſtri Palai, & vult ſententiam horum DD. procedere in dubio æquilibri. & multùm etiam facit pro hac firmanda ſentẽtia auctoritas Sylueſtri. Nam Ioannes Sancius *in ſelectis, diſp.43.n.37.* aſſerit quòd tres, aut quatuor Summiſtæ inter quos reperiatur Sylueſter, opinionem probabilem meritò conſtituere poſſunt, niſi poſt illorum ſcripta aliquid iure nouo poſitiuo contra ipſos decretum ſit; Sylueſtrum namque ab omnibus tam iuris peritis, quàm Theologis reuereri meritò eſt manifeſtum.

Sed tu ne recedas à prima ſententia negatiua, quam Suarez *de legib. lib.6. cap.8. num.12.* limitat, vt procedat, niſi alteri legi grauiori dubitetur contrariari, tunc enim, inquit, liceret grauiorem legem exequi, omiſſa minori; verùm hæc limitatio diſplicet Caſtro Palao *vbi ſuprà num. 5.* Sed vtraque opinio eſt probabilis.

RESOL. XXIV. *An dubius ob tenuitatem beneficij de onere recitandi diuinum officium, teneatur recitare?*

AFfirmat Vaſquez *in 1.2. D.Thomæ, diſp.65. cap.3. num.11.* nam quando obligatio eſt certa, vt eſt in caſu noſtro, & excuſatio dubia, teneris obedire; quòd obligatio ſit certa, patet. nam certum eſt te habere beneficium, & per conſequens onus diuini Officij illi annexum.

Verùm Ioan. Salas *in 1.2.tract.8.diſp.vnica, ſect.17. num. 154. in fine,* docet in tali caſu non adeſſe obligationem recitandi diuinum officium, quia eſt dubium iuris, & præceptum oneroſum & moleſtum implendum ex obligatione non eſt in caſu dubij. ſed hoc accidit in caſu noſtro. ergo, &c. vtraque opinio eſt probabilis.

RESOL. XXV. *An facta ſufficienti diligentia an res ſit ſua, poſsit poſſeſſor bonæ fidei adhuc dubius illam retinere & alienare?*

NOn poſſe aſſerit Adrianus *quodlib.2. à nu.2. ad 2. confir. argum. 1.* vel ſaltem teneri diuidere rem cum perſona, de qua dubitatur, an eius ſit, docet Sotus *de iuſt. lib. 4. q.5. art. vlt.* Martinus de Ledeſma *2.part.4.q.18.art.1.dub.14.* & Aragon. *in 2.2. q.62.art.1.tract.de dominio, ante §. his conſtitutis;* nam extante æquali dubio, videtur ius eſſe æquale vtriuſque partis. ergo, &c.

At his non obſtantibus, contrariam ſententiam communiter docent DD. vt Villalobos *in ſumma tom.1.tract.1.diffic.1.num.1.* Coninch *de Sacram.diſp. 34.dub.10. num.93.* Azorius *tom.1. lib.2. cap.19. q.5.* Vaſquez *in 1.2. diſp.66. cap.7. à num. 36.* Salas *in 1.2. tract.8.diſp.vnica, ſect.23.num.233.* Sanchez *in ſumma tom.1.lib.1.cap.10.nu.9.* Molina *tom.1. tract.2.diſp.36. concluſ.1. & tom.3.diſp.721.num.4.* Valentia *tom.2.diſp. 2. quæſt.14. punct.4.* Salonius *in 2.2. quæſt. 82. art.6. contr.4.concl.2.* Bannez *in 2.2. q.62 art.6.dub.5.concl. 4.* Sancius *in ſelectis diſp.43.nu.11.* Merolla *tom.1.diſp. 3.cap.3.corollar.3.nu.11.* & alij penes ipſos. Ratio eſt, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſsidentis. ergo, &c. Quod etiam probatur. nam in foro externo in tali caſu poſſeſſor dubius non eſſet ſpoliandus. ergo neque in foro interno. Probo conſequentiam, quia forum internum ſemper externo conformari debet, quando externum falſa præſumptione non innititur, vt docet Merolla *loco citato num.7.* Garſias *de beneſic. tom.2.p.9.cap.1.num.10.* Salas *in 1.2.tract.8.diſp.vnica, ſect.18.num.176.171. & 226.* Sanchez *de matrim.tom.1.lib.1.diſp.5.nu.20.* Suarez *de cenſ. diſp.40.ſect.5.nu.16.* Sancius *in ſelectis diſp. 48.num.55.* ergo, &c.

Notandum eſt tamen hîc primò quòd durante inueſtigatione veri domini, non poteſt quis vti re, quæ vſu conſumitur, nam fruſtrà dominus quereretur; poteſt tamen vti illa, quæ vſu non conſumitur, vt equus, mancipium, &c. dum tamen adſit animus ſoluendi vero domino pretium illius vſus, deductis expenſis alimentorum. Ità Villalobos *in ſumma tom.1.tract.1. diffic.20.num.4.* & alij.

Nota ſecundò poſſeſſorem, qui adhibita diligentia, an res, quam poſsidet, ſit aliena, ſi manſit adhuc dubius, non teneri in poſterum vero domino comparenti reſtituere, niſi inſtar bonæ fidei poſſeſſor, nempe rem ipſam ſi apud ſe extat, vel ſi conſumpta ſit, aut ſit alienata, tenetur ſolùm quatenus factus eſt locupletior. Ita Leſsius *lib.2. cap.14. dub.4. num. 23.* Rebellius *part. 1. lib. 2. quæſt.5. num.11.* Vaſquez *in 1.2.diſp.66.cap.7.num.38.* Sanchez *in ſumma tom.1. lib.2.cap.23.num.186.* & alij penes ipſos. Vnde non ſunt audiendi Aragonius *in 2.2. quæſt.62. art.5. dub. 1.* & *ibi* Bannez *dub.2.concl.3.* Salonius *contr.2.* Salas *in 1.2.tract.8.diſp.vnica, ſect. 23.num.227.* & alij aſſerentes hunc teneri reſtituere pretium rei venditæ; ſed aduerſus dictos Doctores, & meritò in-

surgit Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 3. corollar. 3. num. 18.* docens hanc opinionem tunc esse veram, quando ex pretio locupletior euasit, tunc enim tenetur esse paratus restituere domino totum pretium, si in toto factus est ditior, vt si rem illam ipse dono acceperat, ac postea vendidit; vel partem pretij, vt si illam emerat, sed postea pluris vendidit, quia in eo excessu tantùm factus est locupletior.

Et tandem nota, quòd si spes moralis non est vt verus dominus compareat, non teneris monere de dubio emptorem, quia tunc emptor morali periculo non exponitur, secus autem dicendum est quando probabilis spes est dominum comparitu-rum. Ita Sancius *in selectis disp. 43. num. 12.* Bannez *in 2. 2. q. 62. art. 6. dub. 5.* Castrus Palaus *tom. 1. disput. 3. punct. 2. num. 13.*

RESOL. XXVI. *An si præmissa debita diligentia adhuc dubius sis, propendeas tamen magis rem esse alienam, tenearis illam restituere, vel diuidere?*

HAnc quæstionem declarauimus *in p. 2. tract. 15. resol. 10.* & teneri iuxta inclinationem, & propensionem aliquid restituere, diximus docere Bannez, Ledesmam, Salonium, & Sachez, quibus nunc addo Coninch *de Sacram. disp. 34. dub. 10. num. 93.* Valentiam *tom. 3. disp. 3 quæst. 16 punct. 2. §. si autem*, quia in tali casu non est par causa tua & aliena, vt possessio tibi suffragetur.

Nihilominus in dicta resolutione ego contrariam sententiam docui cum Vasquez, Bonacina, Salas, & Sanchez se retractante, quibus nunc addo Merollam, me citato, *in suis disp. Theologicis, tom. 1. disp. 3. cap. 3. corolla. 3. num. 24.* Castrum Palaum *tom. 1. disp. 3. punct. 2. num. 11.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 21.* & Fillincium *tom. 2. tract. 21. cap 4. num. 158.* & ratio est, quia possessio præponderat omnibus rationibus non conuincentibus.

RESOL. XXVII. *An si studio emptionis, vel donationis quis rem furtiuam sub dubio possidet, & facta diligentia dubium adhuc persistit, ad quid teneatur?*

AD hoc dubium, ita respondet Villalobos *in summa tom. 1. tract. 1. diffic. 20. num. 5. El que comenco à posseer la cosa en duda por compra, ò por otro qualquier titulo, esta obligado à restituir. El fundamento es por que sin derecho verdadero ò presumpto no ay possession como dize Syluestro verb. possessor num. 1. declarando la definicion de possession que dan los Iuristas. Mas ha se de aduertir que este tal no tendra obligacion à restituir toda la cosa, si no mas ò menos conforme à la duda que tuuiere.* Sic ille, & post illum Castrus Palaus *tom. 1. disp. 3. punct. 3. num. 2.* vbi ita asserit: Si dubitas an res sit furtiua, & titulo emptionis, vel donationis possedisti, teneris facta diligentia & dubio persistente rem diuidere inter te, & eos de quibus dubitas, quia tunc pro nullo stat præsumptio, ac proinde omnes æquale ius habent: practicum autem à te datum in causa esse non potest, quò minùs debeas aliis qui non acceperunt, & de quibus dubitas an eorum sit res, satisfacere, sicut si comparet verus dominus, teneris illi integram restituere, etiamsi pretium dedisses, quia mala fide dedisti. Limita supradictam doctrinam, nisi à possessore bonæ fidei acceperis, tunc enim etsi dubius acceperis, at non comparente domino post factam diligentiam poteris retinere rem; & illa vti, quia succedis loco possidentis à quo accepisti titulo emptionis, vel donationis. Qua ratione emens mancipia ab asportantibus, etsi dubius emeris, an fuerint furtiua, at facta diligentia pro inuestigando verum dominum, illoque non comparente potes illa retinere, quia tunc non est possessio pro libertate mancipij, sed pro possessore bonæ fidei, qui illud vendidit, & cuius loco successisti. Vide etiam circa præsentem quæstionem Merollam *tom. 1. disp. 3. cap. 3. corollar. 5. num. 18.* Rebellium *part. 1. lib. 2. de restit. quæst. 5. nu. 7.* Molinam *tom. 1. tract. 2. disput. 36. & tom. 3. disp. 723.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 41. num. 24. & seq.* Bannez *in 2. 2. quæst. 62. art. 6. dub. 5. concl. 5.* & *ibi* Salonium *quæst. 61. tract. de dominio.* Salas *in 1. 2. tract. 8. disputat. vnica, sect. 23. num. 232. & 236.* Ioan. Sancium *in selectis disp. 43. num. 14.* & alios penes ipsos.

Notandum est tamen hic obiter, quòd Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 3. corollar. 5. num. 32.* aduertit, quòd vt aliquis dicatur bonæ fidei emptor, non sufficere si ignoret rem illam esse furtiuam, & credat non omnia, quæ alter vendit, talia esse. Nam quando rumor est, aut vehemens suspicio illum multa vendere furto sublata, nefas est ab eo emere, nisi, præmisso sufficienti examine, constet ementi, alium iustè vendere. Quòd si emerit, non præmissa hac diligentia, tenetur postea eam adhibere, vt sciat an res fuerit legitimè vendita. Si verò nulla occurrat diligentia quæ ad illud sciendum possit deinceps fieri, & adhuc perseueret dubium, an legitimè fuerit vendita, tunc pro quantitate dubij, quod remanet, tenetur restituere partem valoris rei emptæ. Ita Merolla, & ante illum Molina *tom. 1. tract. 2. disput. 35. in fin. 2. conclus.* Sanchez *de matrimonio tom. 1. lib 2. disput. 41. num. 27.* Mercado *de contractib lib. 2. cap. 20.* Villalobos *in summa tom. 1. tract. 1 disp. 20 num. 7.* & alij.

Verùm Castrus Palaus *tom. 1. disp. 3. punct. 3. num. 5.* hoc intelligit, quando rationes efficaces, seu moraliter conuincentes adessent, venditorem vendere rem furtiuam, non quando dubiæ sunt & probabiles, tunc enim deponendum est dubium, & intelligere, alium ritè vendere, quia nemo præsumitur malus, nisi probetur, neque in dubiis delictum commisisse, ex *l. meritò. ff. pro socio.*

RESOL. XXVIII. *An consulens homicidium, furtum, &c. dubitans tamen an ex tali consilio motus ille fuerit ad id faciendum, teneatur ad restitutionem?*

AFfirmatiuè respondet Ioannes Sancius *in selectis disp. 43 num. 14.* Lessius *lib. 2. cap. 27. dub. 3. in fine.* Molin. *tom. 3. disp. 736. num. 6.* Salas *in 1. 2. tract. 8. disput. vnica, sect. 23. num. 242.* & alij, quos citat & sequitur Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 3. corollar. 6. num. 41.* Et ratio est, quia in hoc dubio nulla est possessio pro consulente, imò præsumptio iuris est contra ipsum, vnde in foro externo condemnaretur ad restitutionem, eò quòd est certa iniusti consilij actio, & præsumitur illam sortitam fuisse suum effectum, & ideò in reum transfertur onus probandi

non

non fuiſſe, & dum non probauerit ſuccumbet; ergo idem erit in foro conſcientiæ.

His tamen non obſtantibus, negatiuam ſententiam tenet Nauarra *de reſtit. lib.3.cap.4. dub.4.nu.48.* Henriquez *lib.14.cap.3. num.4.* Sayrus *in claui Regia lib. 10. tract. 2. cap. 8. num. 1.* Rebellius *part.1. lib.2. quæſt.14.ſect.2.num.5.& 7.* Medina *Cod.de reſtit.quæſt. 7. ante ver. ſi autem conſilium,* Sylueſter *ver. reſtitutio. 3.quæſt. 6. dicto 2. initio.* Villalobos *in ſumma tom.1. tract.1. difficult. 20. num. 9.* vbi ſic ait: *Si vno duda à cerca de ſu action iniuſta, v. g. aconſejo à Pedro que hurtaſſe ò mataſſe, y eſta en duda ſi del tal conſejo, ò action ſe ſiguio el daño; en tal caſo aunque ay graues Doctores que tienen lo contrario, ſoy de parecer, que el que diò el conſejo no tiene obligacion à reſtituir; y parece lo ſiente aſsi.* S. Thomas 2. 2. *quæſt. 62. art. 7.* ibi, ſolùm tenetur Conſiliarius, aut palpo ad reſtitutionem cùm probabiliter æſtimari poteſt quòd ab eo actio iniuſta fuit ſubſecuta, *el fundamento es que* in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, *y cierto como la reſtitucion ſea de naturaleza odioſa no ſe deue eſtender, ſi no antes reſtringir; y anſi aunque la parte contraria eſpeculatiuamente hablando ſea muy probable eſta es meior para practica.* Ita ille. Vide etiam Vultherum Strouerſdorff *de iuſt. & iur. in D.Thom. quæſt.62. art.8. diſput.2.* qui loquitur in iubente, & ait quòd ſi dubius ſit an exequens iuſſu ſuo motus ſit, vel non, non tenetur ad reſtitutionem.

Sed an cenſenda ſit coniectura ſufficiens ad credendum conſilium nil operatum eſſe, ſi homicida huic conſulenti aſſerat, ſe ad homicidium perpetrandum non fuiſſe motum eo conſilio. Affirmat Henriquez *lib.14. cap.16. num.3.* & Sayrus *de cenſuris lib.7. cap.3. num. 2.* licet hoc nullo modo probet Caſtrus Palaus *tom.1. diſp.3. punct.4. num.3.* Sanchez *in ſumma tom.1. lib.1.cap.10.num.44.* & alij, niſi homicida ſit ita fide dignus, aut tales aliæ coniecturæ concurrant, vt prudens arbitretur fidem illi habendam eſſe.

Verùm ſi aliquis vellet ſtare in opinione affirmatiua, quæritur an conſulens dubius in eo caſu an influxerit in homicidium futurum, &c. teneatur reſtituere totum damnum, vel partem? Merolla *vbi ſuprà tom.1. diſp.3. cap.3. corollar.6. num.44.* tenet conſulentem in eo caſu teneri totum damnum reſtituere, quia cùm in dicto caſu nulla ſit poſſeſsio pro conſulente, ſed pro conſilio iniuſto, ſequitur conſulentem teneri reſtituere totum damnum, cuius cauſa fuiſſe præſumitur conſilium datum.

At ego non condemnarem conſulentem, ſi in tali caſu non reſtitueret totum damnum, ſed partem pro quantitate dubij remanentis poſt peractam diligentiam, ſicut aſſerunt DD. de eo, qui rem furtiuam emit dubitans an ſit furtiua, & ſi nihil in tali caſu vellet reſtituere, puto abſoluendum eſſe, nam opinio Villalobos, & aliorum ſuperiùs adducta excuſans dictum conſulentem à reſtitutione, puto quòd ſit probabilis, licet contraria ſit probabilior.

RESOL. XXIX. *An poſſeſſor bonæ fidei, qui dubitans rem eſſe alienam, neglexit inueſtigare verum dominum, vnde impotens effectus eſt ad eum ſciendum, teneatur ad reſtitutionem?*

TEneri reſtituere illi, cuius rem eſſe dubitat, vel eo ignoto teneri reſtituere pauperibus iuxta qualitatem dubij, & ſpem quam habebat inueniendi dominum, tradunt Villalobos *in ſumma tom.1.tract.1.diffic.20.num.2.* Salas *in 1.2.tract.8.diſp.vnica, ſect.23. nu.238.* Alphonſus de Leone *de poteſt. confeſſ. part.1. recollect. 15. num. 76.* Sanchez *in ſumma tom.1. lib.2.cap.23 num.183.* Molina *tom.1. diſp.36. concluſ.1.* & alij.

Verùm ſecundùm Bonàcinam *de contract. diſp.1. quæſt.2.punct.2. num.* 8. non ſine probabilitate videtur dicendum non teneri ad reſtitutionem; tum quia quamuis peccauerit negligendo inquiſitionem veritatis, nihilominus poſſidere incepit bona fide; ſed melior eſt conditio poſſidentis. ergo, &c. tum quia non conſtat an damnum aliis intulerit non inquirendo rei veritatem: qui autem dubitat, an ſua actione, vel omiſſione fuerit aliis cauſa damni, non tenetur ad reſtitutionem. Ergo, &c. Et hanc opinionem probabilem etiam eſſe putat Caſtrus Palaus *tom.1.diſp.3.punct.2.num.9.*

RESOL. XXX. *An quando commodatarius, vel depoſitarius eſt dubius, vtrùm res ſit ſua culpa amiſſa, teneatur illam reſtituere?*

QVoad commodatarium affirmatiuè reſpondet Merolla *tom.1.diſp.3. cap.3. corollar.7. num. 50. & 51.* & Gallet. *in margarita caſuum conſcient. ver. commodatum, & ver. dubium.* Ratio eſt, quia in dubio potiùs damnum pati debet qui beneficium accepit, quàm qui contulit; deinde vt commodatarius obligetur ad reſtitutionem, ſufficit culpa iuridica. ergo, &c.

Sed his non obſtantibus, contrariam ſententiam teneo cum Ioanne Sancio *in ſelectis, diſp. 43. num.11.* vbi ſic ait: Quando depoſitarius, vel commodatarius dubius eſt an res ſit ſua culpa amiſſa, non tenetur reſtituere, quia cùm delictum non præſumatur, ipſe eſt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ. Ita ille, & Villalobos *in ſumma tom.1. tract.1. difficult.20. nu. 10.* ſic aſſerit: *El depoſitario que duda ſi la coſa perecio por ſu culpa no eſta obligado à reſtituir por que eſta en poſſeſsion y conforme al derecho,* in dubiis non præſumitur delictum. Vnde hanc ſententiam tenet Sanchez *de matrim. tom.1.lib.2.diſp.41.nu.18.* Leſſius *lib.2. cap.27.dub.3 in fine.* Salas *in 1.2.tract.8.diſp.vnica, ſect. 23.nu.243.* Caſtrus Palaus *tom.1. diſp.3.punct.4.nu.4.* Henriquez *lib.14.cap. 15.in fine.*

Nota tamen quòd in foro extremo, ſi res depoſitarij appareant incolumes, præſumitur in dolo, & ſic depoſitario incumbit onus probandi caſu periiſſe, vel non poſſe ſimul ſeruaſſe res ſuas, & depoſitas, ob imminens incendium, vel ex alia ratione, maluiſſéque res ſuas ſeruare, quàm alienas, tunc enim ceſſat dicta præſumptio de dolo, etiamſi res ſuæ viliores eſſent. Ita Maſcard. *de probat. ver. depoſitarius, concluſ.509.*

Sed an opinio ſuprà poſita in fauorem depoſitarij, & commodatarij applicanda ſit ad locatarium, ſeu conductorem, negatiuè reſpondet Merolla *tom.1. diſp.3.cap.3. corollar.7. num.54.* Sed hanc ſuam ſententiam probabiliorem vocat; ergo contraria ſecundùm ipſum eſt probabilis.

Notan-

Notandum eſt etiam pro præſenti materia id quod etiam alibi notauimus, exiſtimare aliquos generaliter, in contractibus neminem teneri ad reſtitutionem niſi de dolo, & lata culpa: latam autem culpam volunt eſſe illam, quæ eſt culpa mortalis; vnde inferunt etiamſi non adhibeatur diligentia communis, quæ faceret latam culpam iuridicam, tamen ſi hoc proueniat ex naturali obliuione, ita vt excuſetur quis à mortali, non obligat illa lata culpa in foro interiori ad reſtitutionem. Ita Sotus *lib.4.de iuſt. quæſt.7.art.2.* Martinus Ledeſma *2.part.4.quæſt.8.art.6.§.ſed dubitas.* Henriquez *lib.14.cap.3.num.1. in fine.* Emanuel Sà *ver. culpa, num.2.* & hanc opinionem alibi cum Leſſio *lib.2.cap.7.dub.8.nu.43.* probabilem eſſe iudicaui, & nunc iterum iudico, quidquid aliqui aduerſum me non ſolidè obmurmurauerint.

RESOL. XXXI. *Quis teneatur alere illegitimum quando duo dubitant vter ipſorum ſit eius pater?*

AB vtroque ſoluenda eſſe alimenta, docet Turrianus *in opuſculis Theologicis, tom.1.opuſc.10.diſp.5.dub.3.* Martinez *in 1.2. tom.1. quæſt.19. art.6. dub.5. concl.2.* Vaſquez *in 1.2.diſp.66.cap.8.num.7.* & Villalobos *in ſumm. tom.1. tract.1.diffic.20.num.12.* vbi ſic ait: *Si Pedro, y Iuan dudan qual dellos es padre de Franciſco, porque ambos tratauan con ſu madre, ambos deuen alimentarle por medietate, y ſi el vno no puede, ò no quiere, lo deue el otro hazer.* Ita ille, & Azorius *to.2.lib.2. cap.19.quæſ.8.* aſſerens vt Villalobos, quolibet patre deficiente, vel nolente filium alere, alium eſſe obligatum in integrum.

Sed hoc non approbat Salas *in 1. 2. tract. 8. diſp. vnica, ſect.24.num.248.* & Caſtrus Palaus *tom.1.diſp.3.punct.4.num.15.* quia aduerſus quemlibet non habet filius integrum ius; & hanc opinionem ego teneo. Quòd verò alter ex iis de quibus dubitatur, vter ſit pater, ditior, aut nobilior, parum refert, vt ei potiùs quàm alteri filius tribuatur, ac proinde obligatio alimentorum ipſum potiùs, quàm alterum conſtringat. Ita Vaſquez *in 1. 2. diſp. 66. cap.8. num. 48.* licet etiam probabiliter aſſerant Salas & Paulus *vbi ſuprà*, ſi patres inæquales in diuitiis, & nobilitate ſint, poſſe matrem à ditiori & nobiliori plus alimentorum exigere, quia ditior & nobilior meliora alimenta tenebatur filio miniſtrare.

RESOL. XXXII. *An quando non ſolùm debitor, ſed etiam creditor dubius eſt, num debito ſit ſatisfactum, teneatur adhuc debitor illud ſoluere?*

CLarum eſt quando ſolùm debitor certus eſt de debito, ſed dubius de ſolutione, tenetur ſoluere, vt communiter tradunt Doctores, Sancius *in ſelectis diſp.43. num.9.* Sanchez *in ſumma tom.1. lib.1. cap.10.num.11.* Vaſquez *in 1.2.diſp.66.cap.7.num.43.* Salas *in 1.2. tract.8.diſp. vnica.ſect.23. num.231. in fine.* Suarez *de Relig. tom.2.lib.2.cap.33.nu.7.* & alij. Ratio eſt, quia creditor poſſidet actionem debiti. Ergo illum in dubio priuare non potes, ne debito certo æqualis ſit ſolutio dubia, nec inæqualitas alterius poſſeſſioni præualet.

Difficultas igitur eſt, quando ſunt dubij de ſolutione non ſolùm debitor, ſed etiam creditor; in hoc caſu debitorem etiam obligatum eſſe ad ſolutionem, tenet Merolla *tom.1. diſp.3.cap.3.dub.2.num.65.* quia certum eſt, debitum fuiſſe contractum, & per conſequens creditorem acquiſiuiſſe ius contra debitorem, vt ſibi pro debito ſatisfaciat, & dubium eſt an fuerit ſatisfactum. Ergo ne debitor ſpoliet creditorem ſua poſſeſſione, tenetur in eo dubio ſoluere debitum iam contractum. Deinde non videtur ratio, cur potiùs melior ſit conditio debitoris poſſidentis quando vterque dubitat, & non quando ſolus debitor dubitat.

Sed contrariam ſententiam tuetur Tannerus *in 1.2.D.Thom.diſp.2.q.6.dub.4.n.49.* vbi ſic ait: Quoties ex parte operantis ſupponitur certa obligatio ad aliquid faciendũ, & dubium manet an ei fuerit ſatisfactum, tunc omnino eligenda eſt pars tutior. Exempla ſunt, ſi quis dubitet an dies ieiunij totus præterierit, an Horas dixerit, an voto ſatisfecerit, &c. & id etiam faciendum in materia iuſtitiæ omnes aſſerunt, vt cùm quis dubitat an creditori ſatisfecerit. quod vtique veriſſimum eſt, ſi ipſe tantùm debitor ea de re dubitet, creditor autem exiſtimet non fuiſſe ſatisfactum. At ſi vterque dubitet, exiſtimo meliorem eſſe cõditionem poſſidentis debitoris, quia non eſt cauſa cur vtroque æquè dubitante debitor potiùs qui poſſidet, eoque ipſo melioris ſit conditionis, quàm creditor, ſequi debeat partẽ tutiorem, quando vterque ſimul hoc caſu eam ſequi non poteſt. Ita Tannerus. Sed ego in tali caſu non ſine magna probabilitate, vt reor, non ad integram ſolutionem, ſed ad partem ſecũdùm dubij proportionem, obligarem debitorem, & ita tenet Paulus Layman *in Theol.moral. lib.1.tract.1.c.5.§.4.n.42.* vbi ſic aſſerit: *Si* in vtrãque partem æquale rationabile dubium ſit vtrùm pecuniarum debitor illas ſoluerit, nec ne, quæſtio eſt, an hoc caſu ad integrã ſolutionem teneatur? Ita probabiliter aliqui, tum quia factum in dubio non præſumitur, tum quia creditor iure & actione ſua, quam ſemel eum habuiſſe conſtat, in dubio priuari non debet. In oppoſitam verò partem offert ſe ratio itidem probabilis, quòd debitor non teneatur ad ſolutionem integram, ſed tantùm ad partem debiti, ſecundùm dubij proportionem; quia æquitas non patitur, vt debitor ſine culpa ſua magno periculo ſubiiciatur bis ſoluendi integrum debitum; creditor autem qui & ipſe, vt pono, tale dubium non diffitetur, nullo periculo expoſitus ſit. Profectò in hoc caſu neque creditorem condemnarem, ſi integram ſolutionem reciperet, neque debitorem, ſi integram ſolutionem facere omitteret; idque ob diuerſas probabiles, quibus vtraque pars nititur, rationes. Ita Layman, & ego, quidquid in contrarium etiam probabiliter aſſerat Sanchez *in ſumma tom.1. lib.1.cap.10.num.12.* & Merolla *tom.1. diſp.3. cap.3.dub.2.num.65.*

RESOL. XXXIII. *An dubitans ſi res ſit furtiua, poſſit illam emere vt & poſteà à vero domino totum pretium accipiat?*

AFfirmatiuè reſpondeo, quia cùm habeat animum quærendi verum dominum vt ei illam reſtituat, non peccat rem illam emendo, cùm vtiliter agat domini negotium. Ita Medin. *Cod. de reſtit. quæſt.*

quæſt. 10. §. *aliter tamen*, & omnes DD. qui tamen obſeruant quòd ſi dominus non comparuerit, emptor tenetur rem illam in pios vſus conuertere, deducto tamen pretio; ſicuti etiamſi vero domino comparente illam ei tradat.

Sed Merolla *tom.*1. *diſp* 3. *cap.*3 *dub.*1 *coroll.*5.*nu.*36. qui citat Alciatum, Bartolum, Nauarram, Molinam, Sylueſtrum, & alios, docet hanc ſententiam procedere tantùm quando dubitans, an res ſit furtiua, illam emit modico pretio, eo animo, vt dictum eſt, vt eam reddat domino, quia videt niſi ipſe illam emat, dominum eam numquam recuperaturum, vt ſi emat illam ab hoſtibus, vel latrunculis exteræ gentis, tunc enim dominus non poterit eam habere niſi ſoluto pretio.

Verùm Doctores abſolutè, & ſine vlla diſtinctione aſſerunt ita ementem rem furtiuam comparente vero domino deducere poſſe pretium pro illa ſolutum, dummodo fuerit pretium iuſtum, & dominus aliàs non fuiſſet ſine expenſis recuperaturus; quia cùm vtiliter eius negotium geſtum ſit, non eſt æquum re in amiſſione pretij emptorem condemnare. Et ita tenet Caſtrus Palaus *tom.* 1 *diſp.* 3. *punct* 3.*num.*4. Sanchez *de matrim tom.*1 *lib* 2.*diſp* 41. *nu.* 29. Bannez *in* 2.2 *quæſt.*62.*art.*6.*dub.*5.*concl.*2 Salon.*ibidem contr.*4 *concl.*2. Salas *in* 1.2.*tract* 8.*diſp vnica ſect.*23 *nu* 237. & Villalobos *in ſumma tom.*1. *tract.* 3 *diffic.*20.*num* 8 vbi ſic ait: *El que compro la coſa que ſabia que era hurtada para voluerla à ſu dueño, eſte tal no peca, antes haze corteſia al dueño que no la pudiera hauer por otro camino, y tendra obligacion à darla al verdadero ſeñor, ſacando lo que le coſto.* Ita ille.

RESOL. XXXIV. *An dubius vtrùm proximus extremè indigeat, teneatur veritatem inueſtigare?*

AD hoc dubium ita reſpondet Ioannes Sancius *in ſelectis, diſp.*43 *num* 20. Qui dubitat an proximus extremè indigeat, ex charitate tenetur veritatem indigentiæ indagare, ſiue in dubium inciderit, quia pauper ſuam inopiam propoſuit, ſiue alia via, ne ſi id omittat, periculo peccandi ſe ſubiiciat; eo modo, quo dubitans an aliquis dies ſit ieiunij, vel feſtiuus, perquirere veritatem erit coactus, & conſequenter veritatem non indagans, exponeret ſe voluntariè periculo frangendi illa præcepta. Quòd ſi ſibi conſtet neceſſitatem extremã eſſe (imò grauem) elargiri eleemoſynam tenebitur: at manente dubietate facta ſufficienti diligentia, non erit compellendus eleemoſynam erogare, quia tunc libertas non erogandæ eleemoſynæ poſſidet, & non præceptum erogandi illam. Ita Sancius.

RESOL. XXXV. *An dubius vtrùm excommunicationem contraxerit, cenſendus ſit excommunicatus?*

IN dubio facti cenſendum eſſe excommunicatum, ſecus in dubio iuris, cenſet Molina *de iuſt. tom.*4 *tract* 3 *diſp* 67 *num.*7. Azorius *tom.*1. *lib.*2.*cap.* 19. *quæſt.*10. & 11. & Sayrus *in claui regia lib.*1. *cap.*13. *num.*23. & 24. vide etiam Turrianum *de cenſur lib.*8. *diſp.*57. *dub.*4. *circa finem*, & Vaſquez *in* 1.2. *diſp.* 66. *cap.*1. hæc opinio eſt probabilis.

Sed non minùs probabilem contrariam eſſe exiſtimo. Dico igitur nec in dubio facti, nec in dubio iuris aliquem cenſendum eſſe excommunicatum, & ita ego in facti cõtingentia conſului non fuiſſe excommunicatum quemdam virum notabilem, qui dubitabat etiam poſt factam diligentiam an percuſſerit Clericum; & ratio eſt, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Cùm ergo vnuſquiſque poſſideat ius communicandi cum fidelibus, non debet in dubio ea poſſeſſione priuari, vnde hanc ſententiam docet Sanchez *in ſumma to.* 1.*lib* 1. *cap.*10.*num.*55. Layman *lib.*1. *tract* 3.*cap.*5 §.4. *num.*38. & alij.

Notandum eſt etiam hic cum Filliucio *tom.* 1. *tract.* 13. *cap.*7. *num.*129. quòd dubitans de alterius excommunicatione & denuntiatione, non debet illum vitare, quia faceret illi iniuriam, cùm in dubio melior ſit conditio poſſidentis; ergo non debet priuare illum communione in re dubia: ſed quando dubium eſſet de validitate actus, vt ſi quis confiteri vellet ei, quem dubitat eſſe denuntiatum, tunc abſtinendum eſſet, ne ſe exponeret periculo faciendi Sacramentum irritum, modò abſque ſcandalo, vel alio periculo fieri poſſet; ſed de hac quæſtione alibi actum eſt à nobis fuſiùs.

Quod autem dictum eſt ſuprà de excommunicatione dubia, idem dicendum eſt de ſuſpenſione, & interdicto dubiis, quia eadem ratio militat. Ita Sanchez *loco citato num.*62.

Et nota etiam, quòd quando excommunicatio eſt conditionalis, & dubium eſt an conditio fuerit impleta, ea non ligat, quamdiu non conſtat de impletione conditionis. Ita Emanuel de Moura *opuſc.* 1.*de enſal.* & *incantat.ſect.*1 *cap.*5.*nu.*8 qui etiam *nu.*9. cum Suarez & Garſia docet titularem obligatum ad penſionem ſoluendam in certo termino ſub excommunicatione in forma Cameræ, non illam incurrere adueniente termino, priùs quàm penſionarius declaret, etiam authenticè ſuam voluntatem eſſe vt ipſe incurrat; proindeque quamdiu de ea dubitatur (dubitari autem iuſtè poſſe quamdiu eam non declarat authenticè) excommunicatio non operatur.

RESOL. XXXVI. *Dubius an promiſerit ſolùm ingredi Religionem, aut profiteri, an teneatur ad profitendum?*

AFfirmatiuè reſpondet Nauarrus, Rodriquez, & Doctores aſſerentes abſolutè in dubio voti amplectendam eſſe partem tutiorem, ne ſe infringendi voti periculo exponat.

Verùm mihi contraria ſententia placet. Dico igitur ſupradictũ non teneri perſeuerare in Religione, quia in dubio obligat votum ad id quod minus eſt; & ita in terminis docet Sanchez *in ſumma to.*1. *lib.*4.*cap.*16.*nu.*86. qui etiam *cap.* 3.*num.* 17. optimè docet quòd quando poſſeſſio non ſtat pro verbis voti, tenetur vouens in dubio ad id quod minus eſt: vt, v.g. ſi quis certus eſt ſe promiſiſſe caſtitatem aut temporalem, aut perpetuam, & eſt omnino verborum immemor, ſed tantùm certus eſt ſe alteram promiſiſſe, ad ſolam temporalem, quæ minus eſt, tenetur. Similiter ſi quis immemor omnino verborum voti dubitat an promiſerit omnimodam caſtitatem,

tatem, an coniugalem solam, tenetur ad hanc quæ minor est. Similiter si quis est certus se vouisse castitatem, aut Religionem, vel inter duas Religiones, an strictiorem, aut minùs strictam, dubitat autem vtram harum partium vouerit, tenetur ad minorem; quidquid asserat Azorius *tom.1. lib. 11. cap. 15.q.9.* & Rodriquez cum Nauarro.

RESOL. XXXVII. *An in dubio vtrùm votum sit emissum ante pubertatem, aut post minorem ætatem, possit pater illud irritare?*

NEgatiuam sententiam docet Ioannes Salas *in 1.2. quæst 21. tract. 8. disp. vnica, sect. 25. num. 261. & 262.* vbi sic asserit: Quando dubia est potestas irritandi, vel dispensandi votum aliquod, vel relaxandi iuramentum, etiamsi quis quantum in se est dispenset, commutet, vel irritet, votum tamen, aut iuramentum implendum est, quia obligatio certa non tollitur dispensatione, commutatione, vel irritatione dubia & incerta: vt si dubium sit, an votum personale emissum sit ante annos pubertatis, & votum reale ante annum 25. non potest ita irritare pater tale votum, vt filius illud non seruans, sit tutus in conscientia. Confirmatur primò, nam filius non est in possessione certa suæ libertatis, quin imò votum ipsum quodammodo est in possessione certa, quia certò obligat; ergo in dubio de irritatione non est melior filij conditio, sed adhuc tenetur implere votum. Confirmatur secundò, quia dubitans an tempore contractus minor fuerit, ius non habet rescindendi contractum nisi probet se fuisse minorem. Ergo, &c. Ita Salas *vbi suprà.*

Verùm tu ne discedas ab affirmatiua sententia, quam tuetur Sancius *in selectis, disp. 43. num. 9.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 6. n. 1.* & Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 32. num. 2.* quia licet vouens possessione sua careat, & sic votum respectu eius possideat, at pater possessionem suæ potestatis dominatiuæ habet ad irritanda vota, & ne independenter ab ipso ea vota emittantur. Ergo dum non constat de exemptione ab hoc dominio per lapsum ætatis, qua hoc durat, non est priuandus hac possessione. & ita hanc sententiam præter Doctores citatos tenet etiam Villalobos *in summa tom. 1. tract. 1. difficult. 21. num. 5.* vbi sic ait: *El que duda si quando hizo el voto tenia catorze años para la irritacion de los votos, se ha de iuzgar que no los tenia, y puede irritarselos el que podia no los teniendo porque el Padre esta en possession de derecho sobre la voluntad del hijo, y mientras ay duda no se le deue quitar.*

Notandum est etiam hîc, supradictam doctrinam esse veram quoad tutores, & curatores, etiam in casu quo dubium sit circa tempus subiectionis; vt, v. g. si vxor dubitet an ante matrimonium votum emiserit: aut seruus, qui aliquando fuit liber, an tempore libertatis; & pupillus, qui aliquando caruit tutore, & minor, qui caruit aliquando curatore, an tempore sui iuris, an post subiectionem illis votum fecerint. Puto enim in his casibus posse supradictos irritare vota, & vouentes non teneri illa post dictam irritationem adimplere, durante subiectione.

Sed quid si dubium sit, an votum sit confirmatum ab impubere transacto subiectionis tempore, nempe si votum sit personale, & dubitet an pubes factus confirmauerit? Respondeo quòd tunc potest esse dubium de ipsa confirmatione, quia de nullo constat, aut potest de solo eius tempore dubitari, vt si constat confirmatum esse, at dubitatur an tempore impubertatis, vel potiùs tempore pubertatis: in vtroque casu dico Superiorem posse votum irritare; & rationes horum omnium videbis apud Sanchez *vbi suprà nu. 7. & 8.* ex quo hæc omnia desumpta sunt.

RESOL. XXXVIII. *An Confessarius dubius de sua iurisdictione possit confessiones excipere?*

AD hoc dubium ita respondet noster amicissimus P. Naldus *in summa ver. confessio num. 32.* Confessarius dubitans an habeat facultatem absoluendi, puta quia mortuus sit Delegatus, vel priuilegium aliqualiter dubium, & in similibus, & adeò dubitat, quòd non potest intellectus in neutram partem determinari, sed anceps & suspensus remaneat, tunc duobus simul concurrentibus potest absoluere. Primò vt adsit necessitas pœnitentis, puta suscipiendi Eucharistiam, vel per longum tempus confiteri non possit. Secundò vt absolutio detur sub conditione, si possum, & cum onere iterùm confitendi habenti certam iurisdictionem; in his enim casibus nihil fit temerè, & irrationabiliter, & si Sacramentum re vera non subsistat, nulla ei fit iniuria, quia conditio nihil ponit in esse. Et similiter potest Confessarius absoluere aliquando sub conditione de præsenti, & quæ non est actu suspensiua, quando scilicet dubitaret an pœnitens ob ætatis imbecillitatem haberet perfectum vsum rationis, nécne, dicens, Ego te absoluo, si habes vsum rationis; & idem erit si diiudicare non posset, an pœnitens præbeat sufficientem materiam absolutioni sacramentali, vt contingit in conscientiis valdè timoratis, & sufficeret in his casibus habere eiusmodi intentionem, seu conditionem in mente retentam, absque alia exteriori prolatione verborum. hæc omnia Naldus, & ante illum Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 8. num. 102.* Coninch *de Sacram. disp. 8. dub. 6. num. 43.* Suarez *in 3. part. tom. 4. disput. 26. sect. 6.* & alij.

Non desinam tamen hîc adnotare, in tali casu non esse peccata iterùm confitenda Sacerdoti habenti certam iurisdictionem, docere Ioannem Salas *in 1.2. tract. 8. disput. vnica, sect. 27. num. 283.* vbi sic ait: Dico, in necessitate, & sub conditione licitum est vti iurisdictione dubia sine onere confitendi iterùm eadem peccata Sacerdoti habenti iurisdictionem certam; durum enim & intolerabile esset, cogi hominem partim necessitate eligendi Confessorem dubium, partim lege Dei, seu onere, quod à Sacerdote necessariò imponendum pœnitenti sit, ad confitendum bis eadem peccata; ergo sine tali onere absolutio est valida. Confirmatur primò, quia etiamsi Sacerdos tale onus non imponeret pœnitenti, siue quia oblitus est, siue quia noluit, siue quia existimauit necessa-

ceſſarium non eſſe, probabile eſt abſolutionem validam fuiſſe. Ergo non tenetur Sacerdoti habenti certam iuriſdictionem peccata eadem confiteri. Confirmatur ſecundò, quia in dubio iuriſdictionis impropriè dicto, ſeu non excludente iudicium probabile, confeſſio facta non eſt repetenda Sacerdoti habenti certam iuriſdictionem nacta opportunitate. ergo nec in dubio propriè dicto; eadem enim ratio quantum ad hoc eſſe videtur in vtroque euentu. Ita Salas.

Sed tu ne diſcedas à contraria ſententia, quam præter Doctores citatos, tenet etiam Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 9. difficult. 51. num. 3.* vbi ſic aſſerit: *Digo que ſi huuiere iuriſdicion dubia, tambien aura duda en ſe ſi ſe puede adminiſtrar eſte Sacramẽto: y aſsi neceßidad graue, y entonces ha de ſer de baxo de condicion, y con carga de que deſpues hauiendo oportunidad, ſe confieſſe con quien tenga iuriſdicion cierta.* Sic ille.

RESOL. XXXIX. *An ſubditus dubitans de iuſtitia tributi, teneatur illud ſoluere?*

AFfirmatiuè reſpondet Leſſius *lib. 2. cap. 33. dub. 8. num. 64.* Malderus *in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 4. §. dico quintò*, vbi ſic ait: Quando ſubditus dubitat ſolùm negatiuè, non habens pro iniuſtitia tributi vllam probabilem rationem, credo præſumi poſſe pro Principe, & in conſcientia ipſum ſubditum teneri. Ita ille.

Contrariam tamen ſententiam docet doctus Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 1. diffic. 26. nu. 3.* vbi ſic aſſerit: *Quando ſe duda ſi el tributo es juſto, no ay obligacion à obedecer y pagarle porque ſe duda de la juſta poßeſſion, y es intereſſado el Principe.* Sic ille, qui hanc ſententiam *in tom. 2. tract. 8. diffic. 13. nu. 11.* intelligit quoad tributa noua, & citat *ibi* pro hac opinione Caſtrũ & Aragon, quibus ego addo Ludouicum Carbonem *in tract. de reſtit. q 33.* vbi ſic ait: Antiqua tributa, ſeu gabellæ veteres putari debent iuſtæ, & ita in dubio eas defraudare non licet, cùm ſaltem adſit præſcriptio; nouæ verò gabellæ, vt ſunt pedagia & guidagia, præſertim in rebus ad vſum quotidianum impoſitæ, ſi manifeſtam non habeant cauſam, fraudari poſſunt. Sic ille. Et hanc ſententiam præter DD. citatos tenet etiam Molina *de iuſtit. tom. 3. tract. 2 diſp. 274. num. 7.* ſic aſſerens: Quando tributa ſunt noua, & non conſtat de illorum iuſtitia, ſed dubitatur an deſit aliquid ex requiſitis, vt ſint iuſta, affirmant Doctores non deberi in conſcientia, ſed poſſe defraudari, modò periuria & mendacia non interueniant, imò denegari poſſe ceſſante ſcandalo. Ratio autem eſt, quoniam in dubio melior eſt conditio populi poſſidentis; & quoniam eiuſmodi noua tributa præſumuntur iniuſta, quando de contrario non conſtat; vnde *in cap. quamquam, de cenſ. in 6.* dicitur, tributa regulariter eſſe contra iura tum Canonica, tum ciuilia, & *in cap. peruenit, de cenſ.* ait Summus Pontifex, neceſſe eſſe ſcire priùs cauſam, propter quam cenſus ſit ſoluendus, quàm ſoluatur. Quòd ſi ſubditis cauſa tributi alicuius reddatur, & de iuſtitia illius dubitent, neceſſe eſt vt conſulent peritos, debitamque adhibeant diligentiam ad iuſtitiam, vel iniuſtitiam illius indagandam, ne fortè Principem priuent debito tributo; interim tamen dum de iuſtitia cauſæ illius non conſtat, non tenentur in conſcientia ſoluere id tributum. Hæc omnia Molina, qui citat Caietanum, Angelum, Sylueſtrum, Gabrielem, & Medinam. & tandem hanc ſententiam tenent etiam nouiſſimè Filliucius *tom. 2. tract. 28. part. 2. cap. 7. num. 117.* & doctus P. Ioan. de la Cruz *in direct. conſcientiæ part. 1. q. 7. art. 3. dub. 1. concl. 2.* vbi reſpondet ad argumentum, quòd in dubio præſumendum eſt pro Rege, dicit enim hoc debere intelligi, quando non agitur de intereſſe ipſius Regis, vt eſt in caſu, de quo loquimur.

RESOL. XL. *Iudex quid facere debeat in pari dubio?*

DIco primò, exiſtente pari dubio iuris vtriuſque partis, ita vt Iudex omnio ſit pendulus, teneri poſſidenti fauere, nec ipſum poſſe cogere, vt partem reſtituat, quia ius retinendi habet poſſidens in hoc dubio.

Dico ſecundò in eodem dubio, ſi neuter poſſidet, teneri Iudicem inter vtrumque diuidere, quia æquum eſt vtriuſque ius. Sed Petrus Ledeſma *de matrim. q. 45. art. 1. dub. 2. ad 3. primæ ſent.* docet rem indiuiduam poſſe Iudicem applicare cui voluerit, vt duobus æquè dignis petentibus beneficium, poteſt Epiſcopus eligere, quem maluerit, quia indiuiduũ eſt. Sed hoc impugnat ex Sanchez Ioannes Salas *in 1. 2. tract. 8. diſp. vnica, ſect. 23. nu. 240.* quia lex iuſtitiæ petit, vt in hoc dubio res illa ſorte diſtribuatur, vel vni res, alteri verò dimidium æſtimationis conferatur: ergo Iudex, qui eſt iuſtitia animata, eiuſque miniſter, ſic tenetur facere; nec eſt ſimile de beneficio, quia nullus illorum, cùm neutrius ſit, habet ius aliquod iuſtitiæ etiam diſtributiuæ vt ſibi conferatur; ſed hæc iuſtitia dictat vt alteri illorum detur: in noſtro autem caſu vterque habet ius commutatiuæ iuſtitiæ, vt inter eos diuidatur. Ita Salas; & de hac quæſtione vide Ioan. Valerum *in different. vtriuſque fori, ver. opinio, differ. 3.* Tuſchum *ver. medium concl. 170.* Homobonum *in conſult. caſ. conſc. part. 7. reſponſ. 26. vol. 2.*

RESOL. XLI. *Dubius de valore matrimonij poſt bimeſtre tempus, ſi illud nondum conſummauit, quid facere debeat?*

IN priori bimeſtri poſt contractum matrimonium coniux dubitans de eius valore, ſiue poſt examen, ſiue anteà, non tenetur reddere debitum; quia alter non habet ius petendi, & inde ſequitur non poſſe reddere, quia nullum eſt periculum iniuſtitiæ, ob quod ſolum vitandum licitum eſt reddere cum periculo fornicationis; ſed difficultas eſt, quid faciendum, quando coniux nondum conſummauit matrimonium, & poſt bimeſtre tempus adhuc dubitat? Vaſquez *in 1. 2. diſp. 66. cap. 6. num. 33.* aſſerit, quòd elapſo illo tempore non debet detinere alterum coniugem perpetuò dubium, ſed debet ei detegere dubium, vt ipſe etiam interim non petat donec ſufficienter examinetur. Hoc intelligit ſi probabiliter non timetur talem dubij reuelationẽ nihil profuturam, ſed potiùs nocituram; quòd ſi tale ſit periculum, tunc debet coniux dubius reddere debitum, ne vltra tempus bimeſtre ſignatum

à iure,alterum coniugem detineat:obligare autem ipsum ingredi Religionem, cùm reuerà possit, vt ita liberum relinquat alterum coniugem,nimis durum est, eò quòd nisi status Religionis sponte suscipiatur, difficiles soleat habere exitus. Hoc mihi videtur probabilius,tametsi aliqui censeant, huiusmodi debere intrare Religionem,cùm hac via possit periculum incontinentię euadere,cui se exponeret sine vlla obligatione, si in principio redderet. Ita Vasquez, cuius sententiam certissimam putat Salas *in* 1.2.*tract*.8.*disp*.*vnica*.*sect*.22.*nu*.208.quia non tenetur,ait ipse,cum tanto detrimento suo,vel alterius,aut Religionem ingredi, aut à redditione debiti in dubio abstinere, vnde licitè illi periculo materialis fornicationis se exponit.

RESOL. XLII. *An dubius vtrùm vouerit castitatem independenter à Religione,teneatur illam seruare?*

AFfirmatiuam sententiam docet Nauarrus *lib*. 3.*cons*.*tit*.*de voto consil*.13. *n*.2. quia in dubio tenetur quis eligere partem tutiorem, & reputare se obligatum.

Verùm circa præsens dubium mihil placet opinio Sanchez *in sum*.*tom*.1.*lib*.4.*c*.16.*n*.114. sic distinguentis. Si ita vouens recordetur verború, siue interiùs,siue exteriùs prolatorum,iudicandum est in dubio iuxta communem illorum intellectum;quare si in eis expressa sint castitas & religio, absolutè censebitur castitas promissa principaliter, & per se, ac independenter à Religione, quia cùm in dubio intentionis sint vota diiudicanda iuxta communẽ verborum sensum, hæc pars possidebit in hoc dubio; si verò sola Religio expressa sit, & dubitat vouens an se quoque voluerit ad castitatem obligare, tunc tenetur ad id quod minus est, & censendus omnino non obligatus ad castitatem;quia nulla est possessio pro illa, sed tota pro voluntatis libertate. Si verò quamuis sola Religio expressa sit, meminit suæ intentionis fuisse se obligare quoque ad castitatem,dubitat tamen an dependenter,vel independenter àReligione,existimo iudicandã obligationẽ dependenter à Religione;quia non tenetur vouens sequi semper quod tutius est, & in hoc dubio non video possessionem pro voto castitatis independẽter à Religione, imò potiùs cum hac dependentia, cùm sola Religio expressa sit, & quando quispiam intendit se ad vtrumque velle principaliter obligare,solet vtrũque exprimere.Ita Sanchez, & ego.

RESOL. XLIII. *In dubio an effectus sit à causa naturali, vel à dæmone,quid faciendum?*

AD hoc dubium ita respondet Sanchez *in sum*·*tom*.1.*lib*.2.*c*.40.*n*.44.Si dubium sit an effectus à causa naturali proueniat,eò quòd non constet an vires causæ naturalis excedat nécne, censendum est potiùs eum à causa naturali prouenire, quia cùm innumeræ agentium naturalium vires nos latitent,non est cur,eò quòd virtus illa nobis dubia sit, effectum illum causę naturali negemus,nec absque necessitate confugiendum est ad occultam mali Angeli operationem. Si autem constet effectum illum vires causæ naturalis excedere, existimo, nisi maxima operantis sanctitas, vel alia vrgentissima indicia suadeant effectum eum à Deo prouenire, censendum esse in dubio superstitiosum, & à dæmone prouenire, etiamsi verba adhibita sint sacra; quia quotiescumque causa adhibita nequit effectú naturaliter producere,est superstitio,& ad tacitum cum dæmone pactum pertinet.Ita Sanchez.

Sed in hac materia videndus est omnino doctus Emanuel de Moura *opusc*. 1. *de ensal*. *& incant*. *sect*.2.*cap*.16.17. *&* 18. vbi quærit primò,an concurrentibus talibus indiciis, quibus intellectus prudenter dubitet, an ensalmus operetur virtute diuina,naturali, vel diabolica, fas sit eo vti. Secundò, vtrùm fas sit vti ensalmo dubio, saltem ad medendum, vel succurrendum graui necessitati. Tertiò, vtrùm in dubio, an dæmon sit auctor ensalmi, fas sit eo vti, saltem sub conditione, & protestatione, si dæmon non subest: & ad omnia hæc tria dubia post eorum latam discussionem negatiuè respondet.

Non desinam tamen hîc apponere opinionem Lessij *lib*.2.*c*.4.*dub*.6. *n*.46. vbi sic asserit.Non est licitum vti remedio superstitioso,aut de quo dubium est, an contineat tacitam dæmonis inuocationem, hoc enim est se exponere manifesto periculo superstitionis,nisi fortè id faciat cum expressa voluntatis contrariæ protestatione. Pari modo fas non est à Mago petere,vt maleficium dissoluat, si dubitas an absque nouo maleficio id possit,quia id de quo dubium est an sine peccato fieri possit, sicut absolutè non est faciendum, ita nec absolutè ab alio petendum vt faciat, secus quando constat sine peccato fieri posse,& causa iusta petendi subest. Ita Lessius.

RESOL. XLIV. *An Superior posśit dispensare in dubio si causa sit iusta?*

REspondeo affirmatiuè cum Sanchez *in summ*. *tom*.1.*lib*.4 *c*.44.*num*.10.vbi sic ait,Quia in benigniorem partem est in eo dubio inclinandum, & credendum, facultatem Superiorum esse in hoc dubio,id enim petit bonum, & suaue Ecclesiæ regimen, esset enim multis scrupulorum occasionibus exposita potestas, si ad causas solas certas extenderetur, & vix auderent Superiores dispensare. Et ita hanc sententiam tenet etiam Syluester *ver*. *dispensatio q*.14. vbi agens de Prælatis Regularium, quibus permittitur dispensare in regulis, sic ait:Dispensare possunt quando eis constat de causa legitima, & etiamsi dubitent, quia ad clementiorem partem declinandum est. Ita Sanchez, licet contrariam sententiam teneat Bonacina *de legib*. *disp*.1. *q*.2. *punct*.3. *n*.7. Verùm mihi placet opinio affirmatiua, quam præter Sanchez & Syluestrum tenet Caietanus *in* 2.2.*q*.147.*art*.4.*in principio*, & nouissimè Iacobus Granado *in* 1.2.*D*.*Thomæ contr*.7.*tract*.2.*disp*.6. *sect*.1. *nu*.2. vbi etiam cum aliquibus iunioribus docet,cùm dubitatur an sine dispensatione teneretur quis ieiunare, vel aliam legem seruare, eo ipso esse sufficientem causam ad dispensandum, nec opus esse aliqua commutatione.

Ru-

RESOL. XLV. *An qui dubitat num diſpenſatio obtenta ſit valida, poſſit ea vti?*

REſpondeo, quòd in tali caſu præſumendum eſt diſpenſationem eſſe validam. Ita tenet Riminaldus *lib.3.conſ.275.num.17.& lib.5 conſ.562.num.26.* quem citat & ſequitur Sanctarellus *variar. reſol. tom.1.q.59.num.1.* Et ratio eſt, quia in re dubia iudicandum eſt in fauorem actus, vt ſcilicet magis valeat, quàm pereat, vt patet ex *cap. Abbate, de verb. ſignificat.* & ex *l.quoties, ff. de rebus dub.* Nec valet dicere, quòd, v. g. conſtat eſſe impedimentum, & diſpenſatio eſt dubia. Ergo poſſeſſio ſtat pro impedimento; & cùm melior ſit conditio poſſidentis, dicendum eſt diſpenſationem non valere; nam reſpondeo meliorem eſſe conditionem poſſidentis, ſi illi aliquid aliud non præualeat, vt præualet in caſu noſtro, nam in dubio præſumendum eſt pro validitate actus.

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd quando dubitatur, an cauſa in diſpenſatione, vel gratia, vel priuilegio tacita, vel falsò expreſſa ſit finalis, ita vt ſine illa non concederetur diſpenſatio, vel gratia; an verò ſit tantùm impulſiua, ita vt etiam ex expreſſa Princeps concederet diſpenſationem, vel gratiam, præſumendum eſt cauſam eſſe impulſiuam, & non finalem; quia, vt dictum eſt, in dubio præſumendum eſt in fauorem valoris actus vt valeat, & non pereat. Ita Sanctarellus *vbi ſup. num.5.* cum aliis penes ipſum, licet etiam probabiliter cõtrariam ſententiam teneat Molina *de iuſt.tom.1.diſp.* 173. Baldus *lib.1.conſ.355.num.2.* Bartholomæus Socinus *lib.2.conſ.273.* aſſerentes in tali caſu præſumendum eſſe, quòd ſit cauſa finalis: ſed noſtra opinio eſt probabilis, & tuta in praxi; ſed de hac quæſtione infrà iterùm redibit ſermo.

RESOL. XLVI. *An Epiſcopus, v. g. quando dubitat an res egeat diſpenſatione, poſſit in lege Superioris diſpenſare?*

AD hanc dubitationem reſpondet Bonacina *de legibus diſp.1.quæſt.2.punct.1. num.18.* diſtinguendo: Vel probabiliter, ait, opinamur rem non indigere diſpenſatione, & tunc non eſt neceſſe diſpenſationem petere à Summo Pontifice, vel Epiſcopo, quia licitum eſt ſequi opinionem probabilem depoſito practicè dubio; vel non probabiliter opinamur, ſed practicè dubitamus opus eſſe diſpenſatione, & tunc cenſeo petendam eſſe diſpenſationem à Sede Apoſtolica. Et ratio eſt, tum quia non debemus exponere nos periculo delinquendi contra legem Superioris, in qua Epiſcopus exceptis quibuſdam caſibus diſpenſare non poteſt: tum quia praxis in oppoſitum extare videtur. Ita ille.

Sed ego contrariam ſententiam probabiliorem eſſe cenſeo, quam tuetur Caſtrus Palaus *to.1. tra.3. diſp.6. punct.5. num.10.* Layman *lib.1. tract.4. cap.22. nu.4.* Emanuel Sà *ver. diſpenſatio, num.1.* Barboſa *de poteſt.Epiſc.part.2.allegat.35. n.19.* & alij penes ipſos. Ratio eſt, quia in tali caſu adeſt præſumptio pro libertate, neque alicui morali periculo faciendi contra legem exponeris; & etiamſi inclines te indigere diſpenſatione, adhuc exiſtimo te reputari poſſe non indigere illa, quia non debes cenſeri lege adſtrictus, quouſque de lege tibi certò moraliter conſtet. Conceſſo tamen gratis in illo dubio tibi eſſe neceſſariam diſpenſationem, exiſtimo Epiſcopalem ſufficere; tum quia non videtur Pontifici reſeruatus caſus dubius, ſed certus; tum quia poteſtas diſpenſandi latè eſt interpretanda. Sic Caſtrus Palaus *loco citato.*

RESOL. XLVII. *An Aduocatus, ſi cauſa ſit criminalis, poſſit in dubio facti patrocinari contra reum?*

NEgatiuam ſententiam tenet Ioannes Salas *in 1.2.tract.8.diſp.vnica ſect.11. nu.108.* quia in dubio non poteſt reum Iudex licitè condemnare, ſed debet illum abſoluere. Ergo non poteſt Aduocatus id à Iudice petere.

Sed hanc opinionem refellit Merolla *in diſp.Theol. tom.1.diſp.3.c.4.corollar.6.nu.56.* quia ſequeretur neque in cauſa ciuili quando eſt dubia, poſſe Aduocatum contra reum patrocinari, quia etiam in tali caſu Iudex debet reum abſoluere. nam quando iura partium ſunt obſcura, reo fauendum eſt, tradit *reg. cùm ſint. de reg.iur. in 6.* Sed conſequens eſt falſum; ergo, &c. Adde quòd munus Aduocati non eſt rem definire, ſed illius munus tantùm eſt proponere ſincerè factum, & merita cauſæ, vt Iudex poſteà illa expendendo iuſtè ſententiam ferat. Et ideò hanc ſententiam, nempe non ſolùm in cauſa probabili, ſed etiam in cauſa dubia poſſe Aduocatum contra reum patrocinari, tenui etiam ego ipſe *in part.2.mearum reſolutionum moralium, tract. de opin. probabili, reſol. 6.* vbi pro hac ſententia citaui Lorcam & Malderum.

RESOL. XLVIII. *Dubius de quibus nummis, ſeu menſuris vouerit, ſeu legauerit, ad quid teneatur?*

SI quis certus eſt ſe vouiſſe, vel legaſſe Eccleſiæ, v.g. aliquas menſuras tritici, ſed dubitat an intellexerit de maioribus, vel de minoribus menſuris, poteſt eligere minores ex vſitatis in eo loco, & ita dicendum eſt de nummis; & ita docet Rebellius *part.1.lib.2.q.14.ſect.2.num.10.* vbi ſic ait: Si conſtet aliquem vouiſſe, vel legaſſe nummos, aut triticum, dubium verò ſit, an id de maioribus nummis, vel menſuris intelligi debeat, ad minores dũtaxat debitor obligandus erit, quia de eis eſt certitudo, de maioribus verò eſt æquale dubium, prout de nummis decernit *l.nummis, ff. de legatis 3.* de menſuris verò *cap.ex parte, de cenſur.* & hic eſt ſenſus regulæ iuris, In obſcuris minimum eſt ſequendum, *de reg. iuris in 6.* Ita Rebellius. Et hanc ſententiam tenet etiam Valentia *tom.3. diſp.6. quæſt.8. punct.4. quæſt.3.* Azorius *tom.1. lib.11. cap.20. quæſ.2.& 10.* Sanchez *in ſumma tom.1.lib.4.c.13. num.8.* & alij penes ipſos; niſi aliqua ſit ratio ſuadens veriſimilius eſſe mentem vouentis præſumi fuiſſe obligandi ſe ad maiorem menſuram. Vide etiam Layman *ſect.5.tra.9. c.11.n.9.* Hinc

Infertur primò, abſolutè loquendo, promittentem calicẽ Eccleſiæ ſatisfacere non dando aureum, ſed argenteum; imò ego puto non eſſe neceſſarium, vt totus calix ſit argenteus, ſed ſatis eſt ſi ſola ſuperior cuppa ſit argentea; quia talis calix eſt

etiam diuino cultui aptus. Ita Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 3. num.* 109.

Infertur secundò vouentem dare vinum ad vsum sacrificij Missæ, satisfacere non dando optimum, sed decens pro tali vsu. Item si quis vouit dare triticum, non determinans, an optimũ, vel malum; in hoc, & similibus euentibus satis est quæcumque qualitas, quæ censeatur sufficere ad veram operis promissi executionem, etiamsi infima sit. Vnde si quis vouit dare panem pauperibus, sufficit non dare ex puro tritico, vbi alius fuerit in vsu & pauperibus vsitatus. Ita & hoc vltimum exemplum dictum esse volo de mente Merollæ *num.* 110.

RESOL. XLIX. *An dubius vtrùm ante quinquennium elapsum ratificauerit professionem nullam, maneat obligatus?*

DE hoc casu olim interrogatus fui, & negatiuè respondi cum Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 3. n.* 283. vbi sic ait: Si fictè professus dubitare incipiat de ratificatione professionis ante quinquennium elapsum, non tenetur stare priori professioni; non enim ante quinquennium præsumit ius ratificationem professionis. Nec obstat, quòd in dubio in fauorem Religionis iudicandum sit, nam id intelligitur quãdo neutri fauet possessio, sed in hoc casu possessio stat pro libertate. Ita ille.

Ex his tamen sequitur, quòd si professus dubitet an priorem professionem inualidam ratificauerit, post transactum quinquennium, teneatur stare priori professioni; & ratio est, quia in dubio recurrendum est ad coniecturas, & præsumptiones; sed Concilium Tridentinum *sess. 25. de Regular. cap. 19.* præsumit professum ratificasse suam professionẽ, si per quinquennium contra eam non reclamauit: ergo professus qui dubitat an priorem professionem ratificauerit, debet præsumere quòd eam ratificauerit, si intra quinquennium contra eam non reclamauit, vt se conformet sensui & menti Concilij. Secundò in dubio possessio stat pro Religione, & pro ea etiam existit præsumptio iuris, & Religio habet ius retinendi dictum Religiosum, & reducendi eum, si ex illa discesserit. Ergo etiam in foro conscientiæ debet præsumi quòd professus intra quinquennium non reclamans, habuerit animum ratificandi professionem, nisi constet de contraria voluntate. Et ita hanc sententiam præter Merollam *vbi suprà* docet etiam Sanctarellus *in var. resolut. part. 1. quæst. 48. num. 46. & sequent.*

RESOL. L. *An Princeps dubius de iustitia belli possit bellum mouere?*

AD hoc dubium ita respondet Syluius *in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 40. art. 1. quæritur quartò, concl. 2. 3. & 4.* Quando post diligentem inquisitionem dubitatur de iustitia belli, si agitur de causa iniuriæ, non licet bellum mouere, quia in dubiis tanti momenti vbi de multorum hominum mortibus periculum est, oportet eligere partem tutiorem; si de causa possessionis, ille qui possidet non tenetur cedere, nec ei illi iustè mouere potest bellum, partim quia in dubiis melior est conditio possidentis, partim quia si res ageretur coram Iudice, numquam in re dubia Iudex spoliaret possessorem. Vnde si stante illo dubio is, qui possidet, spoliaretur ab altero, posset isti alteri bellum mouere ad recuperandum id quod perdidit, quia per iniuriã est ei ablatum. Obseruandum autem, quòd ille, qui in dubio possidet, teneatur non solùm examinare negotium cum suis, sed etiam admittere Legatos alterius partis ad illud examinandum; quòd si excuset, iniuriam ipsi facit, eoque nomine potest bello infestari. Si verò res, de qua dubium est, à neutra parte possideatur, non licet inferre bellum pro habenda re tota, quia est contra æquitatem, vt vbi vterque habet æquale ius, alteri totum adiudicetur; liceret tamen pro habenda medietate, vel iusta compensatione, si alter nollet pacificè consentire, quia omnino diuidenda est, vel ex æquo compensanda. Et tãdem, si in dubio is, qui non possidet, videatur habere plus iuris, potest compensationem petere ab illo, qui possidet; quam si dare nolit, potest ab illo impeti, quando negotium tanti est momenti, vt iudicio prudentum expediat illud terminari etiam per arma. Ita Syluius, vir quidem doctus. Sed quid dicendum in casu si Rex, licet dubitet, habet tamen maiorem propensionem vt Regnum sit, v.g. Regis Galliæ, an, inquam, in tali casu debeat restituere saltem partem Regni. Affirmatiuè respondet Bannez, Valentia & Rodriquez; sed meritò illos reprobat Granado *in 2. 2. D. Thomæ, contr. 3. tract. 12. disp. 4. sect. 3. §. 2. n.* 24. quia licet sit maior propensio in id, quòd Regnum sit Regis Galliæ, adhuc manet verum dubium, ac proinde non elicitur determinatè assensus affirmans Regnum esse Regis Galliæ. ceteras rationes videbis apud dictum Granadum.

RESOL. LI. *An in dubio priuilegium censendum sit reale, vel personale?*

ALiqui censent reputandum esse priuilegium personale, sic relato Decio tenet Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 27. num.* 4. & alij, quia duplici præsumptione concurrente, alia speciali, alia generali, prævalet specialis, vt ex multis docet Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas.* 472. *num.* 14. Sed personalis præsumptio magis specialis est, quàm realis. Ergo pro personali in casu dubio standum est.

Alij verò, quod mihi probabilius videtur, distinguunt. Si priuilegium est omnino fauorabile, quia nec iuri communi, nec iuri tertio contrarium est, reputari debet reale in casu dubio, & extendendum est. Ita Basilius Pontius *de matrim. lib. 8. c. 18. §. 1. n. 7.* Suarez *de legib. li. 8. cap. 3. n.* 18. & alij, quia beneficium Principis latè est interpretandum, ex *l. vlt. ff. de constit. Principum.* Verùm si priuilegium iuri communi deroget tantùm, etsi plures Doctores sentiant latè interpretandum esse, ac proinde vt reale iudicandum: at meritò Pontius & Suarez *locis citatis*, sentiunt limitandum esse, & personale iudicandum. Ratio desumitur ex *c. 1. §. ille verò, de filiis presbyter. in 6.* vbi ea de causa restringitur dispensatio, quia à iure communi exorbitat. Si autem priuilegium præter ius commune sit, vergit tamen in

præiu-

præiudicium alterius, ea parte qua in præiudicum vergit, ſtrictè eſt interpretandum, ac reputandum perſonale, & non reale, ſi præiudicium tamen ſit graue.

Nota etiam hîc, quòd ſi tibi poſſidenti priuilegium vt reale, ſuboriatur dubium an fuerit perſonale, & re diligenter examinata dubium vincere nõ potes, reale eſſe poteris reputare, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis. Et omnia ſupradicta, ne in aliena vitula arare videar, docet Caſtrus Palaus *tom.1.tract.3.diſp.4.punct.2.§.1.num.6. & 8.* cui ego addo Georgium Cabedum *part.2. deciſ.93.n.4.* vbi tamen tenet ſine vlla diſtinctione quòd priuilegium in dubio præſumitur perſonale, licet abſolutè contrarium doceat Tapia *de conſtit. Principum, c.3 p.3. n.31.* vbi aſſerit in dubio priuilegium potiùs præſumendum eſſe reale, quàm perſonale.

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd in dubio priuilegium non præſumitur reuocatum, & ita docet Pariſius *lib.2.conſ.61.num.vlt.* Alciatus *reſpon.19. n.4.* & alij, quos citat & ſequitur Antonius Sanctarellus *in var.reſol.tom.1.q.16.n.11.*

RESOL. LII. *An poſt ſeptennium in dubio cenſeantur pueri habere vſum rationis?*

REſpondeo quòd quando dubium eſt, an pueri rationis vſum habeant, præſumendi ſunt habere ſi compleuerint ſeptennium, ſecus anteà, quia præſumptio deſumenda eſt ex communiter contingentibus. Sed ponam hîc incidenter pro curioſis pulchrum dubium, an, v.g. puer teneatur confiteri, non comedere carnes, &c. ſi conſtet ante ſeptennium habere vſum rationis. Reſpondeo probabiliter negatiuè, ex illa celebri doctrina quam affert Ioannes Sancius *in ſelectis, diſp. 51. num.31.* vbi ſic ait: Quamuis ante ſeptennium puer doli capax ſit, nullo præcepto poſitiuo obligari reor; cùm leges poſitiui iuris ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri eſt ſolitum, non intendant obligare, & per accidens in vno, vel alio puero rationis vſum accelerari, in quo abſque diſcordia puto conſentire Doctores, nam ad ea quæ frequenter accidunt, leges adaptantur, ex *l. nam ad ea. ff. de legibus.* Ita Sancius, quem nouiſſimè ſequitur Caſtrus Palaus *tom.1 tract.3.diſp.1.punct. 24 §. 2.nu.3.* licet contrariam ſententiam etiam probabiliter doceat Layman *in Theol.mor.lib.5.tract.6. cap.5.nu.7.* & alij loquentes de confeſſione puerorum, cum Zambrano *cap.4.dub.3. n.5.& 6.* Certum eſt tamen, vt dixi, ante ſeptennium in dubio an puer habeat vſum rationis, præſumi non habere, & ſic non teneretur confiteri, ieiunare, &c. vt cum aliis tradit Alphonſus de Leone *in tract.de offic.& poteſt. confeſſ. tom.1.recollect.17.num.41.*

RESOL. LIII. *An in dubio, num puer habeat vſum rationis, debeat abſolui?*

SI omnibus conſideratis de pueri capacitate dubium manet, tunc abſolui poteſt ſub conditione, ſaltem animo retenta; imò in mortis articulo abſolui debet, tali præſertim caſu neceſſitatis, & in dubio inclinandum eſt in fauorem animæ. Ita Layman *in Theol.mor.lib.5.tract.6.c.5.num.7.* & ante illum Zambranus *de caſ.temp. mor.c.4.dub.3 n.4.& 9.* quia in dubiis fauendum eſt pœnitenti, qui habet ius ad Sacramentum ratione confeſſionis. Secundò, quia, vt docet multi, ſi quis adultus fatetur aliquid quod dubitatur an ſit peccatum veniale eſt abſoluendus ſub conditione (quamquam in dicto caſu melius ſit dicere aliquod peccatum ſaltem veniale certum vitæ præteritæ etiamſi ſit confeſſum.) ergo & in noſtro caſu, eadem enim eſt ratio, ſcilicet dubium de materia Sacramenti. Denique rationes pro articulo mortis, ferè æquè probant extra illum articulum. Et ita hanc ſententiam docet nouiſſimè Villalobos *in ſum.tom.1.tract.9.difficul.28.n.3.* vbi ſic ait: *Quando ſe dudaſſe ſi el muchachio tiene baſtante vſo de razon ò no, para confeſſarſe, toda via eſtara obligado à ello, como el que duda ſi tiene pecado mortal ò no, y ha ſe de abſoluer de baxo de condicion.* Sic ille.

RESOL. LIV. *An in dubio vtrùm peccator ſit publicus, vel occultus, danda ſit ei Euchariſtia?*

AFfirmatiuè reſpondet Petrus de Ochagauia *tr. 2.de Euchar.effect.quæſt.10.n.4.* vbi ſic ait: In caſu dubio quo dubitatur, an peccatum ſit publicum, vel non, vel an factum quòd publicum eſt, ſit peccaminoſum, vel non, conferendum eſt Euchariſtię ſacramentum, quia in pari cauſa & delicto melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem; ſed iſte homo in eo caſu poſſidet ſuam libertatem accedendi ad hoc Sacramentum; ergo non eſt ei denegandum. Ita ille, qui citat etiam Ledeſmam.

RESOL. LV. *In dubio an iuſtus metus incuſſus fuerit, & an profeſſio ſit valida, pro quo ſit præſumendum?*

REſpondeo præſumendum eſſe in valorem profeſſionis, quia cùm conſtet de profeſſione, & excuſatio dubia ſit, poſſeſſio ſtat pro profeſſione; ergo. & ita docet Sanchez *in ſumma, tom.1. lib.4.c.3. nu.27.* & Bartholomæus de Vecchis *in praxi Nouit. diſp.13. dub.12. n.22.* Et idem dicendum eſt in dubio ſi metus interceſſerit, nam in tali caſu acceſſiſſe non præſumitur, vt patet ex *l.2. C.de his quæ vi,* &c. Idem dicendum eſt quando dubiũ eſt de animo ſe obligandi ratione metus, vt notat Sanchez, & Vecchius *locis citatis*; quæ omnia abſolutè procedunt, quando pto quocumque caſu vertitur in dubiũ valor profeſſionis, nam iudicatur in fauorem Religionis. Ita Suarez *de Relig.tom.2.lib.7.cap.2.num.6.* Leſſius *lib.2. cap.41.dub.7.n.76.* Gratianus *in diſcept.at. forenſ.tom.3. cap.413.nu.17.* Sanchez *de matrim.lib.7.diſp.37.nu.12.* & alij; quos citat & ſequitur Sanctarellus *var. reſolut.tom.1.quæſt.48.nu.48.* ſed de hac quæſtione ſuprà etiam dictum eſt.

RESOL. LVI. *An quando cauſa ſuerit dubia circa comeſtionem carnium in ieiunio opus ſit diſpenſatione, ſi ageretur de nocumento notabili?*

AFfirmatiuam ſententiam videntur docere Doctores, quos ego citaui *in part.1. tractat.9. reſolut.15.* quibus nunc addo Filliucium *tom.2. tract.27. cap.6. numer.128.* & Fernandez *in exam.*

Theolog. moral. part. 2. cap. 8. §. 2. num. 13. asserentes in ieiunio dispensatione opus esse, quando causa fuerit dubia.

Verùm contrariam sententiam docet Ioannes Sancius *in selectis, disput. 51. nu. 9.* non existente causa manifesta non egere ieiunantem dispensatione edendi carnes, omnes fatentur. Eodem ergo modo dubia causa existente, opus non erit dispensatione, cùm idemmet ius habeat aliquis ad fugiendum damnum certò venturum, atque illud de quo rationabiliter dubitatur an sit exoriendum; sicut qui probabiliter & rationabiliter dubitat, quòd in extremam necessitatem deueniet, si extremè indigenti subueniat, non tenebitur subuenire. Adde quòd dubium in fauorem rei est interpretandum, & in possidentis fauorem accipiendum. Nec in hoc casu ius dubium vincit ius certum. nam quamuis præceptum abstinendi à carnibus sit certum, & in possessione obligandi; etiam ius ad conseruandam vitam in homine certum est & antiquius, & antiquior etiam est possessio in illo ad conseruandam suam vitam & ab strictiori iure orta. Quapropter homine non solùm est ius certum ad certò conseruandam vitam, sed etiam est illi ius certum ad non exponendam vitam periculo dubio eam amittendi. Et quamuis dubium sit homini, an ex abstinentia à carnibus sit detrimentum passurus in salute, non est tamen illi dubium quòd ius habeat certum nō se committendi tali dubio; sit ergo quòd ius certum conseruandæ salutis superet ius certum præcepti abstinendi à carnibus. Et ideò fit etiam, Doctores dicere recurrendum esse ad Superiorem ad poscendam dispensationem in ieiunio; vel in esu carnium, quod idem est, quando causa est dubia, non intelligendos esse id asserere quando fuerit dubium, magnum nocumentum exoriendum ex obseruatione ieiunij, nam tunc necessaria non videtur dispensatio, vt probatum est; sed quando dubitaretur aliquale nocumentum promanandū, quod quamuis actu existeret, obligatio ieiunij, vel abstinentiæ à carnibus non cessaret, cùm leges positiuæ aliquali obligent labore & detrimento. Hæc omnia Sancius, qui, vt visum est, interpretatur Doctores superiùs pro affirmatiua sententia citatos; sed an probabiliter, videant alij.

RESOL. LVII. *An dubius vtrùm parentum necessitas sit grauis, possit ingredi Religionem?*

AFfirmatiuè respondeo, quia cùm dubium sit præceptum in eo casu, libertas filiorum ad ingrediendam Religionem possidet, sicuti absolutè diximus, in dubio an sit in aliquo casu præceptum. Imò hoc erit etiam licitum, quando vtrimque sunt rationes ita probabiles, vt possit dici vtraque pars opinabilis, & ideò in tali casu potest filius sequi vtramuis partem, etiam minùs probabilem, vt in aliis rebus opinabilibus licet. Et hæc omnia docet Sanchez *in summa tom. 1. lib. 4. cap. 20. num. 8.* cui ego addo Bartholomæum de Vecchis *in praxi nouitiorum, disp. 2. dub. 8. n. 8.*

RESOL. LVIII. *An dubius de obligatione præcepti per cōsuetudinem introducta, teneatur illam obseruare?*

AFfirmatiuè respondet Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 18. quæs. 5.* vbi sic ait: Quandocumque populus, aut ciuitas dies festos vsu & more colit, & obseruat, si id vsu recepto à maioribus seruet, consuetudo vim legis habere censetur. Idem quoque iuris est, si ita ex more seruet, vt eius consuetudinis memoria non extet, quandónam introduci cœperit. Item si ambiguum sit, consuetudine, nécne res obseruetur, tutius est eligendum, & proinde existimandum est, eam esse consuetudinem legis vim & rationem habentem. Ita Azorius.

Sed aduersus illum contrariam sententiam tenendam esse existimo, quam docet Suarez *de legibus, lib. 7. cap. 15.* vbi sic asserit: In dubio de obligatione præcepti per consuetudinem inducta, ac ceteris paribus, potiùs est inclinandum in eam partem, quòd consuetudo sit deuotionis, vel honestatis potiùs quàm obligationis; quia generalis regula est, quòd in dubio nemo præsumitur velle obligari, neque expedit multiplicari præcepta vbi moraliter certa non sunt, vel saltem probabilia. Ita ille. & post illum nouissimè Ludouicus Maëratius *in summam D. Thomæ, tom. 1. tract. de legib. disp. 15. sect. 2. num. 3.* vir quidem doctus.

RESOL. LIX. *An in dubio de valore voti reseruati possit Episcopus dispensare?*

REspondeo affirmatiuè, quomodocumque dubium illud oriatur, siue quia non sunt coniecturæ sufficientes, siue quia sunt probabiles rationes ad dubitandum; quia cum reseruatio sit odiosa, restringenda est ad casus certos. Ex quo colligitur posse Episcopum dispensare in eiusmodi votis reseruatis quando emissa sunt ex metu cadente in virum constantem. nam licet aliqui existiment talia vota valere iure naturali & positiuo, vt docet Suarez *lib. 6. de voto, c. 26. n. 4. & 5.* attamen probabile non est, an ea vota valeant, vel sint nulla iure Ecclesiastico, vt tradit Sanchez *in summa to. 1. lib. 4. c. 40. n. 31.* & ideò, quia eorum votorum valor est sub opinione, poterit in eis Episcopus dispensare. Deinde colligitur in dubio etiam an sit aliquod votum reseruatum, nécne, in benigniorem partem esse interpretandum, & censeri non reseruatum, & posse in eo Episcopum dispensare. Vnde cùm dubium sit an vota pœnalia & conditionalia sint reseruata, sequitur ratione eius dubij posse Episcopum in eis dispensare, etiam purificata conditione, & commisso delicto; & hæc omnia docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 9. num. 14. & seq.*

RESOL. LX. *An dubius de malo vsu ementis, excusetur vendens res indifferentes, nulla causa iusta concurrente?*

DVpliciter potest contingere hoc dubium. Primo modo, vt sit merè negatiuum, quia scilicet non potest quis prudenter ac probabiliter suspicari an alter malè, vel benè prædictis in differentiis sit vsurus. Secundò positiuè, quia nimirum mer-

meritò ac prudenter dubitari poteſt de abuſu alterius. Si dubium ſit primomodo, certum eſt, licitum eſſe hæc indifferentia miniſtrare abſque alia cauſa concurrente, quia in hoc dubio nemo præſumitur dilectum commiſſurus; ſi verò ſit ſecundo modo, non poterunt licitè miniſtrari hæc indifferentia, ſed requiritur aliqua cauſa rationabilis, licet minor ſufficiat, quã vbi abuſus eſt certus. Ita Sanchez *in ſum. tom.* 1 *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 17. & poſt illum Merolla *in diſput. Theolog. tom.* 1. *diſp.* 2. *c.* 4. *dub.* 10. *n.* 268.

RESOL. LXI. *An dubius de emendatione alicuius rei in edicto Inquiſitorum poſiti, & præſertim hæretici, teneatur illum denuntiare?*

NOn ſolùm in tali caſu, ſed etiam ſi moraliter conſtet eſſe emendatum, puto denuntiandum eſſe, & præter Doctores quos alibi citaui, nouiſſimè tenet hanc opinionem Emanuel Moura *opuſ.* 1. *de incant. & enſalm. ſect.* 2. *cap.* 16. *num.* 13. vbi ſic aſſerit: Quamuis mihi priuato moraliter conſtet hæreticum occultum eſſe emendatum, vrgeatque alioqui præceptum diuinum de non infamando proximũ abſque neceſſitate, etiam coram Eccleſiæ miniſtris, teneor eum deferre ad ſacrum Tribunal, & iuxta omnes in dubio de eius emendatione, quia decernere an ſit, vel non ſit emendatus, iudicium exigit altius, quàm priuati. Ita ille.

RESOL. LXII. *An dubius enſalmus operetur ne virtute diuina, vel diabolica. fas ſit eo vti, & de quodam enſalmo particulari ad præſeruandum à peſte?*

NEgatiuam ſententiam docet, & validiſſimis rationibus firmat Emanuel Moura *opuſc. de incant. ſect.* 2. *c.* 16. *per totum*, vbi etiam notat dubitantem, an maleficus norit medium licitum, non poſſe illum adire pro maleficio ſoluendo. Ex his non deſinam hîc obiter adnotare cum dicto Moura *vbi ſuprà, c.* 13. *n.* 25. ſuſpectum eſſe illum enſalmum, quẽ vt præſentiſſimum remedium contra peſtem ferũt, DD. Cardinalibus pro Concilio Tridentino congregatis *anno* 1546. tradidiſſe quemdam ſanctæ vitę Græcum Archiepiſcopum ad idem Concilium cõcurrentem; & ita ego in facti contingentia conſului annis præteritis, quando peſtis miſerrimè hanc ciuitatem affligebat, nullius tamen Doctoris auctoritate fretus; verùm poſteà inueni, vt dictum eſt, Mouram, virum doctiſſimum, dubitaſſe de dicto enſalmo qui incipit, *Crux Chriſti ſalua me*, &c. & nouiſſimè tamquam ſuperſtitioſum ac minimè tolerandum damnat, & docet Philibertus Marchinus *tract. Theologico de peſte, in problematibus, probl.* 33. *fol.* 44. vbi aſſerit ita declaraſſe ſacram Cardinalium Congregationem, vt patet ex litteris Cardinalis ſancti Honofrij ad Clementem Ægidium Inquiſitorem in Etruria ſub die 18. Septembris 1630. vnde apparet me rectè hîc Panormi, vt dixi ſuprà, dictum enſalmum tamquam ſuperſtitioſum damnaſſe, licet aliqui tunc, ſed immeritò, contrarium ſenſerint; ſed de hoc modò non eſt dubitandum; & ratio eſt clara, quia quorſum in dicto enſalmo citra ſuperſtitionem ponitur illa littera marginalis, quandoquidem quidquid illa implicitè importat, vel innuit, totum id exprimatur in verſũ illi reſpondente? Quid in membrana exaratio? quid ad brachium potiùs quàm ad collum, quàm ad caput, quàm ad pectus circumportatio? quid orationis, finitâ potiùs Miſsâ, quàm ante inchoatam recitatio? ceteras rationes videbis apud ſupradictum Marchinum *loco citato*, qui reſpondet ad aliqua argumenta, quæ, licet parum ſolidè, pro defenſione dicti enſalmi adduci poſſunt.

RESOL. LXIII. *An dubius, ſuúmne ſuffragium concluſerit rem iniuſtam, teneatur ad reſtitutionem?*

VT, v. g. ſi per ſecreta ſuffragia agatur, vbi dubium habes an tuum ſuffragium ſit ex poſterioribus poſt damnum ſuffragiis ſufficientibus cõcluſum, an verò ex efficacibus, an, inquam, tenearis ad reſtitutionem? Affirmatiuè reſpondet Petrus Nauarra *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 35. Sed mihi negatiua ſententia magis placet, quam tuetur Iacobus Gordonus *in Theol. moral. tom.* 1. *lib.* 5. *quæſt.* 6. *cap.* 2. §. 4. *n.* 13. qui citat Rebellium, docentes in hoc dubio (quia eſt vtrimque æquale) meliorem eſſe conditionem poſſidentis, eximiq́ue proinde ab onere reſtitutionis, licet alioquin peccauerit.

RESOL. LXIV. *An in dubio, vtrùm cauſa expreſſa in narratiua alicuius reſcripti ſit finalis, vel impulſiua, cenſenda ſit impulſiua, & non finalis?*

NEgatiuam ſententiam docet Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 2. *diffic.* 43. *num.* 7. vbi ſic ait: *Quando vuieſſe duda ſi la cauſa fue ſolo impulſiua ò final, algunos dizen que ſe ha de preſumir impulſiua, y dizen que en duda en eſte caſo haura de valer la diſpenſacion. Otros tienen que no ſe ha de preſumir ſi no final: anſi lo tienen Baldo y Socino, y eſta ſentencia tengo por mas cierta, y que en duda no ha de valer la diſpenſacion por que la ley eſta en poſſeſſion, y aſsi es meneſter que la diſpenſacion ſea cierta.* Ita ille, & ante illum Molina *de iuſtit. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 173. & hæc opinio eſt probabilis.

Sed ego contrariam non minùs probabilem eſſe exiſtimo, quam tuentur Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *diſp.* 21. *num.* 20. quibus ego addo Sanctarellum *var. reſolut. part.* 1. *quæſt.* 59. *num.* 5. Granado *in* 1. 2. *D. Thomæ, controu.* 7. *tract.* 3. *diſp.* 17. *ſect.* 4 *num.* 30. Caſtrum Palaum *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 16. §. 5. *num.* 3. Menochium *vol.* 2. *conſil.* 106. *num.* 91. & Laurentium de Portel *in reſponſ. mor. part.* 3. *caſ.* 8. *num.* 2. aſſerentes in caſu dubio an ſit cauſa finalis, an verò ſolùm impulſiua, præſumi impulſiuam, & non finalem, quia ſemper debet ſtare præſumptio in fauorem actus; quod idem dicendum eſt cum Palao *vbi ſuprà*, vt ego alibi adnotaui, quando dubium eſt, an diſpenſatio valida ſit, quia dubium eſt, an ſatis probetur veritas narratorum, vel quia eſt dubium an cauſa falſa allegata ſit finalis, nam in his caſibus præſumendum eſt validam eſſe diſpenſationem. Vide Sanchez *vbi ſuprà numer.* 25. illuſtriſſimæ Societatis Ieſu decus & ornamentum.

RESOL. LXV. *An confitens, v.g. fornicationem, de qua dubitat an illam alias confessus sit, si hoc dubium in confessione non explicet, confessio sit inualida?*

REspondeo negatiuè, quia sic confitendo circa materiam non mentitur, quam ipsi Confessario exponit, cùm nunc certa sit, neque negat se id confessum fuisse. Et ita in terminis docet nouissimè Homobonus de Bonis *in consultat. cas. conscient. vol. 2. part. 5. respons.* 132. vbi citat Sanchez, Coninch & Bonacinam, cum quibus colligit, pœnitentem non teneri in confessione dicere se tale peccatum post vltimam confessionem commisisse, nisi ob aliquam particularem circumstantiam mutantē speciem, vel constituentem hominem in proximam peccati occasionem necesse sit hoc exprimere; vnde non debebat hanc opinionem improbabilem vocare Turrianus *in censura Theologica.*

RESOL. LXVI. *An qui dubitat se esse excommunicatum, possit audire Missam?*

AFfirmatiuè respondeo, & ita præter alios docet Petrus Cornejo *in* 1. 2. *D. Thomæ tra.* 8. *q.* 19. *disp.* 4. *dub.* 2. vbi probat, licitum esse dubitanti an sit excommunicatus, audire Sacrum, & alia excōmunicatis prohibita facere, ac si excommunicatus non esset, & similiter licere aliis simili dubio existente cum eo communicare, & hoc ait Cornejo, vt vitet periculum imminens, aut præiudicium notabile spirituale, vel temporale in propria persona, rebus, aut honore; sicut non tenetur secundùm illum ad recitandum Officium diuinum, qui habens tenue beneficium dubitat in iure, an teneatur recitare, quia cùm hoc sit graue onus, non potest incurri, nisi propter causam certam.

RESOL. LXVII. *Ad quid teneatur si dubius quis est, an possit maiorem Officij partem recitare?*

SVppono aliquem non esse obligatum Horas recitare, si maiorem partem non potest, ideò ad dubium propositum respondeo in tali casu te posse & debere iudicio Medici conformare; qui si asserat nocituram recitationem, deobligaberis. Verùm si Medicus dubius est an grauiter nocitura sit recitatio, Suarez *de Religion. tom. 2. lib. 4. c. 28. n.* 21. inclinat te esse obligatum, quia præceptum & illius obligatio est certa, & causa excusans dubia; præualet ergo præcepti obligatio. Bonacina *de Horis Canonicis disp.* 1. *q.* 6. *punct.* 1. *n.* 4. negat te esse obligatum, quia non teneris periculo grauis damni te exponere, ob præcepti Ecclesiastici adimpletionem; & hoc probabilius putat Castrus Palaus *to.* 2. *disp.* 2. *punct.* 6. *nu.* 10. quia periculum illius grauis damni causa est certa, & non dubia, qua stante, præceptum Ecclesiasticum non obligat: esset enim obligatio rigorosa, ergo, &c.

RESOL. LXVIII. *An dubitans aliquem Psalmum, vel Horam omisisse teneatur repetere?*

NEgatiuè respondeo, si probabilem coniectu-ram habet se dixisse, vtpote quia propositum attendendi habuit, & Horas se incepisse meminit, & librum tenuisse. Imò si iste timidioris sit conscientiæ, malè faciet repetendo, aperit enim ianuā scrupulis, & ideò Confessarius ei iniungat vt non repetat, sed reliquum Officium prosequatur. Ita Homobonus *in consult. cas. conscient. vol. 2. part. 5. respons.* 210.

RESOL. LXIX. *An quando dubitatur, sitne infans baptizatus, sepeliendus sit in loco sacro?*

VT, v.g. si infans in pede fuerit baptizatus; & affirmatiuè respondendum est cum Homobono *in consult. casuum conscientiæ, volum. 2. part. 7. respons.* 67. vbi firmat hanc sententiam, scilicet baptizatum Baptismo dubio non esse Ecclesiastica sepultura priuandum, siue dubium sit in suscipiente, siue in conferēte, siue in materia, siue in forma, & qui si superuixisset, rebaptizandus fuisset. Ita ille; vbi etiam optimè addit infantem secundina indutum, ac sic baptizatum, in loco sacro esse sepeliendum, & adducit Bonacinam *de contract. disp.* 3. *quæst.* 21. *punct.* 2.

RESOL. LXX. *Occurrentibus duobus præceptis, si quis dubitaret vtrum illorum obligaret, eò quòd simul impleri non possunt, quid facere debeat?*

REspondeo, considerandam esse vtriusque præcepti grauitatem & naturam, & si attentis omnibus circumstantiis non cōstiterit magis de obligatione vnius, quàm alterius, posse liberè eligi impletionem cuiuslibet illorum, quia cùm homo teneatur vnum illorum implere, & nullo modo constet, quod illorum magis obliget, prudentia dictat, honestè posse eligi vnum, vel alterum pro libito. Si verò attentis omnibus circumstantiis vnum credatur aliquo modo magis obligare, quàm alterum, illud implendum est, de cuius obligatione magis constiterit. Vbi obiter aduerte primò, licet materia vnius præcepti ex se sit magis grauis, adhuc posse esse obligationem implendi præceptum magis leue, eò quòd illud sit de re, quæ non potest non esse prohibita; ac proinde alterum præceptum de se magis graue tunc non erit præceptum, nec obligabit, v.g. magis graue præceptum est succurrendi proximo in extrema necessitate, quàm non dicendi leue mendacium; & tamen si hæc duo simul concurrerent, potiùs non esset mentiendum, licet proximus propterea periret, quia mentiri semper est intrinsecè malum. Secundò aduerto interdum posse contingere, reperiri tam exiguū excessum inter cognitionē obligationis vnius præcepti, & cognitionē obligationis alterius, vt non sit mortale implere illud, de cuius obligatione magis constat, quia in his est etiam paruitas materiæ, atque adeò præceptum leue. nam sicut non seruare ordinē charitatis inter eos, inter quos est leuis excessus, non est mortale, ita in præsenti. Et hæc omnia docet doctus Granado *in* 1. 2. *D. Thomæ, controuers.* 2. *tract.* 12. *disp.* 6. *n.* 8.

RESOL. LXXI. *An dubius de percussione notoria Clerici teneatur vitare percussorem?*

REspondeo quòd vt teneamur vitare percussorem Clerici, non sufficit dubium, quamuis prudens notorietatis, sed requiritur notitia moraliter certa. Ita Hurtado *de excommunicatione, disp.* 11.

diſp.11.difficult.3.num.10. qui etiam *num.7.* ex Suarez docet, vt teneamur vitare excommunicatum iam denuntiatum,non ſufficere dubium adhuc prudẽs dictæ denuntiationis, ſed requiritur notitia illius moraliter certa, quòd excommunicatio ſit expreſsè & ſpecialiter denuntiata.

RESOL. LXXII. *An in dubio quis teneatur adhibere correctionem fraternam,& quid ſi peccatum ſit dubium?*

REſpondeo quòd qui dubitaret an correctio profutura eſſet delinquenti, ſi certus eſſet ſaltẽ non obfuturam,teneretur eam adhibere, non autẽ ſi inſimul dubitaret an eſſet nocumentum allatura. Ita Iacobus Granado *in 2. 2. D. Thomæ controuerſ. 3. tract.12.diſp.1.num.6.*& alij. Verùm Filliucius *vbi infrà n.* 135. in caſu quo correptio eſſet nocumentum allatura, putat conferendã eſſe vtilitatẽ cum damno, & eligendum id quod habet maiorem rationem boni; & ideò in articulo mortis, & quando peccatum eſt publicum,vel ſcandaloſum,docet adhibendam eſſe correptionem, etiamſi timeatur, quòd corrigendus deterior euadat.

Sed quid dicendum,ſi peccatum ſit dubium, an in tali caſu quis teneatur correctionem adhibere? Reſpondetur priuatam perſonam id facere non debere,pertinet enim ad Superiorem, niſi fortè in tribus caſibus.Primus,quando tale eſſet peccatum, quod poſſet redundare in notabile præiudicium & detrimentum tertij, quale eſſet peccatum hæreſis,proditionis Principis, ciuitatis, &c. Secundus, quando immineret proximi mors, tunc enim non modò à peccato poſſet correptio liberare, verùm etiam à morte æterna. Tertius, quando eſſet ſpes probabilis proximum non admodum ægrè laturum,ſi ſub dubio admoneatur. Ita Filliucius *tom. 2. tract.28.cap.6.num.133.*

RESOL. LXXIII. *An in dubio ſi fideicommiſſum expiret,poßit vltimus vocatus de bonis liberè diſpenſare?*

HIc caſus poteſt frequenter accidere, & euenit in quodam fideicommiſſo inſtituto à Gaſpare Diana, in quo præter multas alias rationes Antoninus Diana ſenior tamquam vltimus vocatus de illo diſpoſuit, licet dubium adeſſet an in verbis fideicommiſſi deficientibus maſculis vocarentur feminæ.Et ita hanc ſententiam quoad forum externus, & interius docet Homobonus de Bonis *in conſultationib.moral.volum.2.p.7.reſponſ.26.* vbi ſic ait: Quidam teſtamentum condidit in quo filium ſuum heredem inſtituit, ſed verba teſtamento appoſuit, quibus videtur eum fideicommiſſo grauaſſe,quo minùs bona alienare poſſet, ſed ad proximiorem agnatum tranſmitterentur. At verò quia verba ambigua ſunt,ita vt Iuriſconſulti exiſtimauerint ſi ad forum externum res deferretur, non compellendum ad fideicommiſſum ſeruandum, hac ille ſpe fretus bona immobilia vendidit; nunc verò ſcrupulo vrgetur, quia ob quaſdam coniecturas putat patrem voluiſſe bonorum alienationem prohibere, & verborum obſcuritatem Notarij culpa irrepſiſſe; quæſitum eſt quid iuris in foro conſcientiæ? & reſpondet Homobonus quòd ſi filius certus non ſit, ſed de patris teſtantis mente dubitet, & re diligenter examinata certam cognitionem haurire nequeat:tam in foro externo, quã in interno, liber pronuntiari debet, quia cùm ſit illorum bonorum poſſeſſor, in dubio melior eſt conditio poſſidentis.Ita ille.

RESOL. LXXIV. *An in dubio beneficium ſit cenſendum ſimplex,an curatum?*

REſpondeo,quòd quoties de beneficio dubium eſt,an ſit curatum,vel ſimplex, ſimplex eſt reputandum, quia tot ſunt qualitates ad beneficium curatum requiſitæ, vt meritò præſumi non debeant, niſi probentur. Et ita docet Gutierrez *alleg.8.numer.* 5. Hojeda *de incompatibil. benefic. part. 1. quæſt.* 13. *numer.* 2. Gonzalez *in reg.* 8. *Cancell. gloſ.6. num.91.*& alij.

RESOL. LXXV. *An ſi,v.g. Petrus dubitet,vtrùm Paulus cum quo luſit,eſſet lucraturus,ſi ipſe fraudes non adhibuiſſet,teneatur ex hoc aliquid reſtituere?*

PRo affirmatiua ſententia Bonacina *de reſtit. diſp.2.quæſt 3.punct.2.num.7.* adducit Nauarrum & Reginaldum. Sed ipſe meritò ibi contrarium docet. Dico igitur in tali caſu Petrum teneri ſolùm ad reſtitutionem rei acceptæ per fraudem adhibitam in ludo, non verò ad reſtitutionem rei ſuæ, quam Paulo tradidiſſet ſi perdidiſſet: nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Ita etiam Salas *tract.de ludo,dub.7. num.5.* Leſſius *lib.2. cap. 26. dub.2.* & Filliucius *tom.2.tract.37.c.7. n.*103.vbi tamen aduertit, quòd ſi aliquis ludens dubius ſit,an ipſe ob fraudem acquiſierit aliquod lucrum, tenebitur ex dubio perſeuerante ad reſtitutionem eius, quia in dubio non poteſt acquirere, & melior eſt conditio alterius poſſidentis.

TRA-

TRACTATVS IV.

Miſcellaneus.

RESOLVTIO I. *An Generales & Prælati Regularium poſſint confiteri extero Sacerdoti?*

RESPONDEO affirmatiuè ſtando in iure communi, vt benè aduertit Guilielmus Mercerus *in addit. ad 3. part. D. Thom. q. 8. art. 5. dub. 1. num. 2.* Sed quoad Generales & Prælatos noſtræ Religionis negat Peregrinus etiam nouiſſimè *in addit. ad comment. conſtitut. part. 3. q. 1.* ſtante decreto edito in Capitulo generali, vbi ſic habetur: Nemo noſtrûm ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, ſed iis tantummodo noſtratibus Confeſſariis, qui à Præpoſito domus fuerint deſignati, non obſtante quocumque priuilegio, cui ex nunc totius nomine Religionis renuntiamus, ac cedimus. Cùm igitur in dicto decreto ſit appoſita dictio illa, *nemo*, quæ eſt vniuerſalis negatiua, etiam in illo incluſos Generalem & Præpoſitos eſſe dicendum eſt.

Sed ego hanc ſententiam *in 3. part. tract. 2. reſol. 1.* improbaui, & nunc iterùm improbo. Dico igitur decretum ſupradictum loqui tantùm de ſubditis. quod patet, nam ibi ſic dicitur: Nemo noſtrûm ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, ſed iis tantummodo noſtratibus Confeſſariis, qui à Præpoſito domus fuerint deſignati. ergo apertè patet quòd loquatur de ſubditis. nam ſubditi tenentur confiteri cum Confeſſarius deſignatis, & Superiores non obſtante hoc decreto hodie in noſtra Religione non ſunt adſtricti confeſſiones facere cum Confeſſariis ab ipſis pro domo aſſignatis, qui quidem ſi eſſent incluſi in dicto decreto, vt vult Peregrinus, neceſſariò ex ipſius verbis cum dictis Confeſſariis confiteri deberent; ſed hoc dicere eſt abſurdum, vt patet ex ipſa praxi. ergo dicendum eſt, vt ex verbis ipſius decreti apparet, in illo tantùm ſubditos comprehenſos fuiſſe.

Nec valet dicere cum Peregrino, quòd ratio, quæ mouet Capitulum generale ad id ſtatuendum pro ſubditis, multò magis procedit in Prælatis; ergo voluit omnes comprehendere, etiam Prælatos. nam primò reſpondeo contrarium apparere, vt viſum eſt in verbis decreti, & hoc ad ſedandam quæſtionem ſufficeret. Secundò reſpondeo negando in hoc caſu eamdem rationem procedere cum ſubditis, quæ cum Prælatis, nam Prælati tamquam Aaron eliguntur inter tantos vt digniores, & in Sicilia tantùm quinque ſunt, qui ex priuilegio *c. ne pro dilatione, de pœn. & remiſſ.* poſſunt cum extraneis confiteri; ſubditi verò qui poterant ſumere, v. g. Bullam Cruciatæ, pro qua certum eſt fuiſſe factum dictum decretum in magno numero, vnde inconueniens, quod in iſtis in damnum Religionis poterat ſequi ex vſu Bullæ Cruciatæ, non erat timendum in Prælatis ex vſu priuilegij dicti cap. *ne pro dilatione*, ex ſupradictis rationibus; ergo eſt diſpar ratio inter vtroſque.

Non eſt igitur verum dicere, quòd eadem ratio quæ militabat quoad ſubditos circa electionem Confeſſarij extra Religionem virtute alicuius priuilegij, militabat etiam quoad Prælatos, & ideò rectè in ſupradicto decreto ſubditi, & non ſuperiores, comprehenſi ſunt, vt ſuprà ex ipſius decreti verbis probatum eſt. Vnde patet reſponſio ad argumentum Peregrini fundatum in particula, *nemo*, nam reſpondeo eſſe quidem vniuerſalem negatiuam, ſed circa illos, de quibus loquitur decretum, videlicet ſubditos, non comprehendi autem Superiores, cùm iſti in dicto decreto comprehenſi non ſint. & idem reſpondendum eſt quoad dictionem *quocumque priuilegio*.

Ex his etiam patet non indigere reſponſionibus alia, quæ adducit nouiſſimè aduerſus me Peregrinus. nam cùm ex verbis decreti, vt viſum eſt, Prælati in eo non comprehendantur, corruunt omnia quæ ipſe dicit; ſed dato, & non conceſſo, quòd Prælati in dicto decreto comprehendantur, quod mordicùs nego, dico adhuc Prælatos poſſe vigore dicti cap. *ne pro dilatione*, confiteri extra Religionē, nam licet renuntiaſſent in dicto Decreto quibuſcumque priuilegiis ſub nomine *priuilegij*, vt obſeruant communiter Doctores, quos ad ſatietatem adduxi *in 3. part. tract. 2. reſol. 1.* non includitur quod in corpore iuris inſertum eſt, & hoc non ſolùm in clauſulis derogatoriis, ſed etiam contra Peregrinum in renuntiationibus, quia renuntiatio eſt ſtricti iuris, & ſemper eam recipit interpretationem, vt noceat renuntianti quantum minùs poteſt, vt docet Gratianus *vol. 1. reſponſ. 66. num. 18.* Pariſius *vol. 1. conſ. 7. n. 73.* Crauetta *conſ. 200. num. 10.* & alij, quos citat & ſequitur Riccius *p. 4. deciſ. 59. nu. 6. & 7.* quibus ego addo Nouarium *de elect. fori, ſect. 1. q. 3. num. 5.* loquentem in terminis caſus noſtri de renuntiatione priuilegij. ergo in caſu noſtro licet decretum aſſerat renuntiatum fuiſſe cuicùmque priuilegio, dicendum eſt in illo non includi priuilegium de quo loquimur, cùm ſub nomine *priuilegij* non veniat tamquam in corpore iuris inſertum. Confirmantur hæc omnia ex doctrina Pariſij *de reſignatione benefic. tom. 2. lib. 8. q. 1. n. 16.* vbi ex Butrio docet, quòd renuntians priuilegio non cenſetur renuntiare iuri communi; ſed priuilegium inſertum in corpore iuris, vt inter alios docet Lotterius *de re beneficiaria, tom. 1. lib. 2. q. 7. num. 26.* ex *l. eius militis, §. militia miſſus, de teſtam. milit.* reputatur ius commune; ergo in renuntiatione priuilegiorum iſtius decreti non includitur priuilegium Prælatorum, de quo loquimur, quia vt clauſum in corpore iuris cenſetur ius commune.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta Peregrini. Dico igitur quòd non eſt verum quod dicit Peregrinus ad infringendum argumentum, quod aduerſus illum adduxeram *loco citato*, nempe renuntiationem non eſſe ſtricti iuris, & ideò interpretandum, vt eius verba ſonant; non eſt, inquam,

hoc

hoc verum, quia, vt Doctores citati aſſerunt, totum contrarium dicendum eſt, nempe renuntiationem eſſe ſtricti iuris, & in ea faciendam eſſe ſtrictiſſimam interpretationem, vt minùs noceat renuntianti, & ita præter Doctores citatos docet Decius *conſ.* 352. *num.* 7. Decianus *conſ.* 45. *num.* 11. *vol.* 2. Surdus *conſ.* 431. *num.* 20. *vol.* 3. Menochius *conſ.* 286. *num.* 8. & 9. *vol.* 3. & alij penes ipſos. Ad id verò quòd in decreto apponatur illa particula, *quocumque priuilegio*, quæ eſt collectiua habens effectum importantem vniuerſitatem, reſpondeo intelligendam eſſe de quocumque priuilegio, quod ſub nomine *priuilegij* poteſt includi, quod non accidit in caſu noſtro, vt probatum eſt. ergo, &c. Ad illud verò, quòd Prælati ſcientes habere hoc priuilegium, & illud non excipiendo, ideò renuntiauerunt, aſſero ſatis excepiſſe, dum in ſpecie de illo mentionem non fecerunt. nam cùm renuntiaſſent ſimpliciter quibuſcumque priuilegiis, ſciebant hoc priuilegium in dictis verbis non includi, cùm ſub nomine *priuilegij* non veniat, tamquam in corpore iuris incluſum. Et tandē ad aliud argumentum quòd ratio, quæ mouit Capitulum generale ad renuntiandum priuilegiis, multò magis procedit in Prælatis, quàm in ſubditis. Reſpondeo primò, cùm renuntiatio ex ipſomet Peregrino ſit ſpontanea refutatio, Patres in illo Capitulo voluerunt renuntiare priuilegiis quoad ſubditos, non autem quoad Prælatos. Vel ſecundò reſpondeo eſſe diſparem rationem in hoc caſu inter ſubditos, & Prælatos, vt ſuprà probatum eſt; remanet igitur ſatis firmata noſtra ſententia, nempe in dicto decreto non eſſe incluſos Prælatos noſtræ Religionis quoad priuil. *cap. ne pro dilatione, de pœn. & remiſſion.*

RESOL. II. *An Generales & Prælati Regularium poſſint licentiam præbere ſuis ſubditis vt Confeſſario extra Religionem confiteantur?*

POſſe, & hoc de iure communi, omnibus patet; ſed Peregrinus difficultatem ponit quoad Superiores noſtræ Religionis ſtante decreto poſito in ſuperiori reſolut. & nouiſſimè *in addit. quæſt.* 3. negatiuam ſententiam docet.

Sed ego affirmatiuam ſententiam docui *in* 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 2. quia, vt ſuprà viſum eſt, Prælati non includuntur in ſupradicto decreto, & in illo renuntiantur priuilegia, vnde cùm renuntiatio ſit ſtricti iuris, & ideò ſtrictiſſimè interpretanda, quemadmodum contra Peregrinum, præter Doctores citatos, docet alter Peregrinus *tract. de fideicommiſſ. art.* 52. *n.* 25. & Pariſius *de reſignat. benefic. lib.* 1. *q.* 18. *n.* 15. & *ſeq.* & *lib.* 8. *q.* 1. *nu.* 8. & *ſeq.* ſequitur ſub nomine *priuilegij* non debere intelligi licentias, de quibus loquimur.

Nec obſtat dicere cum Peregrino quòd abſurdum eſſet voluiſſe Capitulum generale prohibere ſuis ſubditis, vt non confiteantur ſua peccata exteris Sacerdotibus de licentia Sum. Pontificis, & de licentia ſui Prælati poſſent confiteri, & quòd renuntiaſſent priuilegiis Summorum Pontificum, & non priuilegiis ſuorum Prælatorum, non, inquam, obſtat hoc dicere, quia Prælati in præbendis dictis licentiis conſiderant omnes circumſtantias, & maturè perpendunt, ſi ob bonum ſubditi & Religionis liceat illis præbere; quod non accidit ſi ſubditi fruerentur priuilegio Summi Pontificis, v.g. Bullæ Cruciatæ. nam omnes independenter à Prælatis toties quoties poſſent illam ſumere, & abſolui extra Religionem à reſeruatis in detrimentum regularis Obſeruantiæ, quod apertè non euenire in caſu noſtro dicendum eſt; nam ſubditi tunc poterunt confiteri extra Religionem, quando licentiam obtinebunt ab eorum Prælatis, qua quidem obtenta non poſſunt abſolutionem obtinere à reſeruatis, ſi non explicitè Superior hoc declaret, vt ſatis probaui *in addit. ad* 3. *part. reſol.* 4. ergo eſt diſpar ratio inter vtrumque caſum, & per conſequens ceſſat abſurditas, quam benè non adducit Peregrinus. nam, vt dictum eſt, inconuenientia in detrimentū Religionis, quæ poterant ſequi ex libero vſu priuilegiorum Summorum Pontificum, non poſſunt ſequi ex impetratione licentiarum à Prælatis obtentarum, per rationes paulò ſuperiùs adductas. ergo, &c.

Vnde ex ſupradictis patet etiam reſponſio ad aliud argumentum Peregrini, nempe hoc decretū eſſe ſtatutum à Capitulo generali; ſed inferior non poteſt diſpenſare in lege ſui Superioris. ergo Prælati noſtræ Religionis non poſſunt tales licentias tribuere. nam reſpondeo Patres in dicto decreto, vt patet, renuntiaſſe facultati cōfitendi extra Religionem virtute priuilegiorum, ſub quorum nomine, vt ſuprà probatum eſt, non debent intelligi licentiæ obtentæ à Superioribus; ergo quando Prælati tribuunt dictas licentias, nō diſpenſant, vt vult Peregrinus, in lege ſuorum Superiorum, ſed vtuntur iure ſuo, quod Capitulum generale in dicto decreto noluit illis auferre. Ad alias verò rationes, quas adducit Peregrinus fundatas in illis particulis, *nemo*, & *quorumcumque priuilegiorum*, quas vniuerſales eſſe aſſerit, reſpondeo vt in ſuperiori reſolutione, vniuerſales quidem eſſe, ſed circa ea quæ incluſa ſunt in dicto decreto. Verùm in dicto decreto non includuntur Prælati, neque ſub nomine priuilegiorum eorum licentiæ, vt viſum & probatum eſt; ergo dictas particulas aduerſus noſtram ſententiam nihil operari dicendum eſt.

RESOL. III. *An Regulares, quando confitentur extra Ordinem cum licentia Superiorum, teneantur eligere Confeſſarium ab Ordinario approbatum?*

NEgatiuam ſententiam docui cum 19. Doctoribus in additionibus poſitis in quinta editione Lugdunenſi meorum operum, *reſol.* 4. quibus nunc addo Barboſam *de poteſt. Epiſc. part.* 2. *allegat.* 25. *numer.* 64. Molfeſium *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 14. *num.* 60. Sancium *in ſelectis, diſput.* 49. *num.* 7. Bonacinam *de Sacrament. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *num.* 25. Chapeauillam *de caſ. reſeru. quæſt.* 2. *difficil.* 4. Homobonum *de exam. Eccleſ. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 22. *q.* 12. Mirandam *in manual. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 45. *art.* 11. *concl.* 2. Præpoſ. *in* 3 *part. D. Thom. quæſt.* 8. *dub.* 2. *num.* 6. Coninch *de Sacram. diſp.* 8. *dub.* 7. *nu.* 48. Et ratio eſt, quia Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* vt patet clarè ex eius lectura, nihil innouat circa Regulares; vnde ſicut ante Concilium poterant confiteri cum Sacer-

Sacerdote sæculari sine vlla approbatione Episcopi, sic etiam possunt hodie post illud, à iure enim antiquo non est recedẽdum, nisi expressè per aliud recens emendetur, corrigatur, limitetur, aut reuocetur, ex *l. præcipimus, C. de appellat. & c. 2. de translat. Prælat.* sed in Concil. Trident. vt dictum est, nihil circa Religiosos emendatur, corrigitur, aut reuocatur, ergo, &c. Et fundamẽtum, quare Concilium nihil quoad Regulares innouarit, est, quia ratio quæ mouit Patres illos ad irritandas confessiones sæcularium, quæ fierent Confessariis nõ approbatis à suis Episcopis, non militat in Religiosis & Monialibus, sæculares enim conscientias habent communiter grauioribus peccatis oneratas, & ideò ratio postulabat vt illis darentur, & assignarentur iudices & medici, qui à suis Episcopis iudicẽtur idonei; Religiosi autem communiter sunt cautiores in peccando, & conscientias habent magis timoratas.

Verùm his non obstantibus, cùm hæc opinio, vt visum est, sit fundata in apertis verbis Concilij, & sit communi calculo recepta, non solùm ab his qui scriptâ sua typis mandarunt, sed etiam, qui è subsellijs docent, quis crederet aliquem ita strenuum militem esse, vt auderet aduersus tot fortissimos duces pugnam aggredi, & torrenti Doctorum se opponere; & tamen iterum is est P. Peregrinus, qui *in nouiss. addit. q. 4.* affirmatiuam sententiam mordicus contra me docet; sed videamus catapultas & arietes, quibus ipse conatur hanc arcem expugnare.

Primò asserit hanc sententiam tenendam esse ratione consuetudinis post dictum Concilium Tridentinum, quia Ordinarij, tam sęculares, quàm Regulares, non permittunt Sacerdotes suos, subditos ab eis non approbatos audire confessiones tam sæcularium, quàm Regularium, nec ipsi Sacerdotes non approbati ab Ordinariis suis, volunt audire. Respondeo quòd totum hoc gratis dicitur, & ideò gratis negatur. nam quando casus accidit, dico Sacerdotes sine approbatione Episcopi confessiones Regularium excipere: deinde quæro à P. Peregrino, quare talis consuetudo ipsi solùm innotuerit, & nõ innumeris Doctoribus, Italis, Hispanis, Gallis, qui contrariam sententiam docuere? mira res est ipsum solum circa cognitionem talis consuetudinis Argum fuisse, & omnes alios talpas; sed ego constanter nego adesse, imò non solùm Episcopi huic opinioni se opponunt, vt vult Peregrinus, sed illam docent, vt fecit Thomas Zerola Episcopus Beneuentanus *in praxi pœnitentiæ cap. 15. quæs. 2.* neque scio vsque adhuc aliter cautum fuisse in ordinatione alicuius diœcesis.

Secundò asserit Peregrinus, quando Sum. Pontifex per Iubilæa & sacram Pœnitentiariam concedit facultatem Regularibus eligendi idoneum Confessarium, semper ponunt clausulam illam, Dummodo Confessarius sit ab Ordinario approbatus. ergo, &c. Respondeo hoc argumentum nihil probare, quia, vt optimè obseruat Fagundez *de præcept. Eccles. prac. 2. lib. 7. c. 2. num. 5. & 12.* & alij, Summus Pontifex vult concedere illam gratiam cum tali onere & conditione, quæ quidem in dictis casibus meritò apponitur, cùm Regulares possint confiteri extra Religionem, insciis eorum Prælatis; ergo visum est prudenter Summis Pontificibus in tali casu magis cautè ambulare, illasque gratias cum tali conditione concedere.

Tertiò argumentatur Peregrinus ex declaratione sacræ Congregationis asserentis Episcopos non posse sibi eligere Sacerdotem non subditum, qui à proprio Ordinario non sit ad formam Concilij Tridentini admissus ad audiendas confessiones; ergo multo minùs Religiosus, qui habet facultatem eligendi sibi Confessarium, poterit eligere Sacerdotem, qui non sit admissus ad confessiones audiendas iuxta formam Concilij Tridentini. Respondeo negando consequentiam, quia Episcopi includuntur in determinatione Concilij Tridentini, quòd nullus Sacerdos possit audire confessiones sæcularium sine approbatione sui Ordinarij; & ideò rectè sacra Congregatio hoc declarauit. Regulares verò, vt docent omnes, & patet ex ipsis verbis Concilij, in dicto decreto non comprehenduntur. ergo non rectè P. Peregrinus argumentatus est in hoc casu de Episcopis ad Regulares. Adde quòd non est nouum ex priuilegio multa concessa esse Regularibus, quæ Episcopis denegantur.

Et tandem asserit Peregrinus quòd vbi est eadem ratio, debet esse eadem iuris dispositio, sed eadem ratio militat in auditione confessionum Sacerdotum sæcularium, & Episcoporum, ac Religiosorum; ergo eadem dispositio Concilij Trident. seruari debet circa Sacerdotes, qui audiunt confessiones Regularium, quæ seruatur circa illos, qui audiunt confessiones Sacerdotum sæcularium & Episcoporum. nam Sacerdotes sæculares non sunt æstimandi peioris conscientiæ, quàm Regulares. Ita Peregrinus. Sed respondeo quòd valdè miror apud illum Clerum sæcularem pari passu procedere cum Clero Regulari. Ego sæculares Sacerdotes valdè veneror, & scio inter illos aliquos sanctiores inueniri aliquibus Religiosis: sed absolutè loquendo, perfectiores reputantur Regulares, & cautiores in peccando, quàm sæculares Sacerdotes; vt probat D. Thom. *quodl. 3. quæst. 6. art. 17.* Vnde rectè hos in decreto inclusit Tridentinum, non autẽ illos, & ideò nescio quo pacto asserere potuerit Peregrinus non adesse disparem rationem inter illos.

Hinc ex his sequitur, Præpositos locales nostræ Religionis, quibus non deficit commoditas confitendi Confessariis nostræ Religionis, posse confiteri simplici Sacerdoti nostræ Religionis, qui non esset admissus ad confessiones audiendas à nostro P. Generali, quia, vt dictum est, habent potestatem eligendi Confessarium, & Tridentinum nihil innouat quoad approbationem Confessariorum in ordine ad excipiendas confessiones Regularium, & rationes, quas pro contraria sententia adducit Peregrinus *quæst. 5.* omnes soluuntur ex supradictis.

RESOL. IV. *An in sacramento Pœnitentiæ, quando agitur de iurisdictione Confessarij, possit ille & pœnitens vti, in eius administratione & receptione, opinione probabili, relicta probabiliori?*

Affir-

AFfirmatiuam sententiam docui contra Peregrinum *in 3.part.tract.2.resol.3.* sed ipse iterùm absolutè *in addit.ad nostr.constit.part.3.quæst.6.* negatiuam sententiam tenet,& putat in tali casu aliter facientes esse sacrilegos, & se exponere periculo faciendi Sacramentum nullum.

Sed notandum est, quòd quædam veritates à Christo institutæ sunt,vt sic fiant,& non aliter valeant, v.g.si fortè instituit quòd tipha, hordeum, vel amylum materia non sit consecrationis, sed tantùm panis triticeus, vel quòd forma Baptismi sit tantùm ea,quæ nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti significatur,non quæ nomine genitoris, & geniti,& procedẽtis ab vtroque, vel quòd pars minima corporis abluta sufficiens non sit ad valorem Baptismi, &c. hæ igitur res cùm à Christi institutione dependeant quoad suum valorem, sic, & non aliter, illum sortientur qualiter reuerà institutæ sunt,quamuis ex opinione probabili aliter fiant;aliæ verò res sunt,quarum veritas à Summo Pontifice determinata existit,v.g.quòd talis Confessarius habeat iurisdictionem,vel non;aut quòd talis sit Parochus, vel non; vel quòd hic, vel talis contractus sit matrimonium,vel non; hoc,vel tale votum valorem habeat, vel non; aut quòd hæc vel talis professio emissa à Religioso irrita sit, vel non,&c.harum igitur rerum veritas in indiuisibili non consistit, sed iuxta opinionum varietatem multiplicatur, vnde quando opinio probabilis adest circa earum valorem,tunc in ædificationem Ecclesiæ Summus Pontifex illam approbat,& Ecclesia tacitè in his casibus præbet iurisdictionem, aliàs nimis conscientiæ grauarentur, & ita hanc sententiam docet Castrus Palaus *in opere mor. to.1. disp.2.punct.5.n.9.* Lessius *l.2.c.29.dub.8.n.68.* Bonacina *in Decal.disp.2.quæst.4. punct.9.n.19.* Malderus *in 1.2.D.Thom.quæst.19.art.5.disp.86.* Vnde Sanchez *in summ.tom.1.lib.1.cap.9.n.35.* sic ait: Quando opiniones circa iurisdictionem Sacerdotis ad audiendas confessiones versantur,atque opinio probabilis docet illam habere, probabilior autem negat, talis Sacerdos nullo modo peccabit audiens confessiones. Ita ille. Et ideò rectè Henriquez *lib.5. c.14.n.3.* asseruit non esse minùs potentem opinionem sapientium, quàm vulgi errorem ad confetendam iurisdictionem.

Hanc etiam opinionem præter Doctores citatos tenent omnes illi, qui docent approbatum ab vno Ordinario posse vbique eligi in Confessariũ virtute Bullæ Cruciatæ, quorum nomina adduxi *in 1.part.tract.11. resol.17.* nam si quis eligeret hanc opinionem, relinqueret Confessarium certum pro incerto,sed quia in tali casu opinio probabilis ex consensu Ecclesiæ, vt dictum est,confert iurisdictionem, ideò in praxi illam sequi posse non est dubitandum. Hanc etiam sententiam docent illi Doctores, qui existimant posse simpliciter Sacerdotem absoluere moribundum præsente proprio Parocho,quorum nomina adduxi *in part.1.tract.5. ref.5.* & in hoc casu citati Doctores consequenter docent posse aliquem relinquere Confessarium certum pro incerto,sine vlla causa, & necessitate, & alios multos casus similes poterant adducere; sed quia breuitati studeò, asserò propter opinionem probabilem Ecclesiam tribuere iurisdictionem Confessario.

Sed videamus quomodo hanc sententiam impugnet Peregrinus, qui multa argumenta adducit,sed præcipuè reducuntur adduo. Primò, quia in re graui facit contra rectam rationem,nam iudicium consultationis non potest esse de minori bono;sed hoc accidit in casu nostro,eligendo probabilem sententiam,relicta probabiliori:ergo, &c. Respondeo,quòd suppositа probabilitate opinionis non est minùs bonum illam sequi, quàm oppositum, & si quis non peccat minùs tutam sequendo,non minùs tutè quàm alius incedit quoad incurrendam culpam,quia non est dare magis, vel minùs inter peccare, & non peccare, & cùm vna opinio non sit magis tuta,quàm alia, quoad imputabilitatem ad culpam,consilium non habebit locum, vt dicter vnam esse magis sequendam relicta altera, & ita qui iuxta opinionem minùs probabilem operatur, non etiam contra rectum iudicium & consilium agit. Ita Sancius *in selectis, disp.42.n.12.* & post illum Castrus Palaus *to.1. disp. 2.punct.2.n.3.* & alij. Vnde Sanchez *in summa, to.1. lib.1.cap.9.n.14.* rectè docuit, quòd nullus ad melius amplectendum astringitur,quod etiam docet Granado *vbi infrà num.23.* & ideò Merolla *in Theolog.disput.tom.1. disp.3.cap.4.numer. 25.* ex communi asseruit, quòd quando quis sequitur opinionem probabilem,relicta probabiliori,non facit contra rectam rationem, quia eo ipso quòd est probabilis,est conformis rationi & æstimationi prudentum.

Secundò sic argumentatur, qui in administratione sacramenti Pœnitentiæ relinquit opinionem probabiliorem,peccat,quia voluntariè exponit se periculo faciendi Sacramentum irritum aduersus etiam obligationem charitatis erga proximum, cui tenemur prouidere de certo remedio: ergo,&c. Respondeo quòd etiam secluso periculo, quòd in tali casu Ecclesia non præbet iurisdictionem,quod omnino negandum est;tamen,hoc non obstante, in nostro casu periculum irritandi Sacramentum,& per consequens damnum proximi,de quibus tantum timet Peregrinus,moraliter loquendo, non potest adesse. nam cùm in Sacramento Pœnitentiæ absoluens sit Sacerdos,& omnes simplices Sacerdotes habeant facultatem absoluendi à venialibus, & indirectè à mortalibus, consequenter sequitur Sacerdotem in tali casu conficere Sacramentum, & pœnitentem nullum subire periculum damnationis;si à Sacerdote absoluatur cum opinione probabili. nam cùm homines quasi semper confitentur venialia cum mortalibus, absoluuntur in tali casu, de quo loquimur, directè à venialibus, & indirectè iustificantur à mortalibus, & ita docent & respondent ad argumentum Peregrini Sanchez, Malderus, Martines,& alij,quos *in dict. resolutione* citaui, quibus nunc addo Ludouicum à Cruce *in append. de opinionib.probabil. dub.3. per totum,* Castrum Palaum *in opere moral. tom.1.disp.2.punct.5. num.9.* Bonacinam *in Decalog.disp.2.quæst.4.punct.9.num.20.* Turrianum

rianum *in select. disput. part.* 1. *disp.* 21. *dub.* 2. & ideò Sancius *in select. disp.* 44. *num.* 24. sic ait: Est valdè notandum quòd in prædictis casibus non peccabit contra charitatem neque iustitiam minister absoluens cum opinione probabili circa iurisdictionem, dum pœnitens aliquod veniale simul cum mortalibus fateatur, quia cùm simplex ad venialium absolutionem indubiè habeat iurisdictionem, absoluens gratiam causabit. Ita ille. Et tandem Iacobus Granado *in* 1. 2. *D. Thomæ contr.* 2. *tra.* 22. *disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 38. sic asserit: Mihi placet opinio affirmans, sufficere quòd Confessarius secundùm probabilem opinionem habeat iurisdictionem ad absoluẽdum, vt licitè possit ministrare sacramentum Pœnitentiæ, quia reuerà nullo periculo exponitur Sacramentum, tum quia eo ipso quòd Confessarius sequatur opinionem probabilem, datur communis error in populo, & facta ex tali errore sunt valida; tum etiam, quia in confessione semper pœnitens fatetur aliquod saltem veniale, supra quod certum est esse iurisdictionem in quolibet Confessario, & cùm aliunde sit probabile quòd possit absoluere à mortalibus, saltem cadet indirectè absolutio supra illa, & ita nulli periculo exponitur. Hæc Granado.

Ad id verò, quod asserit Peregrinus, quòd in electione opinionum illa sit amplectenda, quæ est probabilior & securior, respondet Sancius *in selectis, disp.* 42. *n.* 2. hoc esse falsum; sed ego non ita rigidè hanc sententiam improbo. Dico igitur esse sententiam magis communem & probabiliorem illam, quæ asserit in eligendis opinionibus sufficere sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori & tutiori; & ita docent 31. Doctores, quos ego adduxi *in part.* 2. *tr.* 13. *res.* 1. & adducit Sancius *vbi suprà* & Merolla *in disp. Theol. to.* 1. *disp.* 3. *c.* 4. *n.* 4.

Et tandem nota, quòd pro sua firmanda sententia adducit duo loca Lessij, & Sancij, sed non faciunt ad rem, quia in dictis casibus cùm pœnitens sciat Confessarium non habere iurisdictionem, certum est quòd non potest pro libito ei confiteri: secus est in nostro casu, vbi pœnitens tenet, & iudicat stante opinione probabili Confessarium habere iurisdictionem; ceteras verò rationes à Peregrino adductas ex supradictis facilè solui possunt, ideò ad alia descendamus.

RESOL. V. *An quilibet Confessarius sæcularis, vel Regularis possit absoluere Nouitios, etiam à peccatis in Religione reseruatis?*

ANgor in rebus tam claris tempus conterere, sed Peregrinus *vbi supr. q.* 8. negatiuam sententiam docet, nixus auctoritate decreti Cle. VIII. *de reformat. Nouit* & licet ego *in* 3. *part. tr.* 2. *resol.* 4. dixissem aduersus illum cum nostris Molfesio & Leone in dicto decreto Pontificem locutum fuisse consultiuè, non autem præceptiuè; ipse tamen iterùm docet, tale decretum à Summo Pontifice latum fuisse per modũ præcepti, vt patet ex verbis §. 94. Ipsi autem soli Magistro Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur; liceat tamẽ Superiori etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum semel, aut bis in anno eorumdẽ Nouitiorum confessiones audire. quæ verba, vt dixi, putat Peregrinus imponere præceptũ. Primò ex illo verbo, *committatur*, & ex alio verbo, *Magistro soli Nouitiorum*. Secundò, quia Cle. VIII. *in dicto decreto* præscribit formam educationi Nouitiorum circa administrationem sacramenti Pœnitentiæ; sed forma non seruata facit actum nullum: ergo, &c.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam teneo, quam docent communiter Doctores, quos ad satietatem adduxi *in cit. res.* 4. quibus nunc addo Nouarium *de elect. fori, sect.* 2. *q.* 63. *n.* 13. Henriquez *lib.* 6. *c.* 16. *n.* 3. *in glossa lit. X.* Faustum *in Theol. moral. p.* 2. *lib.* 8. *quæst.* 53. & Aloysium Bariolam *in Aphorism. lit. N. ver. Nouitij*, §. 15. vbi sic ait: Nouitij à censuris absolui possunt, & à casibus reseruatis in Religione per illos Confessarios, per quos poterant absolui in sæculo, etiam inconsultis Regularibus Prælatis, quia non sunt verè & realiter Religiosi, & ideò non ligantur Regulæ, nec Religionis statutis. Ita ille.

Sed restat respondere ad argumenta Peregrini; & ad primum dico, Sebastianum à Bononia correctum *in tract. de elect. part.* 2. *c.* 1. *dub.* 56. *n.* 4. docere aliquas Religiones, inter quas nostram enumerat, non includi in dicto decreto; sed quidquid sit de hoc, respondeo verba decreti neque esse præceptiua, neque, vt vult Peregrinus, æquipollentia præcepto: nam, vt affirmat communis Doctorum sententia, verba æquipollentia præceptis sunt hęc, *debeant, teneantur, necessariò, necesse est, non potest*, &c. ergo non est dicendum quòd in dictis verbis, *committatur soli Magistro Nouitiorum*, includatur præceptum. quod etiam probatur, quia dicta verba imperatiua sunt, vt patet; sed verba imperatiua, vt docet Caiet. *in* 2. 2 *q.* 166. *art.* 4. *circa solutionem ad* 2. Castrus *de leg. pœn. lib.* 1. *cap.* 5. *docum.* 4. Carbo *de legibus lib.* 7. *disp.* 4. *ad fin.* Sayrus *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 16. Nauarrus *in manuali cap.* 23. *n.* 49. Emanuel Sà *ver. lex, n.* 6. non habent vim legis & præcepti obligantis ad culpam mortalem; ergo dicendum est supradictum decretum minimè præceptiuum, sed consultiuum esse.

Quod euidenter confirmatur. nam quando præceptum est dubium, non obligat, vt docet Hẽriquez *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 45. *numer* 3. *in gloss. lit. P.* Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. *nu.* 15. Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 36. Villalobos *in summ. tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 21. *numer.* 4. Emanuel Sà *ver. dubium, n.* 2. Castrus Palaus *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 7. *num.* 1. quia in hoc dubio stat possessio pro libertate; sed in nostro casu Peregrinus non potest negare esse dubium, an in dicto decreto contineatur præceptum, ex rationibus adductis, & ex Doctoribus, qui nostram sententiam tenent; ergo dicendum est supradictum decretum non esse præceptiuum, sed consultiuum.

Confirmantur etiam supradicta ex absurdo, quia si opinio Peregrini esset vera, Nouitij in re tã graui, vt est vsus sacramenti Pœnitentiæ, essent peioris conditionis, quàm Regulares professi. nã isti in suis confessionibus pro consolatione & exoneratione suarum conscientiarum possunt confiteri

fiteri cum duobus, vel tribus, aut pluribus Confeſſariis, vt habetur ex alio decreto Clem. VIII. neceſſariò deſignandis à Superiore domus; ſed per opinionem Peregrini Nouitius cum ſolo Magiſtro poteſt confiteri. Igitur, vt dictum eſt, eſſet peioris conditionis, quàm Profeſſi; verùm hoc dicere eſt abſurdum, cùm omnes Doctores aſſerant Nouitios gaudere fauorabilibus Regularium, nõ autem includi in pœnalibus: ergo, &c.

Ad illud verò quod aſſerit Peregrinus, decretũ in dictis verbis præſcribere formam circa adminiſtrationem ſacram Pœnitentię Nouitiorum: ergo formâ non ſeruatâ actus eſt nullus, quia deficit ſubſtantia. Reſpondeo negando dicta verba importare formam neceſſariam; important igitur formam, vt magis vtiliter, conuenienter & decenter adminiſtretur Nouitiis ſacramentum Pœnitentiæ, non vt validè, ita vt ſi ipſi confiteantur cum alio præter Magiſtrum, Sacramentum ſit nullum. Et quidem quomodo veriſimiliter credi poteſt Pontifex tam doctus vt fuit Clemens VIII. ſciens communem opinionem Doctorum docere Nouitios potuiſſe confiteri cum quocumque Confeſſario, ſi contrariũ voluiſſet determinare, quod probabiliter non eſt credendum; illud tamen determinaſſet tam obſcurè, & ſub tantis verborum inuolucris, vt inter tot viros doctos & pios, qui poſt dictum decretum ſcripſerunt, ſolus P. Peregrinus hoc præceptum venatus ſit.

Vnde ex ſupradictis infertur poſſe Confeſſarios deſignatos à Superiore domus excipere confeſſiones Clericorum profeſſorum manentium ſub Magiſtro, vt ego docui *in 3. part. tract. 2. reſol. 5.* quia ſuprà dictum decretum, vt probatum eſt, non eſt præceptiuum, & loquitur tantùm de Nouitiis; ſed cùm dicti Clerici ſint iam Profeſſi, ideò quoad eorum confeſſiones ſtandum eſt noſtris conſtitutionibus *p. 1. c. 6. n. 7.* & altero decreto Clement. VIII. *die 26. Maij* 1593. per quod omnes Profeſſos, vt aſſerit etiam dicta noſtra conſtitutio, apparet poſſe confiteri cum Confeſſariis deſignatis à Superiore domus: ergo, &c.

Ex his patet reſponſio ad argumentum quod nouiter adducit Peregrinus, nempe Prælatos non tribuere iuriſdictionem Confeſſariis domus ad excipiendas confeſſiones dictorum Clericorum. nam contrarium apparet ex dicta conſtitutione & decreto, in quibus cùm omnes Profeſſi, non excluſis dictis Clericis, vt patet ex contextu litteræ, poſſint confiteri cum dictis domus Confeſſariis; ergo neceſſariò ſequitur dictos Confeſſarios habere iuriſdictionem etiam circa illos.

Inſtat adhuc contra me P. Peregrinus, & aſſerit, quòd dicti Clerici diſtinguuntur ab aliis Profeſſis, vt patet per dictum decretum reformationis §. 107. ergo non debent includi in verbis noſtræ conſtitutionis, & in verbis alterius decreti Clem. VIII. *anno* 1593. Sed reſpondeo hoc decretum noſtram ſententiam magis confirmare, nam, vt patet ex eius verbis, nihil in illo diſponitur de ſupradictorum Clericorum Confeſſariis; ergo relinquuntur, vt poſſint ſicut alij Profeſſi cum Confeſſariis domus confiteri, & miror P. Peregrinum verba ſupradicti decreti adducere pro ſua firmãda ſententia, cùm potiùs ad noſtram clarè ſtabiliendam conferant.

Vnde ex his aſſero contra illum, Summum Pontificem in decreto reformationis *anno* 1603. non ſolùm non limitare decretum *ann.* 1593. ſed illud magis confirmare. nam ibi loquendo de Nouitiis, licet conſultiuè dixerit, quòd confiteri debeant cum Magiſtro, tamen loquendo poſteà de dictis Clericis, qui iam Profeſſi erant, nihil aſſerit de eorum confeſſionibus, meminerat enim iam in decreto *ann.* 1593. illis conceſſiſſe, vt plures Confeſſarios haberent neceſſariò deſignandos à Superiore domus pro excipiendis Profeſſorum confeſſionibus; cetera verò argumenta, quę P. Peregrinus adducit, ex ſupradictis facilè reſoluuntur.

RESOL. VI. *An relinquere Miſſam ſolemnem in noſtris Eccleſiis ſit peccatum mortale?*

NEgatiuam ſententiam docui contra Peregrinum *in 3. par. tr. 2. reſ. 8.* ſed ipſe iterùm *in addit. q. 11.* eamdem opinionem mordicus defendit, & licet fateatur hanc obligationem non procedere ex vi noſtræ conſuetudinis, aſſerit tamen procedere ex vi conſuetudinis vniuerſalis Eccleſiæ, & ex vi Canonum.

Sed miror quidem ſuam ſententiam Peregrinum defendere ex vi Canonum, cùm cõmuniter Doctores aſſerant, Regulares non teneri ad Officium diuinum, ſub quo ipſe includit Miſſam ſolemnem ratione alicuius textus iuris Canonici, conſtanterque firment in toto corpore iuris Canonici non adeſſe Canonem imponentem hanc obligationem Regularibus, ſed teneri ad Horas canonicas ratione conſuetudinis iam præſcriptæ in vnaquaque Religione, & ideò nouiſſimè Iacobus Gordonus *in Theol. moral. tom. 2. lib. 6. q. 2. c. 6. §. 3. n. 22.* ſic ait: Reſtat ergo cùm nullus extet Canon de hac re, aut conſtitutio Eccleſiæ, Regulares ad Horas canonicas tantùm obligari ex longa, ſancta, & recepta conſuetudine. Ita ille. qui citat Sotum, Medinam, & Caietanum; ſed audiamus Leſſium *lib. 2. c. 37. dub. 9. cap. 49.* ſic aſſerentem: De Religioſis ad chorum profeſſis nondum ordinatis, communis ſententia Doctorum eſt, teneri ad Horas canonicas; ſed difficultas eſt quo iure teneantur, non enim iure Canonico ſcripto, cùm nullus Canon ea de re extet; nec iure naturę, quia non pertinet ad eſſentiam Religionis; neque ex vi voti, aut profeſſionis, quia voto ſe ad hoc non aſtringunt; nec tenentur ratione eleemoſynarum, quibus viuunt, quia non dantur cum hoc onere, ſed vt viuant ſecundùm ſuum inſtitutum. Itaque ſolùm videntur teneri præſcripto conſuetudinis vbique receptæ; & ita etiam hanc ſententiam docent Fauſtus *de Horis can. l. 2. quæſt. 55.* Bonacina *diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. n. 1.* Tannetus *in 2. 2. D. Thomæ diſp. 5. quæſt. 1. dub 4. n. 143.* Suarez *de Relig. to. 2. lib. 4. c. 17. n. 2.* & *ſeq.* Villalobos *in ſum. to. 1. tract. 24. diffic. 9. n. 7.* & alij penes ipſos. Vnde ſi in aliqua Religione non adeſſet talis conſuetudo, quod negamus, eſſet dicendum, illos Religioſos non eſſe aſtrictos ad Horas canonicas perſoluendas.

Verùm his non obſtãtibus, P. Peregrinus docet, quòd

quòd ſub nomine Officij diuini includitur Miſſa ſolemnis,& quòd præcipiatur tribus in locis apud Canones vt Regulares Officium diuinum perſoluant; ergo tenentur ad Horas canonicas, & per conſequens ad Miſſas ſolemnes,quę comprehenduntur nomine Officij diuini ex vi Canonum,& iuris poſitiui, & textus qui hoc præcipiunt aſſerit eſſe,*cap.dolentes,de celebratione Miſſarum, c. cùm creatura,eodem titulo, & Clem.*1. etiam *eodem tit.*

Sed vt verum fatear, quando hanc ſententiam legi, prima facie vehementer ſtupui, quòd apud veteres, & recentiores ſcriptores tam doctos tale præceptum in iure Canonico non fuerit inuentum,vt ſuprà viſum eſt,& quòd P. Peregrinus ſolus his noſtris temporibus inuenerit, & ideò ſtatim ad textus,& ad expoſitores cucurri,& cùm legerim *cap.dolentes, & cap.cùm creatura*, nec vllum verbum inueni, quod comprehendat Regulares, vt legenti patebit,aliquam difficultatem mihi prębuit *Clem.* 1. vbi Concilium Viennenſe loquitur etiam de Regularibus,& ideò cùm paululùm ſuſpenſus hæſerim,ſtatim fugauit tenebras Filliucius *tom.2.tract.23.c.4.n.* 133. vbi poſtquàm quæſierat, an Eccleſię ſęculares,ſiue Cathedrales,ſiue Collegiatæ obligentur ad Officium in choro, tandem quærit an Eccleſiæ Regulares obligatæ ſint ad eiuſmodi Officium, & ita aſſerit: Reſpondeo eſſe obligatas iuxta cuiuſcumque conſuetudinem & inſtitutum, ex *Clem.* 1. *de celebr. Miſſar.* nam etiam Eccleſię Regulares connumerantur cum Cathedralibus & Collegiatis.dixi *iuxta cuiuſcumque inſtitutum*, quia Religioſi non tenentur ad Officium in choro ratione proprij beneficij,cùm id non habeant, neque propterea quòd viuant ex eleemoſynis,vel bonis Eccleſiaſticis, quia non dantur cũ hac conditione, neque etiam eſt ius Canonicum vniuerſaliter obligans Religioſos ad id, ſed pendet ex peculiari cuiuſque inſtituto & conſuetudine,vt dictum eſt.Hæc Filliucius.

Vnde dicendum eſt dictam *Clem.*1.non aſſerere abſolutè Regulares eſſe obligatos ad Officium diuinum perſoluendum,ſed ad id teneri iuxta cuiuſcumque conſuetudinem & inſtitutum,& ita etiam poſſent interpretari *c.dolentes,& c.cùm creatura*, ſi de Regularibus loquerentur.Verùm cùm P.Peregrinus concedat in noſtra Religione non adeſſe inſtitutum, neque conſuetudinem obligantem ſub mortali ad canendam Miſſam ſolemnem in diebus feſtiuis; ergo conſtanter dicendum eſt illam relinquere non eſſe peccatum mortale, ſicut eſſet ſi relinquerentur Horæ canonicæ, ad quas perſoluendas conſuetudo præſcripta iam obligat. Non benè igitur P. Peregrinus dicit nos teneri ad canendam Miſſam ſolemnem ex vi Canonum, ſed optimè cum Gauanto *ad rubr.Miſſalis. to.* 1.*p.*3. *tit.*11.*n.*4 dicendum eſt Regulares ad id teneri ex vi regulæ & conſuetudinis interpretantis regulã, quam nos & ipſemet Peregrinus negamus in noſtra Religione adeſſe cum obligatione culpæ lethalis:ergo,&c.quæ omnia confirmantur, nam ſi nos teneremur dicere Miſſam ſolemnem ex vi Canonum,& conſuetudinis vniuerſalis Eccleſiæ, vt vult Peregrinus,teneremur illam dicere in diebus ferialibus, vt patet ex *d.Clem.*1. *& cap.dolentes, & c.cùm creatura, de celebratione Miſſarum.* Sed nos hoc non facimus:ergo dicendum eſt ad illam nos non teneri virtute dictorum Canonum.

Reſpondet Peregrinus hoc eſſe verum,ſed poteſt eſſe quòd per viuæ vocis oraculum licentiam non canendi quotidie Miſſam obtinuiſſet Religio ab aliquo Summo Pontifice, quia illis temporibus paſſim erat in vſu concedere ſimiles facultates per viuæ vocis oraculum.Verùm ſi hæc opinio Peregrini admittenda foret, certi eſſemus de tranſgreſſione Canonum & conſuetudinis (vt vult ipſe) vniuerſalis Eccleſiæ,dum in noſtra Religione non fuerit cantata ſolemnis Miſſa in diebus ferialibus, & incerti eſſemus de excuſatione tranſgreſſionis,nam ipſemet Peregrinus loquitur cum formidine & præſumptiuè; quam quidem licentiam à Peregrino præſumptam difficulter adfuiſſe dicendum eſt,cùm non ſit credibile in re tanti momenti ſi Patres eſſent obligati ex vi Canonum & conſuetudinis vniuerſalis Eccleſiæ ad canendam Miſſam diebus ferialibus, ſi hoc non facerent ex priuilegio Summi Pontificis, vt præſumit Peregrinus, non, inquam, vt dixi,credibile eſt in re tam graui, quoad memoriam poſteram, & in honorem Religionis,& ad ſecuritatem conſcientiarum, ſi de tam ſolemni priuilegio in Archiuio S.Sylueſtri,vel alio in loco mentionem aliquam non reliquiſſent;ſed hoc non inuenitur,neque Patres ſeniores de tali priuilegio vnquam mentionem fecerunt: ergo neceſſariò dicendum eſt non adfuiſſe,& ita eſt,quia reuerà neceſſarium non erat,cùm Regulares,vt dictum eſt,atque ſatis probatum, non teneantur dicere Miſſam ex vi Canonum,ſed ex conſuetudine pręſcripta in vnaquaque Religione; ſed in noſtra Religione non fuit recepta conſuetudo, vt Miſſa ſolemnis caneretur diebus ferialibus, ſed tantùm diebus feſtiuis,& hoc ſine onere peccati mortalis;ideò Patres ſine vllo Pontificis priuilegio dictam miſſam ſolemnem in diebus ferialibus non dixerunt,neque nos his etiam temporibus dicimus,non,vt dictum eſt,ratione alicuius priuilegij,ſed quia in Religione non habemus conſuetudinem illam canendi.

Igitur contra P. Peregrinum cum communi ſententia omnium Doctorum,tam veterũ, quàm recentiorum, dicendum eſt Regulares non eſſe obſtrictos ſub mortali ad Officium diuinum, & Miſſam ſolemnem in choro canendam ex vi alicuius Canonis, vel conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ,ſed ex regula & vi conſuetudinis prælcriptę interpretantis regulam. In noſtra verò Religione recepta eſt conſuetudo obligans ſub mortali ad perſoluendas Horas canonicas, etiam extra chorum,non autem ad canendas Miſſas ſolemnes in diebus ferialibus; feſtiuis verò diebus illam canimus, ſed non cum obligatione peccati mortalis, quæ omnia patent ex ſuperiùs adductis, ex quibus etiam patet reſponſio ad alia,quæ adducit pro ſua firmanda ſententia Peregrinus.

RESOL. VII. *An Prælati Regulares locales poſſint concedere dimiſſorias ſuis Nouitiis vt ab Epiſcopo ordinentur?*

AFfirmatiuè contra Peregrinum reſpondi *in 3. part. tract. 2. reſolut. 7.* cum multis Doctoribus; ſed ipſe iterùm *in addit. q. 10.* negatiuam ſententiam docet, quæ mihi iterùm nõ placet. nam præter Doctores citatos *vbi ſuprà*, meam opinionem tenet etiam nouiſſimè Auguſtinus Barboſa *de iure Pontificio lib. 1. c. 17. n. 171.* vbi ſic ait: Si Abbates, aut alij Religionum Prælati haberent ſpeciale priuilegium concedendi ſuis Monachis dimiſſorias litteras ad quemcumque Epiſcopum, licet in illo non exprimatur, quòd illud valeat Nouitiis communicare, poterunt tamen etiam Nouitiis illas, vt à quocumque Epiſcopo ordinentur, ſicuti ceteris Monachis profeſſis concedere. Ita Barboſa, qui citat Tamburinum, Sanchez, à Vecchis, & Tiberium à me etiam ante illum *vbi ſuprà* citatos. Et ratio eſt, quia Nouitij gaudent priuilegiis Religionis, vt docet Henriquez *lib. 7. cap. 22. n. 7.* Azorius *part. 1. lib. 12. c. 2. quæſt. 10.* Saytus *de cenſur. lib. 7. cap. 13. n. 6.* Sanchez *in ſumma tom. 1. lib. 4. c. 39. n. 17.* Suarez *de Religione, tom. 3. lib. 5. c. 16. n. 17.* Hinc Dominicus *in cap. Religioſo, §. quamuis, n. 3. de ſent. excommunicationis in 6.* ſic aſſerit: Nota quòd ingrediens profeſſionem alicuius generis perſonarum, gaudet priuilegiis conceſſis perſonis illius profeſſionis, licet non firmato propoſito ſit effectus illius. Ita ille. Vnde ex his patet reſponſio ad argumentum Peregrini aſſerentis contra me non apparere priuilegium in quo dicantur Prælati Regulares poſſe concedere dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos Nouitiis, ſed ſuis ſubditis, & per ſubditos intelligere Profeſſos, non, inquam, valet hæc ratio. nam, vt dictum eſt, Nouitij gaudent priuilegiis Religionis, & quoad odia non venit Nouitius appellatione Religioſorum; ſecus autem in fauorabilibus, vt eſt in caſu noſtro: ergo, &c. Nec etiam valet dicere cum dicto Peregrino quòd priuilegia exorbitantia à iure communi ſunt ſtrictè interpretanda, ex *c. quæ à iure communi, de regul. iuris in 6.* nam reſpondeo hoc eſſe verum, quando priuilegium eſſet conceſſum vni particulari, ſecus autem, vt eſt in caſu noſtro, quando eſt conceſſum toti Religioni in communi, & ita in terminis docet doctus Portel *in reſponſ. regul. part. 3. caſ. 49. ad 2. arg.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 1. num. 13.* & alij penes ipſum. Igitur cùm Prælati tum noſtræ, tum ceterarum Religionum, habeant priuilegium concedendi dimiſſorias ſuis Monachis, dicendum eſt per conſequens poſſe etiam dimiſſorias Nouitiis concedere, gaudentibus Religionis priuilegiis, & quoad fauorem venientibus appellatione Religioſorum & ſubditorum.

RESOL. VIII. *An Regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſſint commutare, vel diſpenſare vota extra confeſſionem, & quid de abſolutione cenſurarum?*

AFfirmatiuè contra Peregrinum reſpondi *in 3. part. tract. 2. reſol. 9.* ſed ipſe nouiſſimè contrariam ſententiam docet *in addit. q. 12.* quam iterùm refello. nam priuilegia fauorabilia ſunt, & latè interpretanda, quia licet ſint priuilegia iuri communi derogantia, vnde etiam odia iuris dicuntur, & odia ſint reſtringenda; tamen hoc non habet locum quando priuilegium in fauorem publicum conceſſum eſt; tunc enim non odium, ſed fauor Principiſque beneficium cenſetur, & ideò latè interpretandum eſt, quantum eius verba patiuntur. Ita gloſſa & Panormitanus *c. fin. n. 2. de ſimon.* quod multò magis procedit, quando huiuſmodi facultas non particulari alicui, ſed integro Ordini largita eſt, vt *in præſenti*, quo caſu etiam fauorabilis cenſetur, & extendenda, & hæc omnia docet in terminis caſus noſtri Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 19. quæſt. 2. n. 2.* qui citat Leſſium & Sanchez, & ideò nouiſſimè docuit etiam hanc ſententiam Aloyſius Bariola *in aphoriſm. lit. V. verb. votum*, ex quibus apparet quàm rectè dixerim contra Peregrinum, hæc priuilegia eſſe amplianda; quòd verò non amplientur abſque ratione, vt ipſe docet, patet per ea, quæ adducunt Doctores à me citati, quibus nunc addo Suarez *de Religion. to. 2. lib. 6. c. 16. n. 4.* Henriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 30. n. 6.* Sotum *de iuſt. lib. 7. quæſt. 4. art. 3.* non obſtante quòd in dictis priuilegiis ponatur ablatiuus ille abſolutus, *confeſſionibus auditis*, quia cùm adeò diſtent inter ſe, abſoluere à peccatis, ac vota commutare, neque hoc confeſſione indigeat, non cenſendus eſt Pontifex velle totum priuilegium limitare per illum ablatiuum abſolutum, ſed ſingula ſingulis ſunt referenda, & ita ille refertur ad abſolutionem à peccatis, quæ immediatè ſequitur, quippe ea eſt regula vt clauſula poſita in vna parte diſpoſitionis, ſiue ponatur in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, cenſeatur referri ad omnia in ea clauſula, ex *cap. ſecundò requiris, de appell.* At intelligitur, quando omnium eadem eſt ratio, quod in caſu noſtro non contingit: ergo, &c. Nõ eſt igitur hoc priuilegium extẽſum ſine ratione, vt aſſerit Peregrinus, & per conſequens neque contra mentẽ Summi Pontificis. quæ omnia confirmantur, quia antequam in litteris ſacræ Pœnitentiariæ poneretur illa clauſula, *audita confeßione, nec aliter, nec alio modo*, ſatis probabiliter, vt obſeruat Filliucius *to. 1. tract. 10. part. 2. c. 10. n. 353.* aſſerebant aliqui diſpenſationes emanatas ex dicta S. Pœnitentiaria potuiſſe fieri extra confeſſionem, & ita docebat Salas *de legibus diſp. 20. ſect. 10. n. 98.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 34. n. 29.* & Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 10. diſp. 6. punct. 15. §. 1. n. 6.* & alij.

Reſtat modò reſpondere ad cetera argumenta quæ adducit Peregrinus; & ad illud fundatum ſupra dictam clauſulã appoſitam nouiſſimè à ſacra Pœnitentiaria, *audita confeßione, & non aliter*, &c. reſpondeo quòd dictæ litteræ ſacræ Pœnitentiariæ emanant in fauorem particularium perſonarum, & ideò non eſt mirum ſi Summus Pontifex velit tales gratias concedere cum illo onere & conditione; ſecus autem dicendum eſt in caſu noſtro, nam priuilegium conceditur integro Ordini Religioſorum, quo caſu magis fauorabile cenſetur, & ideò latè interpretandum eſt, vt latè probat Tamburinus *loco citato*; vnde non ſequitur id, quod intendit Peregrinus. Ex quibus etiam patet reſponſio ad ſecundum argumentum. Ad tertium

verò vbi aſſerit quòd perſonæ prudentis eſt ſemper ac poteſt incedere per viam tutam, ſic etiam eſt facere ſuas actiones tutas dum poteſt, & non exponere illas ſub opinione Doctorum. Reſpondeo quòd quando quis operatur cum opinione probabili, operatur tutè, & incedit per viam tutam, & tutas facit ſuas operationes, & reuerà ita eſt, vt aſſerunt omnes Doctores. Vnde rectè Ioan. Sancius *in ſelectis diſp.44.n.66.* obſeruat, quòd dum communiter inquiunt Doctores inter opiniones probabiles dari vnam ſecuriorem, & tutiorem alterâ, non ita eſt intelligendum, quòd maius periculum incidendi in culpam inueniri poſſit, vnam opinionem ſectando, quàm aliam. nam cùm quælibet opinio probabilis tutam reddat conſcientiam in operando, non minùs tutus erit operans iuxta vnam, quàm iuxta aliam opinionem. Ita ille, & hæc dicta ſufficiant circa opiniones, & defenſiones Peregrini.

RESOL. IX. *An hora ſecunda finita poſt meridiem, recitato Veſpere, poſſit ſtatim quis recitare Matutinum ſequentis diei?*

AFfirmatiuam ſententiam probabilem eſſe puto, pro qua alibi adduxi Fabrum & Molfeſium quatenus dicunt poſſe recitari hora 20. quæ aliquando eſt ſecunda poſt meridiem; quibus nunc addo Sanchez *in opuſc. tom.2. lib 7. cap.2. dub.37.n.4.* loquentè expreſsè de hora ſecunda, & ante omnes Martinum Ledeſmam *in 2.4. quæſt.16. art.5. dub.1.* vbi ſic ait: Si preces horariæ ſunt dicendæ priuatim à perſonis priuatis, abſque peccato mortali poſſunt dici à veſpere vnius diei vſque ad mediam noctem ſequentis diei, hac lege quòd in veſpere prioris diei ſolùm dicatur Officium matutinum, aliæ verò preces die ſequenti dicantur vſque ad mediam noctem. Ita ille. Et Sanchez notat hanc ſententiam tenere etiam aliquos recentiores Magiſtros, quorum quidam addidit, quòd ſi quis poſt medium diem hodiernum recitaret Matutinum diei craſtinæ ſaltem in Quadrageſima, vbi Veſperæ dicuntur ante prandium, videtur iam incepiſſe dies ſequens, & in rigore non videtur obligandus ad mortale, neque ad iterùm recitandum. Notat etiam Sanchez hanc opinionem eſſe veram, licet quis quando recitat hora ſecunda poſt meridiem Matutinum, nondum recitaſſet Veſperas, & Completorium diei hodiernæ, adhuc enim non eſſet peccatum mortale, quia illa peruerſio horæ non videtur grauis, & horarum ordinem abſque cauſa peruertere, tantùm eſt veniale, & hoc docuiſſe præfatos Magiſtros teſtatur; licet Turrecremata, Viguerius, & Nauarrus penes ipſum Sanchez videantur docere, neceſſe eſſe, vt poſſint recitari matutinæ preces diei ſequentis, quòd ſint iam recitatæ Veſperæ, & Completorium diei præcedentis, quia non videtur incipere dies ſequens hodie veſpere, niſi penſum horarum hodiernum ſit iam integrè perſolutum; ſed ſententia Sanchez probabilitate non caret. Non omittam tamen hîc adnotare, Oliuerium Bonartium *de Horis can. lib.2. cap.30. n.23.* docere quòd etiam ex ſententia D. Thomæ *quodlib.5. art.28.* Matutinum poteſt legi pridie poſt dictum Completorium; ſed hoc ille explicat, ſcilicet hora quarta pomeridiana, vel etiam ad medium quartæ.

Notandum eſt hîc obiter ad tollendam etiam culpam venialem, quòd hora competens perſoluendi omnes Horas non debet ſumi punctualiter, ſed debet ſumi cum amplitudine; vt qui vel parum ante horam præfixam chori, vel parum pòſt recitanerit, cenſeatur tempore competenti recitare. Ita Sanchez *loco cit. dub.35.n.5.* vbi exiſtimat cum quodam docto recentiore Magiſtro, hoc parum pòſt, vel parum antè, eſſe dimidiam horam, aut tres quadrantes, & ad ſummum vnicam horam antè, vel pòſt.

Nota etiam cum eodem Sanchez *dub.36. num.3.* eſſe cauſam iuſtam, & à culpa immunem, ſi ſcholaſticus differat Horas in veſpertinum tempus, eò quòd matutinum eſt aptum ſtudio, non autem veſpertinum.

RESOL. X. *An qui non poteſt ratione infirmitatis recitare Horam canonicam tempore debito, teneatur illam recitare præponendo, vel poſtponendo?*

VT, v.g. quis poſt Veſperas patitur quartanam, vel aliam febrim, & nequit recitare, an teneatur manè recitare Veſperas & Completorium? vel è contrà, patitur quis quartanam manè vſque ad meridiem, an teneatur veſpere recitare omnes Horas ſi poteſt. Pro negatiua ſententia ego alibi adduxi Canum *in relect. de pœnit. part.5. dub.31.* cuius opinionem improbabilem quidam recentior eſſe putauit, immeritò quidem, nam optimam habet rationem, facultas enim, quæ datur ab Eccleſia anteponendi, vel poſtponendi Horas, intra diem tamen naturalem eſt priuilegium fauoris, non vinculum neceſſitatis, vnde præuenire non tenemur, benè tamen poſſumus; & ideò hanc Cani ſententiam, quando impedimentum perſoluendi Horas tempore debito eſt à natura, vel violentia, putat eſſe probabilem Sanchez *in opuſc. to.2. lib.7. c.2. dub.43.n.7.* licet contrariam exiſtimet probabiliorem; & ita opinionem Cani non ſolùm tamquam probabilem, ſed etiam abſolutè docet Henriquez *li.4. c.4. n.7.* vbi ſic ait: Febricitans non tenetur præuenire proprium tempus recitandi Horas; & *in gloſſa lit. Q.* aſſerit hanc ſententiam eſſe communem, quod eſt negandum: nam his temporibus contraria eſt communior & probabilior, quam nouiſſimè docet Villalobos *in ſumma tom.1. tract.24. diffic.16.n.7.* ſic aſſerēs: *Se aduierte que el que eſtuuo malo haſta medio dia, no queda eſcuſado de rezar el medio dia que eſtuuo malo, como tampoco lo queda el, que no pudo rezar por la mañana por otra ocaſion pues pueden eſtos rezar à la tarde que el preceto corre en todo el dia.* Ita ille. Sed, vt dixi, contraria ſententia Cani eſt probabilis. Nota etiam quòd poſt hæc ſcripta inueni Oliuerium Bonartium *de Horis canon. lib.2. cap.38.n.8.* docere etiam opinionem ſupradictam Cani eſſe probabilem, & pro illa citat Leſſium *lib.2. cap.37. dub.8. num.43.*

RESOL. XI. *An cæci, vel ita oculis caligantes, vt legere nequeant, teneantur Horas perſoluere, ſi illas memoriter ſciunt?*

REſpondeo affirmatiuè cum Nauarro & Azorio, quos citat & ſequitur Fauſtus *de Horis Canonicis lib.2.q.229.* quibus addo Villalobos *in ſum. tom.1.tract.24.diffic.16.n* 4. Reginaldum *to.2.lib.18. c.13.n.185.* Suarez *de Relig.tom.2. lib.4.c.28.n.14.* & alios penes ipſum, quia præceptum non obligat ad recitandum per librum, neque requirit vt conditionem neceſſariam dicendi poteſtatem per librum; ergo dum cæci poſſunt recitare memoriter maiorem partem Officij, ad illam teneri vtique dicendum erit.

Non deſinam tamen hîc adnotare cum Sanchez *in opuſc.to.2.lib.7.c.2.dub.46.n.5.* dixiſſe Sotum *de iuſt.lib.10.q.5.art.3.* ſe non eſſe certum an cæcus, ſi memoriter ſciat Horas, teneatur eas dicere memoriter, quia tenacitas illa memoriæ eſt accidentaria, quamuis, inquit, tutius eſt vt ſe obligatum cenſeat; & cum Soto tenuerunt aliqui Magiſtri docti, & addit quidam recentior Magiſter, quòd quantum ad reſtitutionem fructuum, certum eſt quòd non teneretur ſi eſſet beneficiarius cæcus, & omitteret Horas, licet memoriter ſciat. Hæc Sanchez. qui indicat dictam opinionem Soti eſſe probabilem, nam quam ipſe tenet, vocat multò probabiliorem. & Toletus *lib.2.c.14.* ſimpliciter excuſat cæcum. Sed tu non omittas contrariam tenere, quam etiam nouiſſimè tenet Oliuerius Bonartius *de Horis Can.lib.2.c.38.n.22.*

Notandum eſt tamen hîc obiter contra Sylueſtrum *verb.Hora,q.4.dict.3.* Angelum *n.9.* Armillam *n.16.* Tabienam *n.20.* D.Antoninum *3.part. tit.13. cap.4.§.15.* Paludanum *in 4.diſt.15.q.5.* & alios, cæcum qui non poteſt recitare Officium diuinum, non teneri ad recitandum aliquid loco illius, quia cùm legitimè excuſetur, ad nihil tenetur: ſicuti qui excuſatur à Miſſa audienda in die feſto, ad nil tenetur.

Notandum etiam cæcum, qui nihil ex horatiis precibus memoriâ tenet, vel ſaltem perparum, non obligari ad audiendam partem ſocij in alternatione; & rurſus ad ſuam cum illo recitandam, quia non videtur præceptum humanum ad illam exactiſſimam diligentiam obligare. Ita Bonartius *loco citato*; an verò cæcus teneatur adhibere ſocium in recitatione Horarum, dicemus *infrà*, & diximus etiam *in 1.part.tr.de Horis can.reſol.vlt.* non obligari.

RESOL. XII. *An iuſtum pretium rerum, quæ venduntur ſub haſta, ſit quod medietatem iuſti pretij rigoroſi non excedat, vel ab ea minùs non deficiat, & an hoc procedat in bonis emptis vigore pacti, vulgò dicti à diſcurſo?*

VT ſi, v.g. res communi modo vendendi valet 10. pretio rigoroſo, an in vẽditione ſub haſta poſſit aſcendi ad 15. vel deſcendi ad 5. & quia caſus eſt quotidianus, pro affirmatiua ſententia *in 1. part.tract.8. de contract. reſolut.55.* ego adduxi Salonium, cui nunc addo Lopez *de contract.lib.1.cap.29.* Mercatum *lib.2. cap.12.* Garſiam *lib.1.cap.21.* Cordubam *in ſumma quæſt.8.* & Filliucium *to.2.tract.35. cap.6.num.141.* Rodriquez *tom.1.cap.174.n.1.* Ioan. Franc. Suarez *lib.1.ver.vendit. & emptio.§.14.* Igitur in his quæ venduntur voce præconis, pretium iuſtum eſt, quod non excedit ſupra dimidium, nec deficit infra dimidium illius iuſti pretij, quod bona illa valerent, ſi alio modo vẽderentur, quàm ſub haſtatione.

Non deſinam etiam hîc adnotare aliquos abſolutè docere iuſtum pretium in ſubhaſtatione id eſſe, quod vltimò offertur ſine fraude. Vnde nouiſſimè Iacobus Gordonus *in Theologia moral.to.1. lib.4.quæſt.5.c.8.n.38.* ſic aſſerit: In ſubhaſtatione licitum erit emere viliori pretio quàm ſit commune fori, imò iuſtum pretium tunc cenſetur, quod vltimò offertur; ſed fraudes abeſſe oportet, alioqui reſcindi poterit venditio: fraus erit ſi venditor vitium rei venditæ ſciens taceat, vel occulter; ſecundò ſi venditor aliquos ſupponat qui pretium augeant, vt res pluris quàm valet vendatur, aut ſi aliquos ſubtrahat ab augendo, vt res minoris ematur ab amicis & conſanguineis; tertiò ſi venditor captato tempore quo ſunt pauci emptores rem haſtæ ſubiiciat, emptor quoque fraude vti poteſt, v.g. ſi impediat ne alius augeat vt ipſe viliùs emat, aut ſi ob inuidiam augeat, vt alius inde cariùs emat. Ita Gordonus, & ideò Villalobos *in ſumma tom.2.tract.21.diffic.5.n.9.* ſic ait: *Aduierto mas que ſi la mercaduria ſe vende publicamente à voz de pregonero como ſuele acontecer en las almonedas, en tal caſo es verdadero el prouerbio que dize*, tantum valet res, quantum vendi poteſt. Ita ille, qui citat Medinam, Bannez & Aragon, quibus ego etiam addo Antonium de Ripol *in variar.reſol.cap.11. de emptione & vendit. n.554.* vbi docet iuſtum pretium rei eſſe illud, quod inuenitur pro ea in publica ſubhaſtatione.

Ex his, amice Lector, cogita, an excuſare poſſis adiudicationes, quæ paſſim fieri ſolent in hoc Regno ex pacto vulgò dicto *à diſcurſo*, dummodò ſine fraude, & non vltra dimidium iuſti pretij efficiantur. nam in tali caſu bona illa venduntur ſub haſta, & ad vocem præconis: ergo ſi ſine fraude & cum ſolemnitatibus requiſitis emuntur intra dimidium iuſti pretij, erit talis emptio iuſta, & emptor nec tenebitur reſtituere, neque rem, neque fructus, ex rationibus & auctoritate Doctorum *vbi ſuprà*, quibus adde alios, quos adduxi ego ipſe *loco citato in p.1.tract.8.reſol.78.* aſſerentes merces vltroneas non ſolùm vileſcere pro tertia parte, & de hoc non eſt dubium, verùm etiam pro medietate. Ita Palatius *in ſumm.Caietani, ver. emptio, c.1.* Megalius *conſil.93.n.3.* Rebellius, Salas, & alij. Sed bona quæ venduntur ſub haſta, vti venduntur bona vigore pacti ad diſcurſum, dicuntur merces vltroneæ, vt patet, & docet Molina *de iuſt. tom.2. tract.2.diſp.349.n.9.* Gordonus *vbi ſup.n.17.* & alij; ergo licitè poſſunt emi pro medietate, & ideò, vt dixi, tu cogita.

RESOL. XIII. *An in priuatis Oratoriis ſi non adſit dominus præſens, liceat Miſſam celebrare coram familiaribus?*

OLim negatiuè reſpondi, nixus auctoritate Henriquez *li.7.c.13.* Rodriquez *in Bulla Cruc. §.5.n.5.* & aliorum, aſſerentium id fieri non poſſe

tempore interdicti vigore priuilegij Bullæ Cruciatæ, in qua adeſt eadem clauſula ac in dictis licentiis, in quibus conceditur celebratio Miſſæ in priuatis ædibus.

Verùm his non obſtantibus, affirmatiuam ſententiam etiam probabilem eſſe puto, & ita, vt mihi aſſerunt, obſeruatur in praxi, & in terminis Bullæ Cruciatæ docet Ludouicus à Cruz *diſp. 1. cap. 5. dub. 3. n. 5.* vbi ſic ait: Id quod notat Rodriquez, nimirum Miſſam celebrari non poſſe coram familiaribus, aut conſanguineis, niſi ipſo domino præſente, non placet quibuſdam iunioribus, quia Bulla concedit poſſe celebrari in ſua, ac familiarium & domeſticorum, necnon conſanguineorum ſuorum præſentia; ergo ſicut poſſet celebrari in ſola præſentia domini, non obſtante illa particula copulatiua, *&*, ita etiam in ſola preſentia famulorum. Ita ille, quę omnia militāt in caſu noſtro: ergo, &c. Nec obſtat quòd in dictis licentiis adſit illa clauſula, *in ſua, & ſuorum*, quæ quidem particula, *&*, coniungit antecedentia cum ſequentibus; nam reſpondeo quòd aliquando hæc particula, *&*, accipitur diſiunctiuè pro *aut*, ſeu *vel*, vt obſeruat Rodriquez *in qq. regul. tom. 3. quæſt. 17. art. 19.* Comitolus *in reſp. moral. lib. 7. quæſt. 9. nu. 4.* & Portel *in reſp. moral part 3. caſ. 49.*

Reſol. XIV. *An in Oratoriis priuatarum ædium poſſint Regulares miniſtrare Euchariſtiam, non obſtante Epiſcopi prohibitione?*

NEgatiuè videtur reſpondendum ex noſtra Synodo Panormitana Eminentiſſ. Domini mei Cardinalis ab Auria *part. 2. c. 2. n. 6.* vbi ſic habetur: In Oratoriis priuatarum ædium, in quibus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ permiſſu celebratur, nemini vnquam ſacra communio miniſtretur, niſi facultate ab Archiepiſcopo petita, & ob iuſtam & neceſſariam cauſam obtenta. Ita *ibi*, quod etiam probatur ex Concilio Trident. *ſeſſ. 22. in decreto de Obſeruandis in celebratione Miſſarum*; vbi datur facultas Epiſcopis vt poſſint prohibere Religioſis, ne celebrent in Oratoriis priuatis ſæcularium: ergo Epiſcopi poſſunt impedire ne iidem Regulares miniſtrent communionem eiſdem ſæcularibus in dictis Oratoriis.

Verùm his non obſtantibus, nouiſſimè contrariam ſentētiam docet Laurentius Portel *in reſponſ. moral. part. 3. caſ. 39. per totum*: quia Religioſi habent clarum priuilegium Pauli IV. *anno* 1557. & aliorum Pontificum ad dandam Euchariſtiam ſæcularibus extra Conuentus ſuos, nec conſtat vllum Papam hæc priuilegia reuocaſſe: ergo. Secundò iſta prohibitio Epiſcopi ne Religioſi dent ſacram Euchariſtiam in his Oratoriis, in rigore eſt reuocatio dicti priuilegij conceſſi Religioſis, vt patet; ſed Epiſcopus non poteſt reuocare priuilegia Papæ, neque id illi commiſit Tridentinum *loco citato*, circa miniſtrationem Euchariſtiæ extra Conuentum faciendam à Religioſis, licet commiſerit Epiſcopo, vt poſſit illis prohibere ne celebrent in Oratoriis, quod eſt nimis diſtinctum à miniſtratione Euchariſtiæ: ergo, &c. Tertiò miniſtrare Euchariſtiam hoc modo in Oratorio priuato nullum damnum & iniuriam infert Parocho, nam hæc communio eſt voluntaria, & non fit in articulo mortis, neque in die Paſchatis: ergo, &c. reliquas rationes videbis apud Portel, Rodriquez *in regul. qq. to. 1. quæſt. 61. ad 3.* & Suarez *de Religion. to. 4. lib. 9. c. 3. § dices ergo.* Ad rationem verò deſumptam ex auctoritate Concilij Tridētini reſpondet idem Portel *vbi ſuprà*. ego puto hanc ſententiam eſſe probabilem, ſed Regularibus conſulo, hoc ne faciant cum diſplicentia Epiſcoporum.

Nota etiam quòd non obſtante prohibitione dictæ Synodi Panormitanæ in rigore Sacerdotes ſæculares poſſunt miniſtrare Euchariſtiam in dictis oratoriis, ſi eligantur ad id faciendum virtute Bullæ Cruciatæ. nam Epiſcopus non poteſt tollere priuilegium à Papa conceſſum; verùm etiam eiſdem conſulo vt hoc faciant cum licentia Epiſcopi.

Reſol. XV. *An Epiſcopi extra ſuam diœceſim poſſint cum Altari portatili celebrare per ſe, vel per alium in præſentia ſua?*

AD hunc caſum ita reſpondet Beia *part. 4. caſ. 33.* quando Epiſcopus fuerit in alieno Epiſcopatu permanens per multos dies, ita vt non ſit per modum tranſitus & itineris, ſed iuſti & vtilis Eccleſiæ negotij, tunc non ſuffragatur priuilegium celebrandi extra Eccleſiam cum Altari portatili, quia ceſſat eius ratio, & maximè quando Epiſcopus loci, in quo degit, prohibuerit ne quis celebret in ſuo Epiſcopatu extra loca ſacra, vel quòd ad id fuerint ab ipſo deputata. hanc ſententiam tenet etiam Nauarrus *conſ. 5. & 16. de priuileg.* & Emanuel Sà *ver. Epiſcopus, n. 24.* vbi ſic ait, Epiſcopus poteſt dicere vbique Miſſam in ſua diœceſi cum Altari portatili, & extra cum licentia Epiſcopi loci, vbi receptum eſt Concil. Tridentinum. Sic ille.

Sed non deſinam hîc adnotare, abſolutè & ſine vlla diſtinctione affirmatiuam ſententiam docere Laurentium de Portel *in reſponſ. regul. part. 5. caſ. 20. n. 7.* vbi ſic ait: Dubitari poteſt an Epiſcopus poſſit Altare erigere priuatum, vt in illo celebret, vel faciat celebrare in Oratorio priuato, etiam quando eſt in aliena diœceſi? Credo quòd poterit, primò quia *cap final de priuileg. in 6.* videtur fauere dicens de illis concedi, quia ſæpè abſunt à ſuis Eccleſiis, quod maximè poteſt euenire cùm ſunt in aliena diœceſi. Secundò id probatur, quia Epiſcopum celebrare Miſſam in Oratorio priuato dum in aliena diœceſi moratur, non eſt exercere iuriſdictionem contentioſam, vt patet, ſed voluntariam; hanc verò voluntariam iuriſdictionem, ſeu potiùs priuilegium perſonale poteſt exercere in aliena diœceſi, vt tenet Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 19. à num. 7.* ergo, &c. Ita Portel, vbi fusè probat Epiſcopos non obſtante Concilio Tridentino, & decreto Vrbani VIII. poſſe etiamſi non ſint infirmi, vel in itinere, erigere Oratorium in ſuis Palatiis, & in villa rurenſi, & ibi celebrare, vel audire Miſſam: quod etiam docet Venerus *vbi infrà*, & præter ipſos poſſe Epiſcopum portare ſecum Altare viaticum, & in itinere non ſolùm in ſua, ſed etiam in aliena diœceſi, non tamen Romæ, Miſſam celebrare, & celebrari facere, docet Gauantus *in enchirid. Epiſcop. ver.*

ver. Epiſcopus, num. 8. *&* 9. cum Vgolino *de poteſtate Epiſc. lib.* 1. *c.* 2. *§.* 2. *nu.* 4. Mauritius Alzedo *in praxi Epiſc. part.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. Venerus *in examine Epiſc. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 14. & ita ego ſentio, quidquid Sà *vbi ſuprà* & alij dixerint.

Notandum eſt tamen hîc cum dicto Portel, quòd in Oratorio Palatij Epiſcopi poteſt quis celebrare præſente ipſo Epiſcopo, non autem ipſo abſente, quia illud priuilegium non eſt reale, id eſt, illi Oratorio conceſſum, vel loco, ſed eſt priuilegium perſonale, conceſſum ſcilicet perſonæ Epiſcopi, cùm celebrat, vel cùm ibidem audit, ac proinde ceteri Sacerdotes abſente Epiſcopo non poterunt tali priuilegio gaudere.

RESOL. XVI. *An qui tenetur in aliqua Eccleſia celebrare, vt vulgò dicitur,* con la ſola præſenza, *poſſit aliud ſtipendium pro illa Miſſa accipere, & alteri applicare?*

PRo affirmatiua & negatiua ſententia *in part.* 1. *tract.* 14. *reſol.* 80. adduxi aliquos Doctores, & pro affirmatiua ſententia etiam poſt decreta Sanctiſſ. D. N. Vrbani VIII. ſtat Bartholomæus à S. Fauſto *in tract. de Iubilæo lib.* 1. *q.* 81. vbi ſic ait: Quando Sacerdoti datur ſtipendium non pro applicatione ſacrificij, ſed pro cultu Dei, vel commoditate populi, poteſt tuta conſcientia aliud ſtipendium accipere pro applicatione ſacrificij. Hinc confratres qui faciunt in Oratorio celebrare diebus feſtiuis, vel ob commoditatem ipſorum, vt Miſſam audiant, aut ob commoditatẽ vicinæ gentis abſque alia expreſſione, non intelliguntur ſacrificij applicationem velle. Ita ille, & nouiſſimè in terminis dictorum decretorum Vrbani VIII. hanc etiam opinionem tenet Ludouicus à Cruce *in expoſitione Bullæ Cruciatæ, diſp.* 3. *dub.* 19. *nu.* 21. vbi ſic ait: Nec dictis obeſt declaratio ſacrę Congregationis ſub anno 1626. dum ait, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique oneri ſatisfacere. Reſpondetur enim id intelligi dum Sacerdotes prædicti celebrare tenentur pro peculiari alicuius intentione. Hæc ille. Et tandem hanc ſententiam non obſtante decreto Vrbani VIII. nouiſſimè docet etiam Homobonus de Bonis *in conſult. caſ. conſcient. vol.* 2. *part.* 5. *reſponſ.* 63. Vnde corruit argumentum quod Gauantus pro ſua adducebat ſententia, nempe Cardinales Concilij ſic determinaſſe, nam eorum reſponſio non intelligitur in caſu noſtro, quando Sacerdos non habet obligationem peculiarem applicandi valorem pro alicuius intentione: vide etiam Fraxinellum *in editione nouiſſima de Sacerd. oblig. ad dicendam Miſſam ſect.* 4. *concl.* 6. §. 8. *n.* 1.

Verùm his non obſtantibus, ſententiam negatiuam nouiſſimè tuetur & docet doctus Auguſtinus Barboſa *in tr. de officio Parochi, cap.* 11. *num.* 11. & pro hac ſententia adducit aliam deciſionem ſacræ Congregationis diuerſam ab illa, quam attulit Gauantus editam *die* 1. *Septembris* 1629. Vnde immeritò Turrianus *in ſelect. part.* 2. *diſp.* 31. *dub.* 16. aſſeruit hanc ſententiam nullam habere probabilitatem, & procedere ex ignorantia; ſed iſte auctor, vt alibi dictum eſt, rigidè ſe gerit in cenſurandis aliorum opinionibus, vt docti viri eiuſdemmet Societatis fatentur.

RESOL. XVII. *An qui ex voto, vel pœnitentia tenetur recitare aliquo die tertiam partem Roſarij, ſi illam cum notabili interruptione recitet, dicatur ſatisfacere?*

AFfirmatiuè reſpondeo, quia, vt probaui *in* 2. *part. tract.* 12. *reſolut.* 4. recitans Officium diuinum cum magna interruptione, ſatisfacit præcepto; ergo idem dicendum erit in recitatione Roſarij ex voto & pœnitentia, & hanc ſententiam quoad vtramque partem tenet Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 5. vbi ſic ait: Secunda ſententia docet, quòd licet ſine cauſa iuſta interrumpat recitans Horam, & per magnum tempus, non peccat mortaliter, nec tenetur ſub mortali ad repetendum, quia licet, phyſicè loquendo, quando eſt magna interruptio, non ſit eadem hora continua: at loquendo moraliter propter intentionem, quam hic habet ſupplendi quod deeſt intra eumdem diem, cenſetur integratio & continuatio eiuſdem horæ, atque adeò impletio præcepti Horarum quoad ſubſtantiam. Item, quia qui tenetur ad Roſarium, vel Pſalmũ ex voto, vel pœnitentia, ſatisfaciet recitando dimidiam partem manè, & aliam veſpere; ergo ſimiliter in Hora canonica. Ita Sanchez, qui optimè notat hanc ſententiam veram eſſe, licet quis faciat illam interruptionem cum propoſito formali reincipiendi poſteà illud, quod fuerat recitatum, hoc enim nõ obſtante poterit poſteà non reincipere, ſed proſequi quod cœperat, quidquid aſſerant aliqui, quos alibi impugnauimus.

RESOL. XVIII. *An Bulla Cœnæ deroget facultatem Bullæ Cruciatæ quoad abſolutionem à reſeruatis in eadem Bulla Cœnæ?*

AFfirmatiuam ſententiam ex Hiſpanis Doctoribus docet Garſias *de beneficiis tom.* 2. *part.* 11. *cap.* 10. *num.* 130. *& ſeq.* & ita aſſerit dixiſſe Clem. VIII. in quodam examine ad Epiſcopatum Caietanum; & Iacobus Bleda *in opuſc. defenſionis fidei in cauſa Moriſcorum cap.* 31. obſeruat, quòd duo viri Hiſpani cùm examinarentur ad Epiſcopatum coram ſupradicto Pontifice, repulſam tulerunt, quia reſponderunt à caſibus Bullę Cœnæ poſſe abſolui in Hiſpaniis virtute cuiuſdam priuilegij, nempe Bullæ Cruciatę; quod probatur ex clauſulis in fine Bullæ Cœnæ appoſitis, in quibus reuocantur omnia, & quæcumque indulta, gratiæ, indulgentiæ, &c. ſub quauis forma & tenore, & cum quibuſcumque clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis à Sede Apoſtolica conceſſæ quibuſcumque perſonis, etiamſi regali præfulgeant dignitate, ex quauis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & cum clauſula, *quorum tenore*. ergo, &c.

Verùm his non obſtantibus, hodie praxis in omnibus Regnis Hiſpaniarum eſt, vt virtute Bullæ Cruciatæ detur abſolutio à reſeruatis in Bul. Cœnæ, excepta hæreſi, & hoc poſſe fieri tradũt omnes expoſitores Bullæ Cruciatæ, Acoſta, Rodriquez, Sanchez, Fagundez, Henriquez, Villalobos, Fernandez

nandez, Sorbus, quos citat & sequitur nouissimè Ludouicus à Cruce *in expositione Bullæ Cruciatæ disp.1.ca.10. dub.4.num.8.* quibus ego addo Ægidium Trullench *in expositione eiusdem Bullæ lib.1.§.1. dub.13. numer.2.* quia expressè in Bulla Cruciatæ conceditur absolutio à casibus Cœnæ, excepta hæresi; ne ergo Papa contrarius sibi videatur, dicendum est per Bullam Cœnæ, Cruciatæ non derogari. Deinde post reuocationem in Bulla Cœnę positam, qua prohibetur absolutio à casibus illius, & derogatur omni priuilegio, etiam speciali, Sixtus V *anno* 1590. fecit hanc exceptionem, nisi eiusmodi casus reseruati in Bulla Cœnæ in eis præsentibus litteris expressè comprehendantur. At idem casus in Bulla Cœnæ iam exprimuntur in Cruciata, excepta hæresi; ergo Bulla Cœnæ non reuocat Cruciatam, sed solùm derogat aliis priuilegiis, iis exceptis, quæ in Bulla Cruciatæ continentur. Et hanc esse mentem Pontificis, præter rationes citatas, apparet primò, quia dum Pontifex Cruciatam concedit ex certa scientia, agnoscit Bullam Cœnæ esse non semel, sed pluries promulgandam intra spatium ab ipso præfixum pro Cruciatæ duratione, & nihilominùs expressè vult, quòd per totum id spatium sit valida. Secundò, quia expressè in concessione Cruciatæ facultatem impendit, vt absque noua licentia singulis annis publicetur, idque absque diei, seu temporis determinatione. Tertiò, quia cùm concessio Cruciatæ per viam contractus onerosi facta sit, adhuc tamen post Bullæ Cœnæ promulgationem non iubet Pontifex vt Cruciatam suscipientibus contributa eleemosyna, vel quid æquiualens reddatur: ergo apparet per Bullam Cœnæ non velle Pontifices derogare Bullam Cruciatæ. Multas alias rationes videbis apud Ludouicum à Cruce *vbi suprà*, qui etiam respondet ad argumenta contraria; adi illum, & non pigebit.

RESOL. XIX. *An potestas delegata ad vota, extendat se ad iuramenta adiecta contractui, in quo est turpitudo, cuiusmodi sunt iuramenta soluendi vsuras, aut metu iniusto extorta, &c.*

HIc casus quotidianus est, & ad illum negatiuè *par.1.tract.de Bulla Cruciatæ*, respondi cum Suarez & Sanchez, quibus nunc addo Ludouicum à Cruce *in expos. Bullæ Cruciatæ, disp.1.c.6.dub.5. n.13.* quia esto per dicta iuramenta nullum ius acquiratur homini, cui fiunt; nihilominùs cùm nec intuitu pietatis, sed humani contractus fiant, proinde nec vllam voti, sed merè promissionis humanæ rationem induunt.

Verùm licet hæc opinio sit satis probabilis; contrariam tamen probabilem etiam esse puto, pro qua *loco citato* adduxi Bartholomæum Ledesmam & Rodriquez, quibus nunc addo Ægidium de Trullench *in expos. Bullæ Cruciatæ lib.1.§.7.ca.3. dub.2.n.7.* quia tota ratio propter quam iuramenta votiua, & vota æquiparantur in commutando, est, quia per iuramenta votiua, seu in Dei honorem facta, nullum ius homini acquiritur; sed per prædicta iuramenta, nullum ius homini paratur: ergo quamuis hæc iuramenta non sint præcipuè in Dei honorem facta, sed intuituho minis, cùm per ea nullum ius homini sit quæsitum, in commutando cum votis æquiparari debent. In tali enim iuramento duplex potest obligatio considerari, altera expressa facta homini, & ex hac parte iuramentum turpiter extortum non obligat, homo enim per iniustitiam nullum ius acquirit; altera Deo, qui in testem inuocatur, atque ita tenetur iurans Deo seruare quod per nomen suum promisit, si licitum sit; quare cùm per tale iuramentum iurans aliquo modo sit Deo obligatus, & non homini, potiùs inducit tale iuramentum naturam voti, & iuramenti in fauorem Dei facti, quàm in hominis vtilitatem, ac per consequens in commutatione æquiparatur iuramento votiuo. & hæc omnia docet Trullench *vbi suprà*, vnde probabiliter quis potest facultatem Bullę Cruciatæ ad vota commutanda, extendere ad iuramenta adiuncta contractui, in quo est turpitudo & iniustitia in creditore, quale est iuramentum vi, vel metu extortum, vel soluendi vsuras, quidquid in contrarium asserat Ludouicus à Cruce *vbi suprà, n.14.* quod confirmatur; nam Episcopus potest dispensare in his iuramentis metu extortis, vt omnes concedunt; sed ratione Bullæ Cruciatæ possumus commutare omnia vota, vel iuramenta, quæ potest Episcopus dispensare: ergo, &c. quæ omnia sunt valdè notanda à Confessariis, & casuum conscientiæ responsoribus.

Ex his sequitur quod probabiliter dici potest, quòd quando carcer est iniustus, & quis iurauit se rediturum, tenetur redire etiamsi timeret morte iniusta damnandum: & idem dicendum est de eo, qui latroni mille aureos promisit iuramento ne occideretur. Ita Becanus *in 2.2.de iustit.quæst.89. & de iurament.quæst.5.n.2.* Sotus *lib.8.quæst.1.art.7.ad 3.* Mercato *de contract.quæst.89.art.7.ad 4. &* alij, & hæc opinio est communis.

Sed ego contrariam sententiam quoad iuramentum redeundi ad carceres, probabilem etiam esse puto cum Sanchez *in opusc.tom.2.lib.6.c.4. dub. 16.nu.4.* quam absolutè tenet Guttierrez *de iuram. part.1.c.57. num.26.* Nota tamen quòd omnes supradicti asserunt posse, v.g. qui iurauit latroni dare pecuniam, posse, inquam, petere relaxationem iuramenti ab Episcopo; sed ego etiam probabiliter puto, vt supradictum est vigore Bullæ Cruciatæ posse Confessarium huiusmodi iuramentum commutare.

RESOL. XX. *An Indulgentiæ concessæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie censeantur reualidatæ?*

SVppono S.D.Paulum V. *die 23. mensis Maij anno* 1606. in Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, & est *in 3.tom.Bullarum Bulla 21.§.19.fol.203.* reuocasse omnes Indulgentias concessas per antecessores suos quibuslibet Regularibus, Religiosis, ac Monialibus cuiusuis Ordinis, illasque annullasse, ac decreuisse quòd loco illarum ibi reuocatarum, omnes & singuli Religiosi gauderent solis Indulgentiis in eadem Bulla ibi Religiosis concessis ab eodem Summo Pontifice; modò difficultas est, quia idem Paulus V. post dictam reuocationem cõfirmauit Minoritis sua omnia antiqua priuilegia, dicens in confirmatione se confirmare etiam

gratias,

gratias, concessiones, & indulta spiritualia, & confirmare priuilegia eis concessa a Clement. VIII. quæritur an sub his verbis sint viuificatæ, & reualidatæ antiquæ Indulgentiæ? Negatiuam sententiam docet Laurentius Portel *in dubijs Regular. ver. Indulgentia, num.* 12. § *secundum principale*, vbi sic ait: Ego constanter teneo per illa verba Pontificem non confirmasse antiquas Indulgentias à se reuocatas, & sic nos hodie directè non habere nisi suprapositas concessas ab illo; & idem dicendum est de ceteris Religiosis, si post illam reuocationem non impetrarunt particularem illarum antiquarum confirmationem ab illo; & huius meæ opinionis fuerunt graues ac docti Religiosi hac de re consulti in Conuentibus Olysipponensibus, & in Academia Eborensi, qui dixerunt ita rem se habere, quia non est credendum de Sanctiss. Domino Papa tam citò mutasse sententiam in re grauissima, quam in prædicta Bulla dicit iam intentatam à Clement. VIII. & sibi etiam à Procuratoribus Ordinum postulatam. Ita ille. Qui pro hac firmanda sententia tres alias rationes adducit, quibus omnibus adde omnes Doctores constanter asseruisse & asserere Indulgentias Regularium esse iam reuocatas.

His tamen non obstantibus, nouissimè Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. Regular. resol.* 77. *num.* 45. oppositam sententiam tenet, docetque per dictam confirmationem priuilegiorum concessam Patribus Minoribus fuisse viuificatas, & reualidatas antiquas Indulgentias ab ipso Domino Paulo V. in principio sui Pontificatus reuelatas, quia postquàm Paulus V. in dicta confirmatione priuilegiorum ait se confirmare priuilegia, gratias & indulta spiritualia, addit se innouare, seu de nouo concedere priuilegia confirmata à Clemente VIII. cum omnibus & singulis decretis, clausulis, & declarationibus quibuscumque contentis in litteris suæ confirmationis. Dominus verò Clemens VIII. expresè & apertè concedit Indulgentias; vnde cùm decretum innouans intelligendũ sit secundùm tenorem decreti innouati, ex *l. in testamento, ff. de condition. & demonstrat.* sequitur manifestè Indultum Pauli V. esse intelligendum iuxta formam & tenorem Bullæ Cle. VIII. atque adeò confirmare Indulgentias, quas expresè confirmat idem Clemens; alias verò rationes videbis apud dictum Rodriquez, qui etiam respondet ad omnia argumenta adducta à Portel, & tandem sic concludit: Hæc de tota hac quæstione circa Indulgentias reuocatas à Paulo V. & ab eodem posteà reualidatas dicta probabiliter sint satis, quibus subscripserunt quidam ex Salmanticensis scholæ Magistris. Vellem equidem, quòd hic articulus clariùs & apertiùs, tamquam res grauissima, à Domino Papa per suas litteras nobis innotesceret, interim tamen dum non apparet de expressiori mente suæ Sanctitatis, probabiliter possunt Religiosi vti præfatis Indulgentiis. Ita Hieronymus Rodriquez.

Sed ego non discederem à sententia Portel; quidquid autem sit de supradicta quæstione, certum est apud me Indulgentiam plenariam concessam à Clem. VIII. parentibus Fratrum existentibus in Purgatorio, si pro illis Minorita dixerit vnam Missam, non esse reuocatam per Paulum V. quia talis Indulgentia non est concessa Fratribus, sed eorum parentibus. Idem dicendum est de Indulgentiis concessis ab antiquis Pontificibus pro sæcularibus visitantibus Ecclesias Regularium. Ita Portel *loco cit.*

Nota etiam quòd Indulgentiæ & priuilegia pro defunctis concessa non censentur reuocata per dictam Bullam Pauli V. sed permanent adhuc in suo robore & firmitate, prout declarauit idem Summus Pontifex Congregationi S. Mariæ Fulginensis. Ita Peregrinus *in priuileg. Cleric. Regular. ver. Indulgentia, §. 7. in scholio.* Idem dicendum est de Indulgentia plenaria à Calisto III. concessa parentibus Fratrum Minorum, in qua possunt eligere Confessorem, per quem absoluantur plenariè à culpa & pœna, quo priuilegio gaudent parentes aliorum Regularium. Ita Portel *vbi suprà numer.* 4.

RESOL. XXI. *Quidam confessus est cum Sacerdote, quem sciebat in statu peccati mortalis esse, habens commoditatem confitendi cum alio, quæritur an peccauerit mortaliter, & confessio illa fuerit nulla?*

HIc casus olim accidit, & de illo magna controuersia fuit inter viros doctos; multi affirmatiuè responderunt, quia pœnitens in tali casu accedit ad Sacramentum cum obice, inducens Confessarium ad peccatum mortale, nempe ad indignam administrationem Sacramenti. Ego postquàm cognoui illum Confessarium fuisse paratum ad omnium confessiones excipiendas, quod pœnitens antequàm confiteretur etiam sciebat, illum liberaui ab onere reiterandi confessionem, & per consequens putaui non peccasse, neque confessionem illam fuisse nullam, & pro hac sententia adduxi Doctores, quos citaui *in 3. part. quæst. 4. ref.* 89. nunc addo doctissimum Martinum Ledesmam, inclyti Ordinis Prædicatorum ornamentum, *in* 1. 4. *quæst.* 5. *art.* 6. *dub.* 12. *propos.* 8. vbi sic ait: Si quis Sacerdos est paratus siue proprius, siue alienus, licet exigere & inducere, & petere ab illo Sacramentum, vt si Sacerdos sit in peccato, nihilominùs non se subtrahit ab administrando, potest quis etiam sine necessitate petere, & rogare illum, vt celebret, sicut potest petere ab vsurario parato, etiam extra casum necessitatis. Ita Ledesma. Scio alios probabiliter sentire aliter, sed meam sententiam probabilem quoque esse existimo; vnde in tali casu venialiter tantùm peccare petentem Sacramentum à ministro malè parato absque necessitate, vel vtilitate aliqua, probabiliter putauit Sanchez *in summ. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 23. & hanc sententiam certam esse dicit Sotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 6.

RESOL. XXII. *An Regulares pro concionibus debeant ab Episcopis examinari?*

AFfirmatiuè respondet Henriquez *lib.* 10. *c.* 23. *in gloss. lit. L.* vbi docet Episcopos posse examinare Regulares ad Ordines, confessiones & concliones.

Verùm his non obstantibus, de iure negatiuam senten-

sententiam tenendam esse puto, quã docet Mauritius Alzedus *in praxi Episcop.p.2.cap.13.num.104.* Barbosa *de potest.Episc.part.3.allegat.76.n.23.* Hieronymus Rodriquez *in compend. qq.regul. resolut.112. nu.2.* & ante illos Miranda *in manuali Prælatorum, to.1.q.50.art.2.concl.1.*quia est dispar ratio de Confessoribus & de Prædicatoribus;nam Concilium Tridentinum *sess.23. cap.* 15. agens de Sacerdotum approbatione pro audiendis confessionibus sæcularium, inquit:Nullus etiam Regularis ad id idoneus reputetur,nisi aut parochiale beneficium habeat, aut licentiam ab Episcopis obtineat per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur,quod nullatenus dicit, quando agit de Prædicatoribus Regularium. Cùm igitur vno in loco mentionem faciat de examine faciendo, si Episcopis videbitur necessarium, non verò alio in loco agendo de Prædicatoribus, planissimè apparet,nostram sententiam veram esse, nam vbi Concilium voluit hanc auctoritatem Episcopis supra Regulares concedere,id expressit: ergo quando non expressit, non concessit. Verùm post hæc scripta inueni sacram Cardinalium Congregationem *in vna Vgentin.sub die 22.Ianuarij* 1622.declarasse, posse Episcopos examinare Regulares prædicare volentes in Ecclesiis quæ non sunt suorum Ordinum.

Notandum est etiam hîc obiter posse Parochum bis, vel ter, dare licentiam Regulari valdè docto & graui, & noto, aliàs ibi non approbato, vt prædicet in sua Ecclesia.Quod maximè verum erit, si Prædicator sit in itinere. Ita Portel *in dubiis Regular. ver. Prædicatores, n.2.* vterque Rodriquez, Hieronymus & Emanuel,ille *in compend. qq.Regul. resol.112.n.4.*hic *in qq.Regul.tom.3.q.32.art.1.* quibus adde Barbosam *vbi supr.n.26.*& alios penes ipsum.

Et tandem nota quòd Fratres Minores & Prædicatores, & similiter communicantes in eorum priuilegiis,prædicantes in suis domibus quocumque anni tempore,possunt concedere suis auditoribus decem & octo annos ac trecentos viginti dies Indulgentiarum;extra verò suas Ecclesias vltra dictos 18.annos,222.dies tantùm. A tempore Quadragesimæ prædicantes apud suas domos feria 2.4.&6.centum quinquaginta sex annos, & viginti quatuor dies, & hoc ex variis priuilegiis Pontificum,quas quidem Indulgentias dicti Prædicatores debent expressè concedere nomine suæ Sanctitatis,aliàs auditores illas non lucrantur. Ita Hieronymus Rodriquez *vbi suprà,resolut.112.n.20. & resol.77.n.58.*Portel *in dub.regul. ver. Prædicatores n.15.*Miranda *in manual. Prælat. tom.1.q.50. art.10.* & alij.

RESOL. XXIII. *An Religiosus qui ex improuiso mortuus inuentus est in cella cum marsupio denariorum, sit priuandus Ecclesiastica sepultura, & an sit contra votum paupertatis accipere pecunias sæcularium in depositum?*

SVperior illius Religionis talem Ecclesiastica sepultura priuandum esse sustinebat, adducens *c.super quodam,de statu Monachorum.*Ego verò eum à tali sententia conatus sum remouere,vt feci, quia iura non priuant officio Altaris talem Monachũ viuentem cum peculio,nisi quando priùs monitus noluit dimittere: ergo sic mortuum non priuabũt sepultura Ecclesiastica. Adde quòd talis mortuus poterat se purgare,quòd scilicet denarij essent sui amici consanguinei, vel sibi depositi, vel concrediti,vt alteri deferret loco eleemosynæ,vel restitutionis,& ita docet ex Emanuele Rodriquez, Laurentius Portel *in dubiis Regul.ver. sepultura, n.11.* qui hoc limitat,dũmodò talis Religiosus non sit Minorita,ob strictiorem regulæ prohibitionem erga pecuniam recipiendam,nisi circumstantię probabiles occurrerent in contrarium; hanc sententiam docet etiam Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. Regul. res.*128.*n.* 20.Et,vt ex contraria sententia supradictum Superiorem amouerem,adduxi Villobos *in sum.to.2.tr.31.diffic.3.n.6.*vbi sic ait:*Al monje que fue hallado proprietario tambien se niega la sepultura como dize el derecho,mas hase de aduertir que no luego, que el Religioso fuere hallado con vna bolsa de dineros en la celda sin licencia de su Prelado se le deue negar la sepultura Ecclesiastica, porque el* c. super quodam *habla del que siendo amonestado del Prior no quiso resignar el proprio que tenia contra la regla, y si a el le oyeran pudiera dar escusa de que lo tenia en deposito de algun seglar ò cosa semejante, ò quica tendria licencia del Superior de palabra,y pudo auersela dada,y oluidarse, y pudo ser, que fuesse el dinero,que se le dieron para restituyr como acoutece algunas vezes. Y alfin ha de constar muy claro que sea proprietario,y mas que siendo secreto no puede el Prelado por esso condenarle,y pocas vezes sucedera en platica ser este caso publico pues nadie sabe si el Prelado le dio licentia secreta sino es que el imprudentemente lo diga.* Ita ille, cuius vltima verba cùm audisset supradictus Superior,qui mecum hunc casum consulebat,obmutuit,& satisfactus decessit.

Notandum est hîc obiter ex illis verbis Villalobos, *pudiera dar escusa de que lo tenia en deposito de algun seglar,* sequi Religiosum si ipse detineat penes se pecunias alicuius sæcularis in depositum, non peccare contra votum paupertatis,licet contrariũ sentiat nouissimè doctus Nazarius ex almo Ordine Prædicatorum,*opusc.de statu & obligat.Religios. dub 8.de voto paupertatis,concl.20.*Sed opinio negatiua est satis probabilis,quam ego docui *in 1. part. tract.de paupert.religiosa,resolut.83.* cum Sanchez & Fausto,quibus nunc addo Suarez *de Relig.tom.3.l.3. c.11.n.45.*vbi sic ait:Si Religiosus acciperet ab alio pecuniam tantùm in custodiam, vt eam reddat, quoties dominus voluerit, per se non esset contra paupertatem,licet possit esse contra obedientiam, & contra decentiam religiosam si occultè fiat.Ita ille,& ego.

Ex dictis infero non benè dictum Nazarium *loco cit.* dixisse, quòd si Religiosus acciperet magnam pecuniæ summam in depositum, & repentina morte migraret è vita,nullo relicto scripturæ testimonio,iudicandus esset verè proprietarius,& pœnæ proprietariis debitæ subiiciendus,priuationi scilicet Ecclesiasticæ sepulturæ,non,inquam,in hoc benè dixit Nazarius,ex rationibus adductis à Portel & Villalobos *vbi suprà,*quia ex multis capitibus potest talis Religiosus in hoc casu excusari à vitio proprietatis.

RE-

RESOL. XXIV. *An exiſtens in gratia, ſi ad tria ſigna campanæ poſt Solis occaſum recitet*, Aue Maria, *cum verſ.* Angelus Domini, *&c.* Ecce ancilla Domini, *&c.* Verbum caro, *&c. lucretur Indulgentiam plenariam, ignorans tunc talem Indulgentiam concedi?*

SVppono tamquam certum Adrianum VI. talem Indulgentiam conceſſiſſe non ſolùm pro Regularibus, ſed etiam pro omnibus Chriſti fidelibus, vt inter alios docet Hieronymus Rodriquez *in compen. quæſt. Regular. reſol. 77. num. 51. iuncto num. 17.* Difficultas verò eſt, an ſæculares illam lucrentur, qui exiſtentes in gratia recitant dictas *Aue Maria*, modo quo ſuprà, neſcientes tamen in tali recitatione gaudere indulgentia? & videtur negatiuè reſpondendum, ex doctrina Ægidij de Trullench *in Bull. Cruciatæ li. 1. §. 6. dub. 2 n. 5.* Emanuelis Rodriquez *in eadem Bulla §. 8 n. 9.* & aliorum aſſerentium, quòd lucraturus Indulgentiam debet habere intentionem actualem, vel virtualem eam lucrandi, quando facit opera iniuncta pro illa lucranda. Sed in noſtro caſu recitans ſupradictas *Aue Maria*, non habet intentionem neque actualem, neque virtualem, quia neſcit in tali recitatione concedi Indulgentiam plenariam; ergo neceſſariò ſequitur illam non lucrari.

His tamen non obſtantibus, affirmatiuam ſententiam docet Laurentius Portel *in addit. ad dubia Regularia, ver. Indulgentia, num. 7.* quia vnumquodque opus noſtrum factum in gratia, maximè pœnoſum, vltra portionẽ gratiæ, quam meretur, meretur etiam certam ſatisfactionem pro pœna debita in Purgatorio, vt Theologi fatentur: at tale opus meritorium meretur hanc certam portionem ſatisfactionis pro pœnis, etiamſi operans meritoriè, neque actu neque virtualiter intendat talem ſatisfactionem quando actu operatur, imò multi & ferè omnes ſæculares id ignorant. Ergo cùm Indulgentia ſuppleat noſtra opera ſatisfactoria circa eaſdem pœnas Purgatorij, habeatque eamdem conditionem, vt ſcilicet opus iniunctum & factum pro Indulgentia acquirat portionem illam ſatisfactionis, etiamſi is qui facit tale opus iniunctum nihil cogitet, neque ſciat, neque intendat de tali Indulgentia. Et confirmatur, quia ſubrogatum habet naturam, quam habet illud, pro quo ſubrogatur; ergo ſi opus meritorium factum in gratia, meretur portionem ſatisfactionis abſque eo, quòd operans illud intendat, & cogitet, vel ſciat, faciens opus iniunctum pro Indulgentia (quod opus ſit loco operis meritorij, vel ſatisfactionis nobis deficientis) acquiret illam ſatisfactionem Indulgentię, etiamſi quando tale opus operatur neque intendat actualiter, neque virtualiter, imò etiamſi penitus ignoret. quæ veritas magis confirmatur ex probabiliori opinione aſſerente, quòd quis ſatisfacit præcepto recitandi Horas canonicas, & audiendi Miſſam, & ſacramentalis pœnitentiæ, ſi fiat opus iniunctum, quamuis fiat cum formali intentione poſitiua non ſatisfaciendi pro tunc: ergo ſatisfiet præcepto impoſito pro faciendis rebus iniunctis pro Indulgentia; etiamſi quis careat intentione actuali, vel virtuali eam lucrandi, hoc enim eſt multò minus, quàm in ſupradictis tribus præceptis habere intentionem actualem non ſatisfaciendi pro tunc, qua non obſtante ſatisfiet. & hæc omnia docet Portel *vbi ſuprà*, alias etiam adducens rationes, & ideò concludit, quòd ſi in aliqua Eccleſia eſt vna Indulgentia conceſſa intranti illam, & ibi certis vicibus dicenti *Pater noſter*, & *Aue Maria*, vel quid ſimile, ſi aliquis exiſtens in gratia intrauit Eccleſiam, & recitauit Orationes iniunctas pro illa Indulgentia lucranda, ſed ignorauit ibi talem Indulgentiam illo die concedi, hoc non obſtante aſſerit ſupradictum illam Indulgentiam lucrari. & hanc ſententiam teſtatur Portel audiuiſſe ex ore proprio à ſapientiſſimo Patre Ludouico Molina Societatis IESV illam docente.

RESOL. XXV. *An vouens Religionem abſolutè, nil de exeundi libertate determinando ſatisfaciat ingrediens, & poſteà exiens?*

NEgatiuè reſpondet Caietanus *in 2. 2. quæſt. vlt. art. 4. dub. 3.* Aragonius *in 2. 2. quæſt. 88. art. 3. circa ſolutionem ad 2.* Valent. *to. 3. diſp. 6. quæſt. 6. punct. 4. quæſtiunc. 4. ver. vnde rectè.* Ledeſma *in ſumma to. 2. tract. 10. cap. 3. dub. 7. caſ. 4.* Sotus *de iuſtit. lib. 7. quæſt. 1. art. 1. ad 3.* & alij aſſerentes talẽ non ſatisfacere voto, retrocedendo ex ſola libertate Nouitiis iure cõceſſa, ſed exigi iuſtam recedendi cauſam, & ideò ſi omnia in Religione grata inueniat, teneri ſub mortali perſeuerare, & ſi exeat, teneri iterùm ingredi. Vnde hoc eſt diſcrimẽ inter ingrediẽtẽ Religionẽ cum voto, & abſque illo, quòd ille mortaliter peccet, exeundo abſque legitima cauſa; hic autẽ peccet venialiter. Et ratio huius opinionis eſt, quia materia huius voti eſt id, quod cõmuniter intẽdunt Religionem ingredientes: at hi intendunt perſeuerare inuentendo omnia grata; ergo materia huius voti eſt ingredi & perſeuerare in eo caſu: ergo tunc non perſeuerando minimè impletur.

Non deſunt tamen, his non obſtãtibus, affirmatiuã ſententiam docentes, & ita ex veteribus docet Henricus de Gandauo *quodlib. 3. quæſt. 19. & quodlib. 13. q. 15.* & ex recentioribus alter Ledeſma *in 4. diſt. 38. diſp. 1. poſt 12. concl.* & ſapiẽtiſſimus ſenex Nauarrus *lib. 3. conſil. tit. de voto, in 1. edit. conſil. 19. & in 2. edit. conſil. 25 per totum*, mordicus ſuſtinet hanc ſententiã, quia votum ingreſſus Religionis intelligitur ad experiendũ eo modo, quo in iure ſtatutũ eſt, ſed annus probationis iure conceditur, vt Nouitius Religionẽ experiatur cum omnimoda exeundi libertate, *c. 1. & 2. de Regul. in 6.* ergo cum eadem libertate id votũ intelligitur. Confirmatur hæc ſententia ex alia doctrina Caietani *in 2. 2. q. vlt. art. 4. dub. 3.* Armillæ *ver. Nouitius, n. 10.* Couarruuiæ *de pactis 1. par. §. 3. ad finem.* Nauarri *in manuali c. 10. n. 47.* & aliorum aſſerentiũ cauſam legitimã egrediendi è Religione eſſe ſolam Religionis diſplicentiam, & inuenire eam non gratam & commodam ſibi; ſed auctores negatiuæ ſententiæ ſano modo intelligant hos Doctores, ſcilicet non de diſplicentia omnino libera, ſed cum paſſione, anxietate, triſtitiaque animi, ſiue ea oriatur ex naturali aliqua cauſa, ſiue ex dæmonis tentatione, dummodo tempore notabili duret, vt integro menſe, & conans ille expellere nequeat; atque tanta poſſet repentè anxietas

animo Nouitij superuenire, statim suscepto habitu, vt rationabiliter crederet fore vt non posset Religionem tolerare, & sic iustam exeundi causam haberet. Ita Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. c. 16. nu. 100.*

Sed quærendum est hic obiter, an quis censeatur satisfeciſse voto, si ingrediatur Religionem, verùm culpa sua posteà expellatur? Affirmatiuè respondet Azorius *part. 1. lib. 11. c. 22. quæs. 9. in fine*, quia id votum ad solum ingressum bona fide obligat; sed hoc à vouente adimpletum fuit; ergo voto satisfecit. Sed contrariam sententiam tenet Toletus *in summ. lib. 4. cap. 17. num. 12. & cap. 18. num. 2.* quia ille cuius culpa conditio non impletur, tenetur perinde ac si conditio impleta esset; sed in voto Religionis intelligitur conditio, si hic in Religione retineatur: ergo sua culpa non retentus manet perinde obligatus, ac si ingressus non fuisset, & ac si dimissus non esset, & ideò hæc opinio est probabilior.

Nota verò quòd in vno casu opinio affirmatiua Azorij apud me certa esset, scilicet quando talis mediocrem diligentiã adhibuit ad culpas suas corrigendas, & ad se Religionis instituto accommodandum, & ex infirmitate, prauisque habitibus, aut ex praua indole, qua præditus erat, non se ad Religionis instituta accommodauit, aut in eas culpas lapsus est; in tali, inquam, casu certum est etiamsi talis expellatur à Religione propter suos defectus, & ex sua culpa, voto satisfeciſse, nec ad aliquid ampliùs faciendum, astrictum esse.

Resol. XXVI. *An qui facit opus, cui imponitur pœna inhabilitatis, statim ipsam incurrat ante Iudicis sententiam?*

HÆc quæstio sæpiùs in praxi potest accidere. nam in Bullis Pontificiis non rarò imponitur pœna inhabilitatis ad officia & dignitates, præsertim contra Religiosos; & affirmatiuam sententiam docet Corduba, Mexia, Medina, Aragon, Salonius, & Rodriquez, quos citat Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. c. 39. num. 31.* quia talis pœna est pœna priuatiua, non priuans aliquem aliquo iure quæsito, ac possesso, sed solùm acquirendo. ergo non est expectanda Iudicis sententia, sicut non expectatur in excommunicatione & ceteris censuris.

At his non obstantibus, negatiuam sententiam docet Thomas Sanchez *vbi suprà num. 32.* cum Nauarro, Molina Theologo, & Martino Ledesma, quibus ego addo Villalobos *in summa tom. 1. tract. 2. diffic. 25. num. 3.* & Portel *in dub. Regular. ver inhabilitas, nu. 3.* quia non omnes sententiæ priuatiuæ nullam Iudicis executionem petentes incurruntur absque vlla sententia, sed id peculiare est in excommunicatione, suspensione, & interdicto, vt latè probat ipse Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 30. n. 2.* ceteras rationes videbis apud Sanchez & Portel. Igitur si aliquis faciat actum cui imposita est inhabilitas ad officia & beneficia, non tenetur ante Iudicis sententiam subire dictam pœnam, & ita posset illud officium, vel beneficium acceptare; vel iam obtentum non relinquere. Et ideò Sotus *de iustit. lib. 4. quæst. 6. art. 34.* docet scholasticos in Academiis, qui violantes præceptum, vel statutum illarum, incurrerunt inhabilitatem, posse dare suffragium in electione ad cathedram, si delictum sit occultum, quia in dictam inhabilitatem non incurrunt, nisi post Iudicis sententiam. Sed ego puto primam opinionem affirmatiuam esse probabiliorem, & sequendam; si quis autem sequi vellet hanc secundam, docentem quòd pœna inhabilitatis non incurritur ante Iudicis sententiam, si quis, inquam hanc opinionem sequi vellet, ego eum non damnarem, habet enim pro se graues Doctores, & rationes satis probabiles.

Resol. XXVII. *Quidam iurauit dare meretrici pro actu fornicario centum aureos, quæsiuit posteà an ratione præstiti iuramenti teneatur illos soluere?*

REspondi negatiuè, quia promissio prodiga etiã iureiurando firmata obligat solùm ad quantitatem, in qua nulla est prodigalitas, non verò quoad incrementum, vt tradit Sotus *lib. 4. quæst. 7. art. 1. ad 2.* Martinus Ledesma *in 2. part. quarti, quæst. 18. art. 5. §. circa 2. membrum.* Mercatus *de contract. lib. 6. cap. 16.* Palacius *de contract. lib. 5. cap. 11.* Aragon *in 2. 2. quæst. 89. art. 7.* Salonius *in 2. 2. quæst. 62. art. 5. controuers. 4. post. 3. conclus. & ibi* Bannez *dub. 5. conclus. 3.* & alij; licet probabiliter Molina *de iustit. tom. 2. disp. 271.* & alij contrarium sentiant. Itaque obligaui dictum consulentem per manus alterius personæ soluere tantùm illam pecuniarum summam, quam huiusmodi meretricibus dare consueuerunt viri eius conditionis æquales. nam cùm talis promissio fuerit prodiga, etiamsi iuramẽto fuerit vallata, obligabat tantùm ad illam summam, in qua nulla aderat prodigalitas.

Nec valet dicere cum Caietano *in 2. 2. quæst. 32. art. 7.* & Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 5.* quòd in promissione meretrici facta, licet adsit culpa, quòd sit approbatio actus turpis, & ad eum inductio, at in solutione post actum turpem, vt erat in casu nostro, nulla adest culpa. ergo, &c. Nam respondeo, quòd hoc argumentum vim haberet, si promissio illa non fuisset prodiga, & ideò ego iuuenem illum obligaui ad illam mediocrem summam, sed non procedit in tota summa promissionis prodigæ, vt est in casu de quo loquimur.

Nota etiam quòd multi probabiliter sentiunt, vt ego ipse alibi notaui, promissionem factam meretrici pro actu turpi absolutè non obligare in conscientia, etiam post actum turpem, secluso tamen iuramento.

Resol. XXVIII. *An iuramentum metu, aut dolo adiectum contractibus inualidis, & de iure reprobatis, obliget in conscientia?*

VT, v. g. in alienatione fundi dotalis, in renuntiatione futuræ successionis, in contractibus minorum absque solemnitate iure petita celebratis, &c. & prima opinio affirmatiuam sententiam docet, quia talia iuramenta, nec iure naturali, nec humano sunt irrita; ergo obligant. & ita tenet vterque Molina Theologus & Iurista, hic *lib. 2. de primog. cap. 3. numer. 13. tuncto numer. 12.* ille *de iust. tom. 1. disp. 149.* hanc etiam sententiam docet Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 7. nu. 51.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 2. cap.*

*cap.*11.*à num.* 14. Couarruuias *lib.*1.*var.cap.*4.*nu.*7. Guttierrez *de iuram.par.*1.*cap.*57.*num.*19.& alij penes ipſos.

Secunda opinio negat in his caſibus iuramentum adiectum obligare, & ideò non indigere relaxatione; ita Sarmiento *de redditibus Eccleſ.part.*1. *c.*4.*nu.*7. Azorius *tom.*1.*lib.*11.*c.*7. *q.*2. Rolandus à Valle *conſil.*10.*nu.*130.*vol.*4. Angelus *ver. Iuramentum* 5.*n.*10. Sylueſter *ver.Iuramentum* 4.*quæſt.*8. Pariſius *de reſignat.benefic.lib.*13 *quæſt.*2.*n.*12. D. Antonin.3.*part.tit.*10.*cap.*6.*in principio caſ.*5 gloſſa *in cap. quamuis pactum,de iuramen.in* 6. Grammaticus *deciſ.* 103.*num.*70.& alij. Vnde vtraque opinio eſt probabilis,ſed prima eſt probabilior.

RESOL. XXIX. *An Superiores poſſint irritare vota emiſſa tempore ſubiectionis, implenda tempore illius ſolutæ?*

VT ſi, v. g. vxor aliquid promittat in tempus viduitatis, impubes in tempus pubertatis, pubes in tempus quo liberam bonorum diſpenſationem habuerit,ſeruus dum fuerit liber,&c.

Prima opinio vtitur diſtinctione, nam aliqui ex ſupradictis ſunt plenè ſubditi Superiori quoad voluntatem cui ad plenum eius regimen traditi ſunt, quales ſunt Religioſi reſpectu ſuorum Prælatorum, & filij impuberes reſpectu patris,& tutoris; alij verò ſunt tantùm ſubditi quoad aliqua obſequia,& aliquod voluntatis regimen, quales ſunt ſeruus domino,vxor viro, filij puberes patri, & curatori. Priorum ergo vota facta ad tempus ſolutæ poteſtatis,poſſunt Superiores irritare, non autem poſteriorum,& ita docet Sanchez mutans ſententiam *in ſumm.to.*1.*lib.*4. *cap.*29.*n.*31.

Secunda ſententia abſolutè facultatem ſupradictam cuicumque Superiori denegat, quia votum refertur in tempus ſolutæ ſubiectionis, & ita tenet Caietanus *in* 2.2.*quæſt.*88.*art.*8. *dub. penult.in ſolut.ad* 3. Nauarrus *in ſumm.cap.*12.*nu.* 66. Aragon *in* 2.2.*quæſt.*88.*art.*8.& alij.

Tertia ſententia eam facultatem omnibus Superioribus habentibus facultatem dominatiuam concedit, quia tempore, quo votum emittitur, voluntas ſubditi ſubditur Superiori ſiue abſolutè, ſiue quoad materiam promiſſam,quantũcumque executio in aliud tempus differatur. Deinde ſequitur ex tali voto prætudicium Superiori, nam tempore,quo eſt Superior,& alter ſubditus, eum non recognoſcit vouens ſine eius conſenſu. Et hanc ſententiam probabiliorem vocauit Sanchez *de matrim.lib.*9.*diſp.*39.*n.*16.licet poſteà *loco citat. in ſumm.*tantùm probabilem vocet; ſecluſo tamen voto ſerui emiſſo in tempus, quo libertate donatus fuerit; & illam abſolutè tenet Petrus de Ledeſma *in ſumma to.*2.*tract.*10.*c.*7.*dub.vlt.dict.*10. Vega *in ſumm.to.*2.*cap.*129.*caſ.*20. & alij.

Sed ſtando in prima opinione, ego olim putaui aliquos probabiliter conſuluiſſe,patrem potuiſſe votum irritare Religionis à filio emiſſum, poſt annos pubertatis exequendum; & hanc ſententiam ſummopere notent Confeſſarij, & caſuum conſcientiæ reſponſores, quia in caſibus contingentibus plurimum deſeruire poterit.

RESOL. XXX. *An auctoritas vnius Doctoris probi & docti reddat opinionem probabilem?*

AFfirmatiuè reſpondẽt Angelus,Nauarrus,Valentia, & Sà, quos citat & ſequitur Sanchez *in ſumm.tom.*1.*lib.*1.*cap.*9.*nu.* 7. quia illa eſt opinio probabilis, quæ non leui innititur fundamento; ſed auctoritas viri docti & pij non eſt leue fundamentum,maximè ſi adducat aliquam rationem probabilem, & eius opinio non ſit contra communem.ergo,&c.

Sed hæc ſententia ita abſolutè prolata non placet Laurentio de Portel *in dub. Regular. ver. opinio eligenda.n.*4.& ideò illam limitat,vt vera ſit in caſu nouo numquam ab aliis diſputato,tunc enim quis poterit quietari cum dicto vnius tantùm Theologi dicentis licere, & aliquam rationem habentis:ſecus in caſu à multis aliis ventilato, & pluribus rationibus in contrarium ac Doctoribus munito; tunc enim non eſt acquieſcendum vnius Doctoris dicto, obſtantibus aliis multis, & Doctoribus & rationibus, & ſic eſt intelligendus D. Thom.cùm dixit,poſſe aliquem acquieſcere dicto ſolius Magiſtri, in caſu ſcilicet numquam ab aliis ventilato, & cuius noui caſus ipſe Magiſter reſolutionem colligit ex dictis ab aliis. Ita Portel.

Sed non deſinam hîc adnotare ſententiam affirmatiuam Sanchez ſine vlla limitatione, docere etiam abſolutè Merollam *tom.*1.*diſp.* 3.*cap.*4.*dub.*1. *num.*4. Filliucium *to.*2.*tract.*21.*cap.*4.*n.*134.& alios.

Notandum eſt tamen hîc obiter cum Villalobos *in ſumm.to.*1.*tract* 51.*diffic.*7.*nu.* 3. *Que la opinion de vn Doctor ſingular, qué ſuſtenta el valor del matrimonio ya hecho, como ſe funde en razon probable, ſe ha de preferir à la opinion de muchos, que la impuñen como dizen Hoſtienſe, Iuan Andres, Ancarano, Alexandro de Neuo in cap. ſi vir, de cognat. ſpir. y que eſta doctrina de vn Doctor ſingular ſe eſtenda à qualquiera cauſa pia lo dize Beroio in cap.*1 *num.*281.*de conſtit.* Ita ille, cuius ſententiam ſequitur Caſtrus Palaus *in opere morali tom.*1.*diſp* 2 *punct.*1 *num.*12.

RESOL. XXXI. *An ſubditus poſſit non obedire præcepto Superioris, quando probabiliter iudicat eſſe illicitum, vel extra eius iuriſdictionem?*

OPinio communis & probabilior, vt notaui *in* 2.*parte tru* 13.*reſ.*10. negat,& pro illa adduxi plures Doctores,quibus nunc addo Antonium Perez *in laurea Salmantina certam.*10.*ſcholaſt.nu.*115. Azorium *tom.*1 *lib.*2. *cap.*17.*quæſ.*9. Salas *in* 1. 2.*tr.*8. *diſp vnic.ſect.*8.*num.*76.& alios penes ipſos, quia in tali caſu cùm Superior habeat ius præcipiendi, nam ſaltem ex probabili ratione mouetur; ergo ſubditus tenetur ei obedire, quia ſubditus tenetur parere,quoties abſque peccato id poteſt facere,vt eſt in caſu noſtro.

Verùm *loco citat.*pro contraria ſententia adduxi Ioannem Sancium, cui nunc addo Caſtrum Palaum *in opere mor.to.*1.*diſp.*2.*punct.*6.*n.*5. quia licitum eſt ſubdito non parere Superiori præcipienti, quando eſt opinio probabilis non eſſe obligatum parere,vt docet Sanchez *in ſumm.tom.* 2.*lib.*6.*ca.*3. *num.*7. Sayrus *in claui Regia lib.*1.*cap.*12.*num.*6. Turrianus

tianus *de iustit. tom.1. disp.50. dub.5. nu.9.* Petrus Navarra *de restit. lib.3. part.3. dub.13. num.239.* & alij. Sed quando est opinio probabilis non esse licitum quod præcipit Superior, vel esse extra eius iurisdictionem, est opinio probabilis non esse obligatum parere. ergo, &c. Probatur minor, quia probabilitas opinionis deobligantis subditum obedire, in nullo alio capite efficaciori fundari potest, quàm in eo, quòd probabile sit rem imperatam illicitam esse, vel extra Superioris iurisdictionem. Et confirmatur, quia ideò, quando est probabilis opinio, non teneri subditum obedire, deobligatur subditus ab obedientia, in sententia Sanchez & aliorum DD. *vbi suprà*, quia possessio Superioris in illa materia vocatur in dubium. Sed similiter vocatur in dubium potestas Superioris, cùm probabilis est opinio illicitum præcipere, aut eius iurisdictionē excedens; ergo, &c. Deinde numquam Superior fuit in possessione imperandi illicitum, aut excedens eius iurisdictionem, vt patet; sed est probabile, v.g. tale præceptum esse illicitum, vel excedens eius iurisdictionem. ergo est probabile non habere Superiorem ius præcipiendi; ergo est probabile subditum non teneri obedire, & hæc omnia præter multas alias rationes docet Palaus *vbi suprà* doctè, acutè & probabiliter, vt semper solet; & ad argumentum adductum pro prima sententia respondet Superiorem habere ius præcipiendi, quod est licitum certò, & indubitabiliter; quod verò sub opinione tantùm licitum est, etiam sub opinione ius habet, & ita hanc posteriorem sententiam ante Palaum & Sancium docuit ex almo Ordine Prædicatorum Petrus Ledesma *tr. de statibus*, vbi de Religiosis in communi, *c.4.* sed vt dixi, prima opinio est communior & probabilior.

Non desinam hîc etiam adnotare Salas *vbi suprà num.78.* Lessium *de iust. lib.2. cap.41. dub.9. nu.77. in fine.* Lorca *in 1.2. to.2. disp.26. §. aduerte præterea.* Sancium *in selectis disp.33. num.31.* Vasquez *in 1.2. quæst. 89. art.6. disp.6. cap.6. in fine.* & alios, quos citat & sequitur Palaus *loco cit. num.7.* docere etiam quòd si sub opinione probabili est Superiorem non esse legitimum, quia, v. g non legitimè est electus, vel ex alio capite, subditum non esse obligatum obedire, quia tunc non est possessio certa Superioris, cùm de eius possessione probabiliter subditus dubitet; licet contrariam sententiam doceat Sanchez *in summ. to.2. lib.6. cap.3. nu.29.* sed vtraque opinio est probabilis.

Resol. XXXII. *An milites non subditi alicuius Principis teneantur inquirere iustitiam belli?*

Milites subditi ad hoc non tenentur; difficultas est de militibus non subditis, & quia casus in praxi frequenter potest accidere, ego *in 2. part. tract.5. res.96.* adduxi aliquos Doctores pro negatiua sententia, quibus nunc addo Castrum Palaum *in opere mor. to.1. disp.2. punct.8. nu.4.* vbi sic ait: Valdè probabile est eodem modo milites non subditos bellare posse, ac possunt subditi, neque aliquam esse inter illos differentiam, quia cuilibet licitum est alterum iuuare in re, quæ præsumitur iusta, præcipuè cùm non leue emolumentum inde accipiat; cùm igitur bellum præsumatur iustum, dum de iniustitia non cōstat, efficitur posse quēlibet in illo iuuare. Ita ille. Negamus igitur cū Sanchez *in sum. to.2. lib.6. c.3. n.16.* Molina *de iust. tom.1. tr.2. disp.114.* & aliis, milites non subditos non posse bellare, nisi certitudine morali constet illis bellum iustum esse. Imò ego puto, si milites tam subditi, quàm non subditi dubium habeant positiuū, hoc est rationes probabiles pro vtraque parte de iustitia belli, posse se illis conformare; si autem rationes ita sint vrgentes de iniustitia belli, vt dicti milites probabiliter nequeant illas soluere tenerentur tunc aliquo modo veritatem inquirere, ne se periculo morali iniustitiæ exponant; tamen hoc onus addit Palaus ex Suarez non esse facilè militibus imponendum.

Resol. XXXIII. *An si quis ex metu cogatur matrimonium contrahere, licet in genere, si postea contrahat, matrimonium sit inualidum?*

Negatiuè videtur respondendum ex sententia Azorij *to.1. lib.1. cap.11. quæs.11.* Ioannis Lupi *in cap. per vestras, de donat. inter virum & vxorem, notab.3. §.11. nu.1.* Abbatis, Felini, Imolæ, Iasonis, & aliorum, quos affert Couarruuias *in 4. Decret. part.2. ca.3. §.5. n.8.* asserentes, quòd si quis ex metu cogitur contrahere matrimonium cum aliqua ex filiabus Pauli, matrimonium tenet, quia in tali casu nulla adest coactio circa electionem illius feminæ, sed circa electionem absolutè.

Sed ego magis probabiliter puto in tali casu matrimonium esse nullum, quia vt matrimonium sit liberum, non sufficit electio huius, vel illius personæ, sed requiritur vt electio talis status liberè plena sit, & non coacta, vt rectè docet & obseruat Castrus Palaus *in opere morali to.1. tr.2. disp.1. punct.9. num.9. ad 1. arg.* & ideò affirmatiuam sententiam contra Doctores citatos in casu illius matrimonij ex metu contracti docet Salas *in 1.2. tract.3. disp.3. sect.1. n.27.* Rebellius *part.2. lib.2. quæst.11. sect.1. n.11.* Sanchez *de matrimon. tom.1. lib.4. disp.12. num.20.* & nouissimè Basilius Pontius *de matrimon. lib.4. cap.14. num.14.* vbi rectè obseruat, quòd non obstat si alicubi consuetudine inductum sit, vt aliqui non contrahant, nisi cum aliqua ex certo genere, vel etiam lege induci possit. nam ea consuetudine, aut lege nulla vis infertur, cùm possit non nubere; & præterea lex illa, vel consuetudo acceptata est voluntate & moribus vtentium; & cùm iusta sit, non infertur vis ab extrinseco. ergo, &c.

Notandum est etiam hîc obiter contra Sanchez *de matrim. lib.4. disp.14. n.2.* Azorium *to.1. lib.11. c.11. quæs.6.* Coninch *de Sacram. disp.28. dub.1. conclus.5.* & alios penes ipsos, matrimonium ex graui metu initum esse nullum, non solùm, vt citati Doctores asserunt, de iure Ecclesiastico, sed etiam inspecto iure naturali, atque ideò non tantùm in Ecclesia, sed etiam extra Ecclesiam matrimonium esse nullum dicendum est, si ex metu graui iniustè illato celebratum sit; & ita docet Pontius *loco cit. num.4.* Comitolus *in respons. moral. lib.1. quæst.123.* Scotus *in 4. dist.29. quæst.1. art.2.* Rebellius *par.2. lib.2. quæst.11. sect.1. concl.21.* & ante omnes omnium Magister D. Thom. *in 4. dist.29. quæst. vnic. art.3. quæstiunc. 1. in corp.* & alij.

Nota

Nota etiam ea,quæ dicta ſunt,locum habere in conſtitutione Procuratoris ad matrimonium, nam ſi ex metu graui fiat, erit nulla iure naturali, & poſitiuo,& per conſequens matrimonium nullum, vt obſeruat Pontius *loco cit.n.16.* & latè probant viri doctiſſimi in allegatione quam impreſſam penes me habeo *art.2.fol.5.* ſuper matrimonio inito per Procuratorem, *die 23.Ianuarij 1590.* inter Excellentiſſimum D. Antonium Aluarez de Toledo Ducem de Alua de Alcala,quia eadem libertas,quæ requiritur tempore contractus matrimonij,requiritur tempore quo Procurator conſtituitur ad illud contrahẽdum,& ſubinde ſi tunc non adeſt liber conſenſus,vitiabitur ipſa Procuratoris conſtitutio, ac perinde vitiabitur matrimonium eius virtute contractum,quoniam qualitas metus quæ à principio adfuit,dicitur durare.

Aduerte tamen quòd ſi parentes cogerent filios ad matrimonium ineundum, non incurrerent in excommunicationem latam in Conc.Trid.*ſeſſ.24. cap.9.de matrim.* Ita Villalobos *in ſum.to.1.tract.13. diffic.38.num.4.*qui citat Sanchez & Henriquez.Et tandem nota quòd matrimonium erit validum,ſi Iudex cogat iuſtè matrimonium contrahere, ſecundùm allegata & probata; iniuſtè tamen ſecundùm rem, vt ſi cogat aliquem contrahere cum femina poſt promiſſionem datam fornicante. Ita Sanchez *de matrimonio lib.4.diſp.14.num.8.* Sed ego magis probabiliter puto in tali caſu matrimonium non eſſe validum. Ita Baſilius Pontius *de matrimonio lib.4.cap.19.n.11.*

RESOL.XXXIV. *An ſi quis minatur malum abſque animo inferendi,etſi poſſet iuſtè inferre,valeat retinere quod ſic extorqueat?*

VT, v.g. poteſt quis homicidam aliquem accuſare apud Iudicem; poteſt quis repetere pecuniam credito in ludo perditam; quæritur an ſi vir nobilis ob verecundiam accuſaturus non erat,aut ex alio motiuo accuſare nolebat, vel pecunias perditas nolebat in iudicio repetere, poſſit adhuc accuſationem, & repetitionem minari, & retinere illa,quæ ab aliquo ſic minãdo extorquet? Caſus poteſt faciliter accidere,& non eſt ita facilis,vt aliquis forſitan putaret.nam negatiuam ſententiam docet Ludouicus Molina *de iuſt.to.2.tract. 2.diſp.514.n.4.*quia fallacia ac ſimulatione,& iniuſtè a b illo extraxit,& dolus in hoc caſu dedit cauſam cõtractui:ergo,&c hæc opinio eſt probabilis.

Sed ego contrariam ſententiam tanquam probabiliorem amplector,quam tuetur Leſſius *de iuſt. lib.2.c.17.dub.6.n.42.*Sanchez *de matrim.tom.1.lib.4. diſp.9.num.9.*quibus ego addo Caſtrum Palaum *in opere morali tom.1.tract.2.diſp.1.punct.10.n.5.*& ratio eſt,quia etſi non habeat animum,habet tamen ius accuſandi,eoque iure vti poteſt,quod quidem ius eſt pretio æſtimabile, ſiue habeat animum eo vtendi,ſiue non: ergo. Nec obſtat quod ſimulatio, fallacia & dolus dedit cauſam contractui, quia non fuit dolus malus,ſeu iniuſtus,ſed iuſtus. nam iuſtè poterat minari accuſationem, & repetitionem pecuniarum in iudicio, ſiue haberet animum, ſiue non, neque illud quod datur, datur vt deponat animum, ſed vt re ipſa non accuſet, neque pecuniam repetat, & iure accuſandi, aut repetendi cedat, quorum vtrumque ille præſtat; ergo,&c.

RESOL. XXXV. *An aliqua ignorantia quæ aliàs eſſet mortaliter culpabilis, quæ non ſit affectata,aut craſſa, excuſet à tranſgreſſione præceptorum humanorum?*

PRima ſententia negat,ſic Caſtrus Palaus *in op. mor.tom.1.tract.2.diſp.1.punct.16.n.3.* vbi ſic ait: Fateor tenuitatem ingenij mei, non enim percipere poſſum quomodo detur ignorantia mortaliter culpabilis,& tranſgreſſio præcepti ex tali ignorantia mortalis non ſit. nam tota materia tranſgreſſionis conſiſtit in negligentia culpabili ſciendi præceptum, imò potiùs non eſt alia malitia omiſſionis,v.g.ieiunij,vel Miſſæ præceptæ,quàm eſt in illa culpabili negligentia: ſi ergo illa negligentia eſt culpabilis mortaliter, omiſſio culpabilis mortaliter erit;nequit ergo negligentia culpabilis mortaliter reddere violationem venialiter culpabilem. Ita Palaus, & ante illum Suarez *in 3.part. tom.3.diſp.82.ſect.3.verſ.ſecundò dubitari ſolet.*

Secunda ſententia affirmat.Ita Bonacina *in Decal.diſp.2.quæſt.8.punct.3.n.21.* Sanchez *in ſum.tom.1. lib.1.cap.17.n.19.*Valentia *to.2.diſp.6.quæſt.6.punct.3. verſ. poteſt etiam,* & alij aſſerentes à tranſgreſſione præceptorum humanorum excuſare etiam ignorantiam inuincibilem quæ in aliis materiis eſſet mortalis,dummodo non ſit craſſa,vel ſupina,quia ius humanum non obligat cum tanto rigore, vt obligat ius diuinum;ſed has ſententias pugnantes conatur conciliare Merolla *in diſp.Theolog. tom.1. diſp.1.cap.2.dub.10.n.167.*

Verùm quidquid ſit, certum eſt non peccare ſaltem mortaliter tranſgredientes præcepta Eccleſiæ,v.g.ieiunij,obſeruationis feſtorum bona fide,ex cauſa, quam ſufficientem putant, quamuis reuerà ſufficiens non ſit, quia cùm præcepta ſint humana, non obligant cum tanto rigore ad inquirendas cauſas excuſantes, & tollendam ignorantiam,vt obligant præcepta iuris naturalis. Ita Caietanus *in ſum.ver.Ieiunium cap.3.& ver.Feſtorum violatio.* Henriquez *lib.9. cap.25. num.10.* Azorius *tom.1.lib.7.cap.7.quæſ.4.in fine.* Leſſius *lib.4. cap.2. dub.5.num.34.* Armilla *ver.Ieiunium,n.2.& 6.& ver. feſtum,num.10.*Emanuel Sà *ver.ieiunium,n.14.*& alij.

Nota etiam, peccatum ex ignorantia culpabili, vel ſcientia commiſſum non ita differre,vt neceſſariò debeas in confeſſione eorum differentiam explicare,videlicet an fuerit commiſſum ex ignorantia culpabili, vel ſcienter. Ita Tannerus *in 1.2. diſp.4.q.9.dub.1.num.26.*Suarez *in 3.part.tom.4.diſp. 22.ſect.4 num.14.*Secus autem ſi peccatum procederet ex ignorantia affectata liberiùs peccandi,& ſine remorſu. nam in tali caſu Caſtrus Palaus *loco cit.punct.16.n.3.* putat tale peccatum eſſe explicandum in confeſſione, tamquam conſtituentem ſpecialem malitiam aduerſantem voluntati Deo ſeruiendi;ſed Sanchez *vbi ſuprà cap.17.in fine,*tenet tale peccatum eſſe declarandum tamquam ſolum augentem malitiam.

Resol. XXXVI. *An vt ignorantia dicatur vincibilis, sufficiat te esse obligatum aduertere?*

Affirmatiuè respondet Valentia *to. 2. disp.6.q.6. punct.1.* Zumel *in 1.2. q. 76. art.3. disp. 2.dict.4.* Alphonsus Curiel *ibidem dub. 3. §. 3.* & nonissimè ex Societate Iesu Iacobus Gordonus *in Theol.mor. to.1.lib.1.quæst.8.cap.10.n.37.* vbi sic ait:Satis est ad peccatum mortale contrahendum(cognito obiecto)cognitio malitiæ, quam vocant interpretatiuam,vt contingit,dum ratio actu non considerat malitiam, potuit tamen, & debuit considerare. Hanc certè sententiam probat D. Thom. *in 1.2. q.73.art.8.* docens satis esse,quòd fuerit in potestate operantis aduertere, licet ex negligentia id non fecerit.Ita ille, qui testatur hanc sententiam accepisse à P.Suarez, dum publicè Romæ legebat *anno* 1582.vnde posteà subdit: Malè ergo concludunt aliqui nullum committi peccatum, nisi præcesserit vel expressa cognitio malitiæ,vel dubitatio de mali periculo; & cur non dicent requiri necessariò etiam cognitionem de offenso Deo, cùm sit necessaria connexio cum actu morali malo? Præterea ista reprehensio conscientiæ (quam ponunt in cognitione periculi,aut mali,)si esset necessaria ad peccandum, quomodo diceret Paulus se non habere reprehensionem conscientiæ, & tamen posse habere peccatum. Cùm ergo Paulus doceat peccatum posse consistere,& sine vlla mali notitia contrahi, sequitur non rectè aliquem requirere conscientiæ apprehensionem.Hæc Gordonus,qui alias etiam adducit rationes pro hac firmanda sententia.

Sed illam improbabilem vocat Salas *in 1.2.tra. 13.disp.8.sect.vlt.nu.* 87. ego tamen opinionem doctorum virorum aliqua ratione fulcitam,nec possum,nec debeo nota improbabilitatis vrere, vt Salas facit, & ideò existimo illam probabilem esse; verùm contrariæ sententiæ tamquam probabiliori,& communiori libenter adhæreo. Dico igitur, quòd vt ignorantia dicatur vincibilis,non sufficere aliquem ex statu & officio esse obligatum aduertere,nisi aliqua cognitio,dubitatio,vel scrupulus de malitia,aut obligatione adsit;quare nullum esse peccatum mortale in voluntatis consensu censeo,nisi cogitatio aliqua præcesserit, & consideratio expressa, quam actualem vocant malitiæ moralis,vel periculi,vel saltem expressa aliqua dubitatio,vel scrupulus.Itaque vt quis peccet mortaliter (ô quàm suaue & leue est iugum Domini) debet considerare,vel opus illud esse malum, vel ibi esse malitiæ periculum, vel dubium, vel scrupulum saltem aliquem habere, & sic non satis est cognitio illa virtualis, seu interpretatiua, quam sufficere dicebat Gordonus *vbi suprà.* & ita hanc sententiam præter Salas *loco cit.* multis rationibus firmat Sanchez *in summ.to.1.li.1.c.16.n.21.* Vasquez *in 1.2.quæst.74.art.7.disp.107.c.3.à n.6.& q.76.art.2. disp.123.n.6.* Portel *in dub.Regul.ver.Ignorantia,n.11.* Castrus Palaus *in opere morali to.1.tra.2. disp.1.punct. 15.n.5.* Aluarez *in 1.2.quæst.74.art.8.disp.144. num.6.* Coninch *de actibus supernat.disp.14.dub.11.num.229.* Sayrus *in claui Regia lib.2.cap.9. nu.* 20. Reginaldus *tom.1.lib.11.cap.3.num.* 32. Tannerus *in 1.2. disput.4. quæst.9.dub.1.n.17.* Layman *in Theol. mor.l.1.tr.2.c.4. n.6.*& ratio est, quia si numquam in mentem venit cogitare; aut suspicari de operis malitia, tunc homo non operatur malum deliberatè, cùm fieri non possit vt voluntas in malum peccati consentiat,nisi intellectus illud cognoscat.ergo,&c.

Vnde ex his deducitur sano modo intelligenda iura ac Doctores,dum dicunt esse par,scire,& debere scire. nam intelligenda sunt quando adfuit aliqua actualis plena, & sufficiens ad mortale aduertentia ad malitiam,eiusque periculum,seu dubium,aut scrupulus,quia dum hęc actualis aduertentia non adfuit,non est in nostra potestate proxima expellere eam ignorantiam,aut non est plenè,ita vt ad mortale peccatum sufficiat.

Sed si aliquis hîc incidenter quærat, quibus in rebus contingere possit ignorantia inuincibilis? Respondeo cum Tannero *in 1.2.D. Thom disput.4. quæst.9.dub.1.nu.14.* ex communi & vera sententia ignorantiam inuincibilem contingere posse non solùm circa ius positiuum humanum, ac particulares facti circumstantias,sed etiam circa ius positiuum diuinum, & mysteria fidei nostræ, imò etiam circa ius naturale, non quidem quoad vniuersalissima præcepta iuris naturæ,sed quoad alia, faciliùs quidem & frequentiùs circa ea, quæ difficiliùs ex præceptis vniuersalibus naturæ deducuntur,vt est,v.g.bigamia,accipere lucrum ex mutuo,proprias iniurias vlciscì,& simplex fornicatio, aut etiam mendacium officiosum, &c. difficiliùs autem,nec ferè nisi pro breui tempore circa precepta illa,quæ facilè ex vniuersalibus illis præceptis deducuntur, vt sunt cultus vnius veri Dei, & cetera quæ directè continentur in præceptis Decalogi.Ita ille.Sed ne prætermittas videre Merollam *to.1.disp.1.cap.2.dub.6.per totum.* Ex quibus apparet me olim rectè respondisse ignorantia inuincibili laborasse puerum putantem pollutionem voluntariam non esse peccatum,& mysteria fidei, sicuti etiam alia præcepta positiua posse ab aliquibus inuincibiliter ignorari;vt autem Confessarius iudicet,an circa supradicta ignorantia sit inuincibilis,recurrat ad doctrinam superiùs positam,discutiendo an in mentem pœnitentium dubium aliquod, vel saltem scrupulus de harum rerum malitia venerit; si enim nil horum venerit, ignorantia reputabitur inuincibilis.

Resol. XXXVII. *An ignorantia vincibilis sit peccatum speciale distinctum ab eo,cuius est causa?*

Ad hoc dubium Layman *in Theol. mor. l.1.tr.2.c. 4.n.10.*& Vasquez *in 1.2.disp.126.c.3.& disp.119. c.2.& 3.* respondent,quòd ignorantia atque sciendi negligentia earum rerum, quarum cognitio per se,siue ratione sui præcipitur, est speciale peccatum oppositum ei virtuti, quæ in talium rerum cognitione versatur;videlicet negligentia in cognoscendis fidei mysteriis ad credendum necessariis,est peccatum fidei oppositum;ignorantia autem atque cognoscendi negligentia earum rerum,quarum cognitio non per se præcipitur, vel prohibetur,non est speciale peccatum, sed accipit speciem suam à legis transgressione,cuius causam, vel periculum præbet. v. g. vincibilis ignorantia,

vtrùm

vtrùm ieiunij dies ſit, quo carnem comedis, pertinet ad peccatum intemperantiæ; vincibilis ignorantia, vtrùm Sacerdos ſit, quem percutis, ad peccatum ſacrilegij, neque tunc refert ad formalem peccati malitiam, vtrùm reuerà dies ille ieiunij ſit, vel vtrùm Sacerdos, qui percutitur, ſufficit ſi ſubuerto dubio & non diſcuſſo commiſiſti te periculo taliter peccandi.

Sed Tannerus *in* 1.2. *D.Thom. diſp.* 4. *quæſt* 9. *dub.* 1. *num.* 12. circa præſentem quæſtionem paulò aliter diſtinguendum cenſet, ait enim quòd quædam ſcire tenemur per ſe, ſeu ſine reſpectu & ordine propinquo ad opus aliquod particulare, vel, quod idem eſt, non ex ſola ſuppoſitione operis alicuius particularis, quales nimirum ſunt articuli fidei, præcepta Decalogi, ſub quibus etiam cõprehenditur modus ritè Deum colendi, communia item præcepta Eccleſiæ, & quæ præterea ad cuiuſque ſtatum & officium pertinẽt, in quibus etiam comprehenduntur nonnumquam quæſtiones aliquæ facti, tenetur enim Epiſcopus, aut Parochus ſcire, vtrùm ſubditi confiteantur, & cõmunicent præſcripto tempore. Alia verò ſunt, quæ ſolùm per accidens, ſeu ex ſuppoſitione, & in ordine ad ſubſequens factum, hîc & nunc ſciri debent, eiuſmodi eſt, v.g. cognitio iuris alicuius in caſu, quo quis nõ ex officio, ſeu vi ſuæ vocationis, ſed ſponte velit cauſam aliquam controuerſam dirimere, talis eſt etiam cognitio particularis alicuius circumſtantiæ facti, ſolùm in ordine ad opus propoſitum rectè exequendum, v.g. quòd homo nõ ſit, ſed fera, id, quod in dumeto latitans aſpicio, & ad quod iaculũ dirigo, &c. Ex quibus hæc poſteriora ignorare non eſt peccatum diſtinctum ab opere conſequente, quia in his neceſſitas ſciendi oritur non ex virtute ſtudioſitatis per ſe, ſed ex præcepto eius virtutis, in cuius materia verſatur operans. Res verò prioris generis ignorare voluntariè, ſeu non curare, vt ſciantur, eſt peccatum per ſe & diſtinctum ab opere conſequenti, quia aduerſatur virtuti diſtinctæ, nempe ſtudioſitati, quæ moderatur appetitum ſciendi, iuxta cuiuſque materiæ, ac perſonæ conditionem. Ita Tannerus. quæ omnia licet aliquantulum ſpeculatiua videantur pro Confeſſariis, tamen ea ſcire neceſſarium eſt.

RESOL. XXXVIII. *An Clericus, qui lapſus eſt in hæreſim, poſſit exercere ſuſceptos Ordines?*

NEgatiuè reſpondet Bonacina *de cenſur. diſp.* 7. *quæſt.* 3. *punct.* 7. *n.* 6. vbi multos alios citat. Ratio eſt, quia irregularis non ſolùm non poteſt promoueri, ſed nec etiam Ordines exercere ante obtentam legitimam diſpenſationem irregularitatis.

Sed poſt pœnitentiam, & abiurationem, probabiliter puto poſſe ſuſceptos Ordines exercere. Ita Sayrus *de cenſur. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 16. Auila *de cenſ. part.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 2. & alij, ex *cap. ſaluberrimum, 1. quæſt.* 3.

Notandum eſt etiam hîc obiter quem ob ſuſpicionem hæreſis, ex qua conſurgat infamia, irregularem fieri; ſed, vt obſeruat Bonacina *vbi ſuprà n.* 4. ex Diaz & Suarez hoc intelligitur, quamdiu ſuſpectus manet, ſeu donec non purgauerit ſuſpicionẽ.

RESOL. XXXIX. *An ſit dicenda Miſſa Aſſumptionis, Natiuitatis, &c. B. Virginis extra diem dictarum feſtiuitatum?*

EGo *in* 3. *part. tract.* 6. *reſol.* 102. docui hoc fieri eſſe reprehenſibile, non enim ex indiſcreta laicorum deuotione violandę ſunt Miſſalis rubricæ; dixi tamen quòd ſi Sacerdos aliquis hoc faceret ſine ſcandalo, aut ſuperſtitione, quòd non peccaret mortaliter, ex his, quæ adduxi *in* 2. *part. tract.* 14. *reſol.* 55.

Verùm nouiſſimè aduerſus me acriter inſurgit P. Megalius *reſolut. var. tom.* 2. *reſol.* 187. *n.* 18. contrariam ſententiam tenens ex auctoritate Bullæ Pij V. poſitæ *in principio Miſſalis*, vbi in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipit Sacerdotibus vt Miſſam nonniſi iuxta ritum, modum & normam, quæ per Miſſale. quod ab ipſo traditum eſt, dicant, aut legant: ergo, &c.

Sed optimè obſeruat Filliucius *tom.* 1. *tract.* 5. *c.* 5. *n.* 140. dictum præceptum piiſſimi Pontificis non obligare cum tanto rigore ad obſeruantiam ſingularum regularum Miſſalis, ſed iuxta grauitatem earum; generaliter autem obligat ad obſeruãdum ritum Miſſalis, & non ad introducendum alium, quod accideret, vt obſeruat Ioannes Præpoſitus *in* 3. *part. D. Thom. quæſt.* 83. *ad* 4. *dub.* 3. *n.* 187. quando quilibet pro ſuo arbitrio Sacrum faceret ſecundùm aliud Miſſale; ſed hoc nõ accidit in caſu noſtro, nam Sacerdos dicit Miſſam poſitam in Miſſali Romano, licet affixa die & tempore, cuius mutatio ſecluſo ſcandalo, aut aliqua ſuperſtitione, non videtur tranſgreſſio ita grauis vt peccatum mortale poſſit conſtituere. Et ita hanc ſententiam docet Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 5. *quæſt.* 10. *dub.* 1. *n.* 6. vbi ſic ait: Non obſtat Bulla Pij V. præfixa nouo Miſſali, vbi omnibus in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipitur, vt Miſſam iuxta ritum illius Miſſalis legant, ſenſus enim dumtaxat eſt, vt non fiant Miſſæ ſeu votiuæ, ſeu de tempore, niſi prout in nouo Miſſali præſcribuntur; non autem prohibetur ne vna Miſſa in aliam eiuſdem Miſſalis commutetur, vt ex contextu patet. Ita ille. Nec aliter ſentiunt Gauantus, & noſter doctiſſimus & amiciſſimus P.D. Antonius Carauiolus, quos citat Megalius; nam ipſi aſſerunt quidem dictas Miſſas non eſſe celebrandas, quod etiam ego aſſerui, & nunc aſſero, ſed non dicunt, quòd ſi Sacerdos aliquis de facto illas celebret, ſit de peccato mortali damnandus, & hoc ego probabiliter nego, propter allatas rationes, & propter auctoritatem noſtri P. Caſtaldi & Alcoçer aſſerentium abſolutè poſſe ſupradictas Miſſas celebrari, & ideò in tali caſu Sacerdotem non peccare mortaliter, ſentiunt etiam multi viri docti Societatis IESV, & Dominicanæ familiæ de hac re à me conſulti.

RESOL. XL. *An Sacerdos inſtitutus & obligatus ad celebrandum in certo Altari priuilegiato pro animabus Purgatorij, ſatisfaciat obligationi ſi alibi celebret cum calculo, v.g. D. Caroli liberante animam è Purgatorio?*

NEgatiuam ſententiam docui *in* 1. *part. tract.* 14. *reſol.* 29. ſed me non rectè reſpondiſſe docet Megalius *variarum reſolut. tom.* 2. *reſolut.* 187. *n.* 20.

quia in tali caſu à Sacerdote promiſſio & obligatio ſufficienter ſeruatur per æquipollens.

Sed hæc opinio Megalij eſſet vera, quando ille, qui petit Miſſam in Altari priuilegiato, vniuerſaliter locutus ſit, & nullum Altare particulare determinaſſet, vt obſeruat Fraxinellus *in nouiſſ. editione de Sacerdotum obligatione, &c. ſect.4.concl.4.§.9.n.3.* quod etiam innuit noſter Alphonſus de Leone *tract.de Iubilæo,part.3.n.29.* Secus autem ſi poſtulaſſet vt in hoc, vel illo Altari celebraretur, vel quia ſuum eſt Altare, vel quia voluit illud honorari, & coli; tunc enim in petito Altari, & non alibi cum calculo benedicto celebrandum eſt, alioquin intentioni, & voluntati petentis Miſſam non ſatisfieret. vnde patet reſponſio ad rationem Megalij negando in hoc caſu Sacerdotem ſeruare promiſſum per æquipollens; & ita noſtram ſententiam præter Fraxinellum docet etiam nouiſſimè in terminis, vt dici ſolet, terminantibus, Homobonus de Bonis *in conſultat. caſuum conſcientiæ, vol.2.part.5. reſponſ. 60. & in exam. Eccleſ. part.1.tract.4. cap.13. quæſ.123.* & alij.

Quòd verò ego *vbi ſuprà* ſim locutus in caſu quo Sacerdos debebat celebrare in certo Altari Eccleſiæ aſſignato, eo modo quo ſuprà aſſerunt Doctores citati, patet ex titulo reſolut. vbi dicitur, an Sacerdos inſtitutus, &c. & ex ipſis Doctoribus quos ibi pro mea ſententia citaui, qui in tali caſu loquuntur; non ergo, vt aſſerit Megalius, in dicto caſu malè reſponſum dedi.

Ad id verò quod ipſe aſſerit me non benè excuſare Capellanum ab omni peccato ſi celebret bis, vel ter in Sacello, vel Altari non deſignato, reſpondeo quòd ego ſupradictum in tali caſu excuſo ex paruitate materiæ: ergo ſuppono peccare venialiter, vt certum eſt peccare omnes, qui aliquam obligationem, vel præceptum tranſgrediuntur ratione paruitatis materiæ, & aliud dicere, eſt quærere nodum in ſcirpo.

RESOL. XLI. *An ad incurrendam irregularitatem, quæ culpam ſequitur, ſufficiat peccatum veniale?*

NEgatiuam ſententiam docui *in part.2.tract.2. Miſcellan.reſol.20.* ſed nouiſſimè, me citato, hanc ſententiam tamquam improbabilem damnat Megalius *in var.reſol.tom.2. reſol.159.n.4. & cap. continebatur, de homicidio.*

Sed neſcio, quomodo opinio communis Doctorum validiſſimis fulcita rationibus poſſit à Megalio improbabilis vocari, & ita hanc ſententiam præter Sayrum, Suarez, Coninch, Bonacinam, Filliucium, Sanchez, Villalobos, quos *vbi ſuprà* citaui, tenet etiam Monteſinus *in 1.2.tom.2.quæſt.76.art.4. diſp.8.quæſt.12.n.253.* Turrianus *de cenſ.lib.8.diſp.57. dub.2.* Gordonus *in Theol.moral.to.2.lib.7. quæſt.10. §.4.n.14.* Layman *in Theol.moral.lib.1. tract.5.part.1. cap.1.n.4.* Ioan.de la Cruz *in direct. conſcient.part.2. de irregular.dub.12. concl.6.* Tannerus *tom.4. diſp.6. quæſt.10.dub.10.n.181.* Valentia *to.4. diſp.7.quæſt.19. punct.3.§.5.* Vaſquez *in 1.2.diſp.158.cap.1.* Hurtado *de irregular.diſp.1. diffic.2. n.8.* Præpoſitus *in 3.part. D.Thom.quæſt.5.de irregular dub 2.n.6.* Auila *de cenſuris part.7.diſp.2.dub.3.concluſ.3.* Sotus *de iuſtit.lib.5 quæſt.1.art.9.* & alij penes ipſos, quia non eſt lex canonica vlla, quæ decernat irregularitatem propter ſolam venialem culpam, ſed nec debere decerni, quia eſt pœna grauior ſuſpenſione, & tamen ſuſpenſio poſtulat peccatum mortale ex communi opinione, imò eſt grauior etiam excommunicatione minore, cùm priuet executione Ordinũ, ne ſit pœna medicinalis, ſed de ſe quidem perpetua, & difficilis admodum diſpenſationis, quæ quidem ſententia eſt ita vera, vt aſſerat Coninch *de Sacram.diſp.18. dub.2.n.13.* & Suarez *tom.5.diſp.40. ſect.3.n.17.* Pontificem non poſſe purè ob peccatum veniale ferre irregularitatem, & licet contrarium aſſerat Auila *de cenſ.part.7.diſp.2. dub.3.concl.2.* tamen aduerſus illum inſurgit nouiſſimè Turrianus *de cenſuris lib.8.diſp.57.dub.2.* & ſic ait: Fallitur Auila dicens Papam poſſe imponere irregularitatem ob peccatum veniale, ſed de irregularitate vt pœna falſum eſt, quia pœna non eſſet proportionata culpæ. Ita ille. Verùm quidquid ſit de hoc, certum eſt de facto nullam irregularitatem eſſe impoſitam in iure, niſi pro culpa mortali. & ad *cap. continebatur*, quod adducit Megalius, reſpondet Sayrus *de cenſ.lib.7.cap.5.n.5.* & alij *ibi*, Diaconum peccaſſe mortaliter; alias verò reſponſiones videbis apud Doctores citatos, præſertim apud doctiſſimum Ludouicum Monteſinum *in 1.2. D.Thomæ tom.2. quæſt.76.art.4.diſp.8.quæſt.12.n.150.*

RESOL. XLII. *An pater incurrat excommunicationem Concilij Trident. ſeſſ.25.cap.18. ſi cogat filiam impuberem intrare Monaſterium?*

NEgatiuè reſpondi *in 2. part. tract.1. Miſcellan. reſol.56.* cum Laurentio de Portel & Sanchez, quia Concilium *in illo loco* non reuocat ius, ſed iura, vt patet ex *cap.addidiſtis 20. quæſt.1.* & aliis capitibus, concedunt parentibus offerre Religioni filios impuberes, ſecus autẽ ſi eſſent puberes: ergo, &c.

Sed hanc ſententiam, me citato, impugnat Megalius *var.reſol.tom.2.reſol.157.n.5.* & 9. quia, ait ille, iura adducta concedunt parentibus hoc fieri poſſe filiis non repugnantibus. At ſi hoc eſſet verum, nulla differentia eſſet inter filios impuberes, & puberes; dicendũ eſt igitur parentes offerre poſſe Religioni filios impuberes vigore ſupradictorum canonum ſine eorum conſenſu, quia, vt optimè aſſerit Suarez *de Relig.to.3.lib.5.c.2.n.15.* filius in illa ætate non tam ſua, quàm patris voluntate regendus eſt. Vnde infert filios impuberes ſic à parentibus in Religione oblatos nõ poſſe egredi ſua voluntate ante annos pubertatis, quod etiam antea docuerat Syluester *verb.Religio 2.quæſt.10.* & ideò hanc ſententiam præter Suarez, Sanchez & Portel à me *in d.reſol.* citatos, tenet etiam nouiſſimè Bartholomæus à Vecchis *in praxi nouitiorum, diſp.2.dub. 6.n.5.concl.2.* & Barboſa *in collectan.to.4. part.2.Decreti 20.quæſt.2.c.1.* & ante omnes D.Antoninus *in ſum.2.part.tit.11.c.2.§.8.notab.4.* vbi aſſerit poſſe patrem offerre Religioni filium impuberem contradicentem, ſicut etiam inuitus ad ſcholam poteſt ponere, & ad artificium. Ita ille. quæ quidem verba etiam ponit Paludanus *in 4. ſentent. diſt.38. art.3.n.36.* hanc etiam opinionem docens. Reſtat

modò

modò reſpondere ad argumentum quod adducit Megalius *n.*10. Dico igitur Leonem Papam *in dicto c.*loqui de puellis adultis. & §.*cùm ergo*, non eſt Leonis Papæ,vt aſſerit Megalius, ſed Gratiani, & ideò gloſſa ſuper dicta verba ſic aſſerit: Concludit hoc Gratianus ex ſupradicto capitulo à contrario ſenſu, quòd ſi à parentibus coactæ fuerunt recipere habitum, ipſum deſerere poſſunt. Poſteà ſoluit,dicens,quòd c.illud *puellæ* loquitur de puella nubili,quæ poſt 12.annum à patre cogi non poteſt Monaſterium ingredi; ſed ſi eſſet innubilis, ſecus eſſet. Ita *ibi* gloſſa; vnde apparet verba, quæ adducit Megalius,non eſſe verba Pontificis,vt dixi,ſed Gratiani Doctoris priuati,& non deſtruere, ſed confirmare magis noſtram ſententiam, vt patet ex gloſſa,dicta verba,vt ſuprà,interpretante.Ad alia verò iura contra noſtram ſententiam adducta, reſpondeo quòd loquuntur de puberibus.

Notandum eſt tamen hîc obiter quòd etiam ſtando in opinione Megalij, patrem cogentem filiam etiam puberem intrare Monaſterium non in ordine ad profeſſionem,ſed vt tantùm ibi educetur,donec nuptui apta ſit,non incurrere in dictam excommunicationem Tridentini. quia Concil. conſuluiſſe videtur libertati Religionis, & licet abſolutè & ſimpliciter loquatur de ingreſſu in Monaſterium,ipſius mens colligi debet ex ſubiecta materia,de qua in ea ſectione.Ita probabiliter nouiſſimè Bonacina *to.*3.*diſp.*2.*quæſt* 2.*punct.*2.*nu.*6. & alij, quos *loco citato* adduxi, licet ego magis probabiliter contrarium ibi docuerim. Igitur etiamſi parentes filias impuberes non poſſint cogere ad intrandum Monaſterium in caſu de quo loquitur Megalius, poterit adhuc pater excuſari probabiliter ab excommunicatione, quia cogit filiam ad ingreſſum Monaſterij non in ordine ad profeſſionem, aut habitus ſuſceptionem, ſed in ordine ad educationem tantùm. ergo,&c.

RESOL. XLIII. *An Regulares poſſint poſt Bullam Vrbani VIII. abſolui cum Bulla Cruciatæ à reſeruatis cum Confeſſario domus?*

NOn poſſe ampliùs Regulares confiteri virtute Bullę Cruciatę extra Religionem,ſatis docui in additionibus poſitis in fine quintæ editionis Lugdunenſis meorum operum *reſol.*9. ex clara mente Summ. Pont. D. N. Vrbani in Bulla edita *ſub die* 19.*Iunij anno* 1630. vt poſt alios obſeruat etiam Gauantus *in enchir.Epiſc. ver. Regularium iura ſub Epiſcopis,nu.*84.Difficultas modò eſt an de peccatis mortalibus, & etiam de reſeruatis poſſint nunc poſt dictam Bullam Vrbani Regulares confiteri cum Confeſſariis deſignatis à Superiore, ſicut poterant anteà ſecundùm aliquos,vt notaui *in* 1.*p.tract.*11.*de Bulla Cruciatæ,reſ.*14.in terminis conſtitut. Clem. VIII. quam confirmat dictus Vrbanus VIII. Et quoad peccata mortalia affirmatiuè reſpondet Ludouicus de la Cruz *in expoſit. Bullæ Cruciatæ.diſp.*1.*cap.*1.*dub.* 12.*n.*2. non autem quoad reſeruata, licet *ibi in fine, num.*1. aſſerat nonnullos docere etiam reſeruata, non obſtante dicta Bulla Vrbani VIII. poſſe Regulares cum dictis Confeſſariis deſignatis à Superiore confiteri, & abſolui ſumendo Bullam Cruciatæ, & hanc ſententiam probabilem putat dictus Ludouicus à Cruce,nam contrariam quam ipſe tenet *ibi in principio num.* 2. vocat tantùm veriorem.

Verùm ego negatiuam ſententiam teneo ex verbis poſitis à dicto Pontifice in illa conſtitutione ſic aſſerente. Sed noſtræ intentionis fuiſſe & eſſe,quòd iidem Fratres,& Moniales quantum ad ſacramentum Pœnitentiæ,ſeu confeſſionis adminiſtrationem ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum,& Sedis Apoſtolicæ,quoad ſibi reſeruata ſubiecti ſint, earumdem tenore præſentium perpetuò declaramus.Ita Pontifex, in quibus verbis apertè patet, prohiberi Religioſis vſum Cruciatæ quoad articulum eligendi Confeſſorem, etiam quoad reſeruata; & nota quòd in conſtit. Clem. VIII. quam confirmat Vrbanus, non aderant ſupradicta verba, *quoad ſibi reſeruata*, quæ quidem Summ. Pontifex Vrbanus VIII. vt credo, poſuit ad tollendas quæſtiones omnes & Doctorum opiniones.

RESOL.XLIV. *An iactantia de aliquo peccato eamdem habeat malitiam ac ipſum peccatum, ita vt in confeſſione teneatur explicare peccatum,de quo iactantia fuit?*

SI iactantia non ſit cum gaudio de peccato commiſſo,negatiuam ſententiam alibi cum Nauarro docui. Sed ſcio hanc ſententiam cuidam viro docto diſplicuiſſe, immeritò quidem, vnde illam iterùm doceo cum Caſtro Palao *in opere morali tom.*1.*tract.* 2.*diſp.*2.*punct.*11.*num.*5. vbi ſic aſſerit:Si gaudium excludas, & ſolum peccatum iactantiæ committas, exiſtimo probabilius non variari eius malitiam ex varietate peccati circa quod verſatur, ac proinde te non eſſe obligatum declarare peccatum cuius fuit iactantia, ſed ſufficienter ſatisfacere, dicendo te de mortali culpa iactaſſe. Probo,quia tota iactantiæ malitia conſiſtit in captanda gloria & honore ex malefactis; quòd verò malefacta ſint latrocinia, homicidia,aut fornicationes, materiale quid eſt, & per accidens ad iactantiæ malitiam, ſicuti ad violationem voti, & iuramenti materiale quid eſt, quòd violatio ſit in caſtitate, vel paupertate. Ita ille,& ego, quod eſt valdè notandum.

Notandum eſt etiam hîc obiter cum Leſſio *l.*2. *cap.*47.*dub.*6.*num.* 42.Sanchez *in ſumm.tom.*1. *lib.*1. *cap.*3.*num.*4.& aliis, quòd ſi de dexteritate, ingenio,virilitate, in committendo peccato iacteris, non eſſe mortale, ſi audientes intelligant te in peccato non complacere, neque de illo laudari, ſed ſolùm de modo, qui in committendo adfuit, & ideò in tali caſu debes animum tuum manifeſtare.

Nota etiam quòd ſi alius te de peccato laudat, & tu laudes acceptes, mortaliter peccas, niſi tibi diſpliceret,& præ verecundia taceres, nam in tali caſu exiſtimat Sanchez *loco citato* te non peccare mortaliter, niſi talis eſſes, vt tacendo ſtantibus ſcandalum præberes; verùm hoc non placet Caſtro Palao,putat enim ſemper neceſſarium eſſe in tali caſu, vt aliquo modo diſplicentia exteriùs manifeſtetur; ſed vtraque opinio eſt probabilis.

RESOL.

RESOL. XLV. *An prohibitus ludere, ſi ludat continuatè per noctem cum quinque, committat quinque peccata mortalia?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Caſtrus Palaus *in opere mor. to. 1. tract. 2. diſp. 3. punct. 3. nu. 7.* quia ad multiplicitatem perſonarum multiplicantur actiones, neque vna cum alia vnum efficiunt; quis enim dicet adminiſtrationem Sacramenti Petro factam vnum componere poſſe cum adminiſtratione facta Ioanni, & idem eſt de ludo, quælibet enim ex his actionibus omnino independens eſt ab alia in eſſe peccati, & totam in ſuo genere malitiam completam habet, ſicut habet fornicatio cum diuerſis perſonis. Ita ille, ſatis quidem probabiliter.

Sed contrariam ſententiam non minùs probabilem eſſe puto, quam tuetur Azorius *tom. 1. lib. 4. cap. 4. in fine.* quem citat & ſequitur Sancius *in ſelectis diſp. 6. num. 1.* vbi probant, quòd qui per totam noctem cum pluribus ludit, ſemel tantùm luſiſſe videtur, quia licet illi actus numero ſint diſtincti, in genere tamen moris pro vno actu habentur. Vnde Confeſſarium exiſtentem in peccato mortali & plures confeſſiones eodem tempore excipientem vnicum tantùm peccatum committere docuerunt Fagundez & Rodriquez, quos ego citaui *in 3. part tract. 4. reſol. 67.*

Ex his ego præteritis diebus conſului, iuuenẽ, qui ex voto non poterat ludere, cùm per diem continuatè luſiſſet cum quatuor in ludo taxillorum, nõ quatuor, ſed vnum peccatum mortale commiſiſſe.

RESOL. XLVI. *Senator ciuitatis emebat ſalmam frumenti ad tarenos, v. g. 30. ſed aſſerebat illa emiſſe ad tarenos 36. quæſiuit an poſſit vti Bulla Compoſitionis, cùm illud frumentum illo cariori pretio emiſſent ciues in pane cocto, qui modò ignorantur quinam ſint?*

VIdetur prima facie in tali caſu ſupradictum poſſe ſumere Bullam Compoſitionis, quia, vt obſeruat Ægidius Trullench *in expoſ Bullæ Cruciatæ lib. 2. dub. 4. n. 4.* ex Rodriquez in omnibus caſibus, in quibus obligat reſtitutio, & non inuenitur creditor certus, cui fieri poſſit, habet locum Bulla Compoſitionis. Sed hoc accidit in caſu noſtro, quia damnum ex ſupradicta fraude paſſi ſunt aliqui, qui modò neſciuntur, videlicet ementes panem coctum. ergo, &c. Vnde caſus iſte ſimilis eſt caſui piſtorum, dulciariorum, cauponum, cereariorum, laniorum & ſimilium, qui quidem omnes cùm in vendendo fraudauerint ementes, illoſque neſciant, poſſunt beneficio Bullæ Compoſitionis gaudere, vt tenet expreſsè nouiſſimè Ludouicus à Cruz *in expoſit. Bullæ Cruciatæ diſp. 3. dub. 1. num. 3.* & Perez de Lara *in compend. trium Gratiarum lib. 1. fol. 45. num. 18.* vbi ſic ait: *Item ſi alguno ha vendido vino aguado por puro, o medido con falſa medida, o huuiere vendido otra coſa alguna con menores peſos, o medidas, o vendido vna coſa por otra, o mezclado o peſado, o mal medido no ſabiendo à quien lo huuiere vendido ſe puede dello componer.* Sic ille. Et ita dictum Senatorem poſſe ſumere Bullam Compoſitionis, tenuit quidam doctus Magiſter ex Dominicanorum familia.

Sed reſolutio huius caſus pendet ex illa quæſtione, an quando damnum illatum eſt multis de ciuitate, quos tamen in particulari ignoras, ſiue quia in prædam data eſt, ſiue quia vſuris, aut fraudibus vendendo vſus es, tenearis eidem ciuitati reſtituere, an ſatis ſit pauperibus? Et quidem communis opinio docet, quòd in illis, quæ communitati, aut maiori eius parti debentur, non erunt bona iudicanda incerta, etiamſi in particulari ignores quòd cuique debeatur; & ita docet Malderus *in 2. 2. D. Thom. tr. 4. cap. 4. dub. 2.* Becanus *in 2. 2. tom. 2. de iuſt. quæſt. 44. de reſtitut. n. 2.* Gordonus *in Theol. mor. to. 1. lib. 5. q. 5. cap. 9. num. 22.* & alij. Vnde in tali caſu pecunia non eſt reſtituenda pauperibus; ſed modum reſtituendi ponit Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 4. n. 97.* Nauarra *de reſtit. lib. 4. cap. 2. num. 66.* Molina *de iuſt. to. 3. tract. 2. diſp. 745. num. 4.* vbi ſic ait: Quando aliquid eſſet incertum, ad quem, aut ad quos in ſingulari attineret, quia aliquis vendendo in aliqua ciuitate, aut oppido multos defraudauit in pondere, aut menſura, aut admiſcendo aquam vino, quod eſt in vini menſura defraudare, aut alio ſimili modo, ignoretque ementes in particulari, & quantum vnumquemque per minima defraudauerit, tunc ſi coniectura ſit plus minus perſeuerare eoſdem ementes, aut ementium heredes, optimus reſtituendi modus erit, vt tantum det qui ita defraudauit in pondere, aut menſura accreſcat, vel decreſcat in pretio, ita vt ad æqualitatem eidem Reipublicæ reſtituat quoad eoſdem emptores quàm maximè fieri poſſet. Ita Molina *locis citatis*, quibus adde Syluium *in 2. 2. D. Thom. quæſt. 62. art 5. quæritur 1. concl. 2.*

Quòd autem in caſu noſtro reſtitutio poſſit fieri modo quo ſuprà aſſerit Molina, & clarũ eſt, nam Senator ſupradictus poteſt per tertiam perſonam mittere ſummam defraudatam in emptione frumentorum ad Magiſtratus ciuitatis cum hoc onere, vt per aliquod tempus faciant panem coctum populo minori pretio vendere, vel eius menſuram accreſcere vſquequò perueniatur ad ſummam reſtitutã vnciarum 800. & ita hunc caſum in terminis terminantibus, vt dici ſolet, ita reſolutum eſſe inuenio à doctiſſimo Petro Nauarra *de reſtit. l. 4. c. 2. n. 69.* vbi ſic ait: Secundò colligo, cuiuſdã caſus, qui ſæpiùs eſt à nobis requiſitus, reſolutio. Quidã vendidit ciuitati Para el Poſito, o Aloy triticum tempore neceſſitatis plus iuſto pretio per legem taxato, modò dubitatur cui potiſſimùm reſtituet? numquid communitati, id eſt, Poſito, vel Aloy, aut pauperibus? Audiui nonnullos doctiſſimos homines reſpondere ſolitos pauperibus, & non communitati, ſeu Poſito reſtitutionem faciendam eſſe. Probant ea ratione, quoniam communitas non fuit læſa, ſed ciues: ex hoc autem prædictæ ſententiæ fautores colligunt, quòd qui ita acriùs vendiderunt communitati, poſſunt pauperibus reſtitutionem facere, vel ſe componere, cùm ſit debitum incertum, vtpote particularibus de Republica tam ciuibus, quàm alienigenis. Hæc igitur reſolutio, etſi doctiſſimorum, & à me ſuſpiciendorum virorum ſit, non omnino mihi probatur, non enim vel pauperibus tribuendo, vel ſe componendo liberantur à reſtitutione;

nam

nam cùm extant damnum paſſi, & aliquo modo cogniti, iis quantum fieri poteſt, reſtitutio eſt facienda: ſi autem ille reſtituat ipſi Poſito, vel Aloy, proculdubio in diſtributione per ciuitatē facienda panis pretium minuetur, ac proinde idem illi, vel certè plures ex illis, qui damnum paſſi ſunt cariùs emendo, viliùs emendo recompenſabuntur; quare non iuſtum videtur, vt vel pauperibus tribuat, vel ſe componat. Hæc Petrus Nauarra *vbi ſuprà*, ſatis, vt dixi, conducentia ad caſum noſtrum, quæ omnia confirmat Layman *in Theol. mor. l. 3. ſect. 5. tract. 2. c. 9. n. 2.* & Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 10. cap. 14. ſect. 2. num. 205.* vbi ſic aſſerit: Id quod per iniuriam ſingularibus ciuibus factam minutatim acquiſitum eſt, vt per minutas venditiones olei, vini, tritici, aut ſimilium, reſtituendum eſt ipſis ſingularibus ciuibus, non autem pauperibus, ſi quis modus ſit quo ad ipſos, vel ad maiorem ipſorum partem debitum peruenturum eſſe veriſimiliter exiſtimetur. Ratio eſt, quia tunc dominus in rem reſtituendam ius ſuum retinet, nec in pauperes, cùm ille non ſit omnino ignotus, tranſlatum eſt. Ita Reginaldus.

Ex quibus patet reſponſio ad argumenta ſuperiùs adducta. Et ad primum dico, quòd bona reſtituenda in noſtro caſu non dicuntur ſimpliciter incerta, vt docet Layman, Malderus, Gordonus, & alij *vbi ſuprà*. ergo non ſunt pauperibus reſtituenda, & ideò non eſt locus Bullæ Compoſitionis. Ad ſecundū quod aſſerebat Ludouicus à Cruz *vbi ſuprà* caupones, tabernarios, &c. qui in aliqua ciuitate defraudauerunt in pondere & menſura, &c. neſcientes ementes in particulari poſſe ſumere Bullam Compoſitionis. ergo, &c. reſpondeo contrarium docere Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 29. num. 36.* vbi ſic aſſerit: *La duda es ſi ſabiendo el lugar donde ſe vendio, aunque no ſe ſepan determinadamente las perſonas ha lugar la compoſicion, como ſi vn tauernero vendio en vn lugar con falſa medida, ò en otra manera mal quatro meſes vino, en lo qual ſabe que tient mal lleuado tanto dinero aunque no ſabe en particular quanto à eſte ò aquel. en tal caſo es mi parecer, que no ha lugar la compoſicion, como no lo ha quando ſe duda entre dos à quien ſe deue, que ſe ha de repartir pro qualitate dubij, y aſſi eſte tauernero ha de reſtituyr, ò dandolo para gaſtos communes del Conſejo, ò dando el vino mas barato por otro tanto tiempo.* Ita ille.

Verùm ſi aliquis inſtabit percontando, an ego ſupradictam ſententiam, quam improbaui, improbabilem iudicem; reſpondeò quòd hoc non audeo dicere ex reuerentia quam debeo D. Thomæ omnium Magiſtro, qui *in 4. ſentent. diſtinct. 15. q. 1. art. 5.* docuit, prædantem ciuitatem poſſe reſtituere pauperibus illius villæ, aut in alios vſus ciuitatis expendere ſecundùm arbitrium Epiſcopi, vel eorum ad quos cura illius ciuitatis ſpectat, in qua diſiunctiua propoſitione, vt rectè aduertit Petrus Nauarra *de reſtit. lib. 4. cap. 2. num. 65.* vtramque opinionem probaſſe videtur; igitur cùm ex D. Thom. in tali caſu, cuius ratio militat etiam in noſtro, reſtitutio poſſit fieri pauperibus, erit locus Bullæ Compoſitionis, nam, vt obſeruat Ægidius Trullench *in expoſit. Bullæ Cruciat. li. 2. dub. 4. num. 4.* & alij, quotieſcumque aliqua ex obligatione reſtitutionis cedunt pauperibus, poteſt fieri compoſitio; & ita hanc ſententiam in terminis caſus, de quo loquimur, tenet Vaſquez *in opuſc. de reſtitut. cap. 5. §. 4. n. 47.* & Lopez *in inſtruct. part. 1. cap. 137.* Sed ego, vt dixi, in praxi non recederem à negatiua ſententia, quam ſuprà ſatis firmaui, & in ſpecie cōtra opinionē D. Thom. adeſt Caietanus *in 2. 2. quæſt. 62. art. 5. ad 3.* vbi mordicus tenet reſtitutionem ex prædata ciuitate non eſſe dandam, nec pauperibus, nec ędificando Monaſterio, cùm extent damnum paſſi, & contra Vaſquez adſunt omnes Doctores Societatis IESV, & alij; vel dici poteſt quòd ipſe loquitur in caſu, quo reſtitutio eſſet facienda ſimpliciter ciuitati, quæ damnum minimè paſſa eſt, & non quando reſtitutio præbetur ciuitati, vt ipſa modo, quo ſuprà dictum eſt, ad ipſos ciues reſtitutam pecuniam peruenire faciat qui damnum paſſi ſunt; vel loquitur quando, vt obſeruat Malderus *de iuſtit. tract. 4. c. 4. dub. 2.* pecunia reſtituenda eſſet tam exigua, vt parum admodum ex ea ad ſingulos dominos partita veniret, quod non accidit in caſu noſtro, in quo ſumma reſtituenda aſcendit ad vncias 800.

RESOL. XLVII. *An liceat miniſtrare peccatori ſcienti, & petenti ſibi dari hoſtiam non conſecratam ad ſacrilegium ipſius & graue damnum vitandum?*

NEgatiuam ſententiam docet D. Thom. *in 3. part. quæſt. 80. art. 6. ad 2.* Caietanus, Ricardus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Maior, & Sotus, quos citat & ſequitur Gabriel Vaſquez *in 3. p. to. 3. diſp. 209. c. 4. n. 40.* quibus adde Suarez *to. 3. diſp. 67. ſect. 4. §. circa tertiam obiectionem.* Valentiam *tom. 4. diſp. 8. quæſt. 8. punct. 4. §. denique hic notetur.* Reginaldum *tom. 2. lib. 29. cap. 4. num. 49.* Henriquez *lib. 6. cap. 22. num. 4.* Ledeſmam *in ſumm. tom. 1. de ſacram. Euchariſt. cap. 12. dub. 7. §. toda via quedan dos difficultades.* Didacum Nugnum *in 3. part. tom. 1. quæſt. 80. art. 6. diffic. 2. in fine*, & alios penes ipſos. Ratio eſt, quia pernicioſa & execrabilis eſt ſimulatio in Sacramētis, & in tali caſu miniſtrans quantum eſt ex ſe alios ad idololatriam inducit, cùm exponat ad adorandam hoſtiam non conſecratam pro conſecrata.

Verùm his non obſtantibus, opinio negatiua ſuaderi poteſt, quia Sacerdos in tali caſu iam proponit adorandas hoſtias conſecratas, nec obſtat quòd inter illas apponit non conſecratam, nam intentio adorātis non tendit expreſsè & formaliter ad quālibet hoſtiam à Sacerdote propoſitam adorandam, ſed ad Chriſtū, qui cùm ſub aliis hoſtiis contineatur, miniſtratur iam verum obiectum adorationis. ea ratione, qua non adorant fideles pilū, v. g. conglutinatum hoſtiæ conſecratæ, ſed ſolùm Chriſtū. Nec obſtat quòd fictio & ſimulatio in Sacramētis ſit pernicioſa, quia adeſt in tali caſu iuſta cauſa illā efficiendi, & ideò poteſt Sacerdos fingens abſoluere pœnitentem ad vitandam infamiam non abſoluti, vt quotidie efficitur quando inuenitur pœnitens indiſpoſitus, & circumſtantes vident illū confiteri; quapropter Sacerdos minimè peccare videtur vbi grandi occulto peccatori abſtinenti à cōmunione periculum immineret, ſi miniſtraret hoſtiam non conſecratam pro conſecrata, hoc modo, videlicet proponendo hoſtiam conſecratam adorandam,

randam, & à tergo poſt illam non conſecratam, vel alio modo, ita vt hoſtia non conſecrata nec videatur, nec adoretur. Vnde hanc ſententiam ex veteribus tenet Altiſiodorenſis *in ſumm. lib. 4. tra. 5. c. 5.* Albertus Magnus *in 4. diſt. 13. art. 20.* quos refert Suarez *vbi ſuprà*, tenet etiam Bonauentura *in 4. diſt. 9. ar. 2. quæſt. vlt. in fine*, & ex neotericis hanc ſententiam docuere noſtris temporibus Henricus Villalobos, & Ludouicus de San Iuan, & quia eorum codices non ita facilè inueniuntur, ponam hîc verba per extenſum. Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 7. diffic. 38. nu. 7.* ſic ait: *No es licito dar la hoſtia non conſagrada por el peligro que ay de la idolatria, mas ſi la forma que le ha de dar la tuuieſſe ſecreta, de manera que los fieles no la pudieſſen adorar con conſentimiento del pecador, ſeria licito darſela para euitar algun gran eſcandalo, pues alli no auia peligro de idolatria.* Ita ille. Ludouicus verò de San Suan *in ſum. tom. 1. q. 7. de Euchar. art. 8. diffic. 3.* ſic aſſerit: *Sera licito dar al pecador oculto, vna hoſtia no conſagrada con ſu contentimiento, para que no ſe infame con quien viere, que no comulga, porque no ſe comete ſacrilegio en la communion, ni ſe infama al proximo, y como es licito dar la abſolucion cauteloſa, tambien lo es dar la communion, pero ſe ha de aduertir que eſta concluſion no ſe ha de practicar ſi no en caſos raros con ſabiduria del pecador, y proponiendole delante otra hoſtia conſagrada que el y el pueblo adoren.* Ita ille. Sed ego puto non eſſe diſcedendum à prima ſententia negatiua, quam præter Doctores citatos fusè pertractat Ioannes Sancius *in ſelectis diſp. 35. per totam*, & reſpondet ad argumenta contraria quæ ſuprà adduximus, & ipſe adducit; non tamen audeo poſteriorem ſententiam affirmatiuam nota improbabilitatis inurere.

Notandum eſt tamen hîc, quòd eſto hoſtiam non conſecratam loco conſecratæ porrigere accedenti communicare minimè Sacerdoti liceret, poteſt tamen ſaltem ſimulare ſe Euchariſtiam in os illius immittere, licet ad hoc facere non teneatur; & ita hanc ſententiam docet Henriquez *lib. 6. cap. 22. num. 4.*

RESOL. XLVIII. *An femina quæ contraxit matrimonium cum impedimento dirimente, ſi hoc poſteà ſciat, teneatur reddere debitum in tempore, quo petit diſpenſationem, ſi adſit periculum vitæ.*

CAſus hic frequenter in praxi poteſt accidere, & faxit Deus, quòd in illo paſſim non peccetur mortaliter, nam Doctores cõmuniter aſſerunt in tali caſu feminam non poſſe reddere debitum, & ita docet Villalobos *in ſumm. to. 1. tr. 13. diffic. 50. n. 1.* Coninch *de Sacr. diſp. 34. dub. 10. nu. 96.* Gutierrez *de matrimon. cap. 50. num. 4.* Bonacina *de matrimon. quæſt. 4. punct. 4. nu. 17.* Barboſa *in collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 39. cap. 44. num. 3.* Petrus Ochagauia *de Sacrament. tract. 2. de matrim. quæſt. 11. concl. 1. numer. 2.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient. part. 2. de matrim. quæſt. 3. dub. 1. concl. 2.* & alij, quos citat & ſequitur Sanchez *de matrim. to. 1. lib. 2. diſput. 39. n. 5.* vnde poſteà ipſe *num. 8.* ſic aſſerit: Ex his infertur tamquam certiſſimum tenendum eſſe, coniugem nullitatis matrimonij conſciam ob impedimentum dirimens, ſiue diuino, ſiue humano iure, in nullo euentu poſſe reddere debitum viro ignoranti, licet vitæ periculum ipſa ſubeat. Ita ille. & ratio eſt clara, quia ſi contrarium diceretur, ſequeretur fornicationem aliquando eſſe licitam, videlicet propter famæ, vel vitæ periculum; ſed hoc dicere eſt erroneum, cùm fornicatio ſit intrinſecè mala; ergo in tali caſu etiam cum vitę periculo non eſt reddendũ debitum, quia qui in tali caſu reddit debitũ, certò ſcit, matrimonium eſſe nullum; ergo certò ſcit fornicari; ergo ſi liceret in tali caſu reddere debitũ, licebit ſubinde fornicari, & ita hæc ſententia determinatur *in cap. inquiſitioni, de ſentent. excommunicat.*

Addunt tamen aliqui, teſte Villalobos *vbi ſuprà num. 4. que ſi la muger ſabe el impedimento, y no puede auſentarſe que puede cohabitar con animo de negar el debito, y reſiſtir quanto pudiere, y ſi no conſiente, ni coopera con ſu cuerpo, ſi no ſola padece y permite que el marido trate con ella ſiendo forcada y callando, que eſta ſegura en conſciencia. Fauorecelo Henriquez lib. 12. cap. 6. num. 8.* Soto *lib. 5. de iuſt. quæſt. 1. art. 5. ad 3.* Nauarr. *cap. 16. num. 1. & 13. en quanto dizen, que la muger no peca, ſi quando ay miedo de muerte, no reſiſte con el cuerpo, con tal que no ſe diſponga al acto, ni coopere. Mas dexando à parte lo que ay en eſte caſo, en el caſo preſente no ſe ha de tener eſta ſentencia: la razon es, porque cohabitando con el marido es juſta à acomodarſe al pecado, y eſta en probabiliſſimo peligro de conſentir.* Ita ille, & Sanchez *vbi ſuprà num. 16.* cum Corduba *in quæſt. lib. 1. quæſt. 11. ad fin. §. penult.*

His tamen non obſtantibus, non deſunt Doctores aſſerentes in noſtro caſu ad euitandum periculum vitæ poſſe feminam licitè permittere vt vir vtatur ſuo corpore reddendo ei debitum, & ita docet Magiſter ſententiarum, Hugo de Sancto Victore, Hoſtienſis, Perez, & alij penes Sanchez *n. 2.* quibus ex neotericis ego addo in aliquo caſu noſtrum Molfeſium *in ſum. to. 1. tr. 4. c. 14. n. 90.* vbi ſic ait; Doctores dicunt, vt nec etiam ad euitandam mortem excuſetur coniux, ſciens impedimentum, non reddere debitum; quod mihi non probatur, quoties hoc impedimentum iam euenisſet ex peccato, & ſic detegeretur infamia coniugis. Vt ſi mulier antequam conſummaret matrimonium cum viro, rem habuiſſet cũ fratre, vel alio conſanguineo viri in quarto gradu, vel cum patre, vel filio viri, quo caſu matrimonium ſequens eſſet nullum ob præcedens impedimentum dirimens, tunc puto, ſi nõ poſſet Religionẽ ingredi, nec adeſſet iuſta cauſa petendi diuortium, puto, inquam, quòd teneatur reddere debitum, & non detegere turpitudinem ſuam, qua occidenda ſit per virum, & occultè petere debet diſpenſationem circa illud impedimentum. Sed vrgent contrarij, quia fornicatio numquam licita eſt; verùm licet prædicta opinio ſit ſecurior, & practicãda, nihilominus opinió cõtraria probabilitatẽ habet in caſu propoſito, quòd licet non poſſit petere debitum, cùm tamen alter eſt in bona fide, vtitur iure ſuo petendo debitum, & ſic poteſt alter ſciens impedimentũ dirimens permittere illi, vt ſuo corpore vtatur reddendo ei debitum ad vitandum publicum ſcandalum ac mortem, & intentio obtinendi diſpenſationem poteſt illum excuſare à committendo nouo peccato, nam illa erit fornicatio materialis, & magis teneretur

non

non facere alteri apertam iniuriam, quàm vitare periculum fornicationis materialis, ſecus ſi vterque id ſciat, quia ex nulla parte excuſari poſſit. Ita Molfeſius, & alij *vbi ſuprà*, quorum ſententia mihi non placet, & Sanchez illam erroneam & falſam vocat.

Notandum eſt tamen hîc obiter in caſu ſupradicto, ſi ad Pontificem non patet acceſſus ex inopia, vel alia iuſta cauſa impediente, poteſt Epiſcopus in dictis impedimentis diſpenſare. Ita Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de matrim. quæſt. 11. concl. 3. num. 5.* & alij *vbi ſuprà.*

RESOL. XLIX. *An impetrata diſpenſatione matrimonij nullius, coniux impedimenti conſcius teneatur aperire alteri matrimonium contractum fuiſſe irritum?*

HÆc quæſtio grauiſſima eſt, & prima ſententia aſſerit coniugem ignorãtem nullitatem prioris matrimonij debere admoneri eius, vt modò denuo conſentiat, & non ſufficere eum poſt ablatum impedimentum, & cum eadem ignorantia antiqua accedere ad vxorem per copulam affectu maritali. Ita Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez *de matr. to. 1. lib. 2. diſp. 36. num. 8.* quibus ego addo Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 14. diffic. 32. nu. 6.* Ochagauiam *de Sacram. tr. 2. de matrimon. quæſt. 10. num. 2.* Baſilium Pontium *de matrimon. lib. 4. cap. 25. n. 2.* Comitolum *in reſp. mor. lib. 1. q. 120.* Hurtadum *de matrim. diſp. 3. diffic. 10. nu. 36.* Rebellium *part. 2. lib. 2. q. 9. nu. 4.* Præpoſitum *in 3. part. D. Thom. q. 4. de matrim. dub. 18. n. 150.* Leſſium *de iuſt. lib. 2. c. 17. dub. 11. nu. 76.* Et ratio eſt clara, quia nihil eſt magis contrarium cõſenſui, quàm error, *l. ſi per errorem, ff. de iuriſd. omn. iud.* ſed iſte talis ex errore, quo putat feminam eſſe ſuam vxorem, in illam conſentit, & ad eam per copulam accedit; ergo verè non conſentit. Deinde coniux ignarus impedimenti præcedentis, & modò per diſpenſationem ablati, tantùm intendit cum copula, vel aliis verbis ex errore dictis approbare prius matrimonium, & non aliud de nouo efficere, imò forſan ſi ſciret fieri nouum matrimonium, illud facere recuſaret; ergo, &c.

Non deſunt tamen contrariam tenentes, & ideò illam docent doctiſſimi Thomiſtæ, Caietanus *in ſumm. ver. matrimonium, tit. contractus matrimonij poteſt reddi ex 7. capitibus vitioſus.* Sotus *in 4. diſt. 28. q. 1. art. 2. concluſ. 3. caſ. 1.* Paludan. *in 4. diſt. 36. quæſt. 1. art. 2. concl. 2. num. 14.* Bartholomæus Ledeſma *de matrim. dub. 17.* Lopez *in inſtr. part. 2. cap. 39.* Petrus Ledeſma *de matrim. q. 45. art. 7. dub. vlt. §. ſed dubium eſt. quódnam remedium*, & alij multi. & ita hanc ſententiam plures Theologos Salmanticenſes & Complutenſes conſultos etiam docuiſſe teſtatur Henriquez *in ſumm. lib. 11. cap. 3. num. 6. in gloſſa litt. Y.* aſſerentes coniugem impedimenti conſcium obtẽta diſpenſatione, vel impedimento ceſſante, non oportere alteri aperire prius matrimonium fuiſſe irritum, ſed ſatis eſſe ſi cautè curet vtriuſque conſenſus renouari, vt diſſimulanter petendo ab altero, vt pro ſua conſolatione ipſum habeat in coniugem.

Quid ego ſentiam dicam breuiter. Prima opinio tamquam probabilior eſt ſequẽda, ſed quando timetur ſcandalum, aut graue damnum, & coniux neque ex aliquibus verbis generalibus poteſt à marito cõſenſum extorquere, tunc ſufficit copula procedens ex affectu maritali, & in hoc caſu puto ſine vllo ſcrupulo ſequi poſſe ſecundam opinionem, vt etiam docent Doctores primæ ſententiæ, Ochagauia & Sanchez; vnde Villalobos *vbi ſuprà, num. 8.* ſic ait: *Ha ſe mucho de notar, que ſe vuieſſe temor de grande eſcandalo ò graue peligro ſe puede ſeguir la ſentencia que dize, que no es neceſſario aduertir à la parte ignorante de la nulidad del matrimonio, ſi no que baſta conſentir de nueuo el que ſabia el impedimento, y Henriquez lib. 11. cap. 3. num. 6. dize que es lo miſmo, aunque ſe crea que la perſona ignorante auiſada de la nulidad no contraheria, que baſta, que no tenga entonçes acto contrario, y aſsi que aquella preparacion habitual del animo de no conſentir no obſta.* Ita ille, quod vltimum etiam docuerat præter Henriquez, Petrus de Ledeſma *de matrim. quæſt. 45. art. 3. dub. vlt.*

Notandum eſt tamen hîc obiter, quod Sanchez *lib. 2. diſp. 32. n. 9.* Coninch *diſp. 24. dub. 10. n. 90.* & alij aſſerunt, ſupradictam doctrinam nõ eſſe applicandam quando reualidatur matrimonium nullum, quia vni defuit conſenſus verus. nam in tali caſu docent ſufficere, vt iſte renouet conſenſum abſque eo, quòd alter, qui verè & legitimè conſenſit, hoc ſciat, & iterùm de nouo conſentiat. Sed contrarium docet Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 24. n. 3.* Hurtado *de matrimon. diſp. 3. diffic. 9. nu. 33.* & alij; & ita determinaſſe Clem. VIII. de hoc caſu interrogatum à ſacra Pœnitentiaria, teſtatur Paulus Comitolus *in reſponſ. mor. lib. 1. quæſt. 120.*

RESOL. L. *An Epiſcopus in ſua diœceſi peccet, ſi confirmet ſubditos alterius Epiſcopi?*

HIc caſus frequenter poteſt accidere, & affirmatiuam ſententiam docet Martinus Bonacina *de Sacram. diſp. 3. punct. 2. nu. 10.* vbi citat Petrum Ledeſmam, Viualdum & Bartholomæum ab Angelis. Ratio eſt, quia mittit falcem in meſſem alienam, nec conſtat de voluntate proprij Epiſcopi.

Verùm me conſulente ſine vllo ſcrupulo DD. Epiſcopi cõfirmare poſſunt alienos ſubditos, & ita docet Petrus Ochagauia *de Sacram. tract. vnic. de confirmat. quæſt. 11. num. 1.* vbi ſic aſſerit: Poteſt Epiſcopus ſine vlla pœna, aut culpa, dum in ſua diœceſi ſuos confirmat, alienos ſubditos ibi concurrentes confirmare, quia præſumendum eſt id gratum futurum alieno Epiſcopo; & probatur ratione, quia cùm actus confirmandi non petat (ad valorem) neceſſariò iuriſdictionem, facilè præſumitur ratihabitio alieni Epiſcopi. Ita ille. qui citat Caietanum, Paludanum, & Henriquez, quibus ego addo Tannerum *in 3. part. D. Thom. diſp. 4. quæſt. 4. dub. 3. num. 56.* vide etiam Barboſam *de iure Pontificio lib. 1. cap. 11. num. 47.* Præpoſitum *in 3. part. D. Thom. quæſt. 72. art. 8. dub. 2. num. 39.* Sà *ver. confirmatio, num. 2.* Henriquez *lib. 3. cap. 6. num. 6.* & Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 2.*

Notandum eſt etiam hîc obiter primò contra Nugnum *in 3. part. tom. 1. quæſt. 72. art. 2.* non peccare mortaliter Epiſcopum, qui ſacramentum Confirmationis adminiſtraret extra Eccleſiam. Ita Bona-

cina *vbi suprà, num.* 14. non enim consuetudo confirmandi in Ecclesia recepta est cum tanto onere, vt reum mortalis culpæ constituat Episcopum alio in loco confirmantem, & hanc sententiam tenet etiam Præpositus *loco cit. in* 3. *part. quæst.* 72. *art.* 12. *num.* 54. vbi sic ait: Sacramentum Confirmationis potest conferri post prandium, & quamuis conferri debeat decenti loco, non tamen necessariò in Ecclesia. Ita ille.

Nota secundò contra Sotum *in* 4. *dist.* 7. *q. vnic. art.* 7. *propos.* 3. non esse peccatum veniale recipere Eucharistiam ante hoc Sacramentum, si enim hoc esset, multa peccata venialia circa hoc efficerentur, & nulla ratione id ostendi potest, & antiqua consuetudo Ecclesiæ, qua statim post Baptismum succedebat Confirmatio, deinde Eucharistia, iam exoleuit. Ita Præpositus *vbi suprà art.* 8. *num.* 38.

Et tandem vt Christiani non sint negligentes, vt plures sint circa susceptionem huius Sacramenti, sciant, ceteris paribus, per sacramentum Confirmationis maiorem gratiam conferri, quàm per Baptismum & per vllum aliud Sacramentum, excepto Ordine, per quem aliquis constituitur Dux in Ecclesia Sic Præpositus *art.* 7. *dub.* 1. *num.* 35. *in fine*, contra Scotum *in* 4 *dist.* 7. *quæst.* 1. Sed hanc sententiam tenet etiam Sotus *vbi suprà*. Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 34. *sect.* 4. Ochagauia *de Sacram. tract. vnico de confirm. quæst.* 7. *num.* 5. & alij.

RESOL. LI. *An quis possit ordinari ab Episcopo, in cuius diœcesi est beneficium, licet illud sit tenue?*

NEgatiuam sententiam docet Prosper de Augustino, Vgolinus, Piasecius, quos citat & sequitur Squillante *de obligat. cler. cap.* 4. *dub.* 18. *nu.* 238. quibus ad de Riccium *in decis. Archiep. par.* 3. *decis.* 77. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess.* 21. *de reform. cap.* 2. postulat, vt beneficium sit sufficiens, vt possit quis sacris Ordinibus insigniri.

Sed ego prorsus puto in tali casu posse Episcopũ sacros Ordines conferre, & ita hanc sententiam docet Garsias *de benefic. tom.* 1. *part.* 2 *ca.* 4. *n.* 8. Henriquez *lib.* 10 *cap.* 22. §. 1. *iuncta glossa litt. C. & cap.* 17. *in glossa litt. Q.* & nouissimè Barbosa *de iure Pontificio lib.* 1 *cap.* 33. *n.* 38. Ratio est, quia *cap. cùm nullus, de temp. ordin.* simpliciter loquitur de habentibus beneficium, nec explicat illius valorem, & quantitatem; & ideò, quod est valdè notandum, sacra Cardinalium Congregatio, teste eodem Barbosa *vbi suprà, cap.* 39. *n.* 17. censuit *in vna Lanuensi die* 18. *Martij* 1628. promotum ad Ordines cum collatione vnius beneficij redditus duorum scutorum annuorum, qui incedens in habitu laicali cum armis, dum caperetur à birruariis vnum ex illis occidit, & ad carceres laicales adductus fuit, gaudere priuilegio fori. Ita sacra Congregatio; vnde ex his non potest adduci in materia de qua loquimur opinio Soti *de iustit. lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 3. asserentis beneficium tenuissimum esse, quod non attingit ducatos octo, vel secundùm Campanili quod non attingit quatuor ducatos in anno, non, inquam, obstant hæ Doctorum opiniones; nam, vt visum est, sacra Cardinaliũ Congregatio censuit beneficium duorum ducatorum esse sufficiens ad gaudendum priuilegio fori; ergo etiam ad sumendos Ordines, ex quibus oritur priuilegium fori. Hinc Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 22. *nu.* 7. dixit, sufficere beneficium quantumuis tenue, vt quis possit ordinari ab Episcopo vbi est beneficium. Restat modò respondere ad argumentum Concilij Trident. adductum pro negatiua sententia. Dico igitur, quòd Concilium ibi determinat, quòd quis non possit ordinari ad titulum beneficij tenuis, non autem asserit, quòd si ordinãdus beneficio tenui patrimonium sufficiens ad victum adiungat, non posse ordinari ab Episcopo. Igitur aliud est quærere, num beneficium sufficiat pro titulo, aliud si sufficiat vt tamquam subditus ratione beneficij possit promoueri ad Ordines.

Notandum est etiam hìc obiter ratione beneficij tenuis, posse aliquem ordinari ab Episcopo vbi est beneficiũ, etiam si illud beneficium non requirat residentiã, nec in illo resideat, nec in illius diœcesi, & sic non eximatur à iurisdictione primi Episcopi. Ita Garsias & Barbosa *locis citatis*, quos in casu contingenti, videlicet quando quis ordinari potest ratione beneficij, omnino videndos esse existimo.

RESOL. LII. *An Episcopi in regno Siciliæ possint ordinare Subdiaconum qui pro patrimonio tantùm vncias vndecim annuales habet, & multa alia circa patrimonium?*

DE hoc casu olim per litteras interrogatus fui ab Innocentio de Maximis Episcopo Catanensi, & affirmatiuè respondi, licet nullius Doctoris auctoritate fretus, quia licet hodie in Sicilia patrimonium pro Subdiacono ordinando cõmuniter determinatur cõstare ex vnciis duodecim annualibus, vt patet ex Synodo Panormitana *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 19. tamen si in modico deficiat, non obstat quin Episcopus in tali casu possit Clericum ordinare, quia de modico non est curandũ, vt habetur *in l. si oleum. §. fin. cum l. seq. ff. de dolo, & in l. in rebus. §. possunt, ff. commodati*, modica enim non nocent, vt patet ex *cap. si proponente*, vbi glossa, *de rescript.*

Verùm postea prædictam sententiam ex eodem principio inueni docere Thomã Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 35. *nu.* 8. & quia casus frequenter potest accidere, ponam eius verba; sic itaque asserit: Secundò nota quòd si modicum deficiat, ad honestam sustentationem parum facit, quia de modico non est curandum, *cap. reuera, de consecrat. dist.* 2. *l. scio, ff. de in integr. restit.* Secus si sit notabilis, qualis erunt quinque respectu vigintiquinque. Ita Sanchez, qui citat Nauarrum. ergo cùm quinque respectu vigintiquinque est defectus notabilis, summa duorum ducatorum & tarenorum non erit notabilis defectus respectu 30. ducatorum.

Notandum est tamen hìc obiter circa materiam patrimonij, quòd si aliquis Subdiaconus initiatur diaconatu, vel sacerdotio, ostẽdens testimoniũ patrimonij renuntiati, vel alienati, & tacens renũtiationem factam, non incurrit pœnas statutas contra eos, qui absque patrimonio ordinantur, quia talis verè habet patrimoniũ, cùm renuntiatio, vel alienatio facta sit nulla & inualida, licet peccauerit in ea facienda. Ita Sanchez *vbi suprà dub.* 40. *iuncto dub.* 38. & de hoc casu his diebus in facti contingentia consultus fui, & *vt suprà* respondi.

Nota

Nota etiam Henriquez *lib.13.cap.37.num.2.& lib.* 10.c.17.& alios,quòdque magis miror,Gonzales *in reg. Cancell.* 8.*gloſſ.*4.*nu.*36. & nouiſſimè Mauricium Alzedo *in praxi Epiſc.part.*2.*c.*5.*n.*6.docere,graduatũ in iure Canonico,aut in ſacra Theologia ſine titulo,aut patrimonio poſſe ordinari, quia tali non defuturum eſt vnde viuat, & ſic adimpletur mens Concilij; ſed hanc ſententiam non approbat Sanchez *dub.*35.*nu.* 10. & alij. Ego verò ſi non obſtaret declaratio Cardinalium quam affert Emanuel Sà correctus *ver.ordo,nu.*27. hanc opinionem libenter conſulerem in Collegialibus ex aliquo Collegio maiori Salmanticenſi,aut Complutenſi, nam in dictis Collegiis, quæ ego voco equos Troianos doctorum hominum, recepto gradu certum eſt citò graduatum habiturum pluſquam congruam ſuſtentationem,& ita tenet in ſpecie Corduba *in ſumma quæſt.*36.

RESOL. LIII. *Quæ falſitas vitiet reſcriptum?*

HÆc quęſtio eſt quotidiana pro materia diſpenſationum ad Ordines, matrimonia, &c. ideò hîc ponam regulas aliquas,ex quibus multos caſus Confeſſarij & reſponſores caſuum conſcientiæ extricare poterunt.

Dico igitur primò quòd ſi in reſcripto apponatur vnica cauſa,illa finalis, & non motiua cenſenda eſt,& ideò ſi falſa erit,vitiabit reſcriptum,quia cenſetur Papa priuilegium & diſpenſationem velle concedere ex cauſa allegata, etiamſi ex motu proprio,& ex cauſa ſcientiæ dicat concedere. Ita Caſtrus Palaus *in opere morali tom.*1.*tract.*3. *diſp.*6. *punct.* 16.§.3.*num.*1.Gutierrez *canon.qq.lib.*2. *cap.*15.*nu.*103. & 104.Sanchez *de matrim. tom.*3. *lib.*8. *diſp.* 21. *num.* 41.& alij.

Dico ſecundò illorum taciturnitatem impedire conceſſionem, quæ à iure, ſtylo, & conſuetudine mandantur exprimi, & illorum expreſſionem falſam vitiare cõceſſionem quibus ſecundùm ius,ſtylum, & conſuetudiné mouetur Princeps in reſcripto concedendo,ita vt iure cautum ſit quòd eis expreſſis gratiam Princeps non conceſſiſſet. Ita Garſias *de benef.tom.*2.*part.*8. *cap.* 3. *num.* 20. Caſtrus *vbi ſuprà num.*3.Salas *de legib.diſput.*20.*ſect.*15. *num.*115.& Pontius *vbi infrà.*

Dico tertiò, quòd ſi plures cauſæ proponantur, ſi vtraque eſt inſufficiens per ſe, & integrant vnam cauſam ſufficientem, ſi aliqua earum eſt falſa, corruit diſpenſatio, quia illis nititur voluntas diſpenſantis:iudicabitur autem vtramque eſſe inſufficiẽtem, quando ex quacumque illarum ſeorſim non ſolet concedi diſpenſatio. At ſi vna cauſa ſit ſufficiẽs ex conſuetudine & ſtylo,& ea vera, alia verò quæ additur ſit falſa, communior ſententia eſt quòd valet diſpenſatio,nec vitiatur reſcriptum. Ita Baſilius Pontius *de matrim.lib.*8.*cap.*17.§.*vlt. nu.*41. Sanchez *loco cit.n.*32.Suarez *de Relig.tom.*2.*lib.*6.*de voto cap.*27. *num.*11.licet Caſtrus Palaus *vbi ſuprà* §.5. *num.*2. hoc intelligat de cauſa extrinſeca diſpenſationi, & quæ per ſe non ſolet monere Principem ad diſpenſationem concedendam, quis dicere poterit hic & nunc ex vtraque ſimul motum non eſſe. Ita ille. Sed Pontius *vbi ſuprà* abſolutè loquitur, & confirmat ſupradicta Laurentius Portel *in reſp.mor.part.*3. *caſ.*8. *num.* 2. vbi docet, quòd quando in reſcripto narrantur plures cauſæ copulatiuæ, quarum aliæ veræ ſunt,aliæ falſæ, ſpectanda eſt cauſa qua nititur reſcriptum,eaque exiſtente vera,non obſtare ceterarum falſitatem;& addit,quòd cùm cauſę narrantur diſiunctiuè, ſufficit alteram eſſe veram ne reſcriptum ſit ſubreptitium.

Dico quartò, quòd in dubio an ſit cauſa finalis, quæ exprimitur in reſcripto, ſeu diſpenſatione pertinens ad ipſam diſpenſationem intrinſecè,an verò ſolùm impulſiua & motiua extrinſecè diſpenſationem concernens, cenſendum eſt eſſe motiuam, & non finalem, quia ſemper ſtare debet præſumptio in fauorem valoris actus. Et idem dicendum eſt, cùm dubium eſt,an diſpenſatio valida ſit, quia dubium eſt,an cauſa falsò allegata ſit finalis. Ita Caſtrus *loco citato* §.5.*num.*3.& Portel *vbi ſuprà*,qui citat Sanchez *de matrim.lib.*8. *diſp.* 21, *num.* 20. & 25.licet Villalobos *in ſumma tom.*1.*tract.*2.*diffic.*43. *n.*7. cum Molina contrarium ſentiat; ſed vtraque opinio eſt probabilis.

RESOL. LIV. *An beneficiarius ſi incidat in excommunicationem ſit priuatus fructibus, reddituibus, ſeu diſtributionibus beneficij?*

DE hoc caſu olim per litteras conſultus fui, & affirmatiuam ſententiam docet Toletus *lib.* 1. *cap.*13.Garſias *de beneficiis tom.*2.*part.*7.*c.*13. *n.*92. Filliucius *tom.*1.*tract.*12.*c.*5.*nu.*129. Suarez *de cenſur. diſp.* 13 *ſect.*2.*nu.*4. Henriquez *lib.*13.*cap.*13. *n.*4. Sayrus *de cenſ.lib.*2.*c.*5.*n.*14.Reginaldus *tom.*2.*lib.*32.*tract.*1.*c.*7. *n.*36.Moneta *de diſtribut.part.*2.*quæſt.*15.*n.*22. Couarruuias *lib.*3.*var.cap.*13.*nu.*8. Alterius *de cenſur. tom.* 1. *lib.*2.*diſp.* 6. *cap.* 8. & alij penes ipſos aſſerentes,excommunicatum non facere in conſcientia fructus ſuos,ideoque abſque alia ſententia teneri illos reſtituere, vel curare eorum condonationem à ſacra Pœnitentiaria,expoſita cauſa paupertatis, vel ignorantiæ,vel iniuſtæ excommunicationis,vel diligentiæ in procuranda ſtatim abſolutione, ſed dilata culpa aliorum;& ratio eſt, quia id exprimi videtur *in cap.paſtoralis,de appellat.* dum dicitur,illi prouentus Eccleſiaſtici meritò ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur.

Sed ego tunc negatiuam ſententiam mordicus ſuſtinui,& conſulentem liberaui à reſtitutione magnæ quantitatis,quia excommunicatio ex eo quòd generaliter eſt priuatio communionis fidelium, non priuat dictis fructibus, quia perceptio eorum non eſt cõmunicare cum fidelibus,nec excommunicatio priuat illis iure aliquo peculiari, quia ſi aliquo,maximè iure *dicti cap. paſtoralis*; eo autem non fit,quia *in eo cap.* tantùm eſt ſermo de ſubtractione facienda per Iudicem media ſententia noua ſuperaddita excõmunicati,quod ille,qui conſuluit Pontificem,ſupponit, interrogat enim an excommunicatus,qui excommunicatione iam incurſa appellauit, poſſit non obſtãte appellatione denuntiari, ſeu publicari excommunicatus, & ad tempus ſpoliari beneficiis, id eſt, prouentibus beneficij; ſupponit ergo excommunicatione non ſpoliari, quia potius inter-

interrogaret an excommunicatione ipsa maneret spoliatus, & Pontifex eo suppositò respondet posse denuntiari, & meritò subtrahit prouentus, sententia videlicet superaddita Iudicis; sicut etiã actu superaddito excommunicationi denuntiatur; & hanc sententiam negatiuam docet Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 2. de excommun. dub. 11. nu. 68.* Hurtado *de cens. disp. 6. diff. 3. n. 3.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 51. n. 22.* Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 93. n. 80.* Vasquez *opusc. de beneficiis cap. 3. §. 3. dub. 4. n. 229.* Nauarra *de restitut. lib. 2. c. 2. n. 238.* Auila *de cens. part. 2. cap. 6. disp. 6 dub. 1. concl. 2.* & alij penes ipsos. Igitur cum Doctoribus citatis dicendum est in tali casu non adesse obligationem restituendi, modò beneficiarius excommunicatus exequatur onera & officia beneficij, siue excõmunicatus sit curator animarum, siue Canonicus, siue habeat beneficium simplex. Imò addo cum Hurtado *loco citato*, quòd quamuis de rigore iuris excommunicatus eo ipso absque noua sententia Iudicis esset priuatus fructibus sui beneficij, consuetudine tamen non priuatur, quia dicto iuri, quamuis esset, fuisset dicta consuetudine derogatum.

RESOL. LV. *An collatio pensionis facta excommunicato titulo clericali sit inualida?*

AFfirmatiuam sententiam docet Villalobos *in summa tom. 1. tract. 17. diffic. 9. nu. 3.* Turrianus *de censuris lib. 2. disp. 16. dub. 1.* Sayrus *de cens. lib. 2. c. 5. n. 15.* Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 22. n. 127.* Vasquez *in 3. part. to. 4. tract. de excommun. dub. 6.* Henriquez *lib. 13. c. 13. n. 3. in gloss. lit. N.* Suarez *de cens. disp. 13. sect. 1. nu. 9.* Filliucius *to. 1. tract. 12. c. 5. quæs. 4.* Reginaldus *tom. 2. lib. 32. tract. 1. c. 7. n. 43.* Alterius *de cens. to. 1. lib. 2. disp. 6. c. 4.* & alij. Ratio est, quia excommunicatus est incapax priuilegiorum; ergo est incapax pensionum. Adde quòd multi asserunt talem pensionem esse beneficium, vnde ex hac sententia sequeretur obtinentem pensionem tituli clericalis non posse fructus percipere, nec vllum ius ad illos habere.

Sed licet hæc opinio sit probabilior, contrariam tamen etiam probabilem esse iudico, quam tuetur Auila *de cens. part. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 5. concl. 2.* & hanc sententiam absolutè docet ex neotericis Gaspar Hurtado *tract. de excommun. disp. 6. diffic. 3. num. 6.* vbi sic asserit: Nomine beneficij ad quod excommunicatus est inhabilis, intelligitur quodcumque beneficium, siue cum animarum cura, sine sine illa, siue ex maioribus, vt Episcopatus, siue ex minoribus; & quamuis excommunicatus sit priuatus beneficio, non tamen pensione quæcũque sit, ac proinde consignatio illius facta excommunicato est valida, vt contra non paucos docent nonnulli, quia pensio non est beneficium, quia nulla ex re est ius perpetuum ad fructus, quod deinceps est conferendum, quod requiritur ad rationem beneficij, & excommunicatus non est priuatus nisi beneficio. Ita ille, & ante illum ex eadem Societate Ioannes Præpositus *in 3 part. D. Thom. q. 2. de excommun. dub. 11. num. 64.* vnde, vt dixi, non dubito hanc sententiam esse probabilem & tutam in praxi; vnde non obligarem pensionarium in tali casu ad restitutionem. Nec valet dicere cum Vasquez, Suarez & aliis, quòd excommunicatus est suspensus ab officio. ergo est incapax saltem pensionis, quæ datur titulo Ecclesiastico; nam respondeo negando consequentiã, quia non obstante eo, quòd in antecedente assumitur, constat excommunicatum nõ esse ex rei natura incapacem beneficij, vel pensionis; ergo incapacitas debet prouenire ex iure positiuo. Dicimus autem non probari in particulari ex iure, quòd concessio pensionis facta excommunicato sit irrita, nec sufficienter ostendi ex eo, quòd collatio beneficij sit irrita, cùm pensio etiam collata titulo Ecclesiastico non sit beneficium, nec de ea sit discurrẽdum, sicut de beneficio sine iure expresso, propter aliquam inter ea conuenientiã, præsertim in materia odiosa, & quantum fieri potest restringenda. ergo, &c.

RESOL. LVI. *An sit valida acceptatio beneficij ab excommunicato, qui tempore collationis & electionis non erat excommunicatus?*

TAlem acceptationẽ esse inualidam, docet Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 9. nu. 78.* Hurtado *de excommunic. disp. 6. diffi. 3. n. 8.* Couarruuias *lib. 3. var. c. 16. n. 4.* & alij, quia quod *in cap. postulasti, de cler. excom.* intenditur, est inhabilitare excommunicatũ ad acquirendum beneficium; id autem non minùs fit annullando acceptationem quàm collationẽ, quia, vt exprimitur *in cap. si tibi absenti 17. de præb. in 6.* acceptatione beneficij acquiritur ius in illo, non quia sibi conferat tale ius qui acceptat, sed quia acceptat quod sibi ab altero offertur, imò meliùs fit annullando acceptationem, quia per hanc proximè acquiritur, & non per collationem, seu oblationem, nisi inchoatiuè. Addit etiam Hurtado *vbi sup. n. 10.* & alij dictam acceptationem tempore excommunicationis factam adhuc non valere ad hoc, vt posteà subsecuta absolutione acquiratur beneficium, quia quamuis acceptatio illa quamdiu non retractatur perseueret habitualiter adhuc post absolutionem, quia tamen à principio fuit nulla, ideò nequit posteà conualescere & fieri valida.

His tamen non obstantibus, dicendum est in supradicto casu validam esse acceptationem beneficij, ab eo, qui tempore collationis non erat excommunicatus, licet sit excommunicatus tempore acceptationis beneficij; & ita docet Turrianus *de cens. lib. 2. disp. 16. dub. 2.* Vasquez *in 3. part. tom. 4. tract. de excommun. dub. 6. num. 9.* Alterius *de cens. tom. 1. lib. 2. disp. 6. cap. 5.* Auila *de cens. part. 2. cap. 6. disput. 5. dub. 8.* Præpositus *in 3. part. D. Thomæ quæst. 3. de excommunicatione dub. 11. nu. 67.* Parisius *de resignat. benefic. lib. 10. quæst. 8. num. 39.* Sayrus *de censuris lib. 2. cap. 5. num. 11.* & alij penes ipsos, quia iura solùm irritant collationẽ, & electionem beneficij, non verò acceptationem, nec aliam interpretationem admittunt, nam versamur in materia odiosa. ergo, &c.

Hinc infertur quòd Canonicus excommunicatus validè potest optare præbendam meliorem, & beneficium pinguius. Ita Vgolinus *de censuris tab. 2. cap. 13. §. 2. num. 15.* Sayrus *lib. 2. cap. 6. num. 13.* Alterius *lococitato.* quidquid in contrarium asserat Filliucius *tom. 1. tract. 12 cap. 5. num. 121.*

Sed

Sed maior difficultas eſt, an ſit valida electio & præſentatio facta tempore excommunicationis, ſed acceptata poſt obtentam abſolutionem excõmunicationis, modò tẽpore acceptationis electores, & præſentatores permanſerint in ſua prima voluntate? Negatiuam ſententiam docet Leſſius *lib.2. cap.34. dub.22. num.119.* Coninch *de Sacram. diſp.14. dub.9.nu.74.* & alij, quia in tali caſu retineretur beneficium ſine titulo, cùm titulus electionis fuerit inualidus, vtpote collatus excommunicato, qui ad illum eſt inhabilis. Quod confirmatur, nam fruſtrà videretur impoſitus iſte effectus excõmunicationis, quia in tali caſu quilibet excommunicatus differre poteſt acceptationem donec abſoluatur.

Verùm Martinus Bonacina *de cenſuris diſp. 2. q.2. punct. 4. §. 1. num.10.* licet ſupradictam opinionem dicat eſſe veriorem & probabiliorem, nihilominus contrariam non exiſtimat improbabilem, quam tuetur Henriquez *lib.13.cap.13. num.1.in gloſſa lit. D.* Couarr. & alij, quos citat Sanchez *de matrim. tom.3. lib.8. diſput. 7. num.12.* Et ratio eſt, quia in tali caſu prior electio, & præſentatio videtur ratificari, & approbari per continuationem, ſeu permanentiam in prima voluntate.

Notandum eſt etiam hîc obiter quòd ſi periculum imminet infamiæ, ſeu ſcandali, excommunicatus occultus in electione, vel collatione beneficij, non tenetur ſuam excommunicationem prodere, quia Eccleſia non cẽſetur obligare in tali caſu cum tanto incommodo, & ideò poteſt ſine vllo ſcrupulo acceptare beneficiũ; debet tamen poſteà quamprimùm occultè petere diſpenſationem. Ita Suarez *de cenſuris diſp.13.ſect.1.num.11.* & alij.

RESOL. LVII. *An excommunicatus non audiendo Miſſam peccet contra Eccleſiæ præceptum ſi ſit negligens in obtinenda abſolutione excommunicationis?*

AFfirmatiuam ſententiam mordicus docet Didacus Nugnus ex Illuſtriſſima Religione D. Dominici *in 3.part.to.1.q.83. art.6.poſt dub. 2.* qui ait, quòd omnis, qui tenetur ad aliquem finem, tenetur ad media per ſe ordinata ad illum; ſed tollere impedimentum in caſu noſtro per ſe moraliter ordinatur ad audiendam Miſſam. ergo quando modò habet præceptum audiendi Miſſam, conſequenter habet præceptum procurandi abſolutionem excommunicationis. Patet minor, excommunicatio directè & per ſe moraliter eſt impedimentum audiendi Miſſam, ſiquidem hoc ipſum habet ex intentione præcepti Eccleſiæ; ergo tollere illam, per ſe loquendo, ordinatur ad implendum præceptum audiendi Miſſam.

Deinde confirmatur, quia ſi quis ſit excommunicatus in Paſcha, & nõ velit procurare abſolutionem, cùm tamen poſſit, peccat contra præceptum confeſſionis, & contra præceptum communionis. ergo idem dicendum eſt in noſtro caſu. Hæc Nugnus, contra Suarez *in 3.part tom.3.diſp.88.ſect.6.*

Verùm ego, his non obſtantibus, ſententiam Suarez tenendam eſſe puto, quam docet & tuetur Coninch *de Sacramentis diſp.14.dub.7. num.56.* Auila *de cenſuris part.2.cap.6. diſput.4. dub.7.* Sayrus *de cenſ. lib.2.cap.3.nu.24.* Nauarrus *in manuali cap.122. num.3.* Henriquez *lib.13. cap.7.num.2.* & nouiſſimè Gaſpar Hurtado *tract.de excommunicatione, diſp.5. diffic.2. n.4.* vbi ſic ait: Excuſatur excommunicatus ab audiendo Miſſam quamuis negligens ſit in obtinenda diſpenſatione, quia obſeruatio præcepti audiendi Miſſam, non eſt tanti momenti, vt obliget ad tam remotam diſpoſitionem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi Miſſam; ſicut etiam incarceratus ob debita excuſatur ab audiendo Miſſam, quamuis poſſit ſoluere, & non ſoluendo peccet cõtra iuſtitiam; non tamen excuſatur excommunicatus à præcepto confeſſionis, & communionis annuæ, quando facilè poteſt abſolutionem obtinere, quia obſeruatio horum præceptorum eſt magni momenti. Ita Hurtado. Vnde patet reſponſio ad argumenta ſuperiùs adducta à Nugno, quòd ſi excõmunicatus, v.g. per annum non audiuit Miſſam in diebus feſtis, ſi poſteà obtenta abſolutione confitetur, non teneatur ſe accuſare, quòd peccauerit toties contra præceptum audiendi Miſſam, quia negligens fuit in obtinenda abſolutione.

RESOL. LVIII. *An excommunicatus ſi non poteſt propter impedimentum Papam adire, teneatur impetrare abſolutionem per epiſtolam, vel poſſit abſolui ab Epiſcopo?*

HIc caſus in praxi ſolet frequenter accidere, & in illo Bonacina *de cenſuris diſp.1.quæſt.3.punct.2. num.4.* exiſtimat teneri excommunicatum mittere epiſtolam pro abſolutione obtinenda, vt patet à ſimili de impedimentis matrimonij; non enim credibile eſt, Papam velle ab Epiſcopo abſolutionem impendi, quando patet recurſus ad Sedem Apoſtolicam per Procuratorem, vel per epiſtolam. Ita ille.

Verùm ego contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quam docent Henriquez *lib.12. c.3. n.1 & lib.6.c.9.n.7.* Duardus *in Bulla Cœnæ lib.3.§.2. quæſt.8. n.21.* quibus ego addo Auilam *de cenſuris part.2. cap. 7.diſp.1. dub.6. concl.3.* & nouiſſimè Gaſparum Hurtado *de excommunicatione diſp.15. diffic.3. nu.10.* vbi ſic ait: Epiſcopis quoque conceditur facultas abſoluendi à quacumque excommunicatione Pontifici reſeruata, quando excõmunicatus eſt legitimè impeditus adire Summum Pontificem ſiue ætate ſenili, ſiue impubertate, ſiue infirmitate, ſiue inimicitia capitali periculoſa, ſiue fragilitate ſexus, ſiue cura familiæ, ſiue quia eſt ſub cura parentũ, ſiue paupertate in eo, qui non ſolet mendicare, ſiue quocumque alio impedimento, ad arbitrium viri prudentis ſufficiente, quamuis poſſit ad Summũ Pontificem mittere, & non mittat. Ita Hurtado; & ratio eſt, quoniam à iure ad id non obligatur.

Sed magis difficultas eſt in tali caſu, an excommunicatus poſſit abſolui ab Epiſcopo, ſi poteſt adire Nuntium Summi Pontificis? Martinus Bonacina *vbi ſuprà* negatiuam ſententiã docet, & ideò ait in tali caſu excõmunicatum, qui Summũ Pontificem adire non poteſt, non poſſe ab Epiſcopo abſolui, ſi poſſit adire Legatum Summi Pontificis, vel alium habentem priuilegium abſoluendi, quia in eo euentu non cenſetur adeſſe iuſta ac legitima

causa,vel impedimentum, propter quod possit ab alio absolui.& ita hanc sententiam præter Bonacinam tenet etiam Coninch *de Sacramentis disput.* 14. *dub.*16.*nu.*242. Nauarrus *in manuali cap.*27.*num.*89. Corduba *in summ.quæst.*18.& alij.

Sed tu contrariam sententiam tene, quam tuetur Auila *de censuris part.*2. *cap.*7. *disp.*1.*dub.* 6. *concl.*3. & Hurtado *loco citato*,cum Henriquez *lib.* 12. *cap.* 3. *num.*1.*in glossa lit.H.* quia in his casibus absoluit Episcopus tamquam proprius pastor, & potestate ordinaria, illa enim potestas ordinaria, quæ sublata erat ei per reseruationē, restituta est existente iusto impedimento recurrēdi ad Summum Pontificem.

RESOL. LIX. *An iam Parochos possint Episcopi aliquoties examinare?*

HAnc quæstionem non inuenies ita facilè apud Doctores, & affirmatiuam sententiam docet Ægidius Trullench *in expos.Bullæ Cruciatæ lib.*1. §.7. *cap.*1.*dub.*1. *num.*3. & Ioan.Sancius *in selectis disp.* 50. *per totam*, pro cuius explicatione suppono certum esse,posse Episcopum vnum,vel alterum Parochum examinare quando defectus scientiæ adeò notus esset,quòd vel nullatenus posset celari, vel errores admissi à Parocho id ostenderent, tunc enim cùm errores,vel fama publica se gerant tamquam accusatores, in Parochum ius habet Episcopus vocandi illum ad suum Tribunal, & confessionem iuridicam ab eo excipiendo(hoc est,per examinationem) scientiæ quantitatem mensurandi, quam si minùs sufficientem,quàm oportet, habere Parochum inuenerit,poterit absque dubio vel ab officio suspendere, aut illi coadiutorem designare, vt constat ex Trident.*sess.*21.*ca.*6.Verùm difficultas est, an valeat Episcopus vocare ad examen omnes Parochos generaliter,quamuis nulla præcedat infamia imperitiæ ipsorum?&,vt dixi, affirmatiuè respondet Sancius; nam potest Episcopus vocare ad examen, vt omnes concedunt, Confessarios tam sæculares, quàm Regulares, vt experiatur an sufficientes sint, vel non, quia fundamentum sufficientiæ mutabile & variabile est; qualis est sufficientia & boni mores;& quia leges, seu facta ab vno legislatore, seu Superiore potest successor derogare, nisi superius ius,aut legislator obsit. Propter eamdem igitur rationem fas erit illi vocare ad examen Parochos vniuersos, vt ei per experientiam innotescat an illorum scientia sit extenuata,& boni mores mutati, cùm Parochi nullo modo possint iuuari iure, aut exemptione magis,quàm ceteri Confessarij. Deinde non minoris esse momenti visitare Parochos in externis,quàm internis,neminem credo in dubium reuocare. Sed Episcopus habet ius visitandi annis singulis,vt ex Concil.Trident. *sess.*21 *cap.*8. constat, Parochorum vitam & mores; quare igitur impeditus erit illorum scientiam perquirere? Porrò nisi examinentur Parochi, non posse verba Concilij plenè seruari reor,ait enim Concilium debere Episcopum visitare beneficia curata, & prospicere an cura animarum rectè exerceatur: at nisi prævio examine non posse prospicere num rectè minúsve exerceatur animarum cura, arbitror. Nam animarū cura non præcipuè sita est in eo quòd Parochus Sacramenta petentibus ministret, sed etiam in eo quòd rectè ministret; at nisi perquiratur Parochorum scientia, sciri nequaquam poterit, num rectè ministrentur Sacramenta,vel non præcipuè Pœnitentiæ. Igitur vt mens & Concilij verba verificentur,contēdentis teneri Episcopos explorare an animarum cura rectè exerceatur,vel non,opus esse videtur Parochorū scientiam per examen mensurari, & ita hæc omnia docet Sancius *loco cit. nu.*11. *&* 12. vbi etiam testatur hanc opinionē in praxi his temporibus deduxisse D. Andream Pacheco Episcopū Segobiensem virum doctissimum, D. Ioannem Manuel Episcopū Siguntinum, & D. Castillo Episcopum Calaguritanum,& ante omnes Ioannem à Ribera Archiepiscopum Valentinum, vt testatur Trullench,qui omnes examinauerunt Parochos.

Sed his non obstantibus, non desunt Doctores contrariam sententiam docentes, & ideò contra Hispanum, alium Hispanum opponamus, & is est Ludouicus de San Iuan *in summa*,seu Luz de Sacerdotes *quæst.de sacram. Pœnitentiæ art.*2. *dub.* 3. vbi sic asserit: *No puede el Obispo compeler à los Curas à nueuo examen, porque ipso iure son los curas Confessores idoneos.* Vnde non benè dixit Sancius *num.* 15. Nullum vsque modò inueni docentem,non posse Episcopum Parochos examinare, nam poterat legere supradictum auctorem hanc sententiam docentem,quam etiam nouissimè tenet & docet Homobonus de Bonis *in exam.Eccles.part.*3.*tract.*15.*c.*9.*quæs.*31. *resol.*1. vbi sic ait: Successori in Episcopatu integrum est omnes, quamuis simpliciter & absolutè approbatos,generatim ad examen aduocare, & quos idoneos non inuenerit,reiicere. Quo autem ad Parochos,dico Episcopum ad nouum examen eos vocare non posse,si quidem animarum curatores,qui perpetuum titulum habent, à iure approbationem obtinent, quam locorum Ordinarij ab eis reuocare non valent,quamuis ex noua causa ob demerita à munere eos suspendere & aliquando punire integrum sit. Ita ille. & ante illum Reginaldus *in praxi to.*1.*lib.*1.*c.*16.*n.*201. Verùm his non obstantibus, affirmatiuam sententiam ego teneo,vnde Barbosa *de potest.Parochi c.*2.*n.*10.sic ait:Post electionem factam & collatam sibi Parochialem non existimet Parochus se non ampliùs de doctrina & litteratura rationem redditurum,quia sacra Congregatio Concilij *in vna Placentina sub die* 6. *Augusti* 1628. censuit liberum esse Episcopis,tam in visitatione,quàm extrà iterum examinare super doctrina & litteratura Parochos approbatos ab Anteceſſore tēpore prouisionis Parochialium, nec non superueniente rationabili causa & suspicione ignorantiæ posse examinare ad effectum *c.*6. *sess.*21. *de reformat.* Ita Barbosa.vnde stante dicta declaratione sacrę Congregationis opinio Homoboni & aliorum non est admittenda. Dico igitur Episcopum posse iterùm examinare Parochos ab Episcopis anteceſſoribus approbatos & examinatos.

RESOL.LX. *An Episcopi possint cōcedere Bullas cum facultate absoluendi à casibus sibi reseruatis,& dispensare & commutare in iis,quæ ipsi iure suo ordinario possunt?*

NEgatiuè respondet Nauarrus *consil.* 18. *lib.* 5. *de pœnit.& remiss.*& Rodriquez *in addit.*§.1.*n.*2. docent

docent enim talem conceſſionem eſſe ſimoniacam iure ſaltem humano prohibitam, in qua nullus inferior Papâ diſpenſare poteſt, diſpenſat autem quando Cruciatam pro belli ſubſidio contra infideles concedit.

His tamen non obſtantibus, Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 31. num. 1. in gloſſa litt. C.* affirmatiuam ſententiam docet, & ideò tenet poſſe Epiſcopos in Hiſpania & India, quæ diſtant à Papa, ſi ipſe Papa Bullam Cruciatæ non concederet, indulgere data Bulla ea quæ ad illorum facultatem extenduntur, & ita, ait, Epiſcopi Hiſpaniæ anno 1571. ad Regis inſtantiam conceſſerunt Bullas quaſdam ferè ſimiles Bullæ Cruciatæ circa peccata & cenſuras Epiſcopo reſeruatas, & vt fieret compoſitio quædam pro incertis. Hæc Henriquez.

Et nouiſſimè hanc ſententiam docet etiam Ægidius Trullench *in expoſit. Bull. Cruciat. in proœm. dub. 2. num. 4.* cum his tamen limitationibus. Prima, vt Papa Bullam Cruciatæ non conceſſerit. Secunda, vt vrgens & ingens neceſſitas eſſet. Tertia, vt pecunia quæ pro illius conceſſione datur, nullo modo applicetur in vſus & neceſſitates ipſius Epiſcopi, ſed in opus pium ad bonum commune ſpectans. quod probatur à ſimili; nam etſi Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 18. de reformat.* prohibeat ne aliquid temporale in diſpenſationibus, tamquam illarum pretium recipiatur; nihilominus tamen poteſt Epiſcopus abſque labe ſimoniæ dum diſpenſat vota in quę ipſe habet poteſtatem, imponere onus largiendi eleemoſynas pauperibus, vel Monaſterio, quia Tridentinum, vt aduertit Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 9. num. 57.* tantùm prohibet ne diſpenſans inde ſibi aliquod temporale commodum reportet; ergo dum Bullam ſuam concedit Epiſcopus, poterit abſque ſimonia illam concedere cum onere, vt præſtetur aliqua pecunia in bonum vniuerſalis Eccleſiæ, vel particularis. Et ideò hanc ſententiam abſolutè etiam tenet Perez de Lara *in lib. trium Gratiarum, fol. 13. & fol. 94.* refert D. Didacum de Eſpinoſa Cardinalem & Epiſcopum Siguntinum inſtituiſſe & conceſſiſſe quamdam Bullam, quam vocauit *Carta y Bula de hermandad y Confradia de nueſtra ſanta fe Catolica*, in qua conceſſit ſuam ordinariam facultatē, & multa priuilegia ac Indulgentias Confratribus hanc Bullam accipientibus; ſolutis tamen duabus drachmis in ſubſidium belli cōtra Turcas & Agarenos Regnum Granatenſe occupantes, & hæc omnia notauit Trullench *vbi ſuprà*; & quia dictum Perez de Lara penes me habeo, ponam hîc eius verba, ſic itaque ait: *La Santidad del Papa Pio V. en vn breue dado en Roma à 20. de Nouiembre año 1563. ſuſpendio las Indulgencias de la ſanta Cruzada y entendo por eſſo ceſſado la limoſna que ſe ſacaua, y ofrecidoſe la guerra de la rebelion de los Moriſcos de Granada para ſocorrerſe de la limoſna de los fieles, ſe junto el Cardinal Eſpinoſa Obiſpo de Siguença Inquiſidor general con muchos Obiſpos de los Reynos, y acordaron de hazer vna Carta, y Bula de Hermandad concediendo à los que entraſſen en ella y dieſſen la limoſna ſeñalada las Indulgencias, y gracias que ellos podian conceder por ſus Prelacias en ſus Dioceſis, la qual ſe publico en eſtos Reynos el año 1570. y ſe ſaco tanta limoſna como ſe ſolia de la Cruzada.* Sic ille, vbi poſteà per extenſum ponit dictam Bullam. Sed circa dubium huius reſolutionis de meo nihil ego dicam, ſolùm referre volui quid alij dixerunt.

RESOL. LXI. *An pollutio cogitando tantùm turpia ſit peccatum reſeruatum, & quid ſi ſequatur ex aſpectu nimiùm libidinoſo?*

ALiquando Superiores Regulares reſeruant ſibi pollutionem voluntariam, etiam ſine complice, quæritur an ſi ſequatur voluntariè ex turpibus tantùm delectationibus moroſis, vel ex aſpectibus libidinoſis; ſit peccatum reſeruatum? Et ad hæc dubia reſpondet Georgius Kiene *in tract. de caſ. reſeru. part. 3. cap. 6. num. 4.* vbi ſic ait: Quæres primò, vtrùm Religioſus cogitando turpia, iiſque morosè delectando in pollutionem prolapſus ſine proprij corporis aſpectu, aut contactu libidinoſo, vllaque motione inſtrumentali, caſum reſeruatum incurrat? Reſpondet Suarez affirmatiuè, ſed non improbabiliter alij negant, putant enim quòd ad huiuſmodi reſeruationem non ſolùm externa actio in ſua ſpecie cōſummata, ſed etiam externa reſpectu mediorum requiratur & procuretur, non tantùm per interiorem delectationem, tamquam cauſam adæquatam, ſed potiſſimùm per opus externum, v. g. libidinoſum contactum. Et quemadmodum ille non incidit qui tangit perſonam, quantumcumque libidinosè exercendo varios impudicitiæ actus abſque ſeminis profuſione, aut copula, quamuis mortaliter peccet; ita quoque qui ſine tactu proprij corporis, aut alio inſtrumento ob veneream turpitudinem mentalem polluitur, niſi perueniatur ad cōſummationem illius actus impudici, quem peccans intendit, vel in quem natura ſua ordinatur, id eſt, copulam carnalem.

Quæres ſecundò, vtrùm aſpectus libidinoſus in feminam directus, ex quo apta eſt ſequi pollutio, ſit caſus reſeruatus? Reſpondeo primò, ſi aſpectus aliqua quidem libidine quaſi inaduertenter informatus à pulchritudine faciei, aut formæ femineæ, aut perſonæ ſuperbè conueſtitæ proueniat, non eſſe vti nec mortalem, ita neque reſeruatum. Ratio eſt quòd huiuſmodi aſpectus de ſe leuiter tantùm in libidinem prouocet. Reſpondeo ſecundò, quando in grauem tentationem, & inde in pollutionem prolaberetur, nec dum culpam reſeruatam probabiliter committi, etiamſi ex praua affectione & intentione ad libidinem concitaretur ob affectum corporis externi, quòd per ſe oculus impudicus non poſſit cenſeri propinquè lapſus carnis opere conſummatus. Reſpondeo tertiò, aſpectus denudati in femina corporis, aut potioris partis ad libidinem allicientis, in qua impudicitia locum tenet, cum pollutione iunctus videtur ſine præuiis oſculis, aut contactu, caſus reſeruatus. Ita Kiene *loco cit.* Vide etiam Homobonum de Bonis *de caſib. reſeru. part. 3. cap. 5 excep. 6.* Molfeſium *in ſumm. tom. 1. tract. 7. c. 20. n. 104.* & Coriolanum etiam *de caſib. reſeru. part. 2. caſ. 9. §. 10. n. 15.* aſſerentem pollutionem ortam ex turpibus cogitationibus numquam eſſe caſum reſeruatum, ſed tantùm peccatum mortale.

Resol. LXII. *An Typographiam in diebus festis exercere sit licitum?*

Hic casus est curiosus, & nouus, & de illo à Typographis nostrorum librorum olim interrogatus fui; & tunc affirmatiuam sententiam tenui, licet illam consulere non fuerim ausus, nullũ enim pro me Doctorem habebam; nunc verò illam inuenio docere Homobonum de Bonis *in consultat. cas. conscient. vol. 1. part. 2. respons.* 34. & Paulum Layman *in Theol. moral. lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 3.* vbi sic ait: Existimo pictores damnari non posse si postquam rei diuinæ satisfecerunt, artẽ suam sine scandalo exerceant. Idemque iudicium esto de Typographis characteres ordinantibus; ipsa verò librorum impressio seruile opus est. Ita ille, & ego. Nec enim prædicta opera seruilia fiunt illicita, quòd ob lucrum & mercedem exerceantur, nam hoc per accidens se habet.

Notandum est etiam hîc obiter primò, Homobonum *vbi suprà respons. 36.* excusare tonsores tondentes in diebus festis ex occasione cessantis lucri, quoniam aliis diebus ob laborum occupationes tondendi non accedunt, nec potest Episcopus prohibere alioqui in festo licita causa necessitatis, vt pieratis. Ita ille.

Nota etiam secundò. Layman *loco citato num. 6.* probabile esse existimat cum Caietano *in 2. 2. quæst. 122. art. 4.* iuramenta in die festo prohibita non esse nisi iudicialia.

Nota tertiò cum eodem Layman *cap. 7. num. 2.* sartores non peccare, si in diebus festis conficiant vestes, vel alia pro aliquo funere, & interdum excusantur cùm post medium noctis festo die laborare coguntur, vt vestes promissas perficiant.

Nota quartò excusari à peccato puellas & domicellas in festo fuentes, vel alio modo laborãtes, si ad fugandum otium hoc faciunt, & ne ad domus fenestras se cõspiciendas exhibeant. Ita Homobonus *loc. cit. respons. 35.* & Syluester *ver. Dominica, quæst. 5. dicto 3.* licet Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 1. c. 26. nu. 4.* & Comitolus *in resp. lib. 4. q. 37.* contrarium asserant.

Resol. LXIII. *Quis vendidit scapham, v. g. frumenti furatam, cuius pretium postea decreuit; quæritur an teneatur restituere pretium frumenti secundùm quod venditum fuit, an secundùm taxationem temporis in quo restitutionem facit?*

Hic casus frequenter potest accidere, & negatiuè respondendum est, sufficit enim in similibus casibus restituere vel rem ipsam numero, vel aliam eiusdẽ numeri & bonitatis, vel denique eiusdem pretium, siue æstimationem præsentem, nisi dominus venditurus fuisset, & habiturus illud lucrum. Nec obstat quòd fur tempore intermedio cariùs vendendo lucrum ceperit. nam hoc pertinet ad eius industriam. Et ita quamuis non ita certò, tamen probabiliter dici potest, de rebus vsu non absumptibilibus satis fieri creditori, si equus ipse restituatur omnino talis, qualis ablatus fuerat, & si vel tunc cùm auferebatur, vel tempore intermedio pluris valuerit, & hæc omnia valdè notanda docet Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 4. num. 6.* qui citat Lessium, Molinam & Nauarram.

Notandum verò quòd secus dicendũ erit quando res apud furem melior effecta est augmento intrinseco, veluti si pullus equinus furatus adoleuit. nã in tali casu semper restitutio fieri debet rei, spectatæ secundùm optimum statum quem in manu furis habuit, ex Vlpiano *in l. re furtiua, ff. de condict. furti.* Angelo *ver. furtum, §. 44.* Syluestro *ver. restitutio 3. q. 7. dicto 1.* Couarr. *in reg. peccatum part. 2 §. 6. num. 2.* & aliis, quod ego limito cum Nauarra *lib. 4. cap. 1. nu. 34.* & Vasquez *opusc. de restit. c. 5. §. 1. dub. 12.* nisi ita res apud dominum similiter deterior facta esset, & si ab iniquo possessore in statu optimo restituta fuisset, vt si, v. g. fur rem furatam in optimo statu restituisset, & tamen à domino tunc diuendita non fuisset, sed seruata, & inde deterior facta esset, tunc satis erit si fur restituat rem in statu deteriore.

Resol. LXIV. *An si quis sciat aliquem nomine suo paratum damnum inferre, v. g. inimicum occidere, neque prohibeat, cùm facilè possit, tenetur ad restitutionem?*

Affirmatiuè respondet Molina *de iustit. tom. 3. tract. 2 disp. 729. nu. 6.* vbi sic ait: Obserua quando aliquis crederet aliquos nomine ipsius damnũ iniustè alteri daturos, ac posset illud impedire, illisque significando nulla ratione velle vt id efficiant, teneretur id efficere, atque si id prætermitteret, teneretur restituere damnum secutum, esto posteà ratum non haberet id damnum esse datum. Ratio est, quoniam cùm videat, aut timeat nomine ipsius id damnũ esse dandum, tenetur non solùm ex charitate, sed etiam quasi ex officio, ex proprioque iustitiæ onere impedire, ne nomine ipsius & tãquam aliquid sibi gratum damnum proximo iniustè inferretur. Ita Molina.

Sed circa præsentem dubitationem placet mihi magis distinctio Rebellij *part. 1. lib. 2. q. 14. sect. 3. nu. 13.* asserentis, quòd vel alter scit te malignum suum propositum cognitum habere, & non contradicere, aut impedire, vel hoc nescit. Si primum, taciturnitas, consensus & approbatio iudicatur, per quam si ille mouetur ad damnum conferendum, oritur obligatio restituendi. Si secundum, non teneberis ad restitutionem vt mandans, sed interdum vt non obstans, si videlicet ex officio, & ideò ratione iustitiæ, non solius charitatis obligatus sis ad damnum iniustum impediendum: igitur cum hac distinctione libenter opinionem Molinæ amplector, sin autem, minimè.

Notandum est etiam hîc obiter contra Paludanum *in 4. dist. 15. q. 2. art. 3.* Sylueſtrum *ver. restitutio 3. quæst. 6. dict. 2.* Angelum *ver. furtum, num. 20.* & Nauarr. *in man. cap. 17. num. 133.* quòd si, v. g. filius nomine patris, vel famulus nomine domini sui nescientis, & non consentientis, damnum intulit, neque dominus, neque pater tenebitur ad restitutionem, etiam si posteà re intellecta illam ratam haberent. Ita Lessius *lib. 2. cap. 13. dub. 3. num. 13.* Vasquez *opusc. de restit. cap. 9. §. 1. num. 19.* Molina *loco citato num. 3.* Medina C. *de restit. q. 7. ad 4.* & alij, quia talis reuerà non est causa efficiens damni, cùm ad præteritum non sit potentia.

Nota etiam cum Soto *de iust. lib. 4. quæst. 7. art. 3.* & Nauar-

Nauarro *cap.17.nu.21.* quòd ſi quis à fure pecunias accipiat ne clamet,& ne indicet, ad nullam reſtitutionem obligatur, niſi ex officio furtum impedire debeat,vel niſi res accepta ſit pars furti.

RESOL. LXV. *An reus pœnam pecuniariam meritus,ſi iuridicè interrogatus crimen à ſe admiſſum iniuſtè neget,teneatur ad reſtitutionem?*

PRima ſententia affirmat.Ita Sotus *lib.1.q.6.* Molina *de iuſt.to.1.tract.2.diſp.95. circa finem.* Caſtrus *de leg.pœn.l.2.cap.12.*& alij.

Secunda opinio diſtinguit, nam ſi ſermo ſit de pœna Iudicis arbitratu ob commiſſum crimen imponenda ac fiſco inferenda,non tenebitur reſtituere reus, vel teſtis ſi iniuſtè neget etiam iuſtè interrogatus; ſi verò loquamur ipſo facto, ſeu criminis admiſſione contracta, tenebitur vtique reſtituere, quia tunc agitur directè ad pœnã ſoluendam,cuius iam reus factus eſt qui crimen admiſit:ergo,&c.Ita Layman *in Theol.mor.lib.3.ſect.5.tract.2.cap.7.n.4.*

Tertia ſententia abſolutè docet reum pœnam pecuniariam meritum, ſi iuridicè interrogatus crimen à ſe admiſſum iniuſtè neget,non teneri ad reſtitutionem, quia in tali caſu non peccat propriè contra iuſtitiam commutatiuam, ſed contra iuſtitiam publicam & iudicialem; ergo ad nullam tenetur reſtitutionem.Ita Sanchez *in ſum. tom.1.lib.2. cap.22.num.22.* Vaſquez *in 1.2. diſp.175. cap.12.* Azorius *tom.1.lib.5. cap.8. q.5.* & alij. Vnde omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles; ſed ego tertiæ tamquam probabiliori adhæreo.

RESOL. LXVI. *An filius,v.g. cauponis, mercatoris, &c. poßit exigere ſalarium, quia patris bona adminiſtrauit?*

NEgatiuè reſpondet gloſſa *in l. cùm oportet*, C. *de bonis quæ liberis*, &c. *vèr. ex eius ſubſtantia.* Petrus Nauarra *de reſtitut.lib.3.cap.1.num.76.* Molina *de inſt. to.1.tract.2. diſp.* 234. & alij communiter,filius enim dum in domo patris degit, obligatus eſſe videtur ad obſequiales operas.

Verùm quia hic caſus frequenter poteſt accidere, ego contrariam ſententiam probabilem & tutam eſſe exiſtimo; cùm enim in tali caſu lucrum nõ tantùm ex bonis patris, ſed etiam ex filij induſtria proueniat,ideò partim inter profectitia,partim verò inter aduentitia bona numerandum eſſe videtur:ex quo infertur quòd ſi ſolus pater lucrum accipiat, nullamque eius partem filio quaſi ſocietatis iure relinquat, tum tantumdem ſalarij ipſi dare obligatum eſſe, quantum extraneo alicui deberet, ſaltem ſi filius exigat, ſin autem ob metum reuerẽtialem petere non audeat (vt mihi accidit in facti contingentia cum quodam pœnitente,) vel probè ſciat ſi petat ſe repulſam laturum eſſe, dicendum eſt, filium clàm à patre accipere poſſe. & hæc omnia docet Layman *in Theol.mor.lib.3.ſect.5.tract.4.c.8. num.6.*qui citat Leſſium, Nauarrum, Lopes, & Angelum;vnde in tali caſu aduertant Confeſſarij non imponere pœnitentibus onus reſtitutionis, niſi vltra æſtimationem laboris ac induſtriæ ſuæ acciperent,computatis in dicta eſtimatione expenſis,quas pater fecit in illo alendo.

RESOL. LXVII. *An ſi quis bona fide pecunias furtiuas accepit,eaſq; cum propriis commiſcuit,teneatur domino pecuniarum comparere ad reſtitutionem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Leſſius *lib.2. cap.20.dub.18.num.157.* ex auctoritate *l. Marcellus,§. Pomponius,ff.de rei vindicat.*& ex *§.ſi duorum, Inſtit. de rerum diuiſione,*in quibus locis habetur,ſi duorum dominorum materiæ confuſæ fuerint, ita vt diſcerni,vel ſeparari nequeant, vtrique vendicationem pro parte ſua competere. quod quidem videtur eſſe valdè conſentaneum iuri naturali;cur enim cùm certò mihi conſtat rem meam eſſe huic permixtam,non poſſum mihi vendicare ex mixto illo, quantum de meo ineſt? & ideò hæc ſententia eſt probabilis.

Sed non minùs probabilem contrariam eſſe exiſtimo,quam tuetur Vaſquez *opuſc. de reſt. cap. 6. §.2. dub.vlt.* Sanchez *in ſumm.tom.1. lib.2. cap. 23. num.15.* Nauarra *de reſtit.lib.3. cap.4. num. 216. & lib.4.cap.1. num.7.*Sayrus *in Clavi Regia tract.2.cap.3. nu.13.* Medina *de reſtit. quæſt.* 10. cum aliis,& ideò Layman *in Theolog.moral.lib.3.ſect.5.tract.4.cap.17.§.3.n.23.* quærit an fur,qui aureis 100.furtiuis equum à Sempronio emit bona fide vendente, ſtatimque aufugit, poſteà comparet dominus, & pretium repetit à Sempronio, quærit Layman an reſtituere illud debet.Et reſpondet,quòd reſtitui debet,ſi centum aurei furtiui in ſpecie extent, ſin autem conſumpti ſunt, vel cum propriis nummis commixti, ita vt diſcerni non poſſint,ad nullam reſtitutionem obligatur Sempronius,non ratione iniuſtæ acceptionis, vel abſumptionis, cùm bona fide egerit, vt ſupponimus; neque ratione rei acceptæ poſſeſſæ, cùm alienos nummos non poſſideat, poſteaquam eos vel conſumpſit, vel cum propriis miſcendo eorum dominium acquiſiuit, neque etiam locupletior factus ſit,cùm pretio iuſto equum vendiderat. ergo, &c. Ita Layman *vbi ſuprà*, qui etiam rectè docet, quòd ſi aliquis ludendo falſis aleis pecuniam lucratus eſt,eiuſque partem ſocio, vel amico ſuo donauit,quamuis ſcienti, tamẽ non cooperanti ad fraudem committendam, rectè dici poteſt dictum ſocium,vel amicum ad nullam reſtitutionem obligari, ſi luſor ille pecunias ludo iniquo acceptas cum propriis miſcuerat. notentur hæc à Confeſſariis, quia multos ſcrupulos ſedabunt.

RESOL. LXVIII. *An depoſitarius poßit vti re depoſita vſu conſumptibili?*

VIdetur negatiuè reſpondendum, nam ſi depoſitarius ſine expreſſa, vel præſumpta domini licentia vtatur re depoſita, & eam alienet, furtum committere cenſetur,vt patet ex *l.3. C.eod.* & ex *Inſtit.de obligat.quæ ex delicto naſcuntur §. furtum.*

Verùm contrarium tenendum eſt de rebus vſu cõſumptibilibus,v.g.frumento, oleo, &c. vt ſaltem grauis peccati cõdemnandus non ſit depoſitarius ſi ea alienet, modò certus ſit ſe tantũdem eiuſdẽ generis ac bonitatis pretio habiturũ cũ dominus repetiuerit,nam talis alienatio in nullum eius damnũ cedit. Vnde licet Magiſtratus prohibeat, ſicuti ex communi Cæſareo iure prohibitũ eſt, ne frumentum

tum ex horreo sine eius iussu extrahatur, ne pecuniæ publicæ in mutuum aliis tradantur; si tamen certum sit neque ipsum Magistratum, neque alios vllum exinde damnum accepturos, quia tam industrius est officialis, vt constitutis temporibus frumenta ac pecunias æquè bonas in promptu habeat, probabile est non posse culpæ mortalis damnari. Ita Layman *in Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 25. n. 3. & 4.* qui citat D. Antoninum, Syluestrum, Nauarrum & Rebellium.

RESOL. LXIX. *An iuramentum ingrediendi Religionem, vel obseruandi castitatem, sit per Episcopum, vel per Bullam Cruciatæ dispensabile?*

PRima sententia affirmat; ita tenet Tabiena *ver. iurare, quæst. 20. num. 21. ad finem*, & insinuat Nauarrus *lib. 2. consil. de iureiuran. in priori edit. consil. 3. nu. 4 & 5. & in posteriori edit. consil. 1. num. 4.*

Secunda sententia negat, ita Caietanus *in 2. 2. q. 89. art. 9.* Sotus *de iust. lib. 8. quæst. 1. art. 9.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 7. punct. 4.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 10. quæs. 3.* Layman *in Theol. moral. lib. 4. tract. 3. cap. 11. nu. 4.* Aragon *in 2. 2. q. 88. art. 12.* Basilius Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 11. n. 3.* & alij.

Tertia distinguit, putat enim hanc secundam sententiam esse veram, quando iuramentum continet promissionem factam Deo; secus autem quando non includit promissionem, sed meram assertionem & affirmationem. Ita Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 13. n. 4.* Verùm aduersus hanc distinctionē Sancij insurgit nouissimè Ægidius Trullench *in exposit. Bullæ Cruciat. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 5. n. 5.*

Vnde quid ego sentio dicam breuiter. Puto igitur cum Doctoribus secundæ sententiæ, omne iuramentum Deo factum includere votum; iuramentum namque, quo aliquid Deo promittitur, nihil aliud est, quàm votum iureiurando firmatum. ergo si votum est Papæ reseruatum, similiter erit & iuramentum; ceteras rationes videbis apud citatos Auctores. nō nego tamen primam sententiam esse probabilem, quam præter DD. *vbi suprà* tenet etiam Petrus Ledesma *in summ. tom. 2. tract. 11. cap. 4. dub. 2.* quia in iure nullum reperitur iuramentum Pontifici reseruatum, & non sequitur, illa quinque vota sunt Pontifici reseruata; ergo etiam iuramenta de illa materia. nam obligatio voti maior est iuramenti obligatione, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 89. art. 8.* & ex alia parte cùm reseruatio sit odiosa, restringenda est, & non amplianda. Deinde cùm Pontifices per aliquod indultum concedunt facultatem relaxandi, seu commutandi omnia iuramenta, sine partis tamen præiudicio, non solent excipere aliqua iuramenta, sicuti excipiunt aliqua vota; ergo signum est non esse vsu receptum, aliqua iuramenta, etiam illa quinque, esse Pontifici reseruata, & ideò quando Pontifex in aliquo indulto concedit facultatem relaxandi iuramenta, possunt sine scrupulo à Confessariis illa quinque relaxari; est igitur, vt dixi, hæc sententia satis probabilis; quidquid in contrarium asserat Turrianus *in disp. select. cent. 2. censur. Theolog. dub. 92.* & ideò Ægidius Trullench *vbi suprà, n. 4.* contrariam sententiam, quam ego teneo, vocat tantùm probabiliorem, & probabilem etiam vocat hanc sententiam Leone *de potestate confess. part. 2. recollect. 20. num. 181.*

RESOL. LXX. *An detur paruitas materiæ in iuramento promissorio, ita vt aliquando sit tantùm peccatum veniale illius transgressio?*

NEgatiuam sententiam docet Armilla *ver. iurare, nu. 12.* Medina *in instruct. Sacerd. lib. 1. cap. 14. §. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 5. nu. 23.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 7. n. 3. concl. 3.* & alij asserentes omne periurium promissorium esse peccatum mortale, neque ob materiæ leuitatem fieri posse veniale, quia qui rei paruæ promissionem quam iuramento cōfirmauit, non implet, is quantū in se est facit Deum testem falsi: hoc autem est peccatum mortale, cùm sit magna in Deum irreuerentia; ergo, &c.

Alij verò, vt Caietanus *in 2. 2. quæst. 89. art. 7.* & Couar. *lib. 1. variar. cap. 1. num. 2.* distinguunt, asserunt enim quòd quando res parua est tota materia promissionis, tunc violatio iuramenti est peccatum mortale; secus si solùm sit pars materiæ, nam tunc erit tantùm veniale.

Omnes istæ sententiæ sunt probabiles, sed non minùs probabilem illam esse existimo, quæ absolutè & generatim asserit, si res promissa sit parua, siue ea sit tota materia, siue pars tantùm, non fore transgressionem, nisi venialem. Ita Sotus *de iust. lib. 8. quæst. 1. art. 7. & quæst. 2. art. 3.* D. Antonin. *part. 2. disp. 10. cap. 4. §. 1.* Coninch *de Sacram. disp. 22. dub. 7. nu. 53.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 3. cap. 4. nu. 23.* Suarez *lib. 3. cap. 16.* & alij. Et ratio est clara, quia si violatio voti circa materiam leuem non est nisi peccatū veniale, vt alibi satis probatū est; ergo etiam violatio iuramenti promissorij circa similem materiā, quia, vt asserit D. Thom. *in 2. 2. q. 89. art. 8.* obligatio voti maior est quàm obligatio iuramenti. cēteras rationes videbis apud citatos Doctores, & ita hanc sententiā præter illos tenet Io. de la Cruz *in direct. conscien. tom. 1. præc. 2. art. 1. dub. 3. concl. 1.* Bizzozerus *in sum. part. 3. pr. 2. c. 2. membr. 3. n. 5.* Syluius *in 2. 2. D. Th. q. 98. art. 3. concl. 4.* Malderus *in 2. 2. tract. 10. cap. 6. dub. 5.* Dand à Mauden. *in Decal. pr. 2. discur. 4. num. 3.* Tannerus *in 2. 2. disp. 5. q. 5. dub. 1. num. 50.* Ioan. Franc. Suarez *in enchirid. cas. conscien. lib. 3. ver. Iuramentum §. 8.* Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 36. diffic. 5. num. 9.* vbi sic infert: *De lo dicho se infiere que el que juro de rezar todo vn año vna Aue Maria y lo dexo todo el año no peca mortalmente aun en el fin del año.* Idem asserit Layman *in Theol. moral. lib. 4. tract. 3. cap. 14. nu. 6.* de illo, qui iurauit cum socio animi causatus iturum, vel pater si iurauerit se puerum ita meritum castigaturum, & posteà sine causa intermittat, nam putat supradictos peccare, quamuis non mortaliter ob materiæ leuitatem, & ideò Villalobos *vbi suprà*, rectè asseruit, quòd si opinio cōtraria esset vera, *figuria se que todas las madres y amas que crian los niños cometerian muchos pecados mortales, que enojandose con ellos juran por momentos, que los han de azotar y no lo hazen.* & sic dicendum est etiam in similibus casibus, vt si quis iurauit dare pauperi quadrantem, &c.

RESOL.

RESOL. LXXI. *An diſpenſatio in litteris Pœnitentiariæ fieri debeat in confeſſione ſacramentali, & an Confeſſarius debeat eſſe approbatus ſine limitatione?*

FRequenter in praxi occurrit iſte caſus, ideò circa præſentem quæſtionem in gratiam Confeſſariorum magis practicabilia adnotabo; & quoad primum quæſitũ affirmatiuè reſpondet Baſil. Pontius *de matrim. lib. 8. c. 21. §. 1. n. 17.* Reginald. *tom. 2. lib. 31. c. 28. num. 216.* & ratio eſt, quia omnia quæ iniunguntur in tali clauſula ſecundùm communem de eis loquendi & intelligendi modum, ſpectant ad ſacramentum Pœnitentiæ. Accedit quòd ad Confeſſariũ dirigatur commiſſio diſpenſandi, eumque approbatum, quam conditionem Concil. Trident. *ſeſſ. 23. c. 15.* introduxiſſe in ordine ad auditionẽ confeſſionum, verba illius dubitare non ſinunt, & requirendo in Confeſſario qualitatem approbationis, ſuperuacanea videtur poſita qualitas Magiſterij, ſi confeſſio non eſſet neceſſaria.

Verùm negatiuam ſententiam docuit Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 34. num. 29.* Salas *de legib. diſp. 20. ſect. 10. num. 98.* & Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 15. §. 1. num. 6.* quia Pontifex non dicit diſpenſationem expediendam eſſe pro foro pœnitentiæ, ſed pro foro conſcientiæ; forum autem conſcientię non eſt forum ſacramentale, ſed ſecretum & extraiudiciale. ergo, &c.

Sed licet hæc ſententia negatiua olim eſſet ſatis probabilis, hodie tamen non poteſt ſuſtineri, ſed prima opinio affirmatiua eſt tenenda, per ea quæ adducit Filliucius *tom. 1. tract. 10. p. 2. cap. 10. num. 355.* vbi ſic aſſerit: Notandum ſecundò an exigatur cõfeſſio ſacramentalis, nécne? olim erat probabile non requiri, quia non addebatur clauſula, *audita confeſſione, non aliter, neque alio modo*, ſed tantùm in foro conſcientiæ, quod diſtinguitur à foro pœnitentiæ, & medium eſt inter forum externũ, & forum pœnitentiæ ſacramentale, quòd ſcilicet fiat, non publicè adhibitis teſtibus & notoriè, ſed ſecretè in foro animæ internæ, ſed extra cõfeſſionem, vt poteſt quis abſolui à cenſura ab Epiſcopo, & tunc ſine confeſſione. Hodie autem ex clauſula dicta confeſſio eſt omnino neceſſaria. Sic ille, & nouiſſimè etiã Ant. Fernandez *in inſtruct. confeſſ. part. 1. docum. 4. §. 1. num. 6.* vbi ſic ait: *Tercera clauſula deſtos dos breues dize que le abſuelua del voto y que le imponga penitencia ſaludable. Sanchez dize que no es meneſter que ſea en confeßion, pero Reginaldo tiene lo contrario, porque deſpues aca ſe añade de las letras que ſea en confeßion y aßi ſe ha de hazer.* Hæc ille.

Cùm igitur hodie ſit neceſſaria confeſſio, vt patet ex tenore litterarum, quæritur an ad valorem diſpenſationis ſufficiat ſi confeſſio ſit inualida? & de hoc caſu olim ego interrogatus fui, & reſpondi quòd ſi confeſſio eſt inualida defectu doloris, vel integritatis circa alia peccata, non autem circa id, de quo petitur abſolutio, vel circa rem, de qua petitur diſpenſatio, ſatis eſt dicta confeſſio, licet inualida; ſecus autem ſi non eſſet integra, vt dixi reſpectu eius cuius quæritur diſpenſatio, & ita in facti contingentia liberaui quemdam pœnitentem & Confeſſariũ ex magnis anguſtiis ſtante ſupradicta diſtinctione & doctrina, quam docet Suarez *tom. 4. diſput. 31 ſect. 4. nu. 9.* & Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. num. 355.*

Sed deueniendo ad ſecundum quæſitum, videlicet an dicta confeſſio ſit facienda cum Sacerdote approbato abſolutè, vel ſufficiat ſi ſit approbatus pro viris, v. g. & non pro mulieribus, pro perſonis huius oppidi, &c. Affirmatiuam ſententiam, nempe ſufficere ſi ſit aliquo modo approbatus, docet Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 8. diſp. 34. nu. 16.* & ratio eſt, quia litteræ aſſerunt Confeſſarium debere eſſe approbatum ab Ordinario; ſed talis Confeſſarius, de quo loquimur, eſt approbatus ab Ordinario. ergo, &c. non enim approbatio reſtringenda eſt ad approbationem abſolutam. Sed ego prorſus negatiuam ſententiam tenendam eſſe puto ſi reſpectu petentis diſpenſationem approbatus nõ ſit, & ita docet Riccius *in deciſ. Cur. Arch. tom. 4. deciſ. 34. n. 2.* Baſilius Pontius *de matrim. lib. 8. c. 21. §. 1. n. 13.* Reginald. *tom. 2. lib. 31. cap 28. num. 214.* & Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 15. §. 1. num. 1.* Gutierrez *de matrim. cap. 28. n. 19.* & ratio eſt clara, quia, ſicut ſuprà firmatum eſt, hodie eſt præmittenda confeſſio ad has litteras expediendas; ergo qui illam efficere non eſt capax, non erit capax huius delegationis, quod eſt valdè notandum à Confeſſariis, qui ex opinione Sanchez fœdè in hoc labi poſſunt, & Sanchez ſcripſit antequam verba illa apponerentur in dictis litteris. Limitat tamen noſtram ſententiam Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap 10. num. 352.* niſi Confeſſarius approbatus, v. g. pro maribus tantùm, vel pro feminis tantùm, eſſet ſimul Doctor, vel Magiſter; ſed hæc limitatio mihi non placet, quia talis Doctor, ſeu Magiſter non poterit excipere confeſſionem neceſſariò hodie præmittendam à petente diſpenſationem. ergo, &c.

Notandum eſt tamen hîc obiter ad ornatum ſupradictæ materiæ, quòd Regulares, quibus Superiores permiſerint, habent priuilegium expediendi has litteras, etiamſi non ſint Doctores, vel Magiſtri; ſi verò ſupradicti iudicent eſſe ſubreptitiam, aut inualidam diſpenſationem, poſſunt mutare poſteà ſententiam, vel impetrans diſpenſationem poteſt alium adire, qui ſibi videatur diſpenſationem validam eſſe iudicaturus; ſecus autem in foro externo, ſi Iudex delegatus declaret diſpenſationẽ eſſe ſubreptitiam. Ratio eſt, quia cùm talis commiſſio facta ſit pro foro conſcientię, ea ſequitur eiuſdem fori naturam, quæ eſt vt pœnitens non adſtringatur acquieſcere vnius Confeſſarij ſententiæ, ſed poſſit alium adire, illeque prior Confeſſarius poſſit re meliùs perpenſa mutare ſuam ſententiam. Ita Baſil. Pontius *de matrim. lib. 8. ca. 21. §. 1. n. 14.* Riccius *part. 4. dec. 34. n. 2.* Caſtrus Palaus *loco cit. num. 2. & 3.* Ant. Fernandez *in inſtit. Sacerd. vbi ſuprà num. 2.* Reginaldus *num. 314.* & alij.

Sed quia in dictis Pœnitentiariæ litteris aliquæ clauſulæ apponuntur, breuiter dico circa primam, quòd præter dicta, talis delegatus opus eſt vt ſit Doctor iuris Canonici in aliqua Academia, vel Magiſter in Theologia, & non ſufficit eſſe Licentiatũ in decretis Theologiæ, aut Doctorẽ iuris ciuilis, neque harum facultatũ Profeſſorem in Academia approbata,

bata, neque Magiſtrum in Theologia ſecundùm inſtitutum Regularium. Circa ſecundam clauſulã præter ea quæ dicta ſunt, præmittere debet diſpenſans cauſæ cognitionem, aliàs nulla eſt diſpenſatio, & in hac cognitione poteſt credere dicto etiã non iurato petentis diſpenſationem non recipiendo teſtes, ſi vult tamen expoſtulare iuramentum, poteſt, & ſi conſtat cauſam eſſe notoriam, vel ipſi delegato cognita ſit, nullum erit examen præmittendum; quòd ſi cognoſcat aliunde cauſam eſſe falſam, non debet credere latori. Monita verò, vt lator dicat veritatem manifeſtando ei quantũ interſit ne diſpenſatio fruſtretur, non ſunt neceſſariò facienda, ita vt illa omittendo diſpenſans peccet, & diſpenſatio ſit nulla. Circa tertiam clauſulam dico non eſſe in poteſtate diſpenſatoris illa opera omittere, quia apponuntur pro forma, poteſt tamen ea moderari prout ſibi videbitur; debent tamen eſſe opera ſupererogationis, vnde confeſſio, quæ inter ea opera numeratur, imponi quidem non poteſt frequẽtior, quàm menſtrua, vt ſaltem aliquo die menſis confiteatur; poteſt tamẽ præſcribi bimeſtris, ſed cui non ſatisfaciat per aliam, ad quam ex voto, vel pœnitẽtia teneatur, quidquid perperàm aſſerat Salas. Circa quartam clauſulam vt litteræ dilanientur, dico hoc non eſſe de ſubſtantia diſpẽſationis, mens enim Pontificis eſt, ne litteræ illæ in foro externo ſuffragentur. Ceteræ verò clauſulæ non habent difficultatem, ſolùm difficultas eſt in clauſula, quæ apponitur, maximè in diſpenſationibus pro foro externo, ne ſub pœna excommunicationis latę ſententię recipiat Ordinarius quodcumque munus, &c. vbi Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. n. 363.* Sanchez & Salas *loc. cit.* aſſerunt ſub dictis verbis non prohiberi ſtipendium debitum laboris, ex conſuetudine; verùm nouiſſimè Gauantus *in enchirid. Epiſc. ver. matrimonij impedimenta, n. 34.* ſtatuit diſpenſantem nihil prorſus poſſe accipere, ſiue pro laboribus in inſtruendo proceſſu, ſiue pro decreto diſpenſationis matrimonialis, & ita teſtatur declaraſſe ſacrã Cardinalium Congregationem *die 22. Aprilis 1616.*

RESOL. LXXII. *An Principes poſſint licitè concedere Repreſſalias?*

HIc caſus frequenter accidit, vt ſi, v.g. ait Victoria *de iure belli. n. 41.* Galli milites fecerint prædas in agrum Hiſpanorũ, vel è contra, & Rex Francorum nolit cogere illos ad reſtitutionẽ cùm poſſit, poſſunt Hiſpani auctoritate Principis ſpoliare mercatores Gallos, aut agricolas quantumcumque innocentes, quia licet fortè à principio Reſpublica, aut Princeps Gallorum non fuerit in cauſa, iam eſt in culpa, quia negligit vindicare.

Sed his non obſtantibus, negatiuam ſententiam docet Petrus Lorca, vir quidem doctus *in 2. 2. D. Thom. quæſt. 40. art. 1. ſect. 3. diſp. 52. in appen. num. 15.* quia hic modus compenſationis natura ſua iniuſtus eſt, quia per ſe infert nocumentum innocenti, & punit vnum pro peccato alterius, quod humana iuſtitia fieri non poteſt, non minùs in bonis externis, quàm in perſonis, & ita iure ciuili & Canonico reprobatæ ſunt dictæ Repreſſaliæ, vt patet *in Authentica, vt non fiant pignorationes, coll. 5. & in cap. & ſi pignorationes, de iniur. in 6* ſic habetur: Et ſi pignorationes, quas vulgaris elocutio *Repreſſalias* nominat, in quibus aliquis pro alio prægrauatur, tamquam graues legibus & æquitati naturali contrarię, ciuili ſint cõſtitutione prohibitæ, &c. Nec valet dicere, quòd licet inferre bellum toti Reipublicæ propter iniuriam ab aliqua parte eius illatam, ſi communitas & Princeps vindicare neglexerint; ergo pariter licebit ſolam compenſationem damni accipere à quibuſcumque Reipublicæ membris. Nam reſpondeo primò diſparem eſſe rationem, quoniam iniuria, aut damnum pro quo petitur Repreſſalia, non eſt tantum, aut tanti momenti, vt ſit iuſta cauſa belli, nam ſi eſſet, iam non eſſet Repreſſalia, ſed bellum; nos autem loquimur de Repreſſalia vt à bello diſtinguitur; non ergo eſt tam vrgens cauſa, vt tota Reſpublica puniri poſſit. Quare licet læſi non aſſequantur reſtaurationẽ damni, petendo eam à Principibus, non ſufficit vt innocẽtes patiantur, & contra totam Rempublicam agi poſſit. Reſpondeo ſecundò, etiam in bello iuſto innocentes lædi non poſſe in bonis externis per ſe & directè. Hæc omnia Lorca *vbi ſuprà.*

Verùm affirmatiuam ſententiam ego probabiliſſimã & tutam in praxi eſſe exiſtimo, quam tuentur, teſte ipſo Lorca, communiter Doctores, vt Syluester, Caietanus, & alij Caſuiſtæ *in ver. Repreſſalia*, Couarr. Victor. Gabriel. Nauarr. D. Anton. penes Lorcam, quibus ego addo Iacobum Granado *in 2. 2. D. Thomæ contr. 3. tract. 13. diſp. 4 ſect. 8. num. 73.* Caſtrum Palaum *to. 1. tract. 6. diſp. 5. punct. 4.* & Coninch *in 2. 2. diſp. 31. dub. 7. & 8. num. 152.* & Molin. *tom. 1. diſp. 121. concl. 4.* Valentia *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 16 punct. 3.* Villalobos *in ſumm. tom. 2. inſt. 5. diffic. 4. num. 16.* Ioan. Franc. Suarez *in enchir. lib. 7. lit. R. ver. Repreſſaliæ.* Petrum Binsfeldium *tract. de iniuriis & damno dato, c. 8. quæſ. 4. concl. 1. & ſeq.* Dauid à Mauden *in Decal. præc. 7. diſcur. 2. nu. 8.* Tannerum *in Theol. ſchol. tom. 3. diſp. 2. quæſt. 6 dub. 5. num. 73.* Layman *in Theol. moral. lib 2. tract. 3. cap. 12. num. 13.* Mynſingerum *cent. 6. obſeru. 1.* Dico igitur licitas eſſe Repreſſalias, concurrentibus tamen ſex conditionibus. Prima, quòd manifeſtè conſtet ciues vnius Reipublicæ feciſſe iniuriam ciuibus alterius Reipublicæ, v.g. aliqua eorum bona capiendo, aut detinendo, nolendo ſoluere clarè ex iuſtitia debita, aut ſimili ratione, debet tamẽ hæc iniuria eſſe notabiliter grauis. Secunda, vt Superiores illius Reipublicæ, cuius ciues iniuriam intulerunt, rogati vt faciant iuſtitiam, id recuſent, aut negligant. Tertia, vt apertè conſtet illos culpabiliter nolle facere iuſtitiam. Quarta, vt ſupremus Princeps Reipublicæ læſæ adeatur, & cauſa cognita cõcedat facultatem capiendi Repreſſalias. Quinta, vt non inferatur alteri Reipublicæ plus damni quàm ſit neceſſe ad plenam ſatisfactionem pro iniuria, ac damnis acceptis. Sexta, vt non concedantur in perſonas Eccleſiaſticas.

His ergo conditionibus poſitis, puto Repreſſalias licitas eſſe; & ratio eſt, quia in bello iuſto, vt omnes aſſerunt, bona innocentium licitè diripiuntur quando hoc eſt neceſſarium ad obtinendam plenam ſatisfactionem. Ergo id fieri poteſt per

Repreſ-

Repressalias, est enim omnino eadem ratio. Nec valet dicere cum Lorca, quòd bellum requirit grauiorem causam, quia eius damna & incommoda sunt etiam longè grauiora & acerbiora quàm Repressaliarum. Ad illud verò quod asserit, innocentes non posse lædi in bonis externis per se & directè, etiam in bello iusto; ergo neque in Repressaliis. Respondeo cum Molina *disp.* 120. & 121. Valent. *tom.* 3. *disp.* 13 *quæst.* 16. *punct.* 3. § 4. Infero contrariam sententiam esse tenendam, nempe in bello etiam innocentes directè posse spoliari suis bonis & libertate, quod Coninch *in tit. disp.* 31. *dub.* 7 *num.* 112. probabilius credit, quando aliter nequit sufficiens satisfactio obtineri pro iniuriis & damnis acceptis. Pro quo nota omnes ciues alicuius Reipublicæ constituere vnum corpus, atque etiam censeri aliquid vnum, adeò vt quod Respublica ita facit, censeantur omnes facere, atque ita hoc peccante censentur omnes & singuli peccasse ac esse punibiles in his bonis, quæ censentur bona Reipublicæ, eiusque dominio ac dispositioni subsunt, qualia sunt omnia bona fortunæ, non solùm communia, sed etiam priuata singulorum ciuium, ex quibus contra Lorcam assero innocentes licet ob aliorum culpam non possent puniri, possent tamen compelli vt satisfaciant pro debito, quod tamquam pars illius Reipublicæ contraxerunt, & hoc efficitur in casu belli & Repressaliarum.

Restat modò respondere ad alia argumenta quæ adducit Lorca, & ad primum nego, hunc modum compensandi natura sua esse iniustum quando efficitur cum auctoritate Principis, & seruatis supradictis cõditionibus, ad quæ præcisè, quia aliter satisfactio obtineri nequit, quod æquitati naturali nullo modo repugnat, cùm is, qui grauatur in Repressaliis, sit huic grauamini obnoxius ratione Reipublicæ cuius est pars, & cui sua bona obstricta sunt. Vnde vsus Repressaliarum ab antiquis prodiisse post Budæum *in annot. ad legem, aut facta, §. euntes, ff. de pœnis*, obseruat Couarr. *in reg. peccatum, part.* 2. §. 9. *num.* 4. & Gail. *in lib. de pignorat. obseru.* 2. *ad cap. etsi pignorationibus*; & *ad Authent. vt non fiant.* respondeo etiam intelligenda esse, quando Repressaliæ efficiuntur sine supremi Principis auctoritate, vel sine supradictis conditionibus.

RESOL. LXXIII. *An mulier quinquagenaria dicatur senex, vt vir possit profiteri Religionem, remanente illa in sæculo cum voto castitatis?*

DE hoc casu his diebus interrogatus fui, pro cuius decisione suppono, non sufficere solum consensum coniugis, vt alteri licitum sit Religionem ingredi, sed requiritur vt quòd ambo ingrediantur, vel qui in sæculo mansurus est, & votum perpetuæ continentiæ editurus, ea sit ætate, vt extra periculum incontinentiæ esse videatur. Ita determinatur *in cap. cùm sis, & cap. Apostolicæ, de conuer. coniugat.* & docet Villalobos *in sum. tom.* 1. *tract.* 3. *diffic.* 14. *num.* 2. Hurtado *de matrim. disp.* 11. *diffic.* 9. *num.* 28. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 31. *cap.* 4. *numer.* 40. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *n.* 9. *in glossa lit.* 1. Gratianus *in discept. forens. cap.* 102. *nu.* 21. & 27. cum aliis communiter.

Difficultas est, quænam ætas senectutis sufficiat vt coniux non egeat Religionis ingressu, sed possit in sæculo manere castitatis voto astrictus, vt alter coniux legitimè ad Religionem transeat?

Prima opinio est Basilij Pontij *de matrim. lib.* 9. *cap.* 12. *n.* 3. qui putat hoc arbitrarium esse, & ex circumstantiis personæ, valetudinis, roboris, & anteactæ vitæ considerandum & definiendum esse, nam quamuis in aliis legibus, quæ communitati imponuntur, vt in priuilegio lacticinia comedendi, non ieiunandi, & Diaconissarum ætate determinetur senilis ætas ad sexaginta annos, quia leges illæ fundantur in præsumptione vt plurimum, attamen in hoc casu cùm sit specialis dispositio huc tantùm respiciens, vnumquodque iudicandum est ex propriis circumstantiis, & ideò nõ potest certa regula definiri. Hæc Pontius.

Secunda opinio est Aloysij Bariolæ *in aphor. lit. M. ver. maritus sexagenarius.* Riccij *part.* 2. *decis.* 131. & 135. Bartholomæi à S. Fausto *in thesaur. Relig. lib.* 5. *q.* 55. Dominici Soto *in* 4. *sent. dist.* 27. *q.* 1. *art.* 4. §. *præterea contra eamdem primam conclus. & dist.* 38. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 2. & 3. Cordub. *quæst.* 178. Azorij *tom.* 1. *li.* 18. *cap.* 14. *quæs.* 11. & aliorum, asserentium feminam dici senem quoad hunc effectum, quando est sexagenaria, quia, vt satis apud DD. firmatum est, sexagenarios neque ad ieiunium obligari, neque teneri cum Bulla abstinere à lacticiniis, quia in tali ætate dicuntur senes.

Tertia opinio, quam ego probabilem & tutam in praxi esse existimo, vt superiores, asserit, feminam quinquagenariam esse senem quoad hunc effectum, & ita docet Sanchez *de matrim. to.* 2. *l.* 7. *disp.* 32. *num.* 15. quem citant & sequuntur nouissimè Ioan. Guttierez, & Augustinus Barbosa, ille *in tract. de matrim. cap.* 91. *n.* 2. hic *in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 32. *cap.* 4. *num.* 4. vbi sic asserit: Credit meritò Sanchez feminas quinquagenarias esse senes quoad hunc effectum, quia attento breuiori cursu vitæ illarum, ac celeriori senectutis aduentu, tam senex est mulier quinquagenaria, quàm vir sexagenarius, quod communis æstimatio testatur; & libidinis ardor ita tepescit in illa, ac in hoc; etiam in ea ætate est sterilis, & communiter verè senex tunc appellatur, & de suspicione incontinentiæ libera creditur. Ita Barbosa. Vide etiam Bonacinam *de matrim. in nouiss. editione quæst.* 3. *punct.* 4. *nu.* 12. hanc etiam sententiam docentem, & Filliucium *to.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 133.

Notandum est tamen hîc quòd ad Episcopum pertinet dispicere vtrùm vxor in his casibus extra incontinentiæ periculum existat; quare conuenit ab eo licentiam petere, vt colligitur ex *cap. si vir & vxor.* 27. *q.* 2. & notauit glossa *in c.* 1. *de conuer. coniugat. ver. reuocari*; sed an dicta licentia adhibenda sit ex præcepti necessitate, negat Sanchez *li.* 7. *disp.* 32. *num.* 2. sed affirmat Richardus *in* 4. *dist.* 32. *art.* 2. *q.* 3. *gloss. cit. ver. reuocari*, & ita in praxi obseruatur, teste Layman *loco citato*. Verùm Pontius *vbi infrà numer.* 2. putat circa licentiam petendam ab Episcopo iam vsu abolitum esse præceptum si quod extitit, neque etiam consuetudine receptum est, vt petatur Episcopi licentia. Sic ille; & post

illum Guttierrez *vbi ſuprà n.* 4. Sed ego non recederem ab affirmatiua ſententia, quam præter Sanchez ex neotericis docet Rebellius *lib.3.quæſt.* 4.*n.*12.& Bonacina *vbi ſuprà.*

Non deſinam tamen hic adnotare quòd ſi cõiux ingreditur Religionem vt profiteatur, ſufficere ſi ingrediatur Religionem S.Ioannis, vnde ego in facti contingentia conſului femina ingrediente ad profitendum in monaſterio Monialium, potuiſſe virum ſe militem S.Ioannis efficere, & ita hanc opinionem docet in terminis Baſilius Pontius *de matri.l.9.c.12.n.3.* vbi ſic ait: Cùm ergo vno coniuge ingrediente Religionem, alter ſit iuuenis,ingredi etiam Religionem compellitur; ſufficit autem ingredi Religionem S.Ioannis, conſtatque ex praxi, & ego vidi ſic ſeruari. Ita Pontius, contra Sanchez *lib.7. diſp.32.n.* 4. negatiuam ſententiam docentem,quam nouiſſimè ſequitur Fauſtus *in theſaur. Relig.l.5. quæſt.*58. ſed, vt dixi, opinio Pontij eſt probabilis, & vt talem illam tenent multi viri docti de hac re à me conſulti.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis quæro,an ingrediente vxore in Religionem, poſſit vir ſenex remanere in ſæculo cum voto caſtitatis perpetuæ, ſicuti de vxore dictum eſt *ſuprà.* Affirmatiuam ſententiam docet Baſilius Pontius *loco cit.n.* 1. vbi ſic ait:Si conſentiat vir vt vxor Religionem ingrediatur, ipſe etiam ingredi debet,neque poteſt in ſæculo remanere, niſi fortaſſe vir ſit adeò prouectæ ætatis, vt in ſæculo ſine periculo permanere poſſit, vel niſi vir creetur Epiſcopus. Ita ille.

Sed aduerſus illum inſurgit nouiſſimè Gaſpar Hurtado *tract.de matri.diſp.*11.*diffic.*9.*n.*8.vbi ſic ait: Conueniunt Doctores neutrum coniugum poſſe Religionem ingredi,niſi vterque ingrediatur, vt exprimitur *in c.vxoratus,* vbi excipitur poſſe maritum ingredi,non ingrediente vxore,quando vxor eſt ſenex,& non ſuſpecta de incontinentia, ſi caſtitatẽ voueat; nullibi tamen excipitur poſſe vxorem ingredi, non ingrediente marito, quamuis prouectæ ætatis,& potentis manere in ſęculo abſque periculo,& ideò Baſilius abſque fundamento excipit,quòd id poſſit vxor in caſu dicto. Sic Hurtado.Sed immeritò quidem aſſerit, Pontium locutum fuiſſe ſine fundamento, nam opinio Pontij apertè determinatur *in ca.ad Apoſtolicum,de conuerſ.coniugat.* vbi de alterutrius coniugis ingreſſu ſic deciditur:Non eſt alter coniugum recipiendus ad obſeruantiam regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat;ſed & vitam debet mutare, niſi fortè ſit eius ætatis, vt ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo remanere. ſic textus ibi, ex quibus verbis clarè apparet contra Hurtadum, quòd non ſolùm vxor, ſed etiam vir poteſt in ſæculo remanere, ſi ſit ſenex, & ſine incontinentię periculo,vt optimè docuit Pontius. Vide etiam Layman *lib.5.tr.*10.*p.*3.*c.*7.*n.*2.Sanchez *lib.7.diſp.*32.*n.*2.& Bonacina *de matrim.in nouiſſ.edit. quæſt.*3.*punct.*4.*n.*12.qui etiam docet virum,vt manens in ſæculo dicatur prouectæ ætatis,ſexagenarium eſſe debere, vel eam ætatem quæ ex praua valetudine illi ætati reſpondeat, ita vt à periculo incontinentiæ credatur ratione ætatis abeſſe, quod vltimum eſt valdè notandum. Vide etiam Filliucium *tom.*1.*tract.*10.*part.*2. *cap.*4.*n.*133.

RESOL.LXXIV. *An ſi Princeps impediat mercaturam, peregrinationem,nauigationem,&c.per ſua Regna ciuibus alterius Regni, poſſint alij Principes iuſtè contra illum bellum indicere?*

AFfirmatiuam ſententiam docuit vir doctiſſimus Franciſcus Victoria *in relectione de Indis Inſulanis p.* 2. *in princ.* & hoc iuſto titulo aſſerit Hiſpanos potuiſſe debellare Indos, & eorum regiones poſſidere. Ratio eſt, quia iure gentium hæc omnia videntur deberi. Verùm aduerſus hanc ſententiam inſurgunt communiter Doctores, vt Molina *de iuſtit.to.*1.*tr.*2.*diſp.*105. §. *Vt nobis contrarium.*Caſtrus Palaus *tom.*1.*tract* 6.*diſp.*5.*punct.*3.*n.*4. Coninch *in* 2.2.*diſp.*31.*dub.*2.*num.*52.& Villalobos *in ſumm.tom.*2.*tract.*5.*diffic.*4.*num.*9.vbi ſic ait: *Vna coſa juſta pone Victoria,y es, que por derecho de las gentes puede vno andar en prouincias eſtrañas ſin daño de los moradores, negociando en ellas, lleuandoles las coſas que les faltan y comprando de las que tienen abundancia aportar a ſus puertos, aprouecharſe de los rios y peſcar en ellos, buſcar margaritas y poder cauar en los campos comunes para buſcar oro y coſas ſemejantes, y que ſi eſto quitaſſen ſeria juſta coſa de la guerra,mas yo ſoi de parecer contrario, porque eſtas coſas en tanto ſon comunes de derecho de las gentes en quanto no ſe prohiben,mas aſsi como vn particular adquiere dominio de ſu heredad,tambien vna Republica le adquiere de las dichas coſas, y por juſtas coſas podrian prohibirlas a los foraſteros no teniendo eſtrema ò graue neceſsidad,y anſi no podria hauer por eſto juſta coſa de guerra.* Sic ille. Igitur nullo iure probari poteſt tale commercium extero deberi, præcipuè cùm Princeps cauſam habere poſſit denegandi ſupradicta externis. Item, v. g. cùm ius piſcandi in fluminibus margaritas, vel in mari corallia ſint propria illi populo cuius ſunt illa littora, aut flumina, nulla eſt cauſa cur teneatur id cùm aliis communicare,aut ſi id aliquibus communicet,cur teneatur id omnibus communicare, nec enim ex eo quòd aliquibus aliquid gratiæ impendam, vllo modo ſequitur me teneri id omnibus æqualiter impendere, præſertim cùm ille populus ſæpè poſſit habere iuſtas cauſas,cur nolit vlli externo quidquam ex his concedere, aut cur aliqua concedat aliquibus,& aliis neget.

His tamen non obſtantibus,inuenio nouiſſimè ſententiam Victoriæ docere Petrum Lorcam *in* 2.2.*D.Tho.quæſt.*4.*art.*1.*ſect.*3.*diſp.*52.*n.*7.vbi ſic aſſerit: Quærunt aliqui an ſit iuſta cauſa indicendi bellum,ſi Princeps aliquis negaret negotiationem & mercaturam in portibus, vel ciuitatibus alienę regionis, peregrinationem, hoſpitium & rerum vſum, quæ iure gentium indigenis & aduenis communia ſunt, quales ſunt aquæ fluminum, & alia quæ nulli ſunt propria,& denique de inſtitutione habitationis, & coloniæ in aliena prouincia? Victoria opinatur pro his poſſe iniri iuſtum bellum ſi iniuſtè negentur. Iniuſtè autem negantur, quando negantur iis, qui abſque aliquo nocumento poſſidentium ea expetunt; quoniam

hæc

hæc omnia iure gentium concessa sint omnibus, si sint innoxia, neque in aliquo differūt à transitu per alienā prouinciam. Vnde infert propter hanc causam potuisse Hispanos inferre bellum Barbaris Indiarum. Alij hoc impugnant, sed non sufficientibus argumentis. Existimo igitur hanc causam posse iustificare bellum, an verò ea occurrerit Hispanis, vt iusto titulo potuerint debellare Indos, & eorum regiones possidere, non decerno, est enim quæstio facti, non iuris. Hæc omnia Lorca *loco cit.* sed præter hanc causam alias etiam habuisse Hispanos debellandi Indos existimo.

Nota tamen quòd supradicti Doctores omnes conueniunt, quòd si negetur exercitui transitus, qui absque negantis detrimento exigitur, posse Principem aduersus alium Principem bellum mouere; vnde *Numer.* 21. præcepit Dominus, vt filij Israel pugnarent contra Seon & Og Reges impedientes transitum eorum, & ideò *in c. notandum*, 23. *q.* 2. sic habetur: Notandum quomodo iusta bella gerantur à filiis Israel contra Amorrhæos, innoxius enim transitus negabatur, qui iure æquissimo humanæ societati patere debebat. Sic ibi. Sed nota quòd eiusmodi transitus armatis sæpè iustè negatur, nisi præstent sufficientem cautionem, eum fore omnino innoxium, vt nouissimè aduertit Coninch *loco cit.*

Resol. LXXV. *An impotentes cum impotentia perpetua & cognita possint inire verum matrimonium in ordine ad castè viuendum?*

Hic casus potest frequenter accidere, & negatiuam sententiam tenet Valentia *to.* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *punct.* 3. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 1. Tolet. *lib.* 7. *c.* 12. *n. vlt.* & alij, quos citat & sequitur Sanchez *de matrim. to.* 2. *lib.* 7. *disp.* 97. *n.* 2. quibus ego addo Hurtadum *de matrim. disp.* 22. *diff.* 4. *n.* 10. Præpositum *in addit. ad* 3. *part. q.* 7. *de impedim. dub.* 19. *n.* 166. Tannerum *tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 4. *dub.* 8. *n.* 136. Layman *in Theol. mor. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 11. Et ratio desumitur ex natura huius contractus; de cuius intrinseca ratione est traditio potestatis ad vsum & copulam matrimonialem, cuius immutatio non pendet ex arbitratu contrahentium, vbi deest potentia ad rem aliquam, illic potestas eius rei alteri tradi non potest non magis quàm domus vendi non potest ab eo, qui domum non habet.

Deinde hanc sententiam Sixtus V. in Bulla edita 1587. apertè videtur definire, nam ibi declarat matrimonia cum spadonibus, vel eunuchis prorsus euiratis, seu vtroque testiculo carentibus cum quibuslibet mulieribus, seu defectum prædictum ignorantibus, seu scientibus, esse semperque fuisse irrita.

Sed his non obstantibus, Basil. Pontius inter Theologos recētiores doctissimus *lib.* 7. *de matrim. à cap.* 55. *vsque ad* 59. affirmatiuam sententiam tenet & probat, neque iure naturali, neque iure Ecclesiastico supradicta matrimonia cum impotentia perpetua inita in ordine ad castè viuendum, & sine ordine ad copulam esse prohibita, & adducit pro hac sententia Paludanum, D. Antonin. Veracruz, Petrum Sotum, Medinam & Magistrum sententiarum, & illam etiam probat ex D. Thom. & respondet ad argumenta contraria, & ad Bullam Sixti V.

Probatur hæc opinio, quia id, quod ad essentiam contractus matrimonij requiritur, tantùm est quòd sit mutua coniunctio animorum in naturalem vitæ societatem cum diuersitate sexus; sed totum hoc in matrimonio imperitum celebrato ad castè viuendum reperitur: ergo illud est verum legitimumque matrimonium. Tota difficultas est in maiori propositione, quam probare conabor. In primis ex generali ratione contractus, in quo est traditio dominij, non repugnat matrimonium esse sine vllo prorsus ordine ad copulam ex illo generali principio, passimque recepto, vbi dominium distinguitur ab vsu, potest esse contractus circa materiam dominij sine ordine vllo ad vsum, & etiamsi aliàs deficiat vsus; tam etiam vsus, quàm dominium potest esse vnumquodque separatim integra materia contractus. Ex quo fit corpus generationi aptum non esse necessariam materiam huius contractus. Sic enim aptum corpus necessaria materia proculdubio propter liberorum procreationem esset; quorsum enim isto fine secluso requireretur? Hic autem non est necessarius finis; eo ergo sublato, & matrimonio propter alium finem celebrato, quid indigemus apto ad generandum corpore? Itaque concomitabitur tantùm contractum aptitudo hæc si fortè fuerit in contrahente, non autem erit necessaria.

Deinde confirmatur, nam commune est omni Sacramento non cōsistere si desit materia ad illud necessaria, nec Baptismum sine aqua, Eucharistiam sine pane & vino, Pœnitentiam sine peccatis & dolore, Vnctionem sine oleo, &c. Nec ergo matrimonij sacramentum consistit sine necessaria materia, atque ideò sine corpore apto ad generationem, si illud est materia, quam necessariò postulat; sed omnium sententia certum est superueniente impotentia perpetua non dissolui matrimonium; ergo non est necessaria materia ad matrimonium corpus aptum generationi, & licet aliqui disparitatem rationis in hoc conantur assignare, tamen Pontius omnes eorum responsiones elidit, & probat suam opinionem cum multis aliis rationibus, & ex *c. consultationis, & c. requisisti, de frigid. & malef.* & respondet, vt dixi, ad omnia argumenta contraria, & ad Bullam Sixti V. ex quibus apparet hanc affirmatiuam sententiam esse satis probabilem, licet contraria negatiua, quam ego teneo, sit communior & probabilior, & illam præter DD. citatos tenet etiam Syluius *in addit. ad* 3. *part. D. Thom. q.* 58. *art.* 1. *quæritur* 2. & Villalobos *in sum. tom.* 1. *tract.* 4. *diffic.* 18. *n.* 20. Rebellius 2. *p. lib.* 3. *quæst.* 16. *sect.* 1. *num.* 2. & Ludouicus de San Iuan *in summa to.* 1. *de sacram. matrim. q.* 6. *art.* 15. *dub.* 1. *concl.* 1.

Resol. LXXVI. *An in priuatis Oratoriis cum licentia summi Pontificis approbatis ab Ordinario licitum sit virtute Bullæ Cruciatæ non solùm in diebus concessis, sed etiam in festiuitatibus prohibitis, celebrare, & ibi Missam audire?*

Svppono licentiam celebrandi in aliquo Oratorio priuato, vt patet ex earum tenore, multas

conditiones habere, & præſertim quòd à dicta licentia celebrandi & audiendi Miſſam in dictis Oratoriis excipiantur dies Paſchæ, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & alia feſta ſolemnia; quæritur modò an Epiſcopus poſſit prohibere habenti Bullam ne celebrare faciat, vel Miſſam audiat in Oratorio aliàs approbato, etiam in ſupradictis feſtiuitatibus? Et negatiuè reſpondeo cum Ægidio Trullench *in expoſit. Bull. Cruciat. lib.1.§.3. dub.4. num.11.* quia vigore dictarũ licentiarum ſolùm licet cum limitationibus & conditionibus ibi contentis in Oratoriis celebrare; at ſuppoſita Oratorij approbatione per dictam licentiam Põtifex per Bullam Cruciatę concedit, vt poſſit in eo celebrari abſque limitationibus ſupradictis, eò quòd talis licentia, vt patet in Bulla Cruciatæ, conceditur abſolutè & ſine temporis & perſonarum differentia. Sic etſi Parochus ex vi ſuæ approbationis ſolùm poſſit ſuas oues abſoluere, at ſuppoſita approbatione, ſi ab habente Bullam eligatur, poteſt alienas non vigore ſuæ approbationis, ſed quia ſuppoſita approbatione Papa ei per Bullam iuriſdictionem confert; ſic in hoc caſu, etſi nunc in aliquo Oratorio modo quo ſuprà approbato ſolùm poſſit ſtrictè & limitatè celebrari & audiri Miſſa virtute approbationis, at ſuppoſita ea approbatione per Bullam Cruciatæ Papa de nouo confert abſolutè licentiam celebrãdi & audiendi Miſſam, quod inſinuare videtur ipſe Pontifex, qui non immemor ſupradicti decreti poſt illius promulgationem in Bulla confert ſupradictam facultatẽ, & concedit Commiſſario facultatem ſuſpendendi ea, quę ſunt Bullæ contraria. Vide etiam præter Trullench Rodriquez *in addit. ad Bull. Cruc. § 5.n.1.* vbi ſic ait: *Nota que no ſolamente ſe concede aqui licencia para que ſe pueda dezir Miſſa en tiempo de enterdicho en oratorios priuados viſitados por el ordinario mas aun en qualquier otro tiempo, y eſto da à entender claramente la Bula plumbea, ibi,* etiam tempore interdicti, *laqual dicion* etiam *da claramente à entender que ſe concede eſta licencia para todo el tiempo; y porque en tiempo de enterdicho auia mas dificultad aña de la Bula,* etiam tempore interdicti. Igitur, vt dictum eſt, licet in Oratoriis priuatis approbatis ab Ordinario non poſſit celebrari niſi cum limitationibus appoſitis à Pontifice in eorum licentiis, tamen ſuppoſita dicta approbatione vigore dictæ licentiæ poſteà per Bullam Cruciatæ abſolutè in illis quis celebrare poteſt, & Miſſam audire, quod eſt valdè notandum à Confeſſariis.

RESOL. LXXVII. *An ſi quis audiuit à viro optimæ famæ aliquam rem, poſſit deponere in iudicio ſe illam ſcire?*

AFfirmatiuè videtur reſpondendum ex mente ſapientiſſimi Ludouici Mexia *in legem Regiam Toleti 23.par.2.fund.n 32 & 33.* vbi ſic ait: Petrus ab Ancharano *conſ. 24* conſuluit teſtes de falſo non puniendos qui depoſuerunt ſe id ſcire, quod à viro optimæ famæ & opinionis audiuerant, quod dictum, vt ſingulare & valdè cordi tenendum, citat & ſequitur Iaſon *in l.1.col.vlt. ff. de eo per quem fact. erit. & in l. de pupillo, §. ſi quis ipſi prætori, col.8. verſ. ſecundò in quantum, ff. de nou. oper. nuntia.* Cui accedit quod Dominicus ſcribit, quòd quis certò dicitur pro certo ſcire quando eſt certificatus ab vno notabili viro & fide digno, ad quod etiam citat *cap. ſicut pro certo, de ſimonia,* & ſequitur Iaſon *in d.l.1 & in dicto §. ſi quis ipſi Prætori, & in l. properandum, §. ſin autem alterutra, col.4. in 6. concl. C. de iudiciis.* & Franc. Curtius ſenior *conſ.72.* & idem voluit Romanus loquens tamen pluraliter de fide dignis, *conſ.403. col.pen. verſ ſecundò, quia ad hoc.* Ita Mexia *vbi ſuprà,* qui alia multa adducit, pro hac ſua firmanda ſententia, & Didacus Peres *in addit. ad Villadiego de irregul.c.3. § Idem dicerem, fol mihi 46.* ex Dominico, notat etiam quòd certificatus à notabili, ſeu fide digno viro, dicitur ſcire pro certo. Sed hæc opinio aliquibus non placet, quia ſi eſſet vera, omnes teſtes de auditu efficerentur teſtes de cauſa ſcientiæ; adde quòd in foro externo teſtis tenetur reddere rationem ſui dicti, in foro tamen interioti extra iudicium probabiliter poteſt ſuſtineri; vnde ſi aliquis iuraret rem aliquã ita eſſe, & hoc quia illam ita eſſe intellexit à fide digno, non eſſe periurum dicendum eſt. Et ita poſt hæc ſcripta inueni hanc ſententiam docere Sanchez *in ſumma, tom.1. lib.3. c.4.n.13.* vbi ſic ait: Ad veritatem iuramenti ſatis eſt, iurantem audiuiſſe rem illam à perſona ita fide digna, vt ſit moraliter certus ita rem ſe habere; at in iudicialibus id non ſatis erit ad rem tamquam certam iurandam, niſi adiungatur cauſa illius notitiæ. Ita ille.

RESOL. LXXVIII. *An qui ceſſit bonis ſedendo in loco publico, ſi venerit ad pinguiorem fortunam teneatur ad reſtitutionem?*

NEgatiuam ſententiam docet Eliſæus Danza *in pugna Doctorum c.3. de contumace.n.12.* vbi ſic ait: Ceſſio bonis fit cum ignominia, & cedens ſuſtinet infamiæ ſpeciem, adeò vt etiamſi ad pinguiorem fortunam venerit, ad debita non teneatur. Ita ille, & ante illum Nouarius *collect.35. num.2. & ſeq.*

Sed affirmatiuam ſententiam docent Theologi, quia licet debitor ceſſerit bonis per actum ignominioſum, hæc enim pœna non eſt loco ſolutionis, ſed loco pœnę pecuniariæ, vel alterius pro culpa præſumpta in accipiendis mutuis, & faciendis aliis contractibus cùm eſſet impotens ſolutionis, vt optimè aduertit Couarruuias *lib.2. var.c.1. num.6.* & ita hanc affirmatiuam ſententiam docet Filliucius *tom.2. tract.32.c.5.num.153.* & nouiſſimè Henriquez Stroueſdorff *in D. Thom. de iuſtit. & iure, diſp.10. membr.2. cauſ.2. fol.138.* & Leſſius *lib.2. cap.16. dub.3. num.4.* qui tamen hanc ſententiam veriorem vocat, vnde videtur negatiuam tamquam probabilem admittere.

Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd quando quis ceſſit bonis, poteſt tuta conſcientia ſibi retinere neceſſaria & familię ſuæ, vt non indecorè viuat, contra Adrianum *in 4. ſent. quæſt.2. de reſtit.* & Medin. *C. de reſtit. quæſt.3.* quod verum puto contra Stroueſdorff, etiamſi debita pro quibus cedit, ſint ex iniuſtitia & delicto notorio acquiſita. Ita Leſſius *vbi ſuprà num.63.*

RE-

RESOL. LXXIX. *An ferentes ſuffragium ad aliquod iniuſtum opus, teneantur ſinguli reſtituere in integrum?*

VT ſi, v.g. in comitiis, ſeu Parlamento aliqui ferrent votum pro iniuſto donatiuo; & affirmatiuè reſpondendum eſt, quia quando ſinguli cooperati ſunt ad totum damnum in indiuiduo, omnes tenentur reſtituere in integrum, vt communiter teſtantur Doctores.

Verùm non reticebo, de hac ſententia valdè dubitare virum doctum Henricum Stroueſdorff, qui pulcherrima commentaria nouiſſimè edidit *in quæſtiones D. Thomæ de iuſt. & iur. quæſt. 62. art. 8. diſp. 4 concl. 2.* vbi ſic ait: Vt verum fatear, mihi non videtur hæc ſententia, quantumuis ſit communis, vniuerſaliter ita omnino certa, nam etiamſi pluribus concurrentibus ad idem damnum quod ſine tali concurſu in ſpecie, qualem illi conferunt, ſint cauſa totius damni, non ſunt tamen cauſæ adæquatæ totius damni, ſed cauſæ partiales, ſeu inadæquatè, quia concurſus, quem ſinguli conferunt, non eſt ſufficiens ad inferendum damnum, ſed ex omnibus ſimul iunctis fit vnus concurſus ſufficiens, vt apertiſſimè patet in pluribus auferentibus vnum marmoreum lapidem, quem ſinguli auferre non poterant. Confirmatur, quia quando plures vnam nauem trahunt, quam vnus trahere non poterat, non ſunt ſinguli totalis cauſa promotionis nauis, neque ſingulis debetur integra merces, quæ danda eſt pro tractione nauis ſed debent illam inter ſe diuidere: ergo pari modo ſi cùm proſunt, non debeatur ſingulis integrum præmium, neque cùm obſunt, debebunt ſinguli integrum damnum, & ideò ſecundùm hanc ſententiam exiſtimo plures ferentes ſuffragium ad aliquod iniuſtum opus non teneri ſingulos fortè reſtituere in integrum. Idem dico de pluribus eamdem iniuſtitiam ſuadentibus, quando ſingulorum conſilium ſine conſilio aliorum non fuiſſet efficax. Ita Stroueſdorff *vbi ſuprà*, qui etiam notat hanc ſententiam docuiſſe publicè in Academia Louanienſi *anno* 1615. Doctorem Alardum Wielium, Profeſſorem in dicta Vniuerſitate. Sed, vt dixi, communis ſententia DD. eſt in contrarium.

RESOL. LXXX. *An qui habet licentiam vt poſſit audire Miſſam in Oratorio domus ſuæ, ſi eſt infirmus, aut carceratus, teneatur illam in diebus feſtis audire?*

AFfirmatiuè videtur reſpondendum ex Azorio *to. 1. lib. 7. c. 2. ver. Tertiò quæritur.* Soto *in 4. ſent. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. & diſt. 22. quæſt. 3. art. 1.* Medina *in ſumma 1. part. c. 11. §. 12. & 14. §. 30.* & aliis, quos citaui *in 1 part. tract. 11. reſolut. 2.* qui aſſerunt tempore interdicti habentem Bullam Cruciatæ teneri Miſſam audire, & probatur hæc ſententia affirmatiua, quia cùm talis poſſit audire Miſſam ex licentia quam habet; ergo tenetur.

Verùm negatiuam opinionem tenendam eſſe puto, quam tuetur Suarez *in 3 part. quæſt. 83. art. 6. diſp. 88. ſect. 6.* Ledeſma *in ſumma part. 1 cap. 27. de Euchariſt. concl. 16.* & nouiſſimè Ægidius de Trullench *in expoſitione Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 3. dub. 6. n. 9.* quia talis non tenetur quærere Sacerdotem, & dare ſtipendium vt ſibi Miſſam celebret, ſed ſolùm tenetur ex præcepto audire Miſſam, & ideò nemo cogitur ſumere Bullam, vt tempore interdicti poſſit Miſſam audire. Imò ego puto cùm Ledeſma, Trullench & aliis, ſic impeditum non teneri audire Miſſam in dicto Oratorio, quamuis gratis inueniat celebrantem, quia dicere Miſſam in priuatis domibus & Oratoriis approbatis, de ſe eſt odioſum, & priuilegium derogatorium iuris communis, & eſt diſpar ratio inter hunc caſum & caſum tempore interdicti. nam in caſu interdicti ſublato impedimento nulla fit diſpenſatio in iure communi, nam Miſſa & dicitur & celebratur vt debet & ſolet: at in hoc caſu ſublato impedimento non celebratur Miſſa vt regulariter & ordinariè celebratur, quia extra Eccleſiam dicitur. Addè quòd multi Doctores, vt Auila, Coninch, & alij, quos adduxi *loco citato*, probabiliter aſſerunt, neque tempore interdicti habentem Bullam Cruciatæ teneri ſacrificium Miſſæ audire.

RESOL. LXXXI. *An in die Paſchatis virtute Bullæ Cruciatæ poſſit quis in Oratorio priuato alicuius domus ſumere ex deuotione Euchariſtiam, vel ſine Bulla in Eccleſiis Regularium?*

COntra Suarez ſatis firmaui probabiliter *in mea 1. part. tract. 11. reſol. 20.* poſſe aliquem vigore Bullæ Cruciatæ ſine licentia Parochi accipere Euchariſtiam de manu ſimplicis Sacerdotis: nunc quæritur, an hoc efficere poſſit in Oratorio modo quo ſuprà, in ipſo die Paſchatis? Et negatiua ſententia magis placet Ægidio de Trullench *in expoſit Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 3. dub. 7. n. 9.* quia putat in illis verbis, *excepto die Paſchatis*, non ſolùm intelligi communionem tempore paſchali, ſed quæ fit ipſo die Paſchatis.

Verùm ego cum Suarez *in 3. part. quæſt. 82. art. 3. diſp. 72. ſect. 3. ver. cenſeo igitur.* Fagundez *præc. 3. lib. 1. cap. 5. num. 8. & 9.* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 7. num. 4.* Coninch *in 3. part. quæſt. 82. art. 3. num. 31.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. quæſt. 42. art. 2.* Ludou. de San Iuan *in ſumm. quæſt. 8. art. 3. dub. 1. de ſacram. Euchariſt.* Filliucio, & Peirino *vbi infrà*, puto in dictis verbis ſummum Pontificem excipere communionem paſchalem, non materialiter, id eſt, quæ in die Paſchatis fit, ſed formaliter, ſeu prout eſt præceptum in lege quæ præcipit ſemel in Paſchate communicare, & ideò qui impleuit præceptum ante Paſcha, vel impleturus eſt immediatè pòſt intra illos octo dies, poteſt ipſo die Paſchæ in Oratorio domus ſuæ ſumere virtute Bullæ Cruciatæ Euchariſtiam ex deuotione à ſimplici Sacerdote, quod etiam de omnibus aliis dicendum eſt ſine Bulla ſi ſumant Euchariſtiam modo quo ſuprà in Eccleſiis Regularium, vt teſtatur Suarez, Fagundez, Layman, Coninch, Miranda, & Ludouicus de San Iuan *locis citatis*, quibus etiam adde Filliucium *tom. 1. tract. 4. cap. 9. num. 265.* Peirinum *in priuileg. Minim. tom. 1 conſt. 1. Iulij II. §. 32 num. 86.* Præpoſitum *in 3. part. quæſt. 80. artic. 11. dub. 2. num. 60.* omnino videndum, & Villalobos *in ſumma, tom. 1. tract. 7. difficult. 47. num. 4.* vbi ſic ait: *En ſus proprias yglefias pueden los Religioſos el dia*

de Pasqua dar la Eucharistia à los seglares si cumplieron con la Perroquia. Ita ille, quidquid in contrarium ex Azorio & Nauarro asserat Trullench *vbi suprà*; quibus adde Syluium *in 3. part. D. Thom. quæst.* 80. *art.* 11. *quæritur* 1. *concl.* 2. Et ratio supradictorum est, quia Pontifices reseruauerunt in Bulla Cruciatæ, & in priuilegiis concessis mendicantibus illum diem Paschatis, intendentes vt saltem semel in anno omnes Parochiani suo Parocho se præsentarent pro communione sumenda: qui autem se præsentauit, v.g. die Iouis sancti, iam præceptum impleuit, & qui intendit se præsentare in die aliqua infra octauam, intendit tempore congruo præceptum adimplere, & ideò menti Pontificum satisfecisse videtur; vnde non apparet quare in ipso die Paschæ quis ex deuotione virtute Bullæ non possit Eucharistiam sumere in Oratorio domus suæ, vel sine Bulla in Ecclesiis Regularium, dummodò satisfecerit, vel animum satisfaciendi habuerit præcepto sumendi Eucharistiam è manibus proprij Parochi in propria Parochia.

Non prætermittam tamen hîc adnotare non solùm Suarez, sed etiam Tannerum *in 3. part. disp.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 8. *nu.* 185. Auilam *de censur. part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 1. *dub.* 8. *in fine.* Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 4. Trullench *vbi suprà in Bulla Cruc. lib.* 1. §. 3. *dub.* 8. *n.* 4. & alios docere virtute Cruciatæ non posse aliquem sumere Eucharistiam ab alio Sacerdote sine licentia proprij Parochi; sed ego, vt dixi, opinionem Vasquez puto probabilissimam, & tutam in praxi, quam nouissimè sequitur Petrus Ochagauia *de Sacram. tract.* 3. *de ministro Eucharist. quæst.* 4. *num.* 16.

RESOL. LXXXII. *An debitores si non habeant spem, quòd manendo in sæculo fiant potentes ad soluendum, possint religionem ingredi, non obstante Bulla Sixti V.*

AFfirmatiuam sententiam de iure communi ego tenui *in part. 3. tract. 2. resol.* Sed difficultas est de iure nouo Sixti V. & negatiuè videtur respondendum, per ea quæ obseruat Malderus *de iustit. tract.* 4. *cap.* 7. *dub.* 4. *in fine.* & Sylnius *in* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 8. *quæst.* 1. *concl.* 7. *causa* 10.

Verùm ego puto etiam in tenninis Breuis Sixti V. debitores, si bona quæ habent creditoribus relinquant, & nulla sit spes, vt in sæculo manendo fiant potentes ad soluendum, posse ingredi Religionem. & ita docet Faustus *in thesaur. Religios. lib.* 5. *quæst.* 134. *n.* 5. Sanchez *in summ. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 26. Bartholomæus de Vecchis *in praxi Nouitiorum disp.* 2. *dub.* 13. *num.* 15. Portel *in dub. Regular. ver. Nouitius, num.* 19. Vide etiam Dauid à Mauden *in Decal. præcept.* 7. *discur.* 18. *num.* 17. Hieron. Rodriquez *in compend. qq. regular. resol.* 101. *n.* 10. Mirandam *in manuali Prælat. tom.* 1. *q.* 17. *art.* 7. & alios penes ipsos.

Imò aliqui plus addunt, Bullam Sixti V. non extendi ad eos, qui absque sua culpa peruenerunt ad impotentiam soluendi creditoribus, quod probant ex ipsis verbis Bullæ ibi, *multi decoctores post dilapidatam rem familiarem*, &c. & ita tenet Vecchius *vbi suprà*, cui ego addo Bonacin. *de restit. disp.* 1. *quæst. vlt. punct.* 2. §. 1. *num.* 8. licet ibi erret in nomine Pontificis, nam pro Sixto V. citat Pium V. & alios penes ipsum.

Notandum est etiam hîc obiter in dicta constitutione Sixti V. non comprehendi debitores ex sola promissione liberali, vel qui incertis debitis sunt grauati. Ita Vecchius & Sanchez *loc. cit.* qui Sanchez addit etiam sub hac Bulla neque comprehendi damnatum ad pecuniariam pœnam ratione alicuius delicti, nec obligatum ad satisfactionem pecuniariam causa alicuius damni, vel iniuriæ illatæ; vt qui, v.g. virginem defloraut, licet in hoc dissentiat Miranda *vbi suprà.*

Non desinam etiam hîc adnotare quòd licet Doctores asserant, quòd quando quis breui tempore manendo in sæculo habeat spem soluendi debita creditoribus, non potest ingredi Religionem, nam in tali casu moraliter non est impotens ad soluendum, licet, inquam, hoc sit verum, tamen difficultas est quod tempus dicatur breue in hoc casu. Ponam opiniones Doctorum, omnes quidem probabiles. Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 3. *num.* 32. & Azorius *part.* 1. *lib.* 12. *c.* 1. *q.* 5. docent tunc dici breue tempus, quando debitor paucis annis satisfacturus creditur. Maior *in 4. sentent. dist.* 38. *quæst.* 17. *concl.* 3. tempus duorum, vel trium annorum ponit. Sanchez *in sum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 19. *n.* 8. duorum annorum. Suarez *de Religion. tom.* 3 *lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 2. vnius anni.

RESOL. LXXXIII. *An Religiosus qui tenetur ieiunare, v.g. Feria* VI. *in qua occurrit vigilia alterius Sancti, si non ieiunet, peccet dupliciter?*

AFfirmatiuam sententiam communiter docent Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 98. *cap.* 2. *num.* 7. Merolla *in disp. Theol. tom.* 1. *disp.* 2 *cap.* 7. *corollar.* 6. *num.* 126. & alij, quia in tali casu frangitur duplicis virtutis præceptum, alterum temperantiæ ex præcepto Ecclesiæ, alterum verò religionis, nam ex voto tenetur regulam obseruare.

His tamen non obstantibus, non reticebo, contrariam sententiam docere Petrum Cornejo *in* 1. 2. *D. Thom. tr.* 7. *q.* 71. *disp.* 5. *dub.* 8. *n.* 10. nisi transgrediatur votum ex speciali inobedientia, qua velit non subiici regulæ, aut Superiori. Vnde Caietanus *q.* 186. *art.* 4. §. *dicitur ad hoc*, docet quòd si Religiosus transgreditur præcepta Dei, vel Ecclesiæ, quæ præcipiuntur sub peccato mortali in sua regula, non propterea licet inferre peccasse duplici peccato, aut vno habēte circumstantiam alterius peccati. Adde quòd regula potest præcipere talia ieiunia, imò præcipit propter idem motiuum, propter quod præcipit Ecclesia; ergo cùm ibi non sit duplex motiuum, non erit nisi vnum peccatum: & idem est in aliis, nam Religio cùm præcipit ieiunium suis Religiosis, nihil aliud intendit, quàm virtutem temperantiæ, quod idem vult Ecclesia, ac proinde cùm Religiosus non ieiunat contra præceptum suæ regulæ, non committit nisi vnum peccatum, ac si tale ieiunium semel tantùm esset præceptum. quod confirmatur, quia regula in suis præceptis nisi exigat specialiter obedientiam, solùm intendit virtutes in particulari iuxta materiam præceptam ad ipsam obedientiam solùm gene-

ra-

neraliter: ergo qui peccat, non committit duplex peccatum. nam illa obedientia eſt circumſtantia generalis quæ reperitur ibi, ſicut in omnibus aliis peccatis. Secus autem dicendum eſt, ſi Prælatus in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipiat Religioſo, v.g. ieiunium, nam illud non præcipit ſolùm ſub ratione temperantiæ, ſed etiam ſub ratione voti obedientiæ, & ideò tranſgreſſio illius eſſet duplex peccatum, contra temperantiam, & contra obedientiam, quæ in particulari exigitur. Igitur in illo caſu Religioſus committit duplex peccatū ſpecie diſtinctum, ſi à regula, vel Prælato exigatur obedientia ſpecialiter; ſecus autem ſi non exigatur, quia ſæpè regula in ſuis præceptis habet motiuū, quod Eccleſia in ſuis. Hinc eſt quòd Religioſi Franciſcani, ſi non ieiunant in ſexta feria, etiamſi ſit vigilia, tantùm vnum peccatum committunt, & idem dicendum eſt de aliis caſibus; & hæc omnia dicta ſunt ſecundùm mentem Petri Cornejo, vt ipſemet docet *vbi ſuprà*, ego enim non recedo à prima opinione.

RESOL. LXXXIV. *An pro expediendis diſpenſationibus recipere quis aliquid poſſit?*

NEgatiuè reſpondendum eſt, & ita in ſacræ Pœnitentiariæ litteris hæc verba ſemper apponuntur, Gratis vbique; verùm hoc procedere putat Sanchez & Filliucius, quos citat & ſequitur Homobon. de Bonis *in exam. Eccleſ. part. 3. tr. 13. c. 11. q. 32. ſuppoſ. 4.* quando munera exhibentur ante expeditionem, ſecus ſi peracta diſpenſatione aliquid gratitudinis gratia reciperetur, quia in tali videtur ceſſare ratio prohibitionis. Imò non deſinam hîc adnotare Guttierez *de matrim. c. 128. n. 2.* Homobonum *vbi ſuprà*, & alios docere quòd in ſupradictis verbis interdici cenſentur ea tantùm dona, quibus recipientis animus corrumpi poteſt, & à tramite iuſtitiæ auelli; ſed alij contrarium docent.

RESOL. LXXXV. *An ſint à matrimonio arcendi, qui fidei rudimenta neſciunt?*

AFfirmatiuè videtur reſpondendum per ea, quæ adducit Baſilius Pontius *de matri l. 5. ca. 36. n. 8.* Vnde in prima Synodo Panormitana Eminentiſſ. Domini mei Cardin. ab Auria *part. 2. cap. 7. num. 21.* ſic habetur: Parochus moneat ſponſos matrimonio minimè iungendos eſſe, quin fidei Chriſtianę rudimenta priùs nouerint, quod anteà decreuerat Card. Paleotus *in Archiep. Bonon. part. 3. de ſacram. matrim. fol. 157. col. 1.* vbi ita ait: Quæret Parochus an matrimonium facturi doctrinam Chriſtianam ſciant, aut ſaltem *Pater noſter, Aue Maria, Credo, & Decalogum*; quòd ſi vterque ea neſciat, aut eorum alter, moneat illos, ſe non ante ad tertiam denuntiationem venturum, quàm illa ab ipſis rectè memoria teneri & intelligi perſpexerit. Sic ibi.

Verùm his non obſtantibus, negatiuam ſententiam prorſus ſuſtinendam eſſe puto, quam docet vterque Sanchez, Thom. & Ioan. hic *in ſelectis diſp. 28. num. 9.* ille verò *de matrim. to. 1. lib. 3. diſp. 15. n. 19.* & nouiſſimè Homobon. de Bonis *in examin. Eccleſ. p. 3. tract. 13. cap. 11. queſ. 33. reſol. 2.* vbi ita ait: Licet nonnulli aſſeruerint aliquem à matrimonio contrahendo arceri poſſe ſi Chriſtianam doctrinam ignoret, donec ſaltem Orationem Dominicam & Angelicam ſalutationem, Symbolum fidei & Decalogi præcepta memoria retineat, niſi præ ſenio, aut ingenij tarditate incapax eſſet. Aliis tamen veriùs videtur abſolutè & per longum tempus prohiberi non poſſe, cùm matrimonij prohibitio regulariter nonniſi in caſibus à iure expreſſis inducenda ſit, & inter carmina in quibus coniugiorū impedimenta dilucidantur, vt ſunt, error, conditio, &c. hoc impedimentum non extat. Expedit tamen ſuauiter abſque vi bono modo & prudenti ratione ad breue tempus impedire, vt ſic doctrinę addiſcendæ curam habeant. Ita ille. & hoc modo intelligēdæ ſunt Synodi ſupradictæ, ſin aliter, prohibitionem illorum non approbo; nam, vt notat Thom. Sanchez *vbi ſuprà*, ſtatuere impedimenta matrimonij non ad Epiſcopum, ſed ad Pontificem ſpectat; & hæc opinio apud me certa eſt, & contrariam non puto probabilem, quod valdè notandum eſt à Parochis & eorum Capellanis, nam hic caſus frequenter poteſt accidere.

RESOL. LXXXVI. *An Capellanus obligatus ſingulis diebus Miſſam pro aliquo celebrare, poſſit in quolibet anno aliquando pro ſe, vel pro aliis ſacrificium applicare?*

AFfirmatiuè reſpondet Naldus *in ſumma, verb. Miſſa, num. 7.* & Homobon. de Bonis *in exam. Eccl. part. 3. tract. 14. c. 1. q. 3. reſol. 2.* vbi ſic ait: Probabiliter puto ex aliqua ingruenti neceſſitate Capellano licere aliquando per annum, puta quater, vel ſexies pro ſeipſo, vel ſibi coniuncto, ad aliquā à Deo gratiam obtinendam celebrare, id enim pius Capellaniæ inſtitutor non negaſſet ſi de tali caſu cogitaſſet, vel de hoc interrogatus fuiſſet. Ita ille.

Notandum eſt etiam hîc obiter. Primò, quòd Sacerdos obligatus ad dicendam Miſſam quotidianam pro aliquo, non tenetur tres Miſſas in Natiuitate Domini pro eo celebrare, ſed tantùm vnā, & alias duas poteſt ſibi applicare; quia inſtitutio Miſſæ nihil aliud imponit, quàm quòd Sacerdos quotidie, vel in omnibus feſtis celebret. Sed qui in die natiuitatis Domini vnam Miſſam applicat inſtitutori, celebrat in illo die. Ergo vna Miſſa inſtitutori ſatisfacit. Deinde nullus Sacerdos, nec etiā Parochus tenetur de præcepto tres Miſſas dicere in die Natalis, cùm ad id nullo iure obligetur, ſed tantùm de conſilio; ergo neque tres Miſſas applicare tenebitur; & ita hanc ſententiam docet Fraxinellus in editione nouiſſima *de Sacerdotum obligationib. ad Miſſam, ſect. 4. concl. 4. §. 21.*

Nota etiam ſecundò, Sacerdotem Miſſæ quotidianę addictum poſſe in die omnium defunctorum nō pro inſtitutore capellaniæ, ſed pro aliquo particulari defuncto Miſſam applicare. Ita Alfonſus de Leone *de Iubilæo part. 3. n. 21. ad finem.* Sed talem Sacerdotem in dicta die Commemorationis omnium defunctorum non pro aliquo defuncto particulari, ſed pro omnibus defunctis in Purgatorio exiſtentibus vniuerſaliter celebrare poſſe, imò debere, docet ex multis rationibus Fraxinel.

loco cit. §. 22. *per totum*, vbi conatur probare intentionem Eccleſiæ eſſe vt Sacerdotes in illa die non pro particularibus defunctis, ſed generaliter pro omnibus defunctis offerant ſacrificium.

RESOL. LXXXVII. *An Sacerdos qui ſimplici beneficio cum onere Miſſarum gaudet, poſſit pro hoc munere idoneum ſubſtitutum deputare?*

NEgatiuè reſpondet Riccius *in praxi tom.* 1. *reſolut.* 340. *num.* 6. arguendo à Rectore parochiano infirmo, qui non poteſt deputare Vicarium, ſed munus deputandi pertinet ad Epiſcopum, vt dictum fuit per Rotam 6. *Octobris* 1583. coram Scaphino.

Sed in noſtro caſu ego contrariam ſententiam teneo: puto igitur idoneum ſubſtitutum alicui Capellano deputari poſſe, & non ab Epiſcopo: & ad argumentum Riccij reſpondeo quòd non eſt eadem ratio de ſubſtitutione Capellani & Vicarij Parochi; Capellanus enim Miſſam tantùm celebrare tenetur, Vicarius autè Parochi præter onus celebrandi onus habet curæ animarum: ergo à ſolo Epiſcopo rectè debet Parocho infirmo ſubſtitui, & ita hanc ſententiam docet Fraxin. *de oblig. Sacerd. ad Miſſam. ſect.* 4. *concl.* 4. §. 14. *n.* 5.

Nota tamen quòd ſi in inſtitutione Capellaniæ expreſsè diſponatur vt Capellanus per ſeipſum celebret, tunc per alium ſubſtitutum ſatisfacere non poteſt, vt declarauit ſacra Card. Congregatio, & teſtatur Campanili *in diuer. iur. Can. rubr.* 7. *c.* 6. *n.* 13.

RESOL. LXXXVIII. *An Coadiutor Canonici præbendæ diaconalis ſedere debeat ante Canonicos ſubdiaconalis?*

SVppono contra Nauarrum *conſil.* 3. *n.* 5. *de Cler. ægrot.* quòd dictus Coadiutor cum futura ſucceſſione non poteſt ſedere & incedere in loco antiquo coadiutus vt deciſum fuiſſe teſtatur Gonzales *in reg.* 8. *Cancell gloſſ.* 5. §. 9. *n.* 102. Garſias *de benef. tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 5. *n.* 66. *& ſeq.* Moneta *de opt. canon. cap.* 4. *q.* 8. *n.* 141. Sebaſtianus Cæſar *in relect. de Eccl. Hierarch. part.* 3. *diſp.* 14. §. 9. *n.* 6. Barboſa *tract. de Canon. c.* 29. *n.* 22. Gratian. *in diſcept. forenſ. tom.* 1. *cap.* 106. *n.* 39. & alij.

Sed difficultas eſt, an debeat ſedere in vltimo loco Canonicorum præbendæ diaconalis ante Canonicos ſubdiaconalis? & negatiuè videtur reſpondendum, quia Doctores citati aſſerunt quòd Coadiutor Canonici poſt omnes Canonicos ſedere debet ante portionarios. Verùm ego affirmatiuam ſententiam teneo cum Bartholomæo Gauanto *in enchir. Epiſc. ver. coadiutor Epiſcopi, n.* 24. & Franciſco Leone *in theſaur. fori Eccleſ. part.* 2. *c.* 4. *n.* 57. *&* 58. aſſerentibus quòd Coadiutor Canonici præbendæ preſbyteralis ſedet ante Canonicos diaconalis; ergo Coadiutor Canonici præbendæ diaconalis ſedet ante Canonicos ſubdiaconalis, cùm in vtroque caſu, vt patet, militet eadem ratio, quam affert Leo *vbi ſuprà*, quia Coadiutores inſeruiunt in eodem ordine in quo ſeruiebant coadiuti; ergo æquitas ſuadet quòd in eodem ordine poſt omnes Canonicos eiuſdem ordinis ſedere debeant. Nec aduerſus hanc ſententiam faciunt DD. cit. dicentes Coadiutores Canonicos ſedere poſt omnes Canonicos, non enim loquuntur in caſu noſtro quando Canonici diſtinguuntur in diuerſis ordinibus, ſed in caſu, quo Canonici ſine diſparitate ſunt omnes in vno & eodem ordine, vt patet ex Gauanto *vbi ſuprà n.* 23. *&* 24.

RESOL. LXXXIX. *An Epiſcopus poſſit committere Confeſſario Monaſterij vt Monialem abſoluat ab hæreſi externa?*

DE hoc caſu olim interrogatus fui, & pro affirmatiua ſententia adduxi Homobonum *in examin. Eccleſ. part.* 3. *tract.* 15. *c.* 7. *q.* 20. *reſol.* 2. vbi ſic aſſerit: Dico Epiſcopum Confeſſario illius Monaſterij facultatem dare potuiſſe vt Monialem in peccato hæreſis externo actu proditæ abſolueret, nam etſi teneamus facultatē Epiſcopis conceſſam à Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 6. quoad abſolutionem ab hæreſi eſſe reuocatam per Bullam Cœnæ, licet multi contrariam ſententiam ſint amplexi, adhuc tamē fatemur impeditos, quò minùs Sedem Apoſtolicam adire poſſint, per proprium Epiſcopum à caſibus & cenſuris in dicta Bulla reſeruatis abſolui poſſe, ex *c. mulieres, & c. ea noſcitur, de ſent. excommun.* Ita Homobonus, qui pro hac ſententia citat noſtrum Patrem Duardum.

RESOL. XC. *An intrantes cum licentia in monaſteria Monialium, ſi finito negotio ibi notabiliter commorentur, incidant in cenſuras?*

IN partem affirmatiuam videtur inclinare Naldus *in ſum. ver. Monialis, n.* 15. vbi ait: Monialium clauſuram cum debita Superioris licentia ad inſeruiendum Monialibus in opere neceſſario ingreſſus, ſi ibidem opere iam expleto ad quod fuerat admiſſus, notabiliter commoretur, fortè non videtur immunis ab excommunicatione violatæ clauſuræ. Ita ille.

Sed non reticebo aduerſus illum negatiuam ſentētiam docere Aloyſium Bariolam *in Aphoriſm. litt. M. ver. Moniales*, §. 8. vbi ita aſſerit: Monialium monaſteria intrantes cum licentia, finito negotio, cuius cauſa ſunt ingreſſi, ſi curioſitate ducti aliò diuertant, nec peccant, nec cenſuras contrahunt, licet oppoſitum ſentire videatur Naldus. Ita Bariola *loco citato*.

RESOL. XCI. *An Regulares poſſint reconciliare eorum Eccleſias pollutas, & quid de aliis Sacerdotibus?*

HIc caſus frequenter poteſt accidere, & affirmatiuè reſpondendum eſt per ea, quæ adducit Homobonus de Bonis *in exam. Eccl. part* 3. *tract.* 15. *c.* 8. *quæſ.* 27. *reſol.* 2. Adde quòd Eccleſia ſi ſit benedicta, poteſt reconciliari per quemcumque ſimplicem Sacerdotem, & cum aqua benedicta communi, contra Toletum, vt habetur *in cap ſi Eccleſia, de conſecr. Eccleſ.* iuncta gloſſa; nec requirntur ad hoc Epiſcopi licentia, vt patet ex ipſo textu ibi, *protinus lauetur.* quod non diceretur, ſi oporteret expectare licentiam Epiſcopi, & ita docet Auila *de cenſuris part.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 4. qui citat D. Antonin. & Henriquez, quibus ego addo Tamburinum *de iure Abbatum*,

tum, to.1.diſp 23 q.10.n.11. Præpoſ.*in 3.part.quæſt.83. art.3.dub.2.num.163.* Barboſam *de poteſt. Epiſc.part.2. alleg.28.n.57.* & poſt hæc ſcripta omnia ſupradicta inuenio docere Laurentium Portel *in dubiis Regul. part.1.ver. Eccleſiæ Fratrum,n.1.* vbi tenet Superiorem Regularium poſſe reconciliare ſuam Eccleſiam aqua tantùm à ſe benedicta, quod etiam concedit de Sacerdote ſæculari: ſecus autem dicendum, ſi Eccleſia fuerit conſecrata, tunc enim, vt alibi dictum eſt, neque Regularem, neque alium Sacerdotem etiam de licentia Epiſcopi poſſe illam reconciliare teſtantur iura & Doctores. Vnde neſcio quâ ratione Epiſcopi poſſint interdicere Eccleſias Regularium non conſecratas, ſi pollutæ fuerint ab eorum Superiotibus reconciliatæ. Nec valet dicere cum aliquibus quòd Superiores Regulares tunc poſſunt reconciliare Eccleſias pollutas cum aqua ab Epiſcopo non benedicta, quando Epiſcopus diſtat per duas dietas, ſecus autem minimè. Nam reſpondeo quòd ſi ſimplex Sacerdos, vt ſuprà viſum eſt, poteſt reconciliare Eccleſias pollutas cum aqua non ab Epiſcopo, ſed à ſeipſo benedicta, quare hoc denegandum eſt Sacerdoti Regulari? Equidem non video diſparitatem rationis.

Notandum etiam quòd poſt hæc ſcripta inueni Antonium Nouariam *in ſumm. Bullarum tit. de pollut. Eccleſiarum,n. 7.* docere, Superiores Regulares ex priuilegio poſſe reconciliare Eccleſias conſecratas, & citat Graſſium *conſil.2. de conſecr. Eccleſ. n.18.* Sed hoc, vt dixi, multi negant.

RESOL. XCII. *An Confeſſarius poſſit abſoluere ſub conditione moribundum, qui neque petiit confeſſionem, nec vllum ſignum edidit?*

NEgatiuam ſententiam ego docui *in 3.part.tr.3. reſol.8.* cum multis Doctoribus, quibus adde Petrum Ochagauiam *de Sacr. tr.2.de confeſſ.ſacram. quæſt.17.n.14.* & Guilielmum Mercerum *in addit. ad 3.part. D.Thomæ q.9.art.2.in dubio,n.9.* qui reſpondet ad quamdam auctoritatem D. Auguſtini.

Verùm ibi pro affirmatiua ſententia adduxi Homobonum, Molfeſium, Litteratum & Greg. XV. quando erat Archiep. Bononienſis, quibus nunc addo Bartholom. à S. Fauſto *in Theol. moral.tom.1. lib.4.q.204.* quia, ait ille, ſi poteſt dari abſolutio ſub conditione quando dubitatur, an pœnitès habeat vſum rationis, vel an ſint peccata, nulla eſt ratio conuincens, cur id fieri non poſſit ſimiliter ſub conditione, quãdo talis hîc nullum ſignum dedit contritionis, & aliàs deuotus erat, & frequentabat confeſſionem & communionem, nam poteſt eſſe, prout in dubio præſumitur, vt quis ſit memor ſalutis æternæ, & quòd interiùs habeat aliquam efficacem attritionem, qua rectè diſpoſitus ſit recipere ſacramentalem abſolutionem, & de attrito fiat contritus, præſertim quia nulla fit iniuria huic Sacramento, quando ſub conditione impertitur abſolutio, vnde ſi non reperietur diſpoſitus, abſolutio habetur pro non data, & ſic prodeſſe, non autem nocere poteſt, nec fit irreuerentia Sacramento; & in confirmationem huius refertur quòd dum caſu cadebat Romæ quidã ex fabrica D. Petri, & reperiebatur ibi Clemens VIII. Pont. Max. vir ſapientiſſ. & vidiſſet illum cadentem, quòd dederit ei abſolutionem his verbis; Si tu es capax abſolutionis, ego te abſoluo. Ita Fauſtus *loc cit.* Et tandem nouiſſimè poſſe in tali caſu abſolutionem per modum ſuffragij adhiberi, docet doctus Iacobus Bayus Profeſſor Sacr. Theol. in Academ. Louanienſi *in inſtit. Relig. Chriſt. lib.2.c.91.* & quia codex rarus eſt, ponam eius verba. Ceterùm, ait, an repentè loquelam & ſenſum ac omnem intelligentiam deperdens ſine vlla præuia confeſſione, nulloque ſigno peculiari in ordine ad claues, ne vel in communi dato abſolui poſſit, maiorem habet difficultatem; cùm enim abſolutionis ſententia per modum iudicij & cauſæ cognitione proferenda ſit, nullaque hîc peccatorum confeſſio, vel iudicij materia reperiatur, abſolutionis ſententia impendi nequit: attamen per modum ſuffragij abſolutionem adhiberi, nihil vetat incluſa conditione tacita, vel expreſſa, in quantum poſſum, & quatenus capax es. Ita Bayus; ſed ego, vt dixi, negatiuam ſententiam tenendam eſſe puto, nec aliter in praxi faciendum eſſe exiſtimo.

Notandum eſt etiam hîc, Philibertum Marchinũm *in tract. de bello diuino, ſeu de peſte, part.3.c.13.n.15.* docere, quòd licitum eſt Confeſſario abſoluere à peccatis morti proximum ſenſibus deſtitutum, etiamſi nulli ſint præſentes, qui teſtentur ipſum petiiſſe confeſſionem, aut ſigna contritionis dediſſe, dummodo alius abſens, qui illum vocauit, fidem de petita ab eodem confeſſione priùs illi fecerit. Ita ille. vbi etiam *n.19.* docet, abſoluendum eſſe ſub conditione Sacerdotem, qui inchoata Miſſa poſt Introitum etſi corpore priùs ſanus voce amiſſa cadens ad interitum rueret; quia præbens ſigna pœnitentiæ & Miſſam inchoans diſpoſitus iudicandus eſt ad ſacramentalem abſolutionem recipiendam, eo vel maximè quòd in articulo mortis quilibet quocumque pietatis ſigno virtualiter confeſſionem in votis habere cenſeatur, cùm vnuſquiſque in mortis diſcrimine optimo, quo poteſt, remedio animæ ſuæ prouidere præſumatur. Sed hęc omnia non admittunt Doctores, quos ego ipſe citaui *vbi ſuprà reſol.7.*

RESOL. XCIII. *An Summus Pontifex poſſit diſpenſare vt ſocer ſumat in vxorem nurum ſuam?*

NEgatiua ſententia ſuaderi poteſt, quia affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimit matrimonium iure naturali, quod probatur primò ex rationibus; nam filius, v.g. eamdem reuerentiam debet vitrico, quam parentibus, hoc ipſo quòd vna caro cum parentibus facti ſunt; eademque eſt ratio nurus & ſoceri, generi & ſocrus, quia & illi reſpectu horum quaſi filij cenſentur; vnde Pomponius *in l.17.ff. ſolut. matrim.* obſeruat, quòd parentis locum ſocer obtinet, & D. Auguſt. *lib.22. contra Fauſtum cap.61.* relatus *in cap. ſi vir 33. quæſt.3.* aſſeruit: Si vir & vxor non duo, ſed vna caro ſunt, non aliter eſt nurus reputanda quàm filia; vnde rectè vitricus priuignæ marito apud Ouid. *lib. de Ponto* aſſerebat,

Nam tibi quæ coniux, eadem mihi filia penè eſt.

Secundò probatur ex auctoritate Scripturæ: nam

nam D.Paulus 1. *Corinth.*5. ait, *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat.* Vnde D.Thom. *ibi lect.*1. ait: Vxor patris repellitur à matrimonio ſicut perſona patris, vel matris. hinc Spartianus *in Seuero*, qui nouercam matrem, quin imò in vxorem duxit. & *in Caracalla*, matrem enim (non alio dicenda erat nomine,) duxit vxorem, ad parricidium iunxit inceſtum.

Tertiò probatur ex Conciliis, nam in Concilio Aruerenſ. ſub Vigilio Papa *c.*11. cùm prohibitum eſſet matrimonium cum priuigna, ſubditur, eum qui ſecus auſu ſacrilego auctoritatem diuinæ legis & iura naturæ prorumpere, &c. in quibus verbis apparet affinitatem in primo gradu lineæ rectæ dirimere matrimonium iure naturali: quod confirmatur *in l. auunculo, §. nouerca, ff. de condition. ſine cauſa*, vbi ſic habetur: Nouerca priuigno, nurus ſocero pecuniam dotis nomine dedit, neque nupſit. ceſſare cõditio prima facie videtur, quoniam iure gentium inceſtum committitur, &c. vbi Ant. Faber Iuriſconſultus eminentis litteraturæ, dicit in hæc verba, ius naturale vocari ius gentium, & ideò matrimonium inter ſocerum & nurum aſſerit eſſe prohibitum de iure naturali.

Quartò probatur ex auctoritate Doctorum, aſſerentium iure naturæ nullum eſſe matrimonium inter nouercam & priuignum, inter vitricum & priuignam, & inter omnes affines in primo gradu lineæ rectæ, quales ſunt etiam gener & ſocrus, ſocer & nurus, & ita docent DD. quos citat Sanchez *vbi infrà n.*6. quibus ego addo Syluium *in addit. ad* 3. *part. D.Thom. quæſt.*55. *art.*6. *concl.*3. Tanner. *in Theol. ſcholaſtica tom.* 4. *diſp.*8. *quæſt.*4. *dub.*7. *n.*122. Layman *in Theol. moral. lib.* 5. *tract.*10 *part.*4. *c.*6. *n.*5. Coninch *de Sacram. diſp.*32. *dub.*4. *concl.*5. *n.*53. Zanardum *in director. Theolog. part.*1. *de ſacram. matrim. cap.*25. §.6. Bizzozerum *de Sacram. p.*8. *cap.*3. §. *de impedimento affinitatis, n.*6. Zecchium *de ſacram. matrim. cap.*18. *prop.*2. *in fine.* Guliel. Eſtium *in* 4 *ſent. diſt.*41. §.3. & Chamerotam *de Sacram. tract.*12. *cap.*5. *dub.*10. quorum ſententia confirmatur ab experientia, eò quòd non extat memoria vt Pontifex in aliquo matrimonio in caſibus ſupradictis diſpenſauerit.

His tamen minimè ſuffragantibus, exiſtimo Summum Pontificem poſſe diſpenſare in ſupradictis caſibus, quia affinitas in primo gradu lineæ rectæ non dirimit matrimonium iure naturali, & ita hanc ſententiam videtur docere D.Thom. *in* 2.2. *quæſt.*154. *art.*9. *ad* 3. & illam etiam tenent 14. Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez *de matrim. tom.*2. *lib.*7. *diſp.*66. *num.*7. quibus ego addo Præpoſitum *in addit. ad* 3. *part. D.Thom. quæſt.*7. *de impediment. matrim. diſp.*11. *num.*69. Hurtadum *tract. de matrim. diſp.*20. *diffic.*4. *n.*13. Ludouicum Maëratium *in D.Thom. tom.*3. *tract. de matrim. diſp.*9. *ſect.*13. *num.*4. *& ſeq.* Pontium *de matrim. lib.*7. *cap.*34. *n.*5. Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient. part.*2. *de ſacram. matrim. art.*5. *dub.*9. *concl.*1. Archangelum Rubeum *de Sacram. diſp.* 40. *&* 41. latiſſimè Guttierrez *de matrim. cap.*99. *num.*9. Bonacinam *de matrim. quæſt.*3. *punct.*12. *n.*7. & duos doctiſſimos viros, quorum codices quia rari ſunt, ponam verba per extenſum. Villalobos *in ſumma tom.*1. *tract.*14. *diffic.*17. *num.*11. ſic ait: *Ningun grado de affinidad irrita el matrimonio de derecho natural. el fondamento es porque ſe dirimiera el matrimonio de derecho natural fuera lo meſmo en todas las ocaſiones loqual no es, porque Adonias pidio à Abiſac Sunamitide para ſu muger como conſta* 3. Reg. 2. *y ella hauia ſido muger de Dauid ſu padre como dize la miſma eſcritura* 2. Reg. vlt. *y Valerio Maximo* lib. 5. cap.... *Plutarco* in vita Demetrij *refieren, que Seleuco dio à ſu hijo Antioco por muger à Eſtrathonica ſu propria muger y pudieranſe traer para eſto otros muchos exemplos, de lo qual ſe infiere que ſi el infiel contraxa matrimonio en primero grado de affinidad (no eſtando prohibido entre ellos) conuertendoſe à la fe no ſe han de apartar.* Sed audiamus Ludouicum de San Iuan *in ſumma, quæſt.*6. *de ſacram. matrim art.*7. *diffic.*5. *dub.*1. *concluſ.*1. ſic aſſerentem: *Mas prouable es, que la affinidad en el primero grado en la linea recta no dirime el matrimonio por derecho natural ſi no por el poſitiuo porque hablando en verdad y propriedad, ni el ſuegro es Padre ni ſu ſuegra madre como dize la contraria opinion; luego eſta affinidad no ha de impedir como la conſanguinidad en el primero grado en los aſcendentes por linea recta, quales la de los Padres y abuelos lo ſegundo ſe prueua, porque muy de ordinario diſpenſa la Silla Apoſtolica en ſemejantes affinidades contrahidas por copulas illicitas por excuſar grandes inconuenientes, y yo he aconſejado ſe pida diſpenſacion en caſos ſemejantes y ſe han alcançado.* Sic ille. Et tandem hanc noſtram ſententiam docet inſignis Theologus Salmanticenſis Petrus Ochagauia *de Sacram. tract.*3. *de impediment. matrim. quæſt.*60. *concl.* 1. *n.*5. vbi ſic ait: Primus gradus affinitatis non irritat iure naturæ matrimonium, vnde inter nurum & ſocerum non eſt tanta naturalis amicitia, vt ex ea creſcat vehementer ardor libidinis, neque nurus habet ita ſtrictam naturalem reuerentiam & ſubiectionem ſocero, vt inter eos implicet copula coniugalis. Ita Ochagauia; & hanc opinionẽ affirmatiuam præter Doctores citatos, qui abſolutè illam tenent, probabilem etiam eſſe docent Rebellius 1. 2. *lib.*3. *quæſt.*15 *n.*10. Filliucius *tom.*1. *tract.* 10. *part.*2. *cap.*6. *n.*109. Fernandez *in exam. Theolog. moral. p.*3. *cap.*16. §.2. *ſect.*2. *n.*7. Molfeſius *in ſum. to.*1. *tract.*4. *c.*10. *n.*109. & ex auctoribus contrariæ ſententiæ Sotus, Coninch, Tannerus & Layman *vbi ſuprà.*

Verùm præter rationes adductas à Villalobos & San Iuan probatur hæc opinio primò, quia, vt obſeruat Hurtado & alij, inter dictos affines nulla reperitur ſuperioritas contra cuius reuerentiam ſit vſus matrimonij, quia ſuperioritas tantùm eſt in eo, qui eſt principium naturale alterius, & non in eo, qui eſt affinis, quamuis fiat vna caro cum principio naturali, quia propriè non fit vna caro cum illo, ſed tantùm, quia fiunt principium vnius carnis, ac proinde quamuis in acceſſu filij ad vxorem patris iam defuncti ſit ex natura rei aliqua indecentia, ſed non irreuerentia, aut impietas, benè tamen in acceſſu ad vxorem patris viuentis non ipſi nouercæ facta, ſed patri, & maximè, quia ei fit maxima iniuria adulterij.

Secundò probatur hæc opinio ex decretis Conciliorum. nam, vt obſeruat Pontius *in can.*61. *Concilij Agathenſis, & can.*30. *Epannenſis*, expreſsè prohibe-

tur

tur matrimonium cum priuigna, cum nouerca, relicta fratris, relictaque auunculi, & tamen præcipitur ne ante eam prohibitionem matrimonia contracta dissoluantur, quod euidenti argumento probatur illa coniugia valere, & dispensabilia ea impedimenta in primo gradu, quod etiam confirmatur ex Conc. III. Aurelianensi *can.* 10. vbi sic habetur de incestis coniunctionibus: Ita quę sunt seruentur, vt hi qui aut modò ad Baptismum veniũt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione anteà in notitiam non venerunt, ita pro nouitate conuersionis, ac fidei suæ credidimus consulendum, vt contracta hucusque huiusmodi coniugia non soluantur, sed in futurum quod de incestis coniunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est obseruetur, id est, vt ne quis sibi sub coniugis nomine sociare præsumat relictam patris, filiam vxoris, relictam fratris, sororem vxoris, sobrinam, consobrinam, vel relictam auunculi, vel patrui. Ita Concilium *ibi*, in quibus verbis apertè apparet, quòd vult manere huiusmodi coniugia in infidelitate contracta, & non dissolui; ergo gradus affinitatis inter vitricum & priuignam, inter priuignum & nouercam, &c. non dirimit matrimonium iure naturali. Imò & eos qui ignorantia legum Ecclesiasticarum ea matrimonia cõtraxerunt, idem Concilium decernit non separandos: vnde subdit Pontius, verè phœnix ingeniorum, quia hæc nostri Theologi minimè viderunt, non est mirum si circa præsentem quæstionem in varias opiniones distrahantur.

Tertiò hæc opinio non leuiter confirmatur ex eo quòd Pontifices non ratò pro foro conscientię dispensant in dicta affinitate orta ex copula fornicaria, & tamen est eiusdem rationis cum ea, quæ oritur ex copula coniugali, quia fornicarij eodem modo fiunt vna caro per copulam ac coniuges, vt rectè probatur *in addit. ad cap.* 20. *n.* 9. *praxis Archiepiscopalis nouissimæ M. Ant. Genuensis*, & rectè Rebellius 1. 2. *lib.* 3. *quæst.* 15. *concl.* 2. & alij. Pius V. concessit Henrico Cardinali Lusitaniæ facultatem dispensandi in affinitate cuiuscumque gradus orta ex occulta fornicatione.

Restat modò respondere ad argumenta adducta pro contraria sententia; ideò

Ad primum patet responsio ex his, quæ dixi in primo argumento pro firmanda affirmatiua sententia. nam licet parens, v. g. per matrimonium, præsertim consummatum, efficiatur vna caro cum nouerca alicuius; nihilominùs priuignus nec ab ea accepit esse, nec ita coniungitur, vt coniungitur consanguineus in primo gradu collaterali, vnde licet priuignus magnam reuerentiam nouercæ debeat, non tamen tantam, quæ iure naturali videatur obstare coniunctioni matrimoniali, sed solùm quæ causet aliqualem indecentiam in tali coniunctione, si desint causæ, & idem dicendum est de nuru cum socero. vnde largo modo, & impropriè socrus dicitur pater, & nurus filia, vt asserebat Pomponius, & D. Augustinus.

Ad secundum argumentum desumptum ex D. Paulo, affero nihil inde concludi, quia incestuosus ille Corinthius nouercam carnaliter cognouit viuente patre, aliàs non dixisset D. Paulus, huiusmodi peccatum non esse auditum inter gentes, certum enim est ex historiis apud quasdam gentes, vsitata cum nouercis coniugia patre mortuo, vt patet apud Theodoretum *li. de legib. versus finem*, & hanc esse germanam huius loci expositionem, patet ex alio loco D. Pauli 2. *Corinth.* 7. in illis verbis: *Igitur etsi scripsi vobis non propter eum, qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui passus est*, &c. in quibus verbis asserendo illum incestuosum fecisse in patrem iniuriam, apparet illud crimen commissum fuisse viuente patre, nam propriè non irrogaret iniuriam patri suo si illius demortuam vxorem cognouisset, & ita hunc locum D. Pauli explanant DD. citati pro secunda sententia, quibus adde D. Anselmum, Corn à Lapide, & Gulielmum Estium. Ad auctoritatem D. Tho. omnium Magistri, respondeo standum esse eius vltimo testamento, quod est summa, vbi, vt dictum est *in* 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. clarè videtur docere inter solos parentes & filios iure naturæ prohiberi matrimonium: videatur omnino Caietanus *ibi*. Vnde hanc sententiam esse communem inter Thomistas testatur Ludouicus de San Iuan *in sum. to.* 1. *quæst.* 6. *de sacr. matri. art.* 7. *diffic.* 5. *dub.* 1. *concl.* 1.

Ad tertium respondeo cum Basilio Pontio *de matri. l.* 7. *cap.* 13. *n.* 10. Concilium in illis verbis demonstrare quòd iure naturæ matrimonium illud videatur turpitudinem aliquam continere, atque adeò illicitum, nisi iusta excusetur causa, propter quam etiam Ecclesia dispensare posset iustè in sua prohibitione. Adde etiam Sanchez *de matri. to.* 2. *l.* 7. *disp.* 66. *n.* 9. *in fine, & disp.* 52. *n.* 7. vbi probat matrimonia supradicta, licet non aduersentur iuri naturali primariò, & irritanti, aduersari tamen iuri naturali secundariò, quatenus nudè ac secundùm se considerata, & pro libito priuatorum inita sine peculiaribus circumstantiis cohonestantibus indecentiam quamdam naturalem continent, & ita intelligendus est textus *in l. auunculo*, quod etiã probatur ex D. Ambrosio *epist.* 66. *ad patruum*, vbi dixit illicitum esse iure naturæ, vt patruus ducat neptem. quæ verba sunt intelligenda de iure naturæ secundario modo quo suprà expliçatum est, & ideò Henriquez *lib.* 12. *cap.* 13. *n.* 9. *in gloss. litt. D.* Villalobos *in summa tom.* 1. *tract.* 14. *diffic.* 26. *num.* 7. & alij asserunt Summum Pontificem Greg. XIII. dispensasse cum Comitissa de sancta Hadea, vt matrimonium iniret cum suo patruo.

Ad confirmationem verò positam in quarto argumento respondeo quòd licet hactenus dispensatum non sit in tali matrimonio à Romanis Pontificibus, parum refert, quia iusta causa & quę necessaria in eo gradu esset non occurrit, & inquiro, vt benè obseruat Pontius *c.* 32. *n.* 10. quando audiuimus, vel legimus dispensare Pontificem, vt quis nubat duabus sororibus, & tamen nostra ętate dispensatum in eo est à Cle. VIII. Vnde non valet argumentum, non fuit dispensatum in tali matrimonio; ergo non est dispensabile.

Verùm pro coronide huius resolutionis ponam hîc aliud pulcrum & difficile dubiũ, an matrimonium inter fratrẽ & sororem sit irritum iure naturæ,

turæ, vt non possit circa illud Summus Pontifex dispensare. Esse irritum de iure naturæ docet Præpositus *in addit. ad 3. part. quæst. 7. de impedim. matrim. dub. 9. n. 73.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp 52. num. 11.* Valent. *tom. 4. disp. 10. quæst. 5. punct. 1.* Henriquez *lib. 12. c. 9. n. 4.* Vasquez *in 1. 2. quæst. 74. art. 8. disp. 112. n. 7.* Bellarm. *lib. 1. de matrim. cap. 28.* Perer. *in Gen. tom. 2. lib. 16. disp. 14. n. 221.* & Doctores cit. pro prima opinione superioris quæstionis. Ratio est, quia Innoc. III *in c. gaudemus, de diuort.* ait, Conuersos ad fidem qui anteà in secundo gradu & in vlterioribus gradibus contraxerunt, non esse separandos: vnde videtur supponere separãdos esse qui in primo gradu contraxerant, ac proinde eorum matrimonium fuisse nullum, & iure naturali, quia ante Baptismum non tenebantur iure Ecclesiastico. & hoc argumentum ita firmum visum est Soto *in 4 sent. dist. 40. quæst. vnic. art. 4.* vt eo ductus damnauerit contrariam sententiam tamquã erroneam.

Sed immeritò quidem. nam ipsimet aduersarij, vt Sanchez & Præpositus *locis cit.* probabilem esse existimant, & illam absolutè tenent ex Theologis Societ. Iesv Hurtado *tract. de matr. disp. 17. diffic. 5. num. 12.* vbi citat Caietanum, Scotum & alios, & hanc sententiam tenet etiam, qui instar multorum erit, Basilius Pontius *de matr. lib. 7. cap. 32. nu. 3.* vbi citat D. Thomam, Richardum, Durandum, Carthusianum, Abulensem, Armillã, Veracruz, Oleastrum, Heruetum, & ita censuisse magnum virum illum Aloysium Legionensem sub Philippo II. Matriti *die 22. April.* 1589. testatur.

Probatur hæc opinio, quia nullo sufficienti fundamento ostendi potest ex natura rei, seu iure naturali, deberi reuerentiam consanguineis qui non sunt ascendentes & naturaliter superiores; ergo absque sufficienti fundamento dicitur in copula inter ipsos irreuerentiam reperiri ex natura rei, & eorum matrimonium ad eam ordinatum esse ex natura rei nullum, imò & esse illicitum; non nego tamen ob tantam sanguinis coniunctionem in primo gradu indecentiam manifestam reperiri in copula inter eos, & in matrimonio ad eum ordinatum, ob quod ferè ab omnibus gentibus iure positiuo fuerit vetitum. ceteras rationes videbis apud Pontium *vbi suprà.*

Restat modò respondere ad *cap. gaudemus.* Dico igitur quòd ibi Innoc. III. definiuit id, quod certum erat circa id quod sibi fuit propositum, an scilicet coniuges consanguinei in secundo & vlterioribus gradibus conuersi ad fidem, erant separandi; circa consanguineos verò in primo gradu, quia sibi non fuit propositum, nihil definiuit. Nec etiam obstat quòd *in cap. litteras, de rest. spoliat.* Pontifex dicat non posse dispensare in gradibus prohibitis diuina lege, vbi glossa *in ver. diuina lege,* explicat de gradibus interdictis *Leuit. c. 18.* sed gradus de quo loquimur, est prohibitus *in d. loco Leuit. 18.* ergo, &c. non, inquã hoc obstat, quia ibi Pontifex dũ ait dispensare non posse in illis gradibus, intelligi debet, non debere nec expedire sæpiùs facere sine magna causa, & constat sic accipiendum, quia statim additur in illo textu, non consueuisse Pontificem in illis gradibus dispensare, quod additum superfluum esset si verè non posset, & hoc patet experientia; nam *Leuit. 18.* erat prohibitum matrimonium cum vxore fratris, & consequenter est prohibitum *in d. c. litteras;* & tamen certum est Põtificem sæpiùs ex magna causa dispensasse in tali matrimonio, vt ipsemet Innoc. III. cum Libionensibus, vt patet *in c. fin. eodem tit.* Alex. VI. cum Emanuele Rege Lusitaniæ, Julius II. cum Henrico VIII. cuius dispensationem Clemens VII. approbauit: ergo clarum apparet Pontifices dispensasse in aliquibus casibus prohibitis *Leuit. 18. & in d. cap. litteras.* quidquid in contrarium asserat Bellamera *consil. 38.* & Paris. *vol. 4. consil. 68.*

Patet igitur ex dictis iure naturæ validum esse matrimonium inter fratres & sorores, vnde & iusta concurrente causa dispensare in eo posset Pontifex. Iusta tamen, ait Pontius *loc cit.* mihi causa videtur vt, quod exempli caus. dictum sit, si Hispaniarum Princeps cùm ex vna parte digna tantâ regiâ maiestate vxor non esset, nec sine graui inconuenienti iuxta præcedentem æstimationem etiam adhuc illam ducere non posset, & ex illa parte illę, quæ pari coniugio copulari possent, essent aut hęreticæ, aut suspectæ, vnde probabile periculum immineret, vel peruertendi Regis, vel inficiendi Regni, quod non est difficile euenire, posset certè iustè dispensari, vt cum sorore nuberet, maximè si vterina non esset. Ita mihi videtur, ait Pontius, sub Sedis Apostolicæ iudicio, cuius etiam determinationi ego humiliter omnia dicta submitto.

Resol. XCIV. *An Indulgentia sublatâ peccati fictione sortiatur effectum suum?*

Affirmatiuam sententiam docet Paludanus *in 4. dist. 20. quæst. 4. art. 3.* & Syluester *ver. Indulgentia, n. 20 & 32.* quos citat & sequitur Henriquez *lib. 7. de indulgent. c. 9. n. 3.* vbi asserunt sublata peccati fictione suum indulgentię sortiri effectum, sicut reuiuiscit Baptismus sublata fictione, & opus a Confessario in pœnitentiam iniunctum.

Verùm contraria sententia placuit Suarez *to. 4. disp. 52. sect. 2. n. 12.* quia hoc priuilegium proprium est Sacramentis, & non omnibus, & non constat tale priuilegium esse concessum indulgentiæ, nec ex sacra Scriptura, nec ex voluntate concedentis: quod confirmatur, quia omnes indulgentiæ conceduntur hominibus confessis, vel contritis; ergo nihil operantur in illis, qui sunt in peccato, quia non sunt contriti.

Resol. XCV. *An Sacerdos vtens Missali Romano possit celebrare iuxta ritum receptum in loco, per quem transit, etiamsi discrepet à Romano?*

VT si, v. g. quis transiret per monasterium Monachorum D. Benedicti, D. Dominici, &c. & respondet affirmatiuè Ioannes Præpositus *in 3. p. q. 83. ar. 4. dub. 5. n. 190.* quod non tantùm intelligit de Ecclesia sæculari, sed etiam de Regulari, & ideò Religiosum, vel sæculare transeuntem per monasterium quod vtitur alio Missali quàm Romano, posse in eo monasterio celebrare iuxta ritum ibidem receptum, neque videri in hac parte plus permittẽdũ existẽti in Ecclesia sęculari quàm in loco regulari, quia non est potiùs priuilegium respectu

Reli-

Religioſorum, quàm reſpectu ſæcularium, vt propterea ſit dicendum externas perſonas poſſe celebrare in Eccleſia ſæculari, iuxta illius ritum, non verò in regulari, cùm ſingulæ Eccleſiæ non minùs regulares, quàm ſæculares relinquantur antiquæ conſuetudini. Ex quo deducitur idem dicendum, ſi ritus celebrandi Miſſam in proprio loco & alieno diſcrepet à Romano, ſcilicet aliquem foris exiſtentem poſſe celebrare iuxta ritum receptum in loco vbi celebrat, & hæc omnia docet Præpoſitus *loco cit.* quæ aliqui non approbant, & neſcio circa hanc quæſtionem an aliquid ſit declaratum à ſacra Cardinalium Congregatione.

RESOL. XCVI. *An ad implendum præceptum annuæ communionis poſſit quis celebrare, vel communicare ſine præuia confeſsione?*

POſſe aliquem in tali caſu, ſi conſcius eſt peccati mortalis, non habens copiam Confeſſarij, elicere actum contritionis, & celebrare, vel communicare, docet Henriquez *lib. de Euchar. c. 46. n. 4.* qui plures citat *in gloſſ. litt. M.* & hanc opinionem non eſſe improbabilem docet Præpoſ. *in 3. part. q. 80. art. 5. dub. 3. n. 19.*

Sed contrariam ſententiam tenet Nugnus *in 3. part. quæſt. 80. art. 4. diffic. 2. circa fin.* Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 4.* & Suarez *tom. 4. diſp. 66. ſect. 4.* quia ſola adimpletio humani præcepti non videtur ſufficientem neceſſitatem præbere, neque præceptum humanum obligat, quo caſu non poteſt adimpleri conuenienter & conformiter iuri diuino, & de hac quæſtione ego alibi etiam latiùs dicturus ſum.

Notandum eſt tamen hîc obiter cum Præpoſito *vbi ſuprà, n. 17.* quòd probabiliter poteſt quis elicere actum contritionis, & celebrare, vel communicare ſine præuia confeſſione, quando cum peccatis non reſeruatis habet peccatum reſeruatum, & adeſt Confeſſarius qui ſolùm habet poteſtatem in non reſeruata; nam cùm ſecundùm aliquos, vt alibi dictum eſt, huiuſmodi Confeſſarius in illa circumſtantia non poſſit abſoluere, probabiliter tunc quis poteſt ſecundùm illam ſe dirigere, & iudicare in tali caſu non adeſſe copiam Confeſſarij, quando ſcilicet vrget neceſſitas communicandi.

RESOL. XCVII. *Quis confeſſus eſt ante celebrationem, & ex obliuione omiſit aliquod peccatum, quæritur an teneatur confiteri illud quamprimùm, ex præcepto Concilij Tridentini ſeſſ. 13. cap. 7.*

AD hoc dubium affirmatiuè reſpondet Io. Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 80. art. 5. dub. 4 n. 21.* vbi ſic ait: Si Sacerdos vrgente neceſſitate celebrauerit ſine præuia confeſſione peccati mortalis, cuius ante celebrationem erat conſcius, tenetur quamprimùm confiteri, quod non ſolùm habet locum in eo, qui abſolutè non eſt confeſſus, ſed etiam in eo qui iuſta de cauſa aliquid in confeſſione non recenſuit, vel ex obliuione, quia huiuſmodi peccatum, per ſe loquendo, debebat ante communionem ſubiici clauibus, & dici poteſt, quòd conſcius illius celebrauerit, ſine eiuſdem confeſſione, & proinde Decretum Concilij ad illum caſum ſe extendit. Ita ille.

RESOL. XCVIII. *Quid facere debeat Sacerdos qui in Altari recordatur alicuius peccati mortalis, & non poſsit excitari ad contritionem eliciendam, vel laicus iamiam recepturus Euchariſtiam?*

IN caſu quo huiuſmodi Sacerdos ita coarctaretur temporis anguſtia, aliiſque rebus neceſſariis ad ſacrificium ita diſtraheretur, vt nullo modo ad perfectam contritionem moraliter poſſit excitari, putat Vaſquez *in 3. part. tom. 3. diſp. 207. cap. 1.* eum non peccaturum mortaliter, etiamſi cum conſcientia peccati mortalis Sacramentum recipiat, quia præceptum dignè ſuſcipiendi hoc Sacramentum non videtur ita ſtrictè obligare, vt cogat in eo caſu ad dimittendum ſacrificium inchoatum cum populi ſcandalo, & ſui honoris dedecore, quòd intelligit iſte cùm multi adeſſent illi ſacrificio Miſſæ, & non ſolus Miniſter, quem facilè poſſit in alium locum mittere, vt actum contritionis eliceret. Et idem ſentit de ſæculari, qui poſitus ad pedem Altaris coram populo, & immediatè recepturus Euchariſtiam recordatur alicuius peccati mortalis, cuius neque præmiſit confeſſionem neque contritionem; & hanc opinionem tenet etiam nouiſſimè Gaſpar Hurtado *de Sacram diſp. 8 de Euchariſtia, difficult. 1.* vbi ſic ait: Si contingat vt quis in Altari exiſtens recordetur alicuius mortalis non confeſſi, & cuius non habuit, neque habet contritionem, & quando recordatur eſt adeò propinquus communioni, vt pro temporis anguſtiis nequeat moraliter, ſeu abſque nimia difficultate ad contritionem excitari, niſi pro tempore aliquo aliqualiter notabili cum grauinota ſui honoris ad eam eliciendam detineatur, tunc iſte talis ab eo peccato excuſabitur communicando in eo malo ſtatu, quia non eſt contra irreuerentiam Sacramenti debitam in eo ſtatu accedere, ne notam grauem honoris incurrat. Ita Hurtado.

Sed ad prædictum dubium Petrus de Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Euchariſt. effectibus, quæſt. 8. num 4.* ſic reſpondet: Exiſtimo Sacerdotem celebrantem in tali caſu debere elicere actum contritionis, tum quia ad eum eliciendum ſemper eſt paratum Dei auxilium, tum quia facilè poteſt ſine vllo populi ſcandalo per aliquod breue ſpatium temporis occupari in acquirenda contritione peccatorum, tum quia facilè poteſt diſtractam mentem componere. Concedo tamen poſſe ſtrictiùs contingere caſum in ſæculari, quàm in Sacerdote, vt cùm recordatur eiuſmodi peccati, quando iamiam recipit Sacramentum de manu Sacerdotis, in quo quidem caſu, ſi commodè poteſt ratione alicuius ſaluiæ proiiciendæ, vel ratione alterius legitimæ cauſæ aliquantulum differre receptionem Euchariſtiæ, debet eam differre, & pro breuitate temporis in quocumque euentu procurare contritionem; quòd ſi eam anguſtiis temporis conſtrictus non elicit, potiùs debet Euchariſtiam recipere, quàm ab Altari diſcedere

dere cum populi scandalo, & proprio dedecore, quia non est credendum pium ac benignum Iesum hoc Sacramentum instituisse in nostrarum animarum remedium cum tanto dispendio nostro, & alieno. hæc omnia docet Ochagauia *loco citato*. Sed aliqui putant, & ita reuerà est, quòd in quacumque angustia temporis possit quis elicere actum contritionis, & Deus semper paratus est præbere auxilium suum.

RESOL. XCIX. *An testis falsus teneatur reuocare dictum suum?*

SCribo hæc cum animi dolore; nam olim interrogatus fui de hoc casu à quodam teste falso, qui ex importunitate, & minis Regij fisci, tandem falsam depositionem fecerat in re magni momenti: & tunc respondi, quòd qui falsum testimonium dicit, ratione cuius mors, vel mutilatio est inferenda, tenetur sua dicta retractare, si id profuturum putet, quamuis ipse similis pœnæ periculum timeret; nam vnusquisque tenetur resarcire damnum, quod alteri iniustè intulit, etiam cum pari damno suo; nam in pari damno melior est conditio innocentis. Ita Lessius *lib. 2. cap. 30. dub. 7. num. 53.* & communiter Doctores. Imò (attendant falsi testes & timeant) hanc sententiam Vultherus Strouesdorff *in D. Thom. de iust. & iure, quæst. 70. art. 4. concl. 3.* docet esse veram, licet testi ex reuocatione maius damnum immineat, neque obstat quòd dubitet an reuocatio sit profutura, quia quilibet quod suum est experiri, & tentare debet. Ita ille. Sed Petrus Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 3. numer. 251.* putat quòd si retractatio nihil est profutura, testis falsus non tenetur illam facere, sed restitutionem damnorum; item si ex loco tuto potest sententiam reuocare, ita vt prosit, similiter non tenetur prodere se coram Iudice.

An verò qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel inaduertentia non damnabili, vel ex obliuione saltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, teneatur ad restitutionem? Respondeo negatiuè cum Lessio & Nauarra *vbi suprà*, cui ego addo Becanum *in 2. 2. D. Thom. de iust. & iure, quæst. 70. de testibus, quæst. 5. concl. 2.* quia neque ratione rei acceptæ, cùm nihil inde habeat, neque ratione iniustæ damnificationis, quia non peccauit mortaliter, vt suppono. ergo, &c. Sed hanc sententiam Vultherus Strouesdorff. *loco citato* veram esse putat quousque sic deponens in eodem statu permanet, sed certior factus de ignorantia, vel similibus tenetur reuocare, & restaurare damnum etiam cum periculo mortis, si necessitas vrgeat. Sic ille, quo in sensu intelligit Lessium, & alios, sed hæc opinio est nimis stricta.

RESOL. C. *An Episcopus, qui propter bona temporalia, vel ambitum, alium pinguiorem Episcopatum procurat, peccet mortaliter?*

VTinam hic casus frequenter non accideret, & in illo peccare mortaliter Episcopum, respondet Bartholomæus Molina *in sum. lib. 1. c. 16. §. 2.* vbi sic ait: *El Obispo si despues que tiene vn Obispado procura otro mayormente por medios humanos y seglares regularmente es mortal y escandaloso.* Ita ille.

Nauarrus etiam *Miscellan. 42. de orat. num. 2.* cum Barbosa *de potest. Episc. part. 1. tit. 2. gloss. 1. numer. 10.* docent in tali casu supradictum Episcopum peccare grauiter.

Verùm Emanuel Rodriquez, vt notat Homobonus *de exam. Eccles. part. 3. tract. 15. c. 7. quæst. 24. resol. 1.* putauit tantùm venialem culpam dictum Episcopum committere.

RESOL. CI. *An qui vouit ingredi Religionem si per annum in fornicationem non inciderit, si in dicto anno culpa sua fornicetur, teneatur adimplere votum?*

AFfirmatiuam sententiam docet Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. c. 23. nnus. 47. & 49.* Azor. *part. 1. lib. 11. c. 20. q. vlt.* Riccardus *in 4. dist. 38. art. 2.* Angelus *ver. votum. 1. §. 10.* Nauarrus *in manual. c. 12. n. 42.* & Naldus *in sum. ver. votum num. 33.* quia in dicto vouendi modo tacitè quis promisisse censetur, quòd saltem aliquem declinandi peccati conatum adhiberet, vel saltem dolo non vti. hæc opinio est probabilis.

Sed non minùs probabilem negatiuam opinionem esse puto per ea, quæ adducit Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. de voto, c. 17. num. 21.* vbi *n. 24.* sic ait: Si quis vouit ingredi Religionem si per annum integrum à fornicatione abstineat, quacumque ratione, malitia, vel praua intentione non abstineat, licet fortè peccet contra votum, posteà non teneri ingredi, quia conditio non fuit impleta, nec impleri potest, nec ex peccato orta est obligatio, quam votum ipsum per se non induxit, nec sequitur tale votum esse frustrà, nam satis est, quòd obliget tum ad gratitudinem, si beneficium illud vouenti conferatur, tum ad procedendum, sine fraude & dolo, & consequenter ad peccandum si aliter vouens se gerat, etiamsi ad recompensationem non obliget. Ita Suarez. Igitur, regulariter loquendo, vouens non videtur obligandus ad voti adimpletionem non adimpleta conditione, quia vouens non censetur se voluisse obligare, nisi posita tali conditione; quamuis ergo ex causa, vel culpa vouentis conditio non ponatur in esse, votum non obligat, & ita etiam præter Suarez docet Bonacina in editione nouissima *in Decalog. præc. 2. disp. 4. quæs. 2. punct. 2.* & alij penes ipsum. Vnde apparet me his diebus probabiliter in facti contingentia docuisse, non teneri ad votum adimplendum, si quis voueat sub conditione, si impetret sanitatem intra mensem, & ob intemperantiam non obtineat, licet contrarium etiam probabiliter doceat Sanchez *vbi suprà num. 46.*

RESOL. CII. *An votum castitatis, vel non nubendi factum à procliui in venerem, valeat?*

HIc casus frequenter potest accidere, & Homobonus de Bonis *in consultat. moral. vol. 1. part. 2. respons. 28.* putat probabilem esse sententiam tale votum inualidum esse, cùm ab eo sit

factum

factum cui ob inconuenientiam, & in carnis peccatum lapsum, matrimonium salubrius sit; sed tu cogita. Ego puto debere illum petere dispensationem ab Episcopo, quam concedere potest; quia hoc votum alternatiuum est, scilicet vel castitatis seruandæ, vel non nubendi, super quod Episcopus dispensare potest, vt ex Suarez, Azorio, Lessio, & aliis docet idem Homobonus *vbi suprà*.

Sed quid, si votum non obliget præcisè ad materiam reseruatam ex vouentis electione, sed quia pars disiunctionis non reseruatæ est reddita impossibilis, potestne Episcopus in tali casu dispensare? Respondeo affirmatiuè, quia id votum per se & natura sua numquam obligauit ad partem reseruatam, sed præcisa obligatio ad illam cosurgit per accidens ex solo facto, ratione impossibilitatis materiæ. Ita Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. de voto, cap. 24. numer. 4. & 5.* & Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 44.*

RESOL. CIII. *An qui ministrat Eucharistiam peccatori, peccet duplici peccato?*

DVo peccata committere docent aliqui, vnum contra proprium officium, alterum cooperationis peccati proximi. Sed alij, vt notat Ioan. Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 80. art. 5. dub. 6. numer. 23.* non improbabiliter putant, vnum numero peccatum committere, in hoc consistens, quòd Sacramentum conferatur indigno, quod necessariò inuoluit peccatum recipientis, & proindè ex eo capite non multiplicetur peccatum ministri.

RESOL. CIV. *An reliquiæ cibi si traiiciantur ex industria impediant communionem, & de multis casibus in quibus quis potest communicare non ieiunus?*

AFfirmatiuè respondet Ioan. Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 80. art. 8. dub. 1. numer. 40.* vbi sic ait: Idem dicendum de reliquiis ciborum pridie sumptorum, quæ interdum hærent inter dentes; dicendum, inquam, non impedire communionem, si casu transmittantur, quia dicuntur transmitti per modum saliuæ, secus si transmittantur de industria. Ita ille. & post illum nouissimè Gaspar Hurtado *de Sacrament. disp. 9. de Eucharistia, diffic. 15.*

Sed ego *in 2. part. tract. 4. resolut. 37.* contrariam sententiam probabilem censui, & illam docet Petrus Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Eucharistiæ effectibus, quæst. 12. numer. 7.* vbi ita asserit. Ieiunium naturale non soluitur ex eo, quòd reliquiæ cibi quæ inter dentes manserunt ex die præterito, posteà in stomachum traiiciuntur, etiam ex industria. Hæc ille. & hanc opinionem probabilem etiam putat Tannerus *tom. 4. disp. 5. quæst. 8. dub. 4. numer. 99.* vbi contrariam tutiorem tantùm vocat.

Aduertunt tamen alij, & inter illos Ludouicus de San Iuan *in summ. tom. 1. quæst. 7. art. 10. de sacram. Euchar. dub. 3. concl. 1. que si la reliquia es tan grande que es menester mascarla primero con los dientes, parece, que se quebranta el ayuno, porque se como y traga a manera de manjar y no de saliua.*

Norandum est hîc obiter quod Toletus *lib. 2. cap. 28. numer. 24.* asserit quod quando esset præceptum communicandi, & infirmus non posset absque graui nocumento omittere potionem, posse sumere Eucharistiam non ieiunum; sed hoc non admittit Præpositus *loco citato dub. 2. numer. 42.* nam in tali casu communio potest sine peccato differri, nec Ecclesia censetur velle obligare ad communicandum eum, qui non potest ieiunus communicare.

Nota etiam pro praxi quòd si ægrotus non possit res suas transmittere, possit communio ei dari imposita parua parte hostiæ cum vino in cochleari. Ita Præpos. *vbi suprà*. vide etiam Suarez *in 3. part. to. 3. disp. 67. sect. 6. §. secundus casus, post medium, & disp. 71. sect. 3. sub finem.*

Tandem nota quòd Sacerdos si aduertit se non esse ieiunum, potest pergere secundùm aliquos in sacrificio, licet aduertat ante consecrationem; sed alij probabiliùs id negant, excepto casu, quo non potest sine nota ab Altari recedere, in quo casu idem dicendum de eo, qui est in scamno communicantium, vt communicet. Sic Præpositus *numer. 4.*

RESOL. CV. *An Sacerdos paulò post meridiem possit Missam dicere?*

TEmpus legitimum celebrandi est antemeridianum, ita vt ante meridiem inchoari debeat Sacrum, & sic negatiuè quidam respondit in casu contingenti ad dubium præsentis resolutionis.

Verùm ego contrarium docui, per ea quæ adducit Ioannes Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 83. art. 2. dub. 4. num. 143.* vbi sic ait: Plures recentiores notant nos non debere esse magnoperè anxios de meridie, sed paulò post meridiem posse Sacrum celebrari, quia res hæc moralis, quæ non est lege determinata, non definitur termino indiuisibili ex ipsamet consuetudine, & parum reputatur pro nihilo. Sic ille.

RESOL. CVI. *An priuilegia mendicantium celebrandi extra Ecclesiam sint reuocata per Concil. Trident. sess. 22.*

AFfirmatiuè respondet Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 81. sect. 2. in fine.* Nauarr. *cap. 25. numer. 82.* & in hanc sententiam videtur inclinare Henriquez *lib. 9. c. 27. n. 2. in glossa lit. S.*

Sed Ioanni Præposito *in 3. part. quæst. 83. art. 3. dub. num. 151.* videtur verior negatiua sententia, quia in decreto Concilij nulla est clausula quæ priuilegiis Regularium anteà concessis deroget, vel ea reuocet, nec refert quòd in fine dicti decreti dicatur, *Non obstantibus priuilegiis, exemptionibus, ac consuetudinibus quibuscumque*; quia illa commodè possunt referri ad immediatè præcedentia, nimirum, *atque ad ea inuiolatè seruanda censuris Ecclesiasticis, aliisq; pœnis quæ illorum arbitrio constituuntur, fidelem populum compellant.* Ita ille. Vnde censet priuilegium datum Prædicatoribus & Minoribus *in cap. in his, de priuil.* non esse reuocatum per Trident. quod confirmat, quia Canon in-

sertus iuri communi non debet dici reuocari, nisi sufficienter constet de reuocatione, cùm sit fauorabile ius commune remanere, & eius reuocatio censeatur odiosa; in præsenti autem non clarè constat reuocari. ergo, &c.

RESOL. CVII. *An si quis audiat Missam sine interna attentione, satisfaciat præcepto Ecclesiæ?*

NEgatiua sententia est probabilior & consulenda, sed affirmatiuam probabilem esse ego ipse docui cum Coninch & Layman *in part. 1. tract. de Horis canon. resolut. 2.* quibus nunc addo Syluestrum *ver. Missa 11. numer. 6.* vbi sic ait: Licet Missa sit deuotè audienda interiùs & exteriùs, interior tamen deuotio quæ in attentione consistit, non cadit sub humano præcepto, iuxta ea, quæ dicta sunt *suprà ver. Hora. §. 11.* exterior autem cadere potest, & videtur quòd cadat illa deuotio quæ de se est necessaria ad auditionem quæ cadit sub præcepto, cum qua non stat illa distractio, qua aliqui pro notabili parte Missæ nugantur cum socio. Ita Syluester, Casuistarum decus, & hanc sententiam probabilem esse præter Coninch & Layman ex Societate IESV, docet etiam nouissimè Ioan. Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 83. art. 6. dub. 5. numer. 225.* vbi sic asserit: Non est improbabile quod censent aliqui, per se loquendo, in auditione Missæ interiorem attentionem non requiri, sed sufficere moralem externam præsentiam; qua aliquis saltem confusè initio velit se præsentem Sacro sistere ad Deum colendum, quia talis moralis præsentia orta ex hac, vel simili voluntate, est obiectiuè Dei cultus, & ratione illius aliquis sufficienter dicitur moraliter Sacro interesse, & Sacrum audire. Vnde is, qui magna parte Sacri interiùs voluntariè distraheretur, non videretur mortaliter peccare, si nihil exteriùs ageret incompossibile præsentiæ morali descriptæ. Hæc Præpositus, qui respondet ad argumentum quod aliquis contra supradictam doctrinam posset adducere. Vnde non est audiendus Turrianus, qui nouissimè in censuris Theologicis *centur. 4. dub. 28.* asserit hanc sententiam esse improbabilem & pernicioſam, nam non solùm tamquam probabilem hanc opinionem amplexi sunt, vt visum est, plures Doctores, etiam Societatis IESV, sed ex ipsamet Societate nouissimè hanc sententiam absolutè tenet P. Gaspar Hurtado *tractat. de Sacrament. tom. 2. de sacrificio Missæ, disp. 5. diffic. 2.* & ex Dominicana familia ita visum est doctissimo Syluestro.

Ex his infertur contra Syluest. *vbi suprà quæst. vlt.* Angelum *ver. feria, nu. 46.* Armillam *ver. Missa, nu. 39.* & alios, satisfacere eum præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui tempore Sacri legit Horas canonicas, ad quas obligatur, quia id non impedit externam moralem præsentiam necessariam auditioni Sacri.

Nota etiam cum Hurtado *loco citato diffic. 4. ex* Bonacina, quòd qui audit integram Missam, audiendo simul duas partes Missarum duorum Sacerdotum, etiam satisfacere præcepto audiendi Missam; sed hoc aliqui non admittunt.

RESOL. CVIII. *An mortuo Episcopo casus reseruati expirent?*

AD hoc dubium ita respondet Præpos. *in addit. ad 3. part. quæst. 9. de reseruatione casuum, dub. 1. numer. 6.* Censet Sà *verb. absolutio, numer. 21.* mortuo Episcopo quemlibet Confessarium posse absoluere à casibus ipsi reseruatis, quod non videtur solidum, & primò id non videtur posse dici de reseruatis per statutum, cùm etiam mortuo Episcopo illud vim suam retinere soleat. Secundò neque de reseruatis ab homine, quia per reseruationem inferiori sublata est iurisdictio necessaria ad valorem huius Sacramenti; non potest autem ex iure, vel alio solido fundamento colligi, quòd ea per mortem Episcopi restituatur. Sic ille.

Verùm hæc doctrina Præpositi admittitur ab aliis, quoad casus reseruatos per statutum, vel Synodum diœcesanam: secus autem minimè. & ita docet Gauantus *in enchir. Episc. ver. casus reseruati, numer. 16.* Rubeus *in aphoris. Episc. ver. casus reseruati, numer. 4.* & Piasecius *in praxi nouiss. Episcop. part. 2. cap. 1. art. 3. numer. 21.* vbi ita ait: Casus quos Episcopus sibi reseruat, expirant morte ipsius, non verò illi, qui de iure, vel consuetudine ipsi reseruantur, neque illi, quos per proprium statutum sibi reseruat; cùm enim statutum duret post mortem, *cap. fin. de offic. leg.* reseruatio quoque durabit, & absolutio petenda est à successore, seu Capitulo Sede vacante. Hæc ille. Vide etiam Ægidium Trullench *in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 2. num. 6.*

RESOL. CIX. *An qui obtinuit licentiam absoluendi aliquem à casibus reseruatis, in quos inciderat, & postea inuenit illum incidisse etiam in dictis casibus post licentiam obtentam, an, inquam, possit illum absoluere?*

HIc casus frequenter potest accidere, & alibi affirmatiuè respondi, & nunc iterùm respondeo cum Ioanne Præposito *in 3. part. D. Thom. qu. 9. de reseruatione casuum, dub. 3. nu. 22.* vbi sic ait: Si parocho petenti per litteras potestatem absoluendi aliquem à casibus reseruatis in quos inciderat, ea facultas concedatur, & pœnitens rursus incidat in similem casum antequam confiteatur, videtur etiam posse ab illo absolui, quia petitio & concessio tacitè intelliguntur de similibus casibus, qui post illam concessionem clauibus bona fide subiicientur, quod etiam videtur verum, licet Parochus scripsisset non esse periculum relapsus, quia eo non obstante concessio est absolutè facta, & independenter ab eo quòd non relaberetur, neque id adiiciendo Parochus bona fide decepit Episcopum. Ita ille. qui etiam *ibi* notat, peregrinum habentem casum reseruatum in sua diœcesi, si non sit reseruatus eo loco vbi confitetur, posse absolui ab omni eo, qui illum aliàs possit audire, quod est notandum, vt ego alibi notaui, contra illos qui asserunt in tali casu Confessarium illum, si

non

non habeat poteſtatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, non poſſe ſupradictum abſoluere; ſed tu ne recedas ab opinione affirmatiua.

RESOL. CX. *An vir poſsit irritare votum caſtitatis de eius licentia emiſſum ab vxore, ita vt poſsit non ſolùm petere debitum, ſed defuncto marito aliud matrimonium inire?*

DE hoc caſu interrogatus opinionem affirmatiuam probabilem eſſe dixi, ex illo principio, quòd omnia vota, etiam caſtitatis, emiſſa ab vxore conſtante matrimonio, poſſunt irritari à marito, quamuis ſint emiſſa tamquam implenda tempore ſoluti matrimonij, quia voluntas vxoris non ſolùm quoad materiam, ſed etiam quoad ſe ſubſit viro, ſitque viri eam gubernare & dirigere, ex quo ſequitur quòd ea vota irritata numquam reuiuiſcant, & proinde mulier cuius votum caſtitatis à viro eſt irritatum, poſſit abſque peccato debitum petere, quia per hanc irritationem vis voti omnino eſt extincta. Secundò ſequitur quòd talis defuncto marito poſſit licitè aliud matrimonium inire. Tertiò ſequitur mulierem vouentem non inire aliud matrimonium ſi marito ſuperſit, eſſe omnino liberam ſi maritus tale votum irritet, & hæc omnia præter Sanchez & alios, quos alibi adduxi, tenet etiam Ioannes Præpoſitus *in 3. part. D. Thom. q. 6. de bonis matrim. dub. 20. num. 153.* qui *num. 54.* etiam tenet cum Sanchez virum poſſe irritare votum vxoris ingrediendi Religionem relatum ad tempus ſoluti matrimonij, quia etiam quoad tale votum poteſt à marito dirigi, atque adeò ſi irritetur, mulier mortuo marito poteſt aliud matrimonium inire. & licet neget Sanchez poſſe virum irritare votum ingrediendi Religionem ante conſummatum matrimonium emiſſum, tamen hoc ſecundùm Præpoſitum videtur minùs conformiter dictum, ſi poteſtas irritandi vota vxoris oriatur ex leuitate, imprudentia & facilitate muliebri in votis emittendis. nam inde ſequitur, quòd non minùs poſſit hoc votum irritare quàm alia, cùm eadem ſubſit cauſa. quod confirmatur, quia propter hanc cauſam pater poteſt irritare votum filij impuberis de ingreſſu Religionis: nec valet dicere quòd Prælatus non poſſit irritare votum ſubditi de ingreſſu ſtrictioris Religionis, quia id non poteſt, quod ei iure prohibetur; in præſenti autem nihil ſimile habemus: ergo, &c.

Notat etiam idem Præpoſitus quòd Sanchez cenſet virum non poſſe abſolutè irritare vota vxoris ante matrimonium emiſſa, ſed ſolùm ſuſpendere executionem, quod etiam ſecundùm mentem Præpoſiti non videtur conformiter dictum, nam ſi vir per matrimonium ita fiat ſuperior vxoris, vt propter muliebrem leuitatem poſſit eius voluntatem gubernare & dirigere, poteſt non ſolùm ſuſpendere vota antè emiſſa, ſed etiam irritare; quemadmodum Superior poteſt irritare vota ſui Religioſi emiſſa ante profeſſionem, & ideò procedendo iuxta principia aſſerentium omnia vota vxoris facta ſine licentia viri ab eodem poſſe irritari, Vega citatus à Sanchez, cenſet hæc vota poſſe à viro irritari, & irritata non reuiuiſcere.

Nota etiam hîc primò; quòd ſupradicti Doctores cenſent non ſolùm vota emiſſa ſine licentia viri, ſed etiam emiſſa ex licentia eiuſdem à viro irritari poſſe, quod extendunt ad votum continentiæ, quia concedendo vxori facultatem vouendi, non ademit ſibi poteſtatem irritandi: aliqui tamen cenſent eo caſu irritantem ſine cauſa mortaliter peccare: ſed probabile eſt quòd peccet ſolùm venialiter, inconſtanter retractans quod conceſſerat.

Nota ſecundò; quod Sanchez negat virum poſſe irritare ſi mutuo conſenſu cum vxore caſtitatem vouerint, ita vt ſimul renuntiauerint iuri petendi: quod ſi ita intelligatur vt nulla ſit irritatio ſecundùm mentem Præpoſiti, videtur minùs probabile; ſi verò ſolùm velit, quòd non poſſit licitè, vera videtur eius ſententia, & hæc omnia tranſcribere volui à Ioanne Præpoſito, quia eius codex rarus eſt, in gratiam Confeſſariorum, & reſponſorum caſuum conſcientiæ, qui ex ſupradictis à multis anguſtiis circa vxorum vota immunes erunt, cùm facilè ab eorum viris licitè irritari poſſint modo quo ſuprà dictum eſt.

RESOL. CXI. *Beneficiarius omittens recitationem horarum, quomodo debeat fructus reſtituere?*

CIrca hoc in Bulla particulari *anno* 1571. ita diſponit Pius V. quòd qui per vnum diem totum Officium omiſerit, tenetur reſtituere omnes fructus illius diei; qui Matutinum tantùm omiſerit, dimidiam partem; qui reliquas omnes horas, alteram dimidiam; qui harum ſingulas, v.g. Laudes, vel Primam, vel Tertiam, Sextam, aut Nonam, ſextam partem fructuum illi diei reſpondentium; ſed hæc Bulla cum tanto rigore acceptata non videtur, ait Henriquez *cap. 13. de excommunicatione, n. 2. in gloſſa litt. Z.* vbi refert praxim cum ſapientum conſilio hunc rigorem ita moderare, vt Parochus & Epiſcopus quintam partem fructuum pro rata iuxta deciſionem ſupradictam reſtituant, reliquas partes quatuor ratione tituli & onerum retineant, Canonicus quartam partem reſtituat, alij verò ſimplices beneficiarij tertiam, ſimiliter habentes præſtimonia, & penſiones Eccleſiaſticas. Verùm hæc moderatio, vt alibi adnotaui, videtur Leſſio *lib. 2. cap. 34. dub. 32. num. 177.* nimis laxa, præſertim in Canonicis & aliis, qui non habent aliud onus, quàm precum: vnde eam limitat ad alios beneficiarios, qui alia onera habent, idque iuxta onerum proportionem. At his non obſtantibus, Ægidius de Trullench *in expoſit. Bull. Cruciatæ, lib. 3. caſ. 2. n. 3.* putat opinionem ſupradictam Henriquez eſſe tutam & probabilem; ego verò in hac quæſtione de meo nihil dicam, & nihil ponam, ſolùm referre volui quid alij dixerunt.

RESOL. CXII. *An facta compoſitione bonorum incertorum per Bullam, comparente vero domino teneatur qui ſe compoſuit ad reſtitutionem; & an Epiſcopi poſſint concedere dictam Bullam?*

AFfirmatiuè reſpondet Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 19. num. 9.* vbi docet adeſſe in tali caſu obligationem reſtituendi *antes de la ſentencia las coſas que eſtan alteradas, y ſe ya ſe conſumieron, ſe ha de reſtituyr à quello en que factus eſt locupletior bona fide deſpues de hecha la compoſicion. la razon es porque ni el Papa intendio, ni deuia conſentir que pareciendo el verdadero ſeñor no vuieſſe obligacion à boluercelo, ni quedo priuado el ſeñor del dominio de la coſa de ſuerte que pareciendo no ſe le deua boluer en ſe miſma, ò ſu equiualente.* Ita ille, qui citat Caietanum, Sotum & Lopez, quibus adde Rodriquez *in Bulla compoſit. dub. 6.*

Sed mihi negatiua ſententia magis placet, quam tuetur Bannez *in 2. 2. quæſt. 26. art. 5. dub. 8.* Henriquez *lib. 7. cap. 34. num. 6.* Acoſta *in Bulla Cruc. quæſt. 93.* & Trullench *in expoſit. Bullæ lib. 3. dub. 4. num. 8.* quia hæc compoſitio æquiualet præſcriptioni; ſed qui legitimè præſcripſit, poſteà domino comparente non tenetur reſtituere, vt ipſemet Villalobos concedit: ergo neque qui legitimè ſe compoſuit; ſicut enim Reſpublica habet facultatem dominia transferendi media præſcriptione, ita & Papa media compoſitione, quia ipſe eſt adminiſtrator bonorum temporalium in quantum concernunt bonum ſpirituale. Vide etiam alias rationes penes dictum Trullench *vbi ſuprà.*

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Sylueſtrum, Cordubam & Rodriquez poſſe Epiſcopum concedere Bullam Compoſitionis pro ſua tantùm diœceſi. Ita Villalobos *loco citato n. 11.* Trullench *dub. 1. num. 3.* Henriquez *lib. 7. cap. 33. num. 4.* quia nec iure naturali, nec humano probatur id eſſe reſeruatum Papæ, iuſtè enim credi poteſt voluntatem creditorum eſſe vt Epiſcopus conſulat conſcientiis ſubditorum incerta debentium: nec valet dicere non eſſe id poſitum in conſuetudine, quia fortè id ex eo prouenit, nam Pontifex concedit Bullam Compoſitionis, qua ſufficienter prouidetur in hac re conſcientiis fidelium.

RESOL. CXIII. *An qui ſcit vendidiſſe vinum, v. g. in tali loco, vel mixtum aqua, vel cum falſa menſura, ignorat tamen damnificatos, poſſit ſumere Bullam Compoſitionis?*

NEgatiuam ſententiam tenet Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 29. num 30.* vbi ſic ait: *La duda es ſe ſabiendo el lugar donde ſe vendio aunque no ſe ſepan determinadamente las perſonas ha lugar la compoſicion, como ſe vn tauernero vendio en vn lugar con falſa medida ò en otra manera mas quatro meſes vino, en lo qual ſabe que tiene mal lleuado tanto dinero aunque no ſabe en particular quanto à eſte ò a quel, en tal caſo es mi parecer que no ha lugar la compoſicion, como no lo ha quando ſe duda entre dos à quien ſe deue que ſe ha de repartir pro qualitate dubij, y aſsi eſte tauernero ha de reſtituyr ò dandolo para gaſtos communes del conſejo, ò dando el vino mas barato por otro tanto tiempo.* Ita ille.

Sed contrariam ſententiam docet nouiſſimè Ægidius de Trullench *in expoſit. Bullæ Cruciat. lib. 3. caſ. 18. num. 2.* quia in tali caſu poteſt fieri reſtitutio pauperibus; ergo compoſitio habet locum. Igitur tabernarij, macellarij, caupones, piſtores, &c. qui falſis ponderibus, vel menſuris ab emptoribus aliquid plus iuſto acceperunt, & ignorant à quibus acceperint, poterunt per Bullam, aut Commiſſarium componi. quod intelligendum eſt, vt ſupradictas fraudes praua & poſitiua confidentia huius Bullæ non commiſerint. Sed de hac quæſtione alibi fuſiùs dictum eſt, ad quem locum me refero.

RESOL. CXIV. *An tempore peſtis licitum ſit miniſtrare Euchariſtiam infirmis in cochleari argenteo?*

AFfirmatiuè reſpondet Venerus *in examine Epiſc. lib. 4. cap. 46. num. 47.* vbi ſic ait: S. Sacramentum poteſt poni ſuper cochleare argenteum, & dari infirmis, ne Sacerdos manu tangat infirmum, & inficiatur; & hanc ſententiam tamquam probabilem videtur admittere Bartholomæus Gauantus *in enchirid. Epiſc. ver. Peſtis, num. 7.*

Sed meritò hoc fieri prohibetur *in Actis Mediol. Eccleſ. de cura peſtilen. cap. 15. num. 2.* & rationes adducit Chapeauilla *de ſacram. Euchariſt. miniſtr. temp. peſt. quæſt. 33. & 34.* Marchinus *de bello diuino part. 3. cap. 5. num. 6.* & Bonacina *de Sacram. diſp. 4. ſect. 6. quæſt. 6. punct. 3. num. 10.* vnde annis elapſis in peſte Panormitana affirmatiua ſententia in praxi minimè admiſſa fuit.

RESOL. CXV. *An Confeſſarius habens facultatem generalem abſoluendi à cenſuris, v. g. per Bullam Cruciatæ, poſſit abſoluere à ſuſpenſione contracta ob defectum tituli ſecundùm opinionem aliquorum, vel ob malam Ordinum ſuſceptionem?*

HIc caſus frequenter ſolet accidere, & negatiuam ſententiam docet Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 3.* Rodriquez *in ſumm. tom. 1. cap. 164. num. 3. & in addit. ad Bull. Cruciat. §. 9. num. 59.* Vega *in ſumm. tom. 2. cap. 15. caſ. 8. & in ſpecul. tom. 2. cap. 14. num. 41.* & alij. Ratio eſt, quia Pontifex magna cum difficultate huiuſmodi abſolutionem confert. Secundò hæc facultas non conceditur Commiſſario; ergo ſequitur non concedi Confeſſario.

Verùm, vt ego alibi etiam oſtendi, ſententiam affirmatiuam probabiliſſimam & tutam in praxi eſſe exiſtimo, quam præter Doctores, quos citat Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 3. in gloſſa litt. Y. & Z.* tenet etiam Ledeſma *in ſumm. tom. 1. de ſacrament. Ordin. cap. 7. dub. 5.* Garſias *de benefic. tom. 1. part. 2. cap. 5. num. 49.* Bonacina *de ſacrament. Ordin. diſput. 8. quæſt. vnica, punct. 5. num. 49.* & nouiſſimè Hurtado *tractat. de ſuſpenſione, diffic. 12. num. 33.* & Ægidius de Trullench *in expoſit. Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 15. num. 3.* vbi cum Auila abſolutè tenet virtute Bullæ poſſe ab omni ſuſpenſione abſolui, quia Bulla abſolutè & ſimpliciter concedit facultatem abſoluendi ab omni cenſu-

ra,

ta, nec implicitè excipit dictas suspensiones. Ergo cùm tales suspensiones sint censuræ, comprehenduntur in illa generali facultate absoluendi ab omni censura. Ad argumenta verò contraria respondetur; & ad primum dico, Summum Pontificem magna cum difficultate dispensare in vtroque foro, Confessarium verò in casu nostro absoluere tantùm in foro conscientiæ. Ad secundum dico quòd ex eo quòd facultas hæc non conceditur Commissario, non sequitur non concedi Confessario, nam hæ duæ facultates distinctæ sunt, & à diuersis non fit illatio. Dicendum est igitur virtute Bullæ Cruciatæ posse Confessarium absoluere ab omni suspensione, siue in sacramento Pœnitentiæ, siue extra illud, siue suspensio sit à iure, siue ab homine, siue generalis, siue nominatim, dummodo pars læsa sit modo possibili satisfacta, quæ omnia valdè notanda sunt à Confessariis, nam ex hac opinione ex multis laboribus liberabunt pœnitentes. & omnia supradicta Confessarij Societatis Iesv, nostræque Religionis possunt facere, non solùm virtute Bullæ, sed etiam priuilegiorum, vt notat Hurtado & Layman *tractat. 5. part. 3. cap 4. numer. 3. in fine.* Sed an supradicti cum dicta suspensione si celebrent possint obtinere dispensationem ab irregularitate incursa virtute Bullæ Cruciatæ, affirmatiuè respondet Petrus de Cornejo *in 3. part. D. Thomæ. tractat. 5. de censur. disp. 6. quæst. vlt.* & DD. quos citaui *in tractat. de Bulla Cruciatæ, resol. 17.* licet contraria opinio sit communior & probabilior.

RESOL. CXVI. *An Episcopus possit dispensare in suspensionibus & irregularitatibus virtute Concilij Trident. sess. 24. cap. 6. tantùm in foro conscientiæ, & intra diœcesim?*

AFfirmatiuè respondent Henriquez *lib. 14. cap. 20. numer. 5.* Auila *de cens. part. 7. disp. 10. dub. 6.* Vgolinus *de potest. Episcop. cap. 57. §. 2. numer. 6.* Riccius *in praxi tom. 1. resolut. 518. numer. 7.* Alzedus *in praxi Episc. part. 2. cap. 6. numer. 42.* Rodriquez Perez, & alij, asserentes Episcopum non posse dispensare in suspensione extra suam diœcesim virtute illius decreti, & eam dispensationem aiunt Perez, Alzedo, Riccius, & Vgolinus valere tantùm pro foro interno.

Verùm contrariam sententiam non minùs probabilem esse existimo, quam tuetur nouissimè Ioan. Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 1. de cens. in comm. dub. 14. numer. 99.* & ante illum Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 11. numer. 12.* Nam Concilium Tridentinum illa verba, *in foro conscientiæ, & in diœcesi sua*, non apponit in priori parte, in qua conceditur dispensandi potestas in irregularitatibus & suspensionibus; quare dicta facultas potest exerceri erga subditos suos ab Episcopo in absentia, & siue Episcopus, siue subditi sint extra diœcesim, atque dispensatio non solùm pro foro interno, sed etiam pro externo proderit, quia, vt dictum est, Concilium Tridentinum absolutè & absque prædictis limitationibus facultatem in his casibus Episcopis concessit; & hanc sententiam ex parte, nempe posse Episcopum dispensare super irregularitate & suspensione extra diœcesim, tenet etiam Barbosa *de potest. Episcop. part. 1. allegat. 39. numer. 7.* Fagundez *præc. 2. lib. 8. cap. 8. numer. 35.* & Suarez *in 3. part. tom. 5. disp. 41. sect. 2. numer. 10. & 12. in fine.* & ita in facti contingentia cum viris doctissimis his diebus consului cuidam Antistiti potuisse dispensare super quadam irregularitate sui subditi, licet ipse Antistes esset in aliena diœcesi, & subditus esset etiam absens, quia dispensatio dari potest absenti, &, vt dictum est, illa restrictio in foro conscientiæ & in diœcesi sua intelligenda est de illa posteriori parte tantùm, in qua Concilium concedit Episcopis facultatem absoluendi à casibus reseruatis.

RESOL. CXVII. *An in collatione serotina licitum sit sumere, v. g. duo oua, & quoad quantitatem, an quis possit sumere quartam partem comestionis?*

VTramque sententiam ego reprobaui *in tract. de ieiunio, resolut. 1.* non tamen ita acriter, vt Turrianus Societatis Iesv *in censuris Theologicis cent. 2. dub. 94.* vbi sic ait: An sit censura dignum asserere in die ieiunij posse pro collatione, seu refectiuncula sumi duo oua? Respondeo, doctrina est scandalosa, temeraria & contraria bonis moribus. Ita ille. Quoad secundam quæstionem, Filliucius & alij, vt ego *suprà* notaui, affirmatiuè respondent, asserentes non esse quantitatem notabilem in collatione ieiunij sumere quartam partem eorum, quæ ieiunanti sufficerent ad ordinariam suam comestionem, quia quarta pars comestionis non censetur magna quantitas, sicut neque in Missa, neque in Horis canonicis. Secundò, quia quantitas, quæ fieri solet, non est minor quàm sit quarta pars. Tertiò, quia ita iudicatum est in celebri, &c. Sed hæc doctrina, ait Turrianus *loco citato cent. 3. dub. 27.* est omnino improbabilis, & temeraria iudicata à viris doctis Hispaniæ, neque est tuta in praxi, quia vel per comestionem intelligit meridianam, vel cœnam vespertinam; & quidquid intelligat est falsissimum, quia in his comestionibus communiter homines ita magnam quantitatem assumunt, vt quarta pars sit quantitas notabilis, testes appello Hispanos, Gallos, Flandros, Germanos. Item non dicitur benè, quartam partem alicuius totius non censeri magnam, non est enim consideranda quantitas relata ad totum, sed secundùm se, vnde constat ad primam rationem. Ad secundam respondetur assumptum esse manifestè falsum secundùm communem consuetudinem Hispanorum, & eadem refertur apud alias nationes ab his, qui in eis habitarunt. Tertium nullius est momenti. Hæc omnia Turrianus, & ego anteà, licet magis suauiter *in d. tractat. de ieiunio resolut. 1.* Non sunt igitur supradictæ opiniones in praxi admittendæ, & ita facientes frangerent omnino ieiunium.

Nota quòd post hæc scripta inueni sententiam nostram quam olim *vbi suprà* docui damnantem

nantem ſumentes collationem ſerotinam in diebus ieiunij cum piſcibus, &c. docere etiam Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 25. numer. 4.* vbi ſic ait: Illa quæ ſumuntur ad collationem ſimul cum pane, non debent eſſe cibi, qui ordinantur communiter ad perfectam ſuſtentationem; vt ouæ, piſces; nam in his licet ſimilis quantitas non violaret ieiunium, violaret tamen ratione qualitatis, vnde non poteſt fieri cum caſeo, lacte, cremore, amygdalino & triticeo, id eſt, *almendrada y almidan.* Hæc Sanchez, & ideò neſcio quomodo contrarium facientes poſſint excuſari à peccato mortali, cùm hæc opinio ſit communis, neque valet conſuetudo, quam aliqui afferunt, nam potiùs conſuetudo eſt in contrarium, vt omnibus patet, nec probatione indiget; & vt conſuetudo in tali caſu excuſaret, deberet eſſe introducta à maiori parte, conniuentibus, & non punientibus Prælatis; nam non poteſt eſſe legitima conſuetudo illa, quæ obſeruatur à paucioribus, & parum timoratis, & ſi forſitan aliqui viri probi hoc anteà fecerunt, excuſantur ex errore & bona fide, ex opinione Bonacinæ, non autem ex conſuetudine, quæ reuerà, vt dictum eſt, non adeſt, & contrarium aſſerere eſt falſitas; & ſic tenent Patres Societ. Iesv, & noſtræ Religionis.

Resol. CXVIII. *An Confeſſarius habens facultatem diſpenſandi ſuper certam materiam, diſpenſatio ſit valida ſi in confeſsione ſacramentali internè illam fecerit, putando tam ipſe, quàm pœnitens, non eſſe neceſſarium verbis expreſsis facere?*

De hoc caſu olim interrogatus fui, & affirmatiuè reſpondi, nullius tamen Doctoris auctoritate fretus, licet tunc aliqui contrariam ſententiam docuiſſent; ſed modò noſtram ſententiam docet Turrianus *in ſelect. diſput. part. 2. diſp. 31. dub. 65.* vbi ſic ait: An ſit vera diſpenſatio ſi data facultate Confeſſario diſpenſandi circa certam materiam, & audita confeſſione pœnitentis Confeſſor abſolutionem ſacramentalem dederit illi rectè diſpoſito, & pœnitens & Confeſſor non putauerunt eſſe neceſſarium expreſsè dicere, Diſpenſo te. Interrogatus ſum primò, an ſufficiat virtualis diſpenſatio, quæ hîc videtur interueniſſe. Secundò, an ſit neceſſarium iterùm expreſsè diſpenſare, & proferre verba diſpenſationis. Tertiò, an hæc diſpenſatio poſſit fieri à Sacerdore etiamſi diſpenſans ſit abſens. Circa primum mihi videtur ſufficere virtualis illa diſpenſatio. Secundò cùm non ſit ſacramentalis abſolutio, non video eſſe neceſſarium illam diſpenſationem repetere per verba expreſſa. Ad tertium reſpondeo abſolutionem ſacramentalem non poſſe fieri abſente pœnitente, iuxta deciſionem Clem. VIII. ſed hæc diſpenſatio non eſt abſolutio ſacramentalis, vt ſuppono, & ita fieri poteſt abſente perſona cui conceditur diſpenſatio, vt conſtat in aliis diſpenſationibus. quæ omnia non ſolùm vt probabiliora, ſed vt vera approbata ſunt à viris doctiſſimis huius Curiæ Matritenſis. Hæc Turrianus. quæ hîc tranſcribere volui aduerſus illos, qui, quando ſupradictam ſententiam ego conſului, ægrè illam tulerunt.

Resol. CXIX. *An in ordinatione Sacerdotum ſi per incuriam Magiſtri Ceremoniarum in Calice non apponatur vinum, ordinatio ſit nulla?*

Hic caſus poteſt frequenter accidere, & his temporibus in Hiſpania & Germania accidit, & ad illum negatiuè reſpondet Henriquez *lib. 10. cap. 9. numer. 1.* vbi cùm dixiſſet materiam in ſacerdotio integram, eſſe traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, aſſerit: Traditio vaſis cum altera ſpecierum videtur eſſe materia ſufficiens, vt ſi id ex obliuione contigerit, non ſit hic ordo iterandus ex neceſſitate. Ita ille. & hanc ſententiam ſpeculatiuè probabilem eſſe putat Tannerus *in 3. part. D. Thom. diſp. 7. quæſt. 2. dub. 4. numer. 94.*

Sed ipſe, & meritò, docet Sacramentum in tali caſu eſſe nullum, & inualidum, & hanc ſententiam tenet etiam Ioan. de la Cruz *in direct. conſcien. part. 2. de ſacrament. Ordin. dub. 2. concluſ. 1.* vbi ſic ait: Materia ſacerdotij eſt traditio patenæ cum hoſtia, & calicis cum vino, ita vt ſi in patena non ſit hoſtia triticea, & in calice vinum vitis, non manet ordinatus. Sic ille, & poſt illum Villalobos *in ſumm. tom. 1. tractat. 11. diffic. 4. numer. 1.* ſic aſſerens: *De loqual ſe infiere que ſi en la ordinacion del Sacerdote no vuieſe vino en el calis, ò la hoſtia no fueſſe de trigo, no quedaria ordinado. Mas porque Henriquez con otros tienen lo contrario de ſucediere en practica (como ha ſucedido de vezes en eſtos tiempos) dexar de poner el vino por deſcuydo, ha ſe de reyterar el Sacramento de baxo de condicion, como ſe hizo en eſtos caſos, y deſte parecer ſueron los mas doctos deſta Vniuerſidad de Salamanca, y de otras partes que ſueron conſultados àcerca dello.* & tandem nouiſſimè hanc ſententiam docet Turrianus *in ſelect. diſp. Theol. p. 1. diſp. 21. dub. 2.* vbi ita ait: Ex dictis conſtat ſolutio dubij, de quo ante aliquot annos magna controuerſia orta eſt in Hiſpania, contigit enim aliquando, vt in ordinatione Sacerdotum in quodam Epiſcopatu daretur calix ſine vino; & diſputatum fuit primò, quid agendum ſi eſſet probabile non defuiſſe vinum; ſecundò quid agendum ſi eſſet certum non fuiſſe vinum in calice. Circa primum aliqui cenſuerunt non eſſe neceſſarium ſic ordinatum iterùm ordinari, quia putarunt poſſe ordinatum amplecti opinionem probabilem in prædicto euentu; aliqui ſimpliciter docuerunt eſſe obligationem iterùm ſuſcipiendi ſacrum Ordinem ſacerdotij, quia in primo euentu non fuit verum Sacramentum ex defectu vini, quod probabiliter iudicatur defuiſſe. Mihi placet opinio, quòd ſi ſolùm ageretur de reuerentia debita Sacramento, & vſui illius, ſatis eſſe amplecti opinionem probabilem. Secundò tamen exiſtimo eſſe obligationem non vtendi Sacramento probabiliter ſolùm ſuſcepto propter damnum proximorum, quia ſi ille homo verè non eſt Sacerdos, non conficiet ſacramentum Euchariſtiæ, neque poſſet abſoluere à peccatis, ex quo magnum detrimentum paterentur pro-

proximi; & ita senserunt multi viri docti in Hispania de hac re interrogati. Circa secundum quidquid sit de aliorum sensu, mihi videtur esse obligatio recipiendi iterùm verum sacerdotium per veram materiam & formam, primò, quia non est probabile materiam Sacerdotis necessariò reperiri sine vino in calice; secundò licet esset talis opinio, tamen ratio facta probat esse necessarium tutiorem partem amplecti in tali controuersia. Hæc omnia Turrianus *loco citato*. Vide etiam pro hac firmanda sententia Petrum Ledesmam *in summ. tom. 2. de sacrament. Ordinis, cap. 3. difficult. 5.* & Tannerum *vbi suprà*, qui asserit suo tempore hunc casum accidisse *anno* 1617. & multas rationes adducit, & soluit argumenta in contrarium, & Villalobos, qui respondet *ad cap. 1. de Sacrament. non iterand.* vbi Innocent. III. mandauit reiterare sacramentum Confirmationis factum cum oleo sine balsamo. Vide etiam circa præsentem quæstionem multa alia quæ diximus *in 3. part. tractat. 4. resol. 186.*

RESOL. CXX. *An cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta dirimat matrimonium?*

SVppono duplicem esse adoptionem; vna est perfecta, quæ arrogatio dicitur, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis, & fit heres illius necessarius, etiam ex testamento, & tantùm fit auctoritate supremi Principis. Altera est imperfecta, seu simplex, quæ nomen adoptionis retinet, qua adoptatus non transit in potestatem adoptantis, quia per eam assumitur in filium ille, qui est sub potestate sui patris carnalis, & non est heres necessarius ex testamento, sed tantùm ab intestato, & fieri potest auctoritate magistratus inferioris Principe. Hoc supposito ad propositam quæstionem affirmatiuè respondet Basilius Pontius *de matrimon. lib. 7. cap 41. numer. 2.* Villalobos *in summ. tom. 1. tractat. 14. diffic. 10. numer. 8.* Rebellius *part. 2. lib. 3. de matrimon quæst. 7 concl. 1. numer. 5.* Præpositus *in 3. part D. Thom. quæst 7. de impedim. matrimon. dub. 13. numer. 109.* Gaspar Hurtado *de matrimon. disp. 19. difficul. 2. numer. 3.* & alij penes ipsos, quia iura, quibus ex adoptione inducitur cognatio legalis dirimens matrimonium, loquuntur de adoptione absolutè & absque distinctione aliqua: sed adoptio imperfecta quamuis sit imperfecta, est tamen absolutè & verè & propriè adoptio; ergo dicta iura non sunt restringenda ad cognationem legalem ex adoptione perfecta. Hæc opinio est probabilis.

Sed contrariæ tamquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Coninch *de Sacrament. disp. 32. dub. 3. numer. 44.* Sanchez *de matrimon. lib. 7. disp. 63. numer. 8.* Meratius *in summ. D. Thom. tom. 3. tractat. de matrimon. disp. 9. sect. 10. numer. 8.* Ludouicus de San Iuan *in summ. de sacrament. matrimon. quæst. 6. art. 11. dub. 2. conc. 4.* Petrus de Ochagauia *de Sacrament. tractat. 3. de impediment. matrimon. quæst. 58. numer. 5.* Syluius *in 3. part. D. Thom. quæst. 67. art. 2.* Filliucius *tom. 1. tractat. 10. part. 2. cap. 5. numer. 199.* Layman *lib. 5. tractat. 10. part. 4. cap. 7. numer. 3.* Tannerus *in 3. part. D. Thom. disp. 8. quæst. 4. dub. 4. numer. 74.* Et ratio est, quia cùm matrimonium sit res fauorabilis, iura illud dirimentia ob adoptionem restringi debent ad perfectam. Deinde cognatio legalis impedit matrimonium, quia filius adoptiuus debet habitare in domo adoptantis; sed hoc non est necessarium nisi sit adoptio perfecta. ergo ex ea sola oritur istud impedimentum; hanc autem esse mentem D. Thom. *in 3. part. quæst. 57. art. 2.* patet tum ex corpore articuli, tum ex responsione ad 1. & 4. *art. 3.* vbi solùm loquitur de adoptione perfecta. Nec obstat quòd Canones loquantur indistinctè, ipsa enim Canonum ratio quam assignat D. Thom. scilicet quòd filius adoptatus conuersetur in domo adoptantis sicut filius naturalis, ideoque facilis pateret locus concupiscentiæ, si adoptio non esset impedimentum dirimens, clarè ostendit dictos Canones esse intelligendos de adoptione perfecta.

Non desinam etiam hìc obiter adnotare Ochagauiam, Tannerum & alios penes ipsum probabiliter docere ex adoptione imperfecta, neque oriri impedimentum impediens, licet Ludouicus de San Iuan & alij etiam Doctores probabiliter contrarium asserant.

RESOL. CXXI. *An inter filios adoptiuos possit esse matrimonium vt non obstet impedimentum cognationis legalis?*

DE hoc casu interrogatus fui à Sereniſſimo Principe Philiberto, & eius Confessarius Mag. Dominicus de los Reys negatiuè respondit, & adducebat Petrum Ledesmam *de matrimon. quæst. 57. art. 3.* cui ego addebam Petrum Ochagauiam *de Sacrament. tractat. 3. de impedim. matrim. quæst. 58. numer. 11.* & Ludouicum de San Iuan *in summ. tom. 1. de sacrament matrimon. quæst. 6. art. 11. dub. 5.* & nouissimè hanc negatiuam sententiam ex Theologis Societ. IESV tenet Ludouicus Meratius *in summ D. Thom. tom. 3. tract. de matrim. disp. 9. sect. 10. numer. 3.*

Sed ego tunc affirmatiuam sententiam consului, quam tuetur Rebellius *part. 2. lib. 3. quæst. 7 conclus. 3. numer. 12.* Hurtado *de matrimon. disp. 19. diffic. 3. numer. 3.* Præpos. *in 3. part. q. 7. de impediment. matrimon. dub. 13. numer. 111.* Sanchez *de matrimon. lib. 7 cap 41. numer. 4.* & alij penes ipsos. Dicendum est igitur inter filios legales nullum esse impedimentum cognationis legalis, cùm nullo iure statuatur, esto cerni possit ex conuictu aliquod periculum incontinentiæ, tamen cùm rarò plures adoptari soleant, & ius de eo sileat, non licet extendere, cùm hæc pendeat ex iure Ecclesiastico. Imò aduertit Rebellius *loco cit.* ex Nauarro *c. 22. n. 41.* impedimentum cognationis legalis non procedere inter adoptiuum & filiam naturalem adoptantis, si sit illegitima, quod est valdè notandum. Possunt igitur supradicti sine vlla præuia dispensatione matrimonium inire, cùm nullo humano iure, vt dictum est, matrimonium inter eos irritum sit, quia quæ iura pronuntiant irritum fratris adoptiui cum adoptiua sorore coniugium, loquun-

loquuntur de adoptiua sorore quæ simul est patris adoptantis naturalis filia, vel si sit adoptiua tantùm, de fratre adoptiuo, qui sit adoptantis naturalis filius.

RESOLVTIO CXXII. *An sit peccatum mortale non adimplere promissionem gratuitam acceptatam in re graui?*

AFfirmatiuam sententiam docet Suarez *relect. de liberi. diuina, disp. 2. sect 2. nu. 22.* Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 8.* & alij, quos alibi ego ad satietatem adduxi, & probabiliter reprobaui. Verùm quidam Iurisconsultus cum quodam Theologastro, nostram sententiam in facti contingentia tamquam improbabilem damnarunt. Immeritò quidem, nam est probabilissima, & tuta in praxi, & præter Caietanum, Molinam, Rebellium & alios alibi à me citatos, nouissimè docet hanc sententiam tamquam probabiliorem Ludouicus Meratius Societ. IESV *in D. Thom. tom. 2. tractat. de iust. & iure, disp. 19. sect. 10. per totam.* Dico igitur non adimplere promissionem ex fidelitate, & non ex iustitia, esse tantùm peccatum veniale ex genere suo, ac proinde nulla in materia, quamuis graui, vnquam esse mortale, & rationes huius sententiæ videbis apud dictum Meratium, qui fusè respondet ad omnia argumenta contraria, & ad multa quæ opponit Lessius: vnde, vt dixi, solùm ignari, vel pertinaces negabunt hanc sententiam esse probabilem, & ideò liberaui à peccato mortali & ab onere restitutionis quemdam Dynastam, qui per multos annos non adimpleuerat promissionem centum vnciarum, ad quas dandas ex sola fidelitate se obstrinxerat; nec tunc me ab hac sententia remouebat argumentum, quòd carentia rei promissæ, quia erat notabilis, magnum damnum inferebat ei cui promissa fuerat; nam respondeo carentiam hanc non debere appellari damnum à promittente illatum, alioquin etiam qui simpliciter proposuisset dare centum aureos alicui, declaransque ei suum hoc propositum, dixisset se daturum, si posteà mutaret animum, nec daret, magnum ei damnum inferret. Quando ergo per promissionis violationem, aut propositi mutationem, damnum inferri dicitur, damni nomine intelligenda non est ipsa præcipuè carentia rei, quæ danda dicebatur, sed detrimentum aliquod aliud ex hac carentia consequens, quod in suis bonis propriis patiatur ille, qui decipitur, & cuius causa sit ille, qui non implendo propositum, vel promissum decipit; quod quidem detrimentum dum graue est, graue quoque peccatum committitur, at non contra fidelitatem, sed contra iustitiam, aut charitatem; sed hoc in casu de quo interrogatus fui, non aderat. ergo, &c.

RESOL. CXXIII. *An prohibitus celebrare in loco delicti possit celebrare, v. g. in Ecclesia Patrum Capucinorum, Carmelitarum prope vrbem existente?*

DE hoc casu in facti contingentia interrogatus fui, nam quidam Regularis obtinuit à Summ. Pontifice dispensationem ab irregularitate homicidij, cum clausula quòd non posset celebrare in loco commissi delicti, qui locus erat ciuitas Panormi; quæsitum fuit, an supradictus potuisset celebrare in quadam Ecclesia existente prope vrbem Panormi. casus est curiosus, & practicabilis; & pro parte negatiua facit textus *in l. qui in continentibus, ff. de verb. significat.* vbi natus in suburbiis, dicitur natus in ciuitate, & testator si leget alicui bona sua quæ Romæ habet, censentur etiam legata bona quæ in suburbiis Romæ sunt, vt habetur *in l. cui quæ Romæ, ff. de legat. 3.* & docent Baldus & Felinus *in cap. Rodulphus, de rescriptis*, & Menochius *de præsumption. lib. 4. præsumpt. 126. numer. 13.* & tandem *in l. 2. de verbor. signific.* apertè dicitur, appellatione Romæ venire etiam suburbia, & continentia ædificia, vt obseruat *ibi* glossa, & Doctores communiter, quod etiam demonstrat modus loquendi Summorum Pontif. qui in Bulla anni Iubilæi basilicas SS. Apost. Petri & Pauli appellant de Vrbe, cùm reuerà sint in suburbiis, & sic etiam loquitur Bonifacius VIII. *in Extrau. 1. de pœnit, & remiss.* Sixtus IV. *in Extrau. quemadmodum operosi, eodem tit.* Greg. XIII. Clem. VIII. & Vrb. VIII. *in Bullis Iubilæi plenissimi*, & tandem Io. Andreas *in cap. si ciuitas, vbi infrà, num. 7.* obseruat quòd Romæ fieri videntur, quæ in continentibus ædificiis sunt.

Verùm his non obstantibus, puto supradictum Regularem potuisse celebrare in illis Ecclesiis, & pro hac sententia adduco *cap. si ciuitas, de sent. excommun. in 6.* vbi interrogatus Pontifex an interdicta ciuitate intelligantur etiam suburbia interdicta, respondet, quòd licet aliàs ciuitates murorum ambitu videantur terminari, hoc tamen casu ne in vilipendium veniat sententia interdicti, expedit interpretationem fieri latiorem, ex quibus verbis, vt optimè notat Megalius *in 1. part. lib. 1. cap. 13. numer. 21.* & alij, clarè constat in omnibus dispositionibus, excepta sententia interdicti, appellatione ciuitatis venire tantùm quæ murorum ambitu terminantur, hoc enim exceptio illa demonstrat, cuius natura est firmare regulam in omnibus aliis non exceptis, iuxta *cap. Dominus 32. quæst. 7.* & ea quæ notantur *in cap. quoniam, de coniug. leprosorum*, & ideò Io. de Vancuel *in d. cap. si ciuitas*, obseruat, dispositionem illius textus esse singularem in casu interdicti, cùm regula sit in contrarium; vide etiam Ancharanum *in d. cap. num. 1.* Deinde adduco pro hac firmanda sententia doctrinam Bartoli & Alciati *in l. 2. ff. de verb. significat.* Rubei *cons. 92. numer. 2.* Menochij *de arbitr. lib. 2. cent. 2. cas. 155. numer. 10.* asserentium quòd in materia odiosa appellatione vrbis, seu ciuitatis non veniunt suburbia, secus autem in materia fauorabili: vnde patet responsio ad argumenta contraria pro negatiua sententia adducta, nam in illis casibus leges, vt patet, loquuntur in materia fauorabili; secus autem est in casu de quo loquimur, cùm versetur circa materiam odiosam. ergo, &c.

Con-

Confirmantur ſupradicta ex *cap. litteris, de conſtit.* & ex *l. penult. ff. de pœnis*, ex *cap. in pœnis* 49. *de regul. iuris in* 6. quod in pœnis benignior fit interpretatio, vt notat Tiraquellus *in l. ſi vmquam, ver. reuertatur, numer.* 246. Thomas de Thoma *in floribus legum, reg.* 158. Vgolinus *de poteſt. Epiſc. c.* 6. §. 1. *numer.* 3. & alij. Sed in caſu de quo loquimur pœna eſt appoſita, quòd celebratio non fiat in loco delicti, & locus delicti fuit ciuitas Panormi, cuius appellatione, vt dictum eſt, & obſeruat etiam Azeuedus *in addit. ad Curiam Piſanam, lib.* 2. *cap.* 2. *numer.* 3. & Barboſa *in collect. tom.* 4. *lib.* 5. *cap.* 16. *numer.* 4. propriè non venit niſi id quod murorum ambitu terminatur; ergo dicta pœna non eſt extendenda ad Eccleſias extra muros vrbis Panormi ædificatas, cùm pœnæ non ſint ampliandæ, ſed reſtringendæ, vt docet Burgos de Paz *conſ.* 8. *numer.* 2. Surdus *de alimentis tit.* 1. *quæſt.* 51. *numer.* 12. & alij communiter, etiamſi extenſio fiat ex ſimilitudine rationis, ex Imola *in l. ſi verò,* §. *de viro, ff. ſolut. matrim.* Duena *regul.* 287. ergo, &c.

Resol. CXXIV. *An qui confeſſus eſt omnia reſeruata legitimo Superiori, inualidè tamen, vel ex defectu doloris, vel ex integritate, teneatur poſteà iterùm cum legitimo Superiore illa confiteri, vel ſufficiat cum quocumque Confeſſario approbato?*

ALibi probabiliter docui, illa peccata non manere ampliùs reſeruata, & poſſe à quocumque Confeſſario approbato abſolui; ſcio alicui diſplicuiſſe hanc ſententiam, immeritò tamen, & ideò illam iterùm doceo, & præter Doctores alibi à me citatos tenet nouiſſimè hanc ſententiam è Societate Ieſu Ludouicus Meratius *in D. Thom. tom.* 3. *tractat. de pœnit. diſp.* 30. *ſect.* 3. *numer.* 1. Præpoſitus *in* 3. *part. D. Thom quæſt.* 9. *de reſeruatione caſuum conſcientiæ, dub.* 4. *numer.* 24. & ante illos Petrus de Ochagauia *de Sacram. tractat.* 12. *de Confeſſione ſacramentali, quæſt.* 22. *numer.* 8. vbi ſic ait: Si quis expreſsè confiteatur omnes caſus reſeruatos Sacerdoti habenti ad id iuriſdictionem, vel conceſſam in gratiam ſui, vel in gratiam pœnitentis, ſatisfacit omnino reſeruationi, etiamſi confeſſio ex alio capite nulla reddatur. Vnde talia peccata poteſt poſteà cuilibet Confeſſario confiteri. Patet, quia reſeruatio ad id ordinatur, vt pœnitens deferat peccata proprio Sacerdoti, & eius ſententiam audiat, & pœnitentiam impoſitam acceptet; ſed hoc totum contingit, cùm confeſſio ex aliquo capite redditur nulla, vt ſupponimus; ergo tollitur omnino reſeruatio, & hæc concluſio etiam eſt vera, cùm abſolutio datur ratione poteſtatis delegatæ, quia ſatisfit fini reſeruationis. Ita ille, qui tamen *numer.* 11. obſeruat hanc doctrinam non eſſe veram, quando quis inualidè confitetur peccata tempore Iubilæi, nam tunc nullo modo tollitur reſeruatio, quia tunc abſolutio à peccatis reſeruatis conceditur per modum fauoris, & cum ordine ad iuſtificationem animarum, vt media abſolutione à reſeruatis excitentur fideles ad quærendam ſalutem animæ. Ergo intelligitur talis facultas abſoluendi à reſeruatis concedi cum hac conditione, vt pœnitens expiet animam à peccatis, & verè confiteatur vera ac ſalutari confeſſione.

Nota etiam hîc obiter cum dicto Ochagauia, & cum aliis Doctoribus, quos alibi citaui, quando quis confitetur bona fide in aliquo die ſeptimanæ caſus reſeruatos, & poſteà non adimplet alia opera præcepta in Iubilæo, peccata illa non manere reſeruata; ſed quid dicendum de peccatis reſeruatis oblitis in illa confeſſione, an poſſint poſteà confiteri non habenti poteſtatem in reſeruata, etiamſi Iubilæum non lucratus fuerit? Negatiuè reſpondet Præpoſ. *vbi ſuprà numer.* 30. licet pro contraria ſententia citet Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 31. *ſect.* 4. *n.* 24.

Resol. CXXV. *An quando vterque coniux ex communi conſenſu caſtitatem vouit, poſſit propter periculum incontinentiæ Epiſcopus diſpenſare vt petant, & reddant?*

CAſus eſt multùm practicabilis, & affirmatiuam ſententiam olim docui, & nunc iterùm doceo cum Baſilio Pontio *de matrimon. lib.* 8. *cap.* 9. *numer.* 2. vbi ſic ait: Ex hac doctrina colligitur, quid ſentiendum ſit in illa quæſtione, an poſſit Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis abſolutè emiſſo poſt contractum matrimonium & conſummatum: cuius quæſtionis varias ſpecies recenſet Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 11. ſed ſine fructu; quare ego ita vniuersè ſtatuo, ſiue hoc votum ſit emiſſum ab vno tantùm coniuge de conſenſu, aut ſine conſenſu alterius, ſiue ab vtroque coniunctim, aut ſeorſim, vel per modum contractus, ſi adeſt periculum incontinentiæ, diſpenſare poteſt Epiſcopus ad petendum & reddendum debitum. Ducor in hanc ſententiam iſta conſideratione, quia ſi tantùm vnus emiſit, & alter non vult ad Religionem tranſire, ſemper habet ius petendi, & ille qui vouit obligationem reddendi, & eiuſmodi votum non fuit abſolutè caſtitatis, ſed non petendi, neque enim potuit contra ius tertij ſe ad omnimodam & perpetuam caſtitatem obligare. Similiter ſi vterque quomodocumque vouerit, ſi voluerit in ſæculo remanere & cohabitare, cùm ſit moraliter certum periculum incontinentiæ, & non poſſit ita breuiter adiri Pontifex, eſt legitima & iuſta cauſa diſpenſandi. Nam ex eo quòd vterque vouerit, neuter amittit ius iuſtitiæ ad corpus alterius, licet ſit impeditum vinculo Religionis. Ita Pontius. Vide etiam Ægidium de Trullench *in Bull. Cruciat. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 15. *numer.* 16. vbi notat *numer.* 19. commutationem huius voti in tali caſu non poſſe fieri virtute dictæ Bullæ, quia facultas hæc in hoc caſu non competit Epiſcopo modo ordinario & communi, ſed ex quodam tacito conſenſu Papæ, & benigna eius voluntate interpretatiua: at quæ in iis caſibus conceduntur Epiſcopis, non cenſentur per Bullam conceſſa. Ergo, &c. quod idem dicendum eſt de priuilegiis Regularium, nam per ea non poſſunt diſpenſare in eo caſu de quo loquimur, vt probat Pontius *lib.* 8. *cap.* 10. *numer.* 11. Suarez *de voto lib.* 6. *cap.* 26. *nu.* 17. Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 43. *nu.* 7. & alij.

Sed

Sed hîc obiter quærere non desinam, an Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post contractum matrimonium ante consummationem? Negatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim tom.3 lib 8.disp.11.num.4.* sed aduersus illum insurgit nouissimè Basilius Pontius *vbi suprà, lib.8. cap 9.num. 3.* quia talis etiamsi sit intra bimestre, non tenetur Religionem ingredi, etiamsi habuerit animum ingrediendi cùm vouit, sed potest ab eo animo desistere, in quo vides iam esse notum periculum incontinentiæ; ergo potest Episcopus dispensare. cereras rationes aduersus Sanchez adducit Pontius, quas penes ipsum videbis.

RESOL. CXXVI. *An prægnantes & lactentes non solùm deobligentur à ieiunio quoad vnicam comestionem, sed etiam quoad esum ouorum & carnium?*

POsse sæpiùs supradictas in die ieiunij comedere docent communiter Doctores, quos ego ipse citaui *in part.1.tract. de ieiunio. resol.14.* etiamsi sint robustæ & validæ, opus enim illis est cibo reficí, non sua ipsarum tantùm, sed fœtus etiam nutriendi causa. Difficultas est, an in die ieiunij possint comedere carnes? & affirmatiuam sententiam docet Martinus Funes *in specul.mor.part.3.cap.2.n.5. & 6.* vbi sic ait: Præceptum ieiunij continet triplicem obligationem, primò abstinendi à carnibus, & iis, quæ ex carnibus ortum habent, lacte, ouis, &c. secundò semel tantùm in die comedendi: tertiò sumendi cibum non citiùs, quàm paulò ante meridiem; & nutrices & grauidæ ab his tribus obligationibus ieiunij excusantur. Ita ille.

Sed contrariam sententiam, & meritò, docet Ludouicus de San Iuan *in summ. quæst. de ieiunio art.7.difficult.6.append.3.* vbi sic asserit: *Ha se de notar que las preñadas y las que crian no quedan escusadas de guardad la calidad de manjares quaresmales, porque aunque tengan necessidad de mayor cantidad de manjares no tienen necesidad de otra calidad dellos en caso que no se temmesse, resulteria de alli algun daño à los niños; porque en este caso se podrà facilmente dispensar con ellas.* Ita ille. & ante illum Villalobos *in summa tom. 1. tract. 13. diffic.4.num.2. iuncto n.20.* & alij.

RESOL. CXXVII. *An Episcopi teneantur in suis diœcesibus leges Pontificias publicari, & obseruari facere?*

HIc casus frequenter accidit, & ad illum respondet Ioannes Wiggers *in 2. 2. D.Thom. quæst.96.art.4.dub.5.n.93.* vbi sic ait: Petes vtrùm Ordinarij locorum obligentur in suis districtibus curare leges Pontificias publicari, quas intellexerint Romæ editas & publicatas? Respondetur, quando Pontifex exprimit, vel indicat se velle legem obtinere effectum, & obligare vbique, & si alibi alia publicatio non accesserit, tenentur tunc Ordinarij curare vt in suis locis lex obseruetur, & proinde si ad hoc iudicent esse necessarium (prout moraliter est necessarium,) quòd lex ibi publicetur, tenebuntur curare publicari, aut facere sufficienter innotescere; etsi verò Ordinarij non curent, non tamen ab obseruatione erunt excusati subditi, saltem quandò ad notitiam plurimorum illius prouinciæ quomodolibet peruenerit: quando autem Pontifex neque significat, neque negat opus esse alia publicatione, & non dirigit mandatum suum de eiusmodi legis obseruatione in partes prouinciarum, aut ad Ordinarios locorum, probabiliter non peccabunt tunc Ordinarij non procurantes eius obseruantiam in diœcesibus. Addo, præsertim quando putant pro tempore & loco non obuenturum inde aliquem notabilem fructum, possumus enim interpretari eo casu mentem Pontificis, quòd legem quam ex vniuersali ratione nouit certis in locis necessariam, aut vtilem Ecclesiæ vniuersali, sic præscribat vt vbicumque pro tempore & loco fuerit iudicata similiter fructuosa procuretur ab Ordinariis publicari & obseruari, ita vt quando hi iudicauerint, suffulti auctoritate Apostolica possint talis legis obseruantiam à fidelibus subditis exigere. Imò non tantùm possint, sed etiam teneantur curare eius obseruationem, quamuis speciale mandatum de eo à S. Sede Apostolica non acceperint, quia de hoc non videtur posse dubitari quin mens Pontificis generalem legem præscribentis sit, quod vbique vbi cum vtilitate & fructu id fieri potest, curetur obseruari, & proinde ad hoc præstandum obligentur, quibus id ex officio incumbit, vt sunt Episcopi, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei. Hæc omnia Wiggers, & ante illum Malderus etiam *in 1.2.D.Thom.quæst.90.art.4. dub.3.§.hæc sententia*, vbi sic asserit: Quando Papa iudicat non opus esse alia promulgatione præter Romanam, tenentur Ordinarij prouinciarum curare vt seruetur lex Pontificia: si autem Ordinarij non curent, nihilominus vnusquisque obligabitur ad eam obseruandam, modò maior pars populi illius prouinciæ illam sciat & recipiat, aliàs non tenetur: quando autem Papa neque indicat, neque negat opus esse alia promulgatione, & non dirigit mandatum suum de eiusmodi legis obseruatione in partes prouinciarum, aut ad Ordinarios locorum, probabile est non peccare Ordinarios eius obseruantiam non procurantes in sibi subiectis, multò minùs ipsos subditos legem eiusmodi non seruantes. Ita Malderus. Sed à supradictis Doctoribus, dum asserunt legem Pontificiam non obligare nisi à populo acceptetur, & Romæ publicatam non vbique obligare, multi Doctores dissentiunt, & nouissimè Castrus Palaus *tom. 1. tract.3.disp.1.punct.12.num.2. & punct.13.num.3.* Tassanus *in pragm. de Antifato ver.13 obser.2. num.20.* & alij, quos ego ipse *in tract.de legib.* adduxi, & hæc opinio est tenenda.

RESOL. CXXVIII. *An sit peccatum mortale detegere alterius peccatum notorium notorietate iuris, vel facti in aliqua ciuitate vbi ignorabatur?*

COntra plures negatiuam sententiam docui *part.3.tractat.5.resol.17.* in cuius confirmatione adduxi aliquos Doctores, quibus nunc addo Samuelem Lublinum *in summ. cas. conscient. ver. fama, num.*

*num.*28.vbi ſic ait:Infamatum alicubi iuridicè, aut publicè alibi prodere non eſt mortale, nec vlla reſtituendi obligatio. Ita ille. & ante illum Emanuel Sà *ver. infamare, n.*5. igitur in tali caſu non peccatur contrà iuſtitiam, neque contra charitatem.Sed ſcio contrariam ſententiam multos docere, aſſerentes tales peccare contra charitatem; ſed noſtra opinio non eſt minùs probabilis.

RESOL. CXXIX. *An vir conſentiente vxore poſsit ad ſacerdotium promoueri ſi ipſa Religionem non ingrediatur, etiamſi ſit iuuenis, dummodo voueat caſtitatem?*

NEgatiuam ſententiam docet Sotus *in* 4.*diſtinct.* 37.*q.*1.*art.* 2.*poſt* 2.*concluſ.* Coninch *de Sacram. diſp.*35.*dub.*6.*n.*32.& Sanchez *de matrim.lib.*7.*diſp.*39. *n.*6.vbi ſic ait: Si vxor eſt ſenex, non ſuſpecta de incontinentia, ſufficit votum continentiæ ipſius in ſæculo; ſecus ſi iuuenis, tunc enim deſideratur ingreſſus ipſius in Religionem. Ita ille, & alij penes ipſum, quod probatur *in cap.Epiſcopus, diſt.*77. vbi ſic habetur : Sanè ſi coniugati iuuenes conſenſerint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda eſt, vt ſequeſtrato manſionis cubiculo Religione promiſſa poſteà quàm pariter conuerſi fuerint ordinentur. Probatur etiam ex periculo incontinentiæ, quod vxor iuuenis manens in ſæculo, aut etiam vterque incurret, cùm vir iam ordinatus ex antiqua cum ea conſuetudine facilè poſſit inflecti, vt iterùm coniuge vteretur, ſi in ſæculo permanentes haberent liberum ad ſe mutuò acceſſum.

His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam tenet nouiſſimè Gaſpar Hurtado *tract. de matrim.diſp.*11. *diffic.*9. *num.* 29. vbi ſic ait: Vt vir poſſit ad ſacros Ordines promoueri, ſufficit, vt contra Sanchez docent Nauarrus & Sà, ſi ab vxore caſtitatem in ſæculo vouente abſoluatur à debito thori & cohabitationis, quia *in cap.coniugatus, de conuerſ. coniugat.* id tantùm requiritur, quòd verò *in canone Epiſcopus, diſt.*77.dicatur requiri promiſſionem Religionis, non obſtat, quia præterquam quòd is Canon eſt Concilij Agathenſis, quod non fuit generale, nomine Religionis non incongruè intelligitur caſtitas, vt exponit gloſſa. Ita Hurtado, & ante illum Baſilius Pontius *de matrim.lib.*7.*c.*25. *nu.*7. vbi ſic aſſerit : Denique dixerim neque antiquo iure, neque nouiori requiſitum fuiſſe vt vxores eorum, qui ad alios ſacros Ordines præter Epiſcopatum promouebantur, Religionem profiterentur, ſed tantùm vt continentiam in ſæculo vouerent, ſiue in ſenili, ſiue in iuuenili ætate eſſent conſtitutæ. Ita ille, qui explanat omnes textus tangentes præſentem materiam, & hanc opinionem eſſe probabilē fatetur ipſemet Sanchez *loco citat.num.*2.& ita etiam ego ſentio ſtando in puncto iuris.

Nota etiam contra Sotum *in* 4. *diſt.* 27. *q.*1. ſemper eſſe neceſſariam profeſſionem vxoris in Religione, ſiue ſit ſenex, ſiue iuuenis, vt poſſit vir ad Epiſcopatum promoueri, & ita ſtatutum eſſe docet Pontius *vbi ſup.num.*6 *in cap.ſanè, de conuerſ. coniugat.* Vnde infertur viro effecto Religioſo, vxore vetula manente in ſæculo cum caſtitatis voto, ſi vir ad Epiſcopatum promouendus eſſet, neceſſarium fore, vt vxor illa Religionem ingrediatur, vt obſeruat Ancharanus *in d. cap. ſanè, in fine.* Et tandem nota contra Maiolum *lib.*1.*de irregularit.c.*34.*n.*2.quòd vt poſſit maritus ad Cardinalatum promoueri, non deſideratur ſemper vxoris ingreſſus in Religionem; ſed non ampliùs deſiderari puto quàm ad Ordines à viro aſſumendos. Ita Sanch. *vbi ſup. diſp.* 41.*num.*4.

RESOL. CXXX. *An qui viuunt ex officio ſcribendi, & reuerà quotidie ſcribunt, excuſentur à ieiunio?*

DE hoc caſu ego olim interrogatus fui, & contra aliquos pro affirmatiua ſententia tunc adduxi Ludouicum de San Iuan *in luce Sacerdotum, q. de ieiunio, art.*7.*diffic.*8.*appen.* 1. vbi ſic aſſerit: *Ha ſe de aduertir que los eſcritores que tienen por officio eſcriuir como los ſecretarios de los Reyes y otros que huuiere deſte trabajo tambien entiendo que quedan eſcuſados del ayuno, quando por la neceßidad del negocio o apretura del tiempo ſon forçados, porque los que no ſaben eſcriuir, pienſan que no es trabajo, y en realdad de verdad es trabajo grande, porque aunque parece que ſolamente trabajan tres dedos, todos los miembros caſtan, como lo dize Angles de ieiunio quæſt.*6.*diffic.*10.

Tres digiti ſcribunt, cetera membra dolent.

Ita ille. Sed Ioannes Sancius *in ſelectis diſp.* 54. *nu.*16. putat, quòd ſcriba debeat conſulere ſuam imbecillitatem.

RESOL. CXXXI. *An tactus & oſcula inter ſponſos de futuro ſint licita?*

NEgatiuè reſpondet Ioan. Franciſcus Suarez *in enchir.caſ.conſt.lib* 7.*ver.luxuria.*§.*oſculum, & tactus,*& Gaſpar Hurtado *tract. de matr. diſp.* 10. *diffic.* 10 *num.*48. quia ex vna parte grauiter opponuntur caſtitati, & ex altera nondum eſt mattimonium, quo poſſint excuſari, qui à ſponſalibus excuſari nō poſſunt, quia ſponſalia, quamuis ſint inchoatio quædam matrimonij, & prædicti tactus tantùm ſint inchoatio quædam copulę coniugalis, non ſufficiunt ad eos excuſandos, quia inchoatio contractus non ſufficit ad excuſandum vſum rei de qua eſt contractus, quamuis ſolùm inchoatum & imperfectum, quia quouſque cōtractus eſt perfectus, non traditur dominium rei; qui autem nondum eſt dominus rei, nullatenus adhuc imperfectè poteſt ea vti, vtpote adhuc aliena, quamuis iam ſibi promiſſa. Ita Hurtado, cui adde alios, quos citaui *in p.* 2.*tract.*3.*miſcell.reſol.*6.

Sed ego ibi, & meritò, contrariam ſententiam docui, cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Petrum Ochagauiam *de Sacram.tr.*1. *de matrim.q.*1. *n.*15.& Syluium *in* 2.2.*D.Thom.q.*154 *art.*4.*concluſ.*7. & Villalobos *in ſumm.tom.*1.*tract.*12.*diffic.*16.*n.*2.

Notandum eſt tamen, hoc non procedere inter ſponſos de futuro, ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit, his enim non ſunt licita tactus & oſcula, quæ ſponſis de futuro permiſſa ſunt, ex ratione, quam adducit Sotus *in* 4.*diſt.* 29. *q.* 2. *art.* 1. & Sanchez *de matr.tom.*1.*lib.*5 *diſp.*5. *nu.* 38. & alij penes ipſum, quibus adde Salas *in* 1. 2. *D. Thom. quæſt.* 78.

tract.13.disp.6.sect.26.num. 177. Molfesium *in summa tom.1.tract.4.c.15.n.13.* Villalobos *vbi supra nu.1.* Ludouicum de San Iuan *in summa tom.1. quæst.1. art.8. de sacra.matrim.diffic.* 13. at impetrata dispensatione, licet non sit ratificatus prior ille consensus, puto licere illis amplexus & oscula, eo modo quo licet sponsis de futuro, quia tunc illa sunt vera sponsalia, vt optimè obseruat, & tenet Sanch. *loco cit.num.*39. & Præpositus *in 3. part. D. Thom. quæst. 3. de sacram. matrim.dub.8.n.*95.

RESOL. CXXXII. *An filius teneatur contrahere matrimonium quod pater promisit, aut præcepit?*

AFfirmatiuè respondet Cardinal. Bellarminus *lib.1.de matrimon.cap.*19. Rebellius, & Nauarrus penes Hurtadum *vbi infrà*, dummodo filius non eligat meliorem statum, & quòd matrimonium à patre promissum, aut præceptum non sit filio indignum, & hoc deduci videtur ex *cap.* 1. *de despons. impub.* vbi dicitur: Postquam filius ad perfectam ætatem peruenerit, omnino debet hoc implere.

Sed mihi contraria sententia magis placet, quam tuetur Hurtado *tract.de matrim.disp.6. diffic.9. nu.*32. cum Riccardo, Sanchez & Coninch penes ipsum, qui rationes pro hac firmanda sententia adducit, & rectè respondet ad supracitatum cap. 1. nam illa verba omnino debẽt à glossa & aliis communiter exponi de debito honestatis, non autem præcepti, seu obligationis.

Notandum est etiam contra Bellarminum, Rebellium, & Sotum, licitè filios posse inire hoc, aut illud matrimonium parentibus inuitis, seu resistentibus; erit tamen illicitum contrahere matrimoniũ illis non certioribus factis, nisi quando filij timent, parentes iniustè impedituros dictum matrimoniũ, aut quando adest rationabilis causa occultandi parentibus matrimonium, & hæc omnia docet Hurtado *loco cit.difficul.*10.*n.*35. *&* 36. cum Sanchez, Coninch, & Vasquez, vbi etiam docet parentes non posse exheredare liberos, neque eis dotem negare, quia contrahunt matrimonium ipsis inuitis.

Non desinam tamen hic adnotare; parentes, qui coactione sufficiente ad mortale compellunt filios ad matrimonium, non incurrere in excommunicationem latam in Tridentino *sess.*24.*cap.*9. Ita contra Lopez & Albornos docet Sanchez *de matrim. tom.*1.*lib.*4. *disp.* 22. Coninch *de Sacram. disp.* 28. *dub.*5. & alij; quia Tridentinum loquitur tantùm de dominis temporalibus, & Magistratibus habentibus iurisdictionem in foro exteriori sæculari, vnde neque Parochus, neque Episcopus si compellerent ad matrimonium, in dictam excommunicationem incurrerent, quia non habent iurisdictionem in foro externo sæculari. Ita etiam Hurtado *diffic.*8 *num.* 29. Imò neque Reges & Imperatores, quamuis habeant dictam iurisdictionem, quia isti exprimi debent vt exprimuntur in eodem Tridentino *sess.* 22. *de refor. c.*11.

RESOL. CXXXIII. *An si alter coniux non cogitet intrare Religionem, possit adhuc duobus primis mensibus non reddere debitum alteri petenti?*

NEgatiuè respondet Coninch *de Sacra.disput.*26. *dub.*4.*concl.*2.*n.*46. Hurtado *tr.de matrim.disp.*8. *diffic.*8. *nu.* 29. & alij, quia ex vna parte statim ac fit contractus matrimonij, traditur dominium corporis alteri, & ex altera parte *in cap.* 7. *de conuers. coniugat.* tantùm conceditur tempus cogitanti & volenti ingredi Religionem, vt ingrediatur; ergo qui non cogitat ingredi Religionem statim ac fit contractus, tenetur reddere debitum alteri petenti.

Verùm affirmatiuam sententiam docet Præpositus *in 3.part.vbi infrà*, Sanchez *tom.*1. *lib.*2. *disp.*24. *nu.*5. & post illum Basilius Pontius *de matrim. lib.* 9. *cap.*9.*num.*7. vbi sic ait: Obseruandum est eius temporis spatio posse vti coniuges, etiamsi non habeant animum ingrediendi Religionem, eo enim tempore non tenetur alter alteri reddere debitum, sed licitè negat. Ita ille, & hanc sententiam probabilem esse fatetur Coninch *vbi suprà.*

Sed hîc obiter oritur difficultas, an in supradicto casu, quando quis ante matrimonij consummationẽ vult Religionem ingredi, professio possit emitti ante annum probationis exactum, v.g. intra dictum bimestre? Affirmatiuè respondet Nauarrus *cap.*16. *n.*27. ex *dicto cap.*7. vbi obligatur coniux intra dictũ tempus ad Religionem transire, vel ad coniugium redire: per transire autem ad Religionem, intelligi videtur profiteri, quia *in c.* 14. *eodem titulo*, supponitur transitu ad Religionem dissolui matrimonium, & tamen non dissoluitur ingressu, sed professione. ergo, &c. & hanc sententiam probabilem esse, etiã vbi Concilium Tridentinum est receptum, tenet Ioannes Præpositus *in 3.part. D.Thomæ quæst.* 5. *de indissolubilitate matrimonij.dub.*6.*num.*47. Sed ipse cum communi Doctorum sententia contrarium docet, nempe coniugem bimestri completo non teneri profiteri, sed satisfacere ingrediendo Religionem, & tempore solito profitendo; vide Sanchez, Basilium, Coninch & Hurtado *locis citatis.*

RESOL. CXXXIV. *An excusentur à ieiunio apud Typographos prælum versantes, & typos colligentes?*

IAcobus Gordonus *in Theolog. morali tom.*2. *lib.*6. *q.*18.*cap.*6. *n.*11. non excusat à ieiunio typos colligentes, & meritò, quia nõ videntur grauem subire laborem; quoad verò versantes prælum, excusat cum formidine: sed ego absolutè sine vllo metu puto supradictos prælum versantes excusari à ieiunio, cùm eorum labor improbus sit.

RESOL. CXXXV. *An dispensatio inter affines, seu consanguineos sit subreptitia, non facta mentione de copula?*

PRo affirmatiua sententia multos Doctores adduxi *in 1.part tract.de legib.resol.* 44. quibus nunc addo Petrum Ochagauiam *de Sacram. tra.*4. *de matrim.q.*11.*num.*4. Homobonum *de exam.Eccles. part.*3. *tract.*13.*c.*11.*q.*24. Filliucium *tom.*1.*tract.*10.*p.*2.*cap.*12. *n.*336. & Tannerum *vbi infrà.*

Sed negatiuam sententiam docent plures Doctores, quos *ibi* citaui, & præter illos hanc sententiam docet etiam ex Dominicanorum familia Ioa.

de

de la Cruz *in direct. conſcien. part. 2. de matrimon. §. de diſpenſationibus, dub. 14. concluſ. 2.* & ex Societate Iesv Gaſpar Hurtado *de matrimon. diſp. 26. difficult. 5. n. 22.* & Io. Præpoſitus *in 3. part. D. Thom. q. 8. de diſpenſationibus matrimon. dub. 6. num. 61.* & hanc opinionem probabilem eſſe docet etiam ex eadem Societate Adamus Tannerus *tom. 4. diſp. 8. quæſt. 4. dub. 9. num.* 160. quia inceſtus neque eſt impedimentum, quod ratione ſui egeat diſpenſatione, neque iure præcipitur exprimi, quia non præcipitur iure ſcripto, vt patet, neque iure introducto, conſuetudine, ſeu ſtylo Curiæ, cùm non ſemper exprimatur ex conſilio virorum doctorum, quamuis aliquando ex conſilio aliorum exprimatur, & quando exprimitur, non eſt cauſa motiua ad negandam diſpenſationem conſanguinitatis, aut affinitatis; & quamuis ſit cauſa ad concedendam diſpenſationem cum aliquibus additamentis, non tamen pertinet ad cauſam motiuam, quia illa non adduntur pro diſpenſatione conſanguinitatis, aut affinitatis, ſed in pœnam copulæ expreſſæ. Congregatio verò Cardinalium, quæ in contrarium adducitur, ſecuta eſt partem probabilem & tutiorem, ſed forſan non probabiliorem, quòd ſi taciturnitas copulæ habitæ ante commiſſionem Papæ non dirimit diſpenſationem conſanguinitatis, vel affinitatis, multo minùs dirimet, ſeu irritabit taciturnitas copulæ habitæ poſt commiſſionem Papæ ante expeditionem diſpenſationis ab Ordinario. Hæc omnia Hurtado *loco citato*, & Præpoſitus *vbi ſuprà*, etiam docet ſtylum Curiæ & declarationem Cardinalium procedere in foro exteriori.

Verùm, his non obſtantibus, ego puto in hac quæſtione non eſſe recedendum à ſententia affirmatiua in vtroque foro, propter ſtylum Curiæ, qui in hoc facit ius, non obſtante ea quæ dixi *in p. 1. tract. de legibus, ſect. 44.*

Resol. CXXXVI. *An oſcula quæ fiunt ex delectatione ſenſibili ex illis conſurgente abſque alia ſiniſtra intentione & admixtione alterius delectationis de aliquo actu luxurioſo, ſint peccata mortalia?*

NOuiſſimè negatiuam ſententiam docet Franciſcus Syluius *in 2. 2. D. Thomæ, quæſt. 154. art. 4. concluſ. 4.* vbi ſic ait: Vel delectatio quæ in oſculis & amplexibus ſentitur, eſt merè ſenſualis, conſiſtens in quadam proportione & conformatione rei tactæ, vel viſæ cum organo tactus, vel viſus, vt non aliud ſit, quàm oblectatio de re blanda, leni, ac molli, vel tenera, quæ contingitur, aut pulchra, quæ videtur, abſque alia cuiuſcumque rei turpis delectatione. Vel eſt delectatio ita ſenſualis, vt quamuis non verſetur circa fornicationem, habeat tamen coniunctam carnis ac ſpirituum generationi ſeruientium commotionem. Tactus & oſcula quæ fiunt cum ſola priori delectatione, non videntur eſſe libidinoſa, ac per conſequens nec peccata mortalia; quæ autem fiunt cum poſteriori, libidinoſa, & mortalia ſunt. Prius probari poteſt, quia non videtur eſſe libido venerea, quando in actu ſecundùm ſuam ſpeciem non libidinoſo, abeſt omnis cogitatio & intentio etiam implicita voluptatis venereæ; atqui amplexus & oſcula non ſunt ſecundùm ſpeciē ſuam libidinoſa, vt in corpore docet D. Thom. & in eis ponitur abeſſe omnis cogitatio & intentio venereæ voluptatis etiam implicita, ſeu interpretatiua, cùm non alia ſit delectatio quàm quod res blanda, mollis, aut tenera. ergo eiuſmodi oſcula nō ſunt cenſenda ſimpliciter libidinoſa. Ita Syluius, & alij penes ipſum, quibus ego addo ex Societate Iesv Comitolum *in reſponſ. moral. lib. 4. quæſt. 20. num. 6.* & Ioannem Salas *in 1. 2. D. Thom. q. 74. tract. 13. diſp. 6. ſect. 20. n. 139.* vbi has etiam adducunt rationes pro hac firmanda ſententia, quia delectatio non eſt mortalis, niſi obiectum eius ſit mortale: ſed perceptio illius ſuauis temperamenti, aut proportionati tangibilis non eſt mortalis. ergo delectatio, quæ de illa tamquam de obiecto percipitur, non eſt mortalis, & hanc delectationem eſſe mortalem, quia eſt de tactu mortali, manifeſtè in hoc petitur principium. ergo tactus non eſt mortalis propter hanc delectationem, ſed propter aliam delectationem, vel rem quæ in eo intenditur, per ipſum quæritur, aut ex ipſo ſequitur, quæ ſub peccato mortali vitāda eſt. Deinde tangere res molles, ſuaues, & temperatas propter delectationem inde naturaliter reſultantem, non eſt mortale, ergo nec tangere carnes alienas viriles, vel femineas, ſecluſo alio fine, vt periculo. vide etiam Villalobos *in ſumm. tom. 2. tra. 40. difficult. 9. n. 4.* Sed ego puto contrariam ſententiam tenendam eſſe, & in his materiis non eſſe laxandas habenas. & Filliucius *tom. 2. tract. 30. c. 9. n. 179.* docet quoad praxim, tactus huiuſmodi ob ſolam delectationem ſenſibilem aſſumptos vitandos eſſe ſub peccato mortali, tamquam periculoſos adducendi delectationem concubitus, vel alterius actus luxurioſi. Vide etiam Sanchez *in ſumm. tom. 2. lib. 5. cap. 6. n. 12.* qui ex aliis rationibus, & meritò, improbat hanc opinionem, & ante illum Rebellius *part. 2. lib. 3. quæſt. 19. ſect. 3. per totam.*

Notandum eſt etiam hîc obiter, aliquos Doctores aſſerere in ſupradictis oſculis & tactibus, & vniuerſim in rebus venereis dari paruitatem materiæ, & ita tenet ex Societate Iesv cum aliqua formidine Leonardus Leſſius *lib. 4. c. 3. dub. 8. n. 58. & 59.* & ex Dominicanorum familia Samuel Lublinus *in ſummula caſ. conſcien. ver. oſculum, n. 3.* vbi ſic ait: Inter ſolutos quamuis eiuſdem ſint ſexus, mortale crimen eſt oſculari & tangere, ob ſolam venereā delectationem ex huiuſmodi actibus conſurgentem, niſi paruitas materiæ excuſet. Ita ille, & alij, quos ego ipſe citaui *in par. 3. tr. 5. reſol. 1.* Sed *ibi*, & meritò, contrariam ſententiam docui, & iterùm doceo cum Syluio *in 2. 2. D. Thom. quæſt. 154. art. 4. concl. 4. in fine.*

Resol. CXXXVII. *An coniux in abſentia alterius ſi tangat libidinosè ſua membra pudenda, peccet mortaliter?*

OBſcœna ſunt hæc, fateor, ſed omnia munda mundis, & Confeſſarij in omni materia debent diſcernere inter lepram & lepram, & ſcire quódnam ſit peccatum mortale, quod veniale. Hanc quæſtionem quia practicabilis eſt, ego tractaui *in 3. part. tract. 4. reſolut. 215.* & pro negatiua ſen-

sententia adduxi Thomam Sanchez, cui nunc addo Gasparem Hurtado *tract. de matrimon. disput.* 10. *difficult.* 10. *num.* 47. vbi excusat à mortali tactum, quo coniux etiam in absentia alterius tangit libidinosè sua membra pudenda, quamuis commouenda & alteranda, quando non est periculum effusionis seminis futuræ extra vas, quia etiam illi tactus sua natura ordinantur ad actum coniugalem, quamuis actu non referantur ad illud, & ita hanc sententiam docet etiam Petrus Ochagauia *de Sacram. tract.* 5. *de matrimon. quæst.* 12. *num.* 9. *in fine*, vbi sic ait: Puto etiam vnum coniugatum absentem ab alio sua membra tangentem & commouentem propter solam voluptatem captandam tactus, absque periculo pollutionis, non peccare mortaliter, quia tactus ille, licet actu non referatur ad coniugium, satis est eum suapte natura ordinari ad præsens coniugium, sicut contingit in delectatione morosa. Ita ille.

Et tandem nouissimè etiam ex Societate Iesv tamquam probabiliorem tenet hanc opinionem Ioannes Præpositus *in* 3. *part. D. Thom. q.* 6. *de bonis matrim. dub.* 26. *num.* 188. vbi sic ait: Petes vtrùm coniux possit absque graui peccato seipsum tangere ex voluptate carnali, non referendo ad copulam? Negat Vasquez, asserit Sanchez, cuius sententia videtur probabilior, quia talis contactus exercetur intra limites matrimonij, estque natura sua idoneus ad copulam licitam, nec ordinatur ad illicitam; ergo nihil per eum committitur repugnans fidei coniugali, aut matrimonij fini, & proinde ex illis capitibus non contrahit malitiam mortalem, quam non potest aliunde contrahere si absit pollutionis periculum. Ita ille. Vnde hanc sententiam, quæ priùs pro se solùm Sanchez habebat, nunc habet alios tres patronos; sed tu ne recedas à contraria cum Doctoribus, quos citaui in dicta resolutione, asserentes in tali casu peccatum mortale adesse, nec aliter sentiendum esse puto, quidquid Sanchez, Hurtado & alij asserant.

Resol. CXXXVIII. *An sit licitum donare Iudicis concubinæ vt intercedat apud illum?*

Negatiuè respondet nouissimè Sanchez *in consil. mor. tom.* 1. *lib.* 3. *cap. vn. dub.* 43. *num.* 2. quia, ait ille, vxor amore turpi, & eo vt tali mihi patrocinari volo, tum quia ipsa moraliter nequit bene facere, quia ipsam pergere ad alloquendum Iudicem est mortale ratione scandali sui, cùm exponat se vehementissimo periculo peccandi, & alieni, quia exponit alium eidem periculo; sic mihi & aliis visum est post magnam de hoc altercationem. Hæc Sanchez, quod anteà docuerat *in sum. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 7. *nu.* 38. satis quidem probabiliter.

Sed ego non minùs probabilem affirmatiuam sententiam esse existimo, si negotium graue sit, videasque Iudicem non tibi esse propitium, speres autem intercessione concubinæ gratum fore, neque alia via appareat quò possis illum ad seruandum tuum ius inflectere; quia non petis aliquid quod ipsa licitè præstare non possit, nam licet illa intercessione Iudex, vel concubina foueant turpem amorè, hoc tu non intendis, neque vllius momenti est causa. Nam stante illa intercessione, adhuc Iudex & concubina poterant à praua voluntate se continere. ergo intercessio de se mala non est. quòd verò media illa intercessione concubina & Iudex periculo peccati exponuntur, non obstat quò minùs id licitè fieri possit vrgente graui causa, qua licitum est ob grauem causam sæpè periculo peccandi te exponere, quia periculum peccati in tali casu non est peccatum; & hæc omnia docet Castrus Palaus *tom.* 1. *tr.* 6. *disp.* 6. *punct.* 15. *n.* 2.

Resol. CXXXIX. *An sit contractus vsurarius vendere alicui fundum, seu domum, & reseruare sibi fructus annuales, vel redditus donec soluatur pretium?*

Hvnc contractum esse vsurarium responderunt *anno* 1575. Patres Societ. Iesv Pœnitentiarij Papæ apud S. Petrum, P. Lucius de la Croce, P. Vsmarus, P. Ledesma, P. Costa, P. Lanoya, P. Bosesus, P. Leo, P. Ægidius, P. Parra, & ita testatur Ioan. Baptista Antonucius *in institut. Neapolitana lib.* 5. *cap.* 21. vbi etiam adducit alios Canonistas & Theologos, qui interrogati de hoc casu affirmatiuè responderunt, & sic etiam docet Sylvester *ver. vsura, quæst.* 11. D. Antonin. *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 7. §. 20. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 11. *art.* 2. *conclus.* 4. Maior *ibid.* Armilla *ver. vsura. num.* 15. Rosella *ver. vsura* 1. *numer.* 47. Plotus *in l. si quando, C. vnde vi, numer.* 451. & alij, quorum sententia satis est probabilis, quia dum transfertur dominium, res debet fructificare domino suo, cuius periculo subsistat. Adde quòd in hoc casu accipitur aliquid ratione dilatæ solutionis, quod est vsura.

Verùm his non obstantibus, negatiuam sententiam probabilem & tutam in praxi esse existimo, quam mordicus docet Couarruu. *lib.* 3. *var. c.* 4. plures referens, & nouissimè hanc sententiam tenet Sanchez *in opusc. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 7. *dub* 21. *n.* 3. Tabiena *ver. vsura n.* 9. & Ludouicus Mexia *in leg. Toleti part.* 2. *fundam.* 2. *n.* 12. *fol. mihi* 45. quia, ait ille, vsuras (si sic eas vocemus) quas venditor in nostro casu percipit, non sunt veræ vsuræ, sed rei propriæ prosecutio, quæ deducitur ab æquitate iustitiæ commutatiuæ, quæ in æqualitate consistit, quod quatenus vnus contrahentium implet, debeat alter vicissim implere, aut implenti soluere lucrum implementi recepti, ne sequatur inæqualitas inter commutantes proprias res. nam si emptor fructus percipit rei emptæ, nondum soluto pretio, iustum est vt pretij vsuras vsque ad fructuum quantitatem venditori soluat, qui ei rem tradidit liberè, cũ ei tradere pretio non soluto minimè teneretur, vsuræ enim recompensatoriæ omni iure admittuntur, quia dantur in recompensam eius, quod iustè competebat, & debitum erat eas recipienti, quodque ipse iustissimè habiturus erat. Ita Mexia, quem sequitur Sanchez *loco cit.* cum multis Doctoribus. Igitur in tali casu licet vendere fundum, vel domum, & tradere reseruando sibi fructus, vel redditus, donec soluatur domus, vel fundi pretium, licet emptor non sit in mora soluendi pretium tẽpore statuto, & licet venditor ex pretio statim soluto nihil lucraturus esset,

quia,

quia, vt dictum est, in nostro casu hæ vsuræ non dantur vt lucrum pretij non soluti, nam hoc esset vsura, sed dantur in compensationem, & vt seruetur æqualitas, cùm enim venditor impleat tradendo rem, debet emptor vicissim implere tradendo pretium, vel implenti soluere fructus rei receptæ, ne sequatur inæqualitas. Ex quibus patet responsio ad argumenta contraria, ideò ad primum dico, verum esse si dominus solueret pretium rei fructiferæ sibi venditæ. Ad secundum respondeo quòd fructus & redditus in nostro casu non recipiuntur ob dilationem solutionis, sed in compensationem, modo quo suprà explicatum est.

Resol. CXL. *An legatum relictum pro orphanis maritandis possit distribui habentibus parentes pauperes & inutiles, vbi etiam multa de legatis?*

NEgatiuam sententiam mordicus tenet nouissimè Thomas Sanchez *in consil. tom. 2. lib. 4. c. 2. dub. 13. num. 2.* quia in dispositionibus testamentorum verba propriè sumenda sunt, & alias rationes adducit, propter quas hæc opinio efficitur satis probabilis.

Sed contrariam probabilem etiam esse existimo, quam docui *in 2. part. tract. 2. Miscellan. resol. 52.* cum Ildephonso Lara, & ita hanc affirmatiuam sententiam, me citato, tenet etiam Io. Maria Nouarius in editione nouissima *de elect. fori sect. 2. q. 7. num. 3.* & ita in praxi obseruatum scio à doctis Iurisconsultis. Nota etiam quòd dictus Nouarius docet legatum distribuendum, siue eleemosynam diuidendam inter viduas pauperes, posse dari mulieribus habentibus viros inutiles, quia priuilegia concessa viduis extenduntur ad habentes viros inutiles; sed hoc negat etiam Sanchez *vbi suprà*.

Notandum est hic obiter primò, quòd legatum pro maritandis puellis dari potest etiam viduis, quando nullæ sunt puellæ ætate nubiles quibus possit legatum dari, tunc enim ex verisimili testatoris voluntate ita credendum est, ne tam pium opus differatur. Ita Aloysius Bariola *in aphorism. litt. L. ver. legatum*, qui citat Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 91. n. 56. & 57.*

Nota secundò contra Panormitanum *in cap. fin. de testam. num. 2.* & alios, legatum pro fabrica Ecclesiæ relictum posse expendi pro ornamentis, & aliis cultui diuino necessariis. Ita Couarruuias *in d. cap. fin. de testam. num. 4.* Altamiranus *tract. de visitat. §. sed Episcopus n. 11.* & alij.

Nota tertiò legatum relictum pro liberatione incarceratorum, quolibet anno posse expendi in impediendo, ne quis in carcerem detrudatur, quãdo certum est proximè detrudendum nisi legato illi subueniatur. Ita Sanchez *vbi suprà, in opusc. tom. 2. lib. 4. cap. 2. dub. 9. num. 2.* vide etiam Medinam *in 3. part. quæst. 53. art. 3.*

Nota quartò contra Beroum *in cap. 1. de constitut. nu. 254.* Peraltam *in l. cùm pater, §. à filia. ff. de legat. 2. num. 2.* & alios, legatum post quatuor menses, v.g. largiendum pauperibus posse distribui ante diem & tempus designatum. Ita Couarruuias *in cap. tua, de testam. n. 5.* Padilla *in l. vnum ex familia. ff. de legat. 2, num. 12.* Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 4. leg. 14. glossa 1. à n. 37. vsque ad 45.* Mantica *de coniectur. vlt. volunt. lib. 8. tit. 5. n. 20.* & alij; & ideò Sanchez *loco cit. dub. 12. n. 4.* docet ex multis, quòd si quis legauit annuum censum singulis annis pauperibus distribuendum iuxta beneplacitum suorum testamentariorum, posse ipsos semel totam illam quantitatem cum suis redditibus distribuere, applicando illam, v. g. alicui Hospitali, vel Monasterio vt illis fruatur in perpetuum.

Nota quintò, legatum factum naturalibus, v. g. Panormi posse dari iis, qui ibi habitarunt decennio, licet aliunde sint oriundi, si non constet de animo non habitandi ibi perpetuò. Ita Sanchez *loco cit. dub. 19. n. 1.* vide etiam Burgos. de Paz *in leg. 3. Taur. n. 372.*

Nota sextò, quòd licet legatum relictum pauperibus, dandum sit pauperibus loci testatoris, nisi testator reliquerit heredi facultatem eligendi pauperes quos voluerit. Probabile tamen est etiam simpliciter posse dari pauperibus extra patriam. Ita Homobonus *in consult. mor. vol. 2. part. 5. resp. 29.* vbi citat Tuschum & alios.

Resol. CXLI. *An dominus compellendo famulum in die ieiunij ad opus incompatibile ratione laboris cum ieiunio, peccet mortaliter si illud opus possit commodè differri in alium diem?*

REspondet affirmatiuè Nauarrus *in sum. cap. 21. num. 27.* Gabriel *in 4. dist. 16. q. 3. art. 1.* & alij. Ratio est, quia eis impediunt obseruationem præcepti, ad quam parati sunt. Idem etiam docet Richardus *in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 3.* Paludanus *ibid. art. 2.* & alij.

Sed contrariam sententiam docet Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 9. num. 2.* putat enim nec ipsos famulos, nec dominos peccare in hoc, etiam venialiter, quia ipsi famuli potuerunt licitè locare operas suas ad inseruiendum, prout ipsis iniunctum fuerit, & ipsi domini possunt illos occupare in talibus laboribus, prout se obtulerint, nec tenentur sub peccato obseruare, an sit dies ieiunij, licet sit illis consulendum, vt id obseruent quando sine vllo incommodo id potest fieri; sic docti iuniores. Hæc Sanchez, & ideò Fagundez *præc. 4. lib. 1. c. 8. n. 16.* docet non peccare, neque venialiter, eos, qui operarios cõducunt, vt cauatores, agricultores, messores, &c. cum pacto & conditione vt eo die, quo suo labori incumbunt, non ieiunent, quia operarij non tenentur ieiunare; ergo quamuis conductores prædicto pacto illis impediunt ieiunium, non impediunt impletionẽ præcepti. Secundò, quia minùs laborant ieiunando, quàm non ieiunando; ergo ne damnum patiantur, licitè possunt apponere tale pactum, & hoc alibi ego etiam docui.

Resol. CXLII. *An famuli inseruientes dominis frangant ieiunium comedendo gulosè fragmenta ciborum?*

HIc casus passim accidit, & ad illum affirmatiuè olim respondit quidam Confessarius; sed negatiuam sententiam tenendam esse puto, quam docet Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 24. n. 3.* vbi

vbi sic asserit: Famuli qui inseruiunt mensis dominorum, non frangunt ieiunium comedendo gulosè ex iis, quæ de mensa tollunt, si statim post dominos suos sint comesturi, quia totum reputatur vnica comestio, & possunt illo modò incipere comestionem. Ita ille, qui etiam anteà *n.* 2. docuerat, seruitores & lectores ad mensam posse assumere aliquid ante talem lectionem, vel seruitium, nõ tantùm per modum medicinæ, vt possint debitè exequi officium, sed etiam per modum cibi & sustentationis, & ad subleuandam famem, licet nullã habeant necessitatem, quia possunt tunc velle incipere comestionem, & finito seruitio, vel lectione perficere. Hæc Sanchez, satis quidem probabiliter.

RESOL. CXLIII. *An Episcopus in aliena diœcesi sine licentia posit conferre suis subditis primam tonsuram?*

NEgatiuè respondet Campanili *in diuer. iur. can. rubr. 6. c. 1. n. 2.* Barbosa *de potest. Episc. part. 2. allegat. 6. n. 15.* & nouissimè Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. c. 1. dub. 50. nu. 2.* ex iure nouo Concil. Trident. *sess. 6. cap. 5. de reform.* vbi prohibetur Episcopis in aliena diœcesi Pontificalia exercere absque Episcopi diœcesani licentia.

Non desinam tamen hîc adnotare contrariam sententiam etiam post Concil. Tridentinum docere non ignobiles auctores, & ideò præter Doctores, quos citat & sequitur Bonacina *de Sacram. disp. 3 quæst. vnic. punct. 2. num. 13.* tenent hanc opinionem Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 48. quæs. 5.* Fornarius *de sacram. Ordinis, cap. 5. §. 4. notab. 4.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 2. c. 2. nu. 15.* & nouissimè Mauritius Alzedo *in praxi Episc. part. 2. cap. 5. num. 18.* asserentes posse Episcopum extra diœcesim sine licentia Ordinarij propriis subditis primam tonsuram conferre, quia Concilium loquitur de Episcopo conferente Ordines; sed prima tonsura non est Ordo, sed initiatus ad Ordines, & solet concedi sine exercitio Pontificalium. ergo, &c.

Notandum est etiam hîc obiter quod ego *in 2. part. tract. 6. resol. 35.* docui, Episcopum in aliena diœcesi non posse celebrare Missam in Pontificalibus cum baculo & mitra absque licentia Ordinarij. Verùm contrariam sententiam probabilem putat Paulus Layman *in quæstionibus Canonicis c. 17. n. 224.* & absolutè illam tenent Io. Vanshel *in Clem. de priuileg. fol. mihi 355. col. 2.* & nouissimè Mauritius Alzedo *in praxi Episc. part. 1. c. 13. num. 88.* qui plures alios citat; sed tu ne recedas à nostra sententia, quam consuetudo confirmat, & docet nouissimè Gauantus *in enchir. Episc. ver. iunctiones Episcopales, num. 11.* qui citat Riccium.

RESOL. CXLIV. *An Episcopus inuitatus ad ordinandum in aliena diœcesi posit ibi ordinare non solùm suos subditos, sed etiam alienos, litteras dimissorias suorum Episcoporum portantes?*

NOn posse sine noua & expressa licentia Ordinarij, seu Capituli à quo inuitatus est ad ordinandum, tradit Barbosa *de potestate Episcopi part. 2. alleg. 4. nu. 64.* & Miranda *in manuali Prælator. tom. 1. quæst. 38. art. 3. concl. vnic.* ex Concil. Trident. *cap. finali, sess. 6. de reform.*

Verùm contrariam sententiam tenet Venerus *in exam. Episc. lib. 1. c. 12. n. 52.* & Nauarrus, Toletus, Fornarius, quos citat & sequitur nouissimè Mauritius Alzedo *in praxi Episc. part. 2. c. 5. n. 30.* qui respondet ad locum Tridentin. asserens quòd loquitur de Episcopo ordinante in aliena diœcesi ratione priuilegij sibi dati à Papa ad conferendos Ordines in aliena diœcesi, nam tunc sine licentia Ordinarij, & nisi Clericos illi Ordinario subiectos ordinare nõ poterit; secus autem in casu nostro, quando Episcopus est inuitatus ab alio Episcopo ad Ordines celebrandos generales, nam poterit ordinare ibi Clericos sibi subditos, & etiam aliarum diœcesium, si litteras dimissorias habeant, neque ad hoc requirere tenetur aliam licentiam Episcopi vbi celebrat, sed sufficit generalis quam habet. Ita Alzedo *loco cit.*

RESOL. CXLV. *An famulus familiaris Episcopi, qui tamen eius expensis alitur, posit ab illo ordinari, & gaudeat priuilegio Concil. Trid. sess. 23. c. 9. de reformat.*

HIc casus est curiosus, & practicabilis, quem tamen apud paucos auctores inuenies, pro quo suppone ex dicto Concilio Trident. posse Episcopũ ordinare familiarẽ suum nõ subditum, si per triennium secum fuerit commoratus, & beneficiũ quacumque fraude cessante illi conferat; hoc supposito ad quæstionem propositam affirmatiuè respondet Sanchez *in opusc. to. 2. lib. 7. c. 1. dub. 20. n. 24.* vbi sic ait: Familiares, vel famuli familiarium Episcopi, qui expensis Episcopi aluntur, dicuntur familiares Episcopi, & fruuntur priuilegio dicti cap. 9. Tridentini. pro hac sententia est Mandosius *reg. 3. Cancell. quæst. 16.* vbi dicit, familiares familiarium Cardinalium frui priuilegio familiarium Cardinalis, & adducit etiam Salicetum, Oldradum, & Henriquez.

Notandum est etiam hîc obiter contra Petrum de Ledesma *in summ. tom. 2. de sacram. Ordin. cap. 5. post 9. conclus.* quòd si Episcopus conferat beneficium in ea diœcesi, potest statim suum ordinare familiarem, non expectato triennio, quia tunc non ordinat prætextu familiaritatis, sed quia ratione beneficij sortitur domicilium in ea diœcesi, sicut si daret beneficium cuicumque extraneo, posset illum statim ordinare, quia acquirit ibi domicilium, iuxta *cap. 3. de temp. ordin. in 6.* Ita Sanchez *vbi suprà num. 25.* consultus cum Henriquez, quorum doctrinam ego assero etiam procedere, vt patet in famulo familiaris Episcopi.

RESOL. CXLVI. *An si quis recipiat beneficium per simoniam, vel si sit irregularis, teneatur dicere Horas Canonicas, & quæ quantitas reddituum beneficij obliget ad Horas?*

AD hunc casum ita respondet Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 73. num. 5.* Si aliquis recipiat beneficium per simoniam, vel existens excommunicatus, vel irregularis, vel non habens legitimam ætatem, vel in alio casu in quo collatio est nulla, non tenetur recitare Horas Canonicas, quia non habet titulum verum beneficij, nec facit fructus suos; sic quidam neotericus valdè doctus, qui

ita

itare ſolutum fuiſſe Salmanticæ à Patribus Societatis dicit: & benè aduertit, quòd ſi hic deberet petere in his caſibus reualidationem, & fructuum compoſitionem, ſi non recitauit, debet etiam explicare illam conditionem in compoſitione, aliàs tenebitur iterùm componere ſe de fructibus ob illam cauſam. Ita ille. qui etiam *vbi ſuprà dub.* 57. *nu.* 5. reſpondet ad ſecundum quæſitum, de quo etiam nos alibi, & ſic aſſerit: Quando fructus beneficij excedunt decem & ſex aureos, beneficiarius tenetur recitare. ſic dixerunt quamplurimi recentiores, maximè docti Magiſtri à me conſulti, & alij viri ex neotericis Magiſtris in ſuis ſcriptis, fauet Sotus de hac re conſultus, quia quamuis ponat pro bona parte ſuſtentationis, quando fructus ſunt octo aurei nummi, at his temporibus minus ſunt decem & ſex aurei, quàm ab hinc triginta annis, quando ſcripſit Soto, octo aurei, cùm res modò multo cariori pretio venundentur. Imò P. Doctor Henriquez retulit mihi, quòd conſultus Soto de beneficio, cuius redditus erant decem & ſex nummi aurei, reſpondit non obligare ad recitandum, & quidam maximè doctus recentior dixit, non minus quàm viginti aureos obligare. Ita Sanchez. Licet nouiſſimè Caſtrus Palaus *tom.* 2. *diſput.* 2. *punct.* 1 §. 2. *num.* 9. doceat, beneficium exiguos fructus habens obligare ad recitationem Horarum; ſed opinio Sanchez eſt probabilis, de qua etiam ego alibi.

RESOL. CXLVII. *An priuilegium quorumdam Abbatum conferendi Ordines minores duret adhuc, non obſtante Concil. Tridentin ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de reform.*

NEgatiuè reſpondet Henriquez *lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 2. *& in gloſſa lit. P.* quia hoc clarè videtur determinare Concil. Trident. *vbi ſuprà.* Et ita hanc ſententiam docet etiam Gauantus *in enchir. Epiſcop. ver. Abbas, num.* 31. vbi ſic ait: Abbas non poteſt conferre Ordines minores, neque primam tonſuram non ſibi ſubditis ex Concil. Trident. Ita ille, & nouiſſimè Mauritius Alzedo *in praxi Epiſcop. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 78.

Verùm nouiſſimè Thom. Sanchez *in opuſc. to.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 19. *num.* 20. affirmatiuam ſententiam putat probabiliorem, & ideò docet priuilegium conceſſum Abbatibus non reuocare Concilium Tridentinum, quia hoc priuilegium eſt conceſſum à VII. Synodo generali *cap.* 14. & habetur *in cap. quoniam, diſt.* 69. at reuocatio decretorum Concilij ſufficiens non cenſetur, niſi in ſpecie fiat eorum derogatio his verbis, non obſtante aliqua lege, vel conſtitutione etiam in Concilio generali ſtatuta, vt colligitur ex *cap. ex parte, & cap. vlt. de capellis monach. cap. eam te, de ætat. & qualitate, cap. nonnulli, de reſcript.* & tenet Couarruu. 4. *var. cap.* 16. *numer.* 6. Archidiaconus *cap.* 1. *de conſtitut. in* 6. Felinus *cap. nonnulli, de reſcript.* Alexander *conſ.* 187. *lib.* 1. Iacobatius *tract. de Conciliis, lib.* 5. *art.* 18. & per hoc dicit Nauarrus *in ſumm. cap.* 27. *numer.* 265. priuilegium conceſſum Religioſis *in Clem. dudum, de ſepult.* quia eſt Concilij generalis, quòd ſcil. ſi ſine iuſta cauſa repellantur ab Epiſcopo, cenſeantur approbati, non derogari per Concilium Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. decernens non poſſe Regulares audire confeſſiones, niſi ſint approbati ab Epiſcopo, quia Tridentinum *ibi* dicit, *non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis*, & non dicit expreſsè, non obſtante decreto Concilij generalis. Cùm ergo in noſtro caſu Tridentinum *vbi ſuprà* tantùm dicat, *non obſtante quocumque priuilegio*, nec dicat, non obſtante decreto Concilij generalis, non cenſebitur reuocatum tale priuilegium Abbatibus conceſſum in VII. Synodo generali. Item, quia priuilegium hoc Abbatibus conceſſum, eſt inſertum in corpore iuris, *cap. cùm contingat. de ætat. & qualit. cap. Abbatibus, de priuileg. in* 6. at in generali priuilegiorum reuocatione, qualis eſt, quæ fit in dicto loco Tridentini, non comprehenditur priuilegium inſertum in corpore iuris. Ergo non cenſetur reuocatum hoc priuilegium; & ita ego hoc tempore vidi titulum de prima tonſura Abbatis Benedictini, qui ordinauit ſæcularem plenè ſibi ſubditum cum Notarij teſtimonio, quod ſic ſolet facere. Hæc omnia Sanchez, ſatis quidem probabiliter, ſi non obſtaret declaratio Cardinalium in contrarium, quam adducit Quaranta *in ver. ordo.* Sed Lector circa præſentem quæſtionem non deſinat videre Gratianum *in diſcept. forenſ. tom.* 2. *c.* 112. *per totum.* & Flores de Mena *in qq. var. lib.* 2. *q.* 24. *per totam.*

Nota etiam quòd Sanchez *vbi ſuprà, dub.* 21. *nu.* 6. contra Henriquez, Rodriquez, & alios docet ſupradictos Abbates poſſe ſuis ſubditis ſæcularibus dare litteras dimiſſorias ad Ordines, neque hoc priuilegium derogare Concilium Tridentinum, & ita etiam tenet Tamburinus *de iure Abbatum to.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 7. *num.* 1.

RESOL. CXLVIII. *An dicatur Epiſcopus originis in cuius diœceſi natus eſt pater Clerici ordinandi?*

NEgatiuam ſententiam docet Emanuel Rodriquez, quem citat & ſequitur nouiſſimè Mauritius Alzedo *in praxi Epiſcoporum part.* 2. *cap.* 5. *numer.* 44.

At ego contrariam ſententiam teneo cum noſtro P. Molfeſio *in ſum. tom.* 1. *tract.* 2. *c.* 2. *num.* 7. vbi ſic ait: Quatuor modis quis dicitur ſubditus Epiſcopo vt poſſit ab illo ordinari. Primò ratione originis: ſecundò ratione domicilij: tertiò ratione beneficij: quartò, ratione familiaritatis. Primò igitur ratione originis poteſt quis ordinari ab Epiſcopo, vt ſi ipſe vel eius pater natus ſit in loco diœceſis illius. Ita ille, qui probat hoc ex gloſſa, & aliis Doctoribus, quibus ego addo Barboſam *de poteſt. Epiſc. part.* 2. *alleg.* 4. *n.* 7. & alios penes ipſum. Et ideò ſacra Congregatio Concilij *die* 16. *Decembris* 1599. *& 12. Auguſti* 1628. *& 7. Aprilis* 1629. declarauit, quòd quis ordinari poteſt ab Epiſcopo originis paternæ, tametſi pater tempore natiuitatis illius filij ad aliam diœceſim iam tranſtulerat domicilium.

RESOL. CXLIX. *An Canonici confabulantes dum Chorus cantat, lucrentur diſtributiones quotidianas?*

PRo negatiua ſententia adduxi *in* 1. *part. tract.* 12. *de Horis Canonicis, reſol.* 7. Suarez, Sotum, Aragonium,

gonium, Monetam, Cenedum, & alios; tamen aliqui, vt *ibi* adnotaui, affirmatiuam sententiam asserunt, cuius probabilitatem aliis iudicandam reliqui, sed modò assero dictam affirmatiuam sententiam esse probabilem, & ideò nouissimè illam tuetur Thomas Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 2. cap. 2. dub. 100. n. 2.* vbi sic ait: Canonici non attendentes, imò confabulantes in choro, lucrantur distributiones, nam dantur Canonicis pro assistentia in choro, & vt chorum sua præsentia auctorizent; item quia sic vsu receptum est. Hanc sententiam tenet Henriquez à me consultus, & quam plurimi ex neotericis admodum docti Magistri, & hæc videtur mihi probabiliot. Ita Sanchez.

Ex his infertur contra Petrum Nauarram *lib. 2. de restit. c. 2. n. 224. & 225.* & Petrum de Aragon *in 2. 2. D. Thom. q. 83. art. 13. in fine*, Canonicos qui assistunt choro, licet nec in choro, nec priuatim recitent Horas Canonicas, non teneri restituere distributiones quotidianas, quia dictæ distributiones dantur pro assistentia in choro, & sunt stipendium illius assistentiæ. ergo. Deinde in Concilio Lateranensi non recitantes tantùm obligantur ad restituendos fructus beneficiorum; sed distributiones non includuntur sub nomine fructuum. ergo. Ita Sanchez *vbi suprà dub. 101. nu. 2.* & alij docti recentiores, & hæc sententia mihi videtur satis probabilis.

Notandum est etiam hic obiter contra Syluestrum *ver. Hora, quæst. 10.* Angelum *eodem ver. n. 25. & 26.* & alios, Canonicos non assistentes in choro, nec recipientes distributiones quotidianas, non peccare mortaliter, nisi sequatur detrimentum cultus diuini. Ita Sandoual *lib. de offic. Eccles. part. 5. c. 8.* Tabiena *ver. Horæ, nu. 28.* & alij. Imò in tali casu nullo modo peccare, nisi, vt diximus, sequatur detrimentum cultus diuini, putat Medina *in 1. 2. q. 6. art. 4. ad 2.* Verùm si absque iusta causa Canonicus in tali casu abesset à choro, peccare tantùm venialiter, docet Sanchez *loc. cit. dub. 112. n. 6.*

Resol. CL. *An sit simonia permutare res spirituales, dummodo non sint beneficia?*

VT, v. g. si Monachus dicat alteri, Elige me in Prouincialem, & ego eligam te in Priorem: vel si aliquis dicat, Faciam pro te Sacrum, & tu fac pro me; audiam tuam confessionem, si tu audis meam. &c. & affirmatiuè respondet Richardus *in 4. dist. 25. art. 3. q. 1. ad 1.* Syluester *ver. simonia, q. 16. in fine*, Tabiena *eodem ver. q. 45. num. 46.* Armilla *nu. 42.* & Petrus Nauarra *de restitut. lib. 2. cap. 2. nu. 386.* nisi prædicta commutatio, ait Lopez *in instruct. part. 1. c. 299.* fieret ex beneuolentia & gratitudine absque aliqua obligatione.

Verùm contraria sententia docet in his casibus nullam adesse simoniam, quia iura prohibent commutationem beneficiorum; ergo cùm sint pœnalia, non debent extendi, & sic intelligendus est textus *in c. quæsitum, de rerum permut.* Confirmatur, quia simonia est commutatio rei spiritualis pro temporali; sed in dictis casibus, vel similibus, nil est temporale. ergo non potest esse simonia. Ita Aragon *in 2. 2. q. 100. art. 1.* Sotus *lib. 9. de iust. q. 5. art. 2. ad 3.* Victoria *in relect. de simonia, n. 17.* & hæc omnia docet nouissimè Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 2. c. 3. dub. 44. nu. 5.* vbi asserit ita sentire doctos recentiores.

Vnde ex mente supradictorum Doctorum infertur coruere ea, quæ tamquam certa asserit Peregrinus *ad nostras constit. part. 3. cap. 1. lit. I. §. 2. ver. sexto & septimo*, quia in casibus quos ipse *ibi* ponit, non commutatur spirituale pro temporali, sed spirituale pro spirituali, & illa officia licet sint spiritualia, non sunt tamen beneficia, vt supponit Peregrinus, nam multi, vt *infrà* videbimus, contrarium docent. & ita contra Lopez docet Sanchez *loco cit. nu. 4.* vbi sic ait: Hinc excusantur à simonia Monachi conuenientes inter se, Elige me in Prouincialem, & ego te eligam in Priorem; quia licet hæc officia sint spiritualia, at non sunt beneficia; sic docti iuniores. Hæc Sanchez.

Sed licet hæc opinio sit probabilis, ego tamen contrariam teneo, per ea quæ dixi *in 3. p. tract. 2. resol. 125.* & licet hoc efficere non esset simoniacum, esset tamen damnabile, ex aliis rationibus.

Resol. CLI. *An sit simonia dare pretium cuidam tertio vt intercedat apud alterum, vt ipse intercedat apud collatorem beneficij, vt beneficium illi conferat?*

AD hunc casum ita respondet Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 26. num. 7.* Si daretur pretium cuidam tertio, vt intercedat apud alterum cui non incumbit conferre, nec eligere, nec præsentare, vel iste tertius obsecret vt detur illi beneficium, hoc non esse illicitum, & nullo modo est simonia; quia datur pro re merè temporali, nec paratur via immediatè & proximè ad beneficium; sic Gabriel Vasquez disputato casu Matriti, & alij iuniores dicunt hoc esse probabile, licet sentiant oppositum esse probabilius, & consequenter ad hanc sententiam dicunt non esse simoniam, nec peccatū dare aliquid famulo Auditoris, vt obsecret suum herum vt me proponat Regi ad beneficium, quia Auditores non præsentant ad beneficia, sed Rex, & eorum suffragium est tantùm consultiuum, & sic non paratur via immediatè ad beneficium; secus si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, vt precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret vt me præsentaret Regi ad beneficium illius Regni. Sic docti recentiores. At licet hoc probabile sit, probabilius tamen est oppositum. Ita Sanchez. Igitur secundùm hanc supradictorum DD. sententiam non est simonia dare pretium Paulo vt intercedat apud Petrum, vt ipse Petrus intercedat pro me apud Ioannem collatorem beneficij, vt mihi tale beneficium conferat. Sed affirmatiua sententia videtur mihi sequenda, & an contraria sit probabilis, vt asserunt Vasquez, Sanchez & alij iuniores, remitto iudicio aliorum. Non desinam tamen hic apponere verba Turriani *in select. disp. cent. 2. censur. Theol. dub. 75.* vbi sic ait: An sit probabile asserere, quòd pro intercessione beneficij spiritualis comparandi potest dari pretium. Aliqui referuntur ita sentire, mihi tamen hæc doctrina displicet, neque audeo dicere esse probabile placitum. Ita ille, qui potest intelligi quando datur pretium mediato inter-

interceſſori cum ipſo collatore beneficij ; ideò totum relinquo iudicandum doctioribus , vt ſuperiùs dixi.

Notandum eſt etiam hîc , quòd ſecundùm aliquos probabile eſt, eſſe tantùm ſimoniam de iure humano dare pecunias mediatori pro interceſſione ad beneficium , quia reuerà hic non emit beneficium,ſed illam interceſſionem , quæ videtur quid temporale , vnde ſequitur , quòd cùm quis pretio dato pro interceſſione , mediante tali interceſſione obtinuit beneficium,non incurreret omnes pœnas ſimoniæ,& ſic valere collationem beneficij, nec alterum teneri reſtituere pretium , quia ſatis eſt probabile per ſimoniam de iure humano , qualis eſt hæc, non incurri has pœnas. Nec obſtat Extrauagans 2.de ſimonia , vbi excommunicatur mediator in ſimonia , quia hic interceſſor non eſt mediator, non enim offert alicui pretium vt conferat beneficium,ſed ipſemet eſt,qui ſimoniam contrahit, vendendo ſuas preces ad beneficium ; & hæc omnia docet Sanchez *loco cit.num.*10.quæ iudicanda etiam doctioribus relinquo.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis ponam pro curioſis pulchrum dubium. Petrus prætendebat quoddam beneficium curatum , & fecit cum Paulo,vt vulgò dicitur, *vna ſcommeſſa* , quòd ſi obtineret illud beneficium, dabit Paulo vncias ducentas; ſi verò illud non obtineret , Paulus illas dabit ei ; ſed hoc facto , poſteà Paulus interceſſit pro Petro,& obtinuit beneficium; quæritur , an in hoc caſu interceſſerit ſimonia ? Reſponſio huius dubij clarè colligitur ex his quæ adducit Sanchez *vbi ſup. num.*12.adi illum,& non pigebit.

Et idem Sanchez *dub.*28.*num.*7.*&*.8. docet quòd ſeruire Epiſcopo intendendo vt conferat beneficium non tamquam pretium ſeruitij , ſed ex gratia & beneuolentia cauſata ex ſeruitio , non eſt ſimonia;& licet aliqui limitent,modò non intendat ſeruire principaliter ob beneficium : at verius eſt etiã in hoc caſu non eſſe ſimoniam , ſi non vt pretium intendatur. Imò licet valdè ſcrupuloſum ſit, & ſuſpicione ſimoniæ non careat,ſi quis ſeruiat Epiſcopo gratis, eò quòd ſperet ab ipſo beneficium ; at ſi non ſperat vt mercedem ſeruitij , ſed gratis & ex beneuolentia,licet principaliter ſperet beneficium, non eſt ſimonia. Et licet aliqui dicant eſſe ſimoniã ſi detur beneficium ad exonerandum ſe ab obligatione antidotali , ſeu quæ oritur tantùm ex virtute gratitudinis ; vt ſi Prælatus det alicui beneficium, hoc expreſſo , quòd ea collatio ſit in remunerationem, & ad tollendam obligationem , qua ad antidotale debitum tenebatur;at verius eſt non eſſe ſimoniam,ſed licitum,quia debitum antidotale non eſt propriè debitum , nec pecunia æſtimabile. Ita Sanchez. Verùm penes ipſum Butrius, Panormitanus & alij in hoc vltimo contrarium ſentiunt.

Resol. CLII. *An ſi elector inclinet ad eligendum indignum,vel minùs dignum,poſſit dignior pretio redimere hanc vexationem?*

Reſpondeo negatiuè , quia eſt ſimonia redimere pecunia vexationem , dum quis habet tantùm ius ad rem,vt ſi quis iniuſtè vexetur , ne detur ſibi collatio beneficij,nam cùm adhuc beneficium non ſit ſuum , paratur pecuniâ via ad obtinendum beneficium ; ſed totum hoc accidit in caſu noſtro. ergo,&c.

Non deſinam tamen hîc adnotare ſecundùm opinionem Sanchez *in opuſc.tom.*1.*lib.*2.*cap.*3.*dub.*30. *num.* 7. eſſe ſatis probabile ſimoniam in hoc caſu non eſſe de iure diuino , ſed humano , vnde per eà quæ dictus Sanchez dixerat anteà *in dub.* 26. *num.*9. & 10.valeret collatio dicti beneficij,nec alter teneretur reſtituere.hæc,vt dixi, procedunt in opinione Sanchez ; qui tamen fortaſſe loquitur de pretio dando alicui tertio,cui infert vexationem.

Notandum eſt etiam hîc obiter , quòd licet aliqui probabiliter aſſerant quòd facta collatione beneficij , ſi quis iniuſtè impediatur accipere poſſeſſionem , non poteſt pecunia hanc redimere vexationem, quia poſſeſſio beneficij quid ſpirituale eſt: at probabilius eſt licere,quia tota ſpiritualitas poſſeſſionis eſt ratione tituli , in quo habet ius in re acquiſitum per collationem. Ergo , &c. Ita Sanchez *vbi ſuprà dub.*30.*num.*11.

Resol. CLIII. *An liceat vendere & redimere penſiones?*

Negat Aragon *in* 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. Henriquez *lib.*13.*c.*13 *num.*2.Nauarrus,Beia,Rebuffus,Salzedo , Lopez , Rodriquez , Corduba, & alij,quos citat Sanchez *vbi infrà*, pro hac ſententia plures adducens rationes;hæc ſententia eſt probabilis.

Sed non minùs probabilem contrariam eſſe puto. Dico igitur quòd omnes penſiones poſſunt pecunia redimi , dempta ea , quæ datur in titulum beneficij ob aliquod miniſterium ſpirituale futurum , coadiutori Epiſcopi , vel Parochi ſenis. Ita Sanchez *in opuſc.tom.*2.*lib.*2.*c.*3.*dub.* 46.*nu.*19. Ex his

Infertur primò penſionem , quæ ſolet aſſignari ſeni renuntianti beneficium ob labores præteritos exhibitos,poſſe redimi,quia non datur ad exercendum aliquod miniſterium ſpirituale , ſed tamquam alimentum illius Clerici,& ſic eſt temporalis.

Infertur ſecundò penſionem quæ datur Clerico pauperi,etiam poſſe redimi , quia eſt merè temporalis,non enim datur pro miniſterio ſpirituali , ſed tantùm in alimentum, vnde clericatus & Ordo ſacer tantùm ſe habet concomitanter.

Infertur tertiò penſionem quæ conceditur in renuntiatione & commutatione beneficiorum, cùm ſcilicet quis commutat beneficium pinguius, reſeruata penſione , aliqui tenent eſſe ſimoniam, eam redimere;ſed ſatis eſt probabile poſſe redimi, quia hæ penſiones ſunt merè temporales , nam iam ſunt extractæ à titulo & officio ſpirituali. Idem dicendum eſt de penſionibus quæ conceduntur ad componendam litem dubiam ſuper beneficio de illis quæ dantur perſonis omnino ſæcularibus , vt Principibus,militibus, &c. vel filio comitis, etiam Clerico , ob obſequia quæ pater Eccleſiæ præſtitit, nam poſſunt omnes abſque ſimonia redimi.& hæc omnia docet Sanchez *vbi ſuprà*, quæ breuiter notare volui, cùm indies occurrant.

Re-

RESOL. CLIV. *An ſi quis audit Miſſam è feneſtra domus, impleat præceptum?*

HIc Panormi adſunt domus è regione D. Dominici, & D. Franciſci, & Eccleſiæ ſcholarum piarum, ex quarum feneſtris quis poſſet Miſſam audire, quæritur an ſatisfaciet præcepto? De hoc caſu olim interrogatus fui ab Excellentiſſimo Principe Domino meo amantiſſimo Marchione Hieracenſi, & negatiuè reſpondi, nixus auctoritate Filliucij *tom.1.tract.5.c.7.n.209.* vbi ſic ait: Qui domi è regione, v.g. feneſtræ, vel portæ Eccleſiæ Miſſam audit, vel videt, non dicitur moraliter præſens, ideò nec ſatisfaciet. Sic ille. Et hanc ſententiam à fortiori docet Laurentius de Portel *in addit. ad dubia Regularia, ver. Indulgentia n.8.*

Non deſinam tamen hîc adnotare nouiſſimè Gordonum docere quòd ſi quis audiret Miſſam ſtando extra Eccleſiã, ſatisfacere præcepto: ſic enim ait *in Theologia morali tom.2.lib.6.q.7.c.2.§.3.num.12.* Debet auditurus Miſſam eſſe corpore præſens, ita nempe, vt poſſit vtcumque cognoſcere quid agat, & in qua Miſſæ parte verſetur Sacerdos celebrans, & dummodo hæc ſeruentur, ſatis eſt etiamſi ſit poſt Altare, vel extra Eccleſiam, ſic enim morali modo, imò & phyſicè dici poteſt de numero eorum, qui in Canone dicuntur circumſtantes. Ita ille. Sed in caſu noſtro non eſt recedendum à negatiua ſententia, nec doctrina Gordoni applicari poteſt, quia explicandus eſt in caſu quo quis eſſet extra Eccleſiam in eius atrio, ſeu cœmeterio.

RESOL. CLV. *An ſimonia realis & completa, ſolo tamen iure Eccleſiaſtico prohibita, ſubiaceat reſtitutioni & pœnis ſimoniæ?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Malderus *in 2.2.D.Thom.tract.9.cap.3.dub.18.§. tertio loco dicendum eſt.* Villalobos *in ſumm.tom.2.tractat.37. diffic 39. num.2.* & ideò Nauarrus *in cap. ſi quando, de reſcript. except. 4. in fine*, aſſerit incurrere excommunicationem, & collationem eſſe nullam, ſi aliquis diceret, Renuntio meum beneficium, vt tu renunties tuũ; & tamen hæc ſimonia eſt tantùm de iure poſitiuo. Idem hoc etiam aſſeruit quando quis renuntiat reſeruata penſione, quæ etiam eſt ſimonia de iure humano. Facit etiam Felinus *in cap. ad audientiam, el.2. de reſcript.* & Panorm. *in ca. ex parte, el 1. de offic. delegat.* vbi docent eſſe ſimoniam de iure humano, ſi quis renuntiat vt detur beneficium certæ perſonæ, & tamen aſſerunt nõ valere collationem, nec renuntiationem factam alteri. & ita hanc ſententiam præter DD. citatos docet Valent. *tom.3.q.16.punct.6.* Bonacina *de ſimonia diſp.1.q.7.§.2. num.10.* & Filliucius *tom.3.tract.15.cap.13. quæſ.3. numer.7.* aſſerentes quoad pœnas non eſſe diſcrimen inter ſimoniam iuris naturalis, & poſitiui, quod patet *in Extrauag.2. de ſimonia.*

Verùm, his non obſtantibus, cum Leſſio *lib.2. c.35.dub.25. nu.141.* & Reginaldo *tom.2.lib.23.cap.12. num.184* probabilem puto contrariam ſententiam, quam nouiſſimè tuetur Sanchez *in opuſc. tom.2. lib.2.cap.3. dub.108. num.3.* & ante illum Aragon *in 2.2.D.Thom. q.100. art.6.* & Petrus Nauarra *de reſtit.lib.2.cap.2.à num.436.* cum aliis aſſerentibus pœnas ſimoniæ non incurri in caſu quo adeſt tantùm ſimonia iuris poſitiui & humani, vt in permutatione beneficiorum inter duos beneficiarios facta propria auctoritate reſeruatione penſionis ſine auctoritate Papæ, promiſſione beneficij pro ſuffragio in electione ad Epiſcopatum, promiſſione, ſeu donatione pecuniæ mediatori pro interceſſione beneficij, &c. Igitur in his caſibus ſecundùm opinionem probabilem ſupradictorum auctorum ſic facientes peccant quidem, non tamen ſunt excommunicati, nec priuantur beneficiis ſic receptis ipſo iure, nec tenentur fructus reſtituere. quæ omnia probat Sanchez ex *d. Extrauag.* 2. ſic enim incipit, *Cùm ſcelus ſimoniacæ prauitatis tam diuinorum, quàm ſacrorum Canonum auctoritas abhorreat.* Ergo loquitur de ſimonia diuino ſimul & canonico iure reprobata, nam præfatio legis dat intellectum toti legi, & ex ipſa regulatur, & cauſam finalem accipit, vt tradit ex multis Molina *de primog.lib.1.cap.5. nu.3.* & alij communiter. Ceteras rationes videbis apud Sanchez *loc. cit.* qui meritò excipit ab hac doctrina ſimoniam confidentialem, quæ ſubdita eſt pœnis, licet aliquando ſit tantùm iure humano prohibita, vt quando quis renuntiat beneficio, pacto inito, vt ſibi, vel alij poſteà reddatur, vel cum reſeruatione penſionis, non ſibi tamen, ſed aliis ſoluenda. Excipe etiam quando datur aliquid Notariis, vel Officialibus Epiſcopi, licet etiam ſit ſimonia iure humano, nam in tali caſu incurruntur pœnæ Trident. *ſeſſ.21.cap.1.de reform.* & circa præſentem quæſtionem ne prætermittas videre Adamum Tannerum *in 2.2.D.Thom. diſput.5.quæſt.8.dub.4.numer.95.* Vnde ex ſupradictis ſaltem poſt factum habebunt Confeſſarij probabilia principia ad ſedandos ſcrupulos, & pacandas conſcientias, maximè, vt *ſuprà* dictum eſt, quando aliquis obtinuit beneficium propter pecuniam datam mediatori, qui caſus ſæpiùs ſolet accidere, de quo Sanchez *vbi ſuprà in opuſc. tom.2.lib.2. cap.3. dub.26.num.10.* & quando electores conueniunt vt alter in vna electione ſuffragetur vni, & alter ſuffragetur in altera, de quo caſu vide Villalobos *in ſumm. tom. 2. tract.27.diffic.24.n.1.*

RESOL. CLVI. *An Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, Guardianatus, Prioratus, &c. includantur ſub nomine beneficij ad incurrendas pœnas ſimoniæ?*

AFfirmatiuè reſpondet per *Extrauag. 2. de ſimonia*, Filliucius *tom.3.tract.15. cap.4. quæſ.7.nu.87.* Suarez *tom.5. diſp.22. ſect.5. num.24. & diſp.31.ſect.4. num.45.* Nauarrus *in manuali cap.27.num.116.* Reynerius *in catal.cenſ.cap.9. excommun. 12.* Caietanus *ver. excommunicatio, cap.75.* & hanc opinionem de noſtris Conſultoribus, Definitoribus, Præpoſitis, &c. docet etiam Peregrinus *in conſtit.part.3.cap.1. litter.I.§.2.ver. ſeptimo.* vbi aſſerit ſupradicta eſſe beneficia regularia, & qui illa ſimoniacè obtineret, in pœnas latas contra obtinentes beneficia cùm

ſimo-

ſimonia incurreret, & nouiſſimè idem docet Reginaldus *in praxi tom.2.lib.23.cap.12. nu.* 182. & mutans ſententiam Leſſius *in nouiſſ.editione Lugdunenſi* 1622.*lib.* 2. *c.*35. *dub.*25. *num.*137. & tandem Sanchez *in opuſc.tom.*2.*lib.*2.*cap.*3.*dub.*104.*num.*5.*&* 11.*& dub.* 107.*num.*3.

Sed aliqui contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe putant, & illam tuetur Barboſa *in collect. tom.*3.*lib.*5.*Extrau.*2.*num.* 9. Peirinus *de Relig. ſubdito, tom.*1.*quæſt.*1.*c.*31.§.9.*dict.*21. Azor *part.*3. *lib.*12.*ca.*21. *q.*6.*ver.quæres*,& Bonac.*tom.*1.*de ſimonia, diſp.*1.*q.*7.§. 2.*n.*4.ex iiſdem verbis *tom.*3.*diſp.*2.*q.*3.*punct.*24.*n.*4. & alij penes ipſos, aſſerentes ſub nomine beneficij intelligi ea ſolùm,quæ propriè beneficia vocantur, & ſi *in d. Extrau.*2.*de ſimonia*,Papa voluiſſet quælibet officia ſpiritualis regiminis complecti,clariùs locutus in illa fuiſſet, & ideò cùm in materia pœnali verſemur,verba non ſunt interpretatione amplianda,ſed potiùs reſtringenda. Vnde in materia pœnali non valet argumentum à pari, vel à minori ad maius,ſed proprietati verborum ſtandum eſt.& *in d.Extrau.*nomine officiorum Eccleſiaſticorum non intelliguntur quælibet officia Eccleſiaſtica, ſed beneficia, vt patet ex verbis antecedentibus & conſequentibus. nam vt Summus Pontifex omnia beneficia generaliter comprehenderet,vſus eſt dictis verbis, quia fieri poteſt vt aliquod beneficium aliquibus in locis *Officium* vocetur.

Verùm,his non obſtantibus,ne diſcedas à prima opinione affirmatiua, quam præter Doctores citatos tenet Portel *in dub.Regular.tom.*1.*ver. ſimonia, n.*5. Hieronymus Rodriquez *in compen.qq.Regul.reſ.*129. *n.*5.Tamburinus *de iure Abbatum tom.*2.*diſput.*10.*q.*5. *n.*3.*&* 4.Gordonus *in ſumm.to.*2.*lib.*7.*q.*13. *c.*4.*n.*70. & Sebaſtianus à Bononia *in tract. de elect. part.* 2. *c.*1. *dub.*58.*n.*18.cum quo in vno caſu libenter negatiuæ ſententiæ adhærerem,quando officium Eccleſiaſticum obtentum ſimoniacè penderet ex arbitrio delegantis, vt ſunt Vicariatus domus in noſtra Religione, qui dependent ad libitum ex voluntate Præpoſiti.

Ex his reſoluitur illa quæſtio, an mediatores ſimoniacæ electionis ad Prælaturam aliquam Religionis,incurrant in excommunicationem? Doctores qui aſſerunt has Prelaturas non includi ſub nomine beneficij,negatiuè reſpondebunt,& ita Peirinus *vbi ſup.dict.*24.ſic ait: Qui fuit mediator ad cõſequendam aliquam dignitatem in Religionibus mendicantibus, non incurrit excommunicationẽ *Extrauag.*2.*de ſimonia*.Ita ille.Sed Doctores ſentientes has Prælaturas eſſe beneficia ad caſum propoſitum,affirmatiuæ ſententiæ adhærebunt.

RESOL. CLVII. *An tantùm ſimonia in beneficio & ordine & ingreſſu Religionis ſubdatur pœnis, & de aliis caſibus benignioribus circa materiam ſimoniæ?*

REſpondeo affirmatiuè, vnde aliæ ſimoniæ etiam reales & completæ non ſubduntur pœnis ſimoniæ, & ita docet Adamus Tannerus *in* 2. 2. *D. Thom.diſp.*5.*q.*8.*dub.*4.*num.*95.vbi ſic ait:Nulla ſimonia inducit pœnas iuris ipſo facto, niſi in Ordine, beneficiis & Religionis ingreſſu. Vnde ſi quis in aliis Sacramentis conferendis, vel accipiendis in conſecrationibus,benedictionibus, diſpenſationibus,in penſione vendenda & emenda, vel redimẽda, in Vicaria temporali conferenda, ſimoniam committat, grauiter quidem peccabit, non tamen contrahet pœnam excommunicationis, ſuſpenſionis, aut inhabilitatis, quod proinde itidem dicendum videtur de permutantibus ſine debita auctoritate beneficia. Ita ille. & ante illum Leſſius *lib.* 2. *c.*35.*dub.*23.*nu.*130. & nouiſſimè Gordonus *in Theologi mor.tom.*2.*lib.*8.*q.*9.*cap.*3.§.1. *nu.*8. & Sanchez *in opuſc.tom.*1.*lib.*2.*cap.*3.*dub.*107.*num.*3.quia non datur alius textus puniens ſimoniacos, niſi *Extrauag.*1.*&* 2.*de ſimonia*,in quibus ſupradicti ſimoniaci tantùm puniuntur; hinc præter ſuperiùs dicta infert Sanchez, quòd vendens iuſpatronatus, licet ſit ſimoniacus, at non eſt excommunicatus, nec incurrit pœnas ſimoniaci,quia non eſt beneficium. Similiter ſi Canonici Sede vacante conuenirent, vt qui ex ipſis eligeretur Vicarius Capituli,diuideret cum reliquis ſalarium & emolumenta ex officio prouenientia,omnes eſſent ſimoniaci, nõ autem excommunicati, quia licet Vicariatus ſit quid ſpirituale, non tamen eſt beneficium.

Ex his infertur non eſſe audiendum Sotum *de iuſt.lib.*9. *q.*8. *art.*2. *prope finem*, aſſerentem omnem ſimoniacum incurrere excommunicationem, per *Extrauag.*2.*de ſimonia*, ibi, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam committit.* & *infrà, in beneficiis & officiis Eccleſiaſticis.* ergo comprehendit omnem ſimoniam.

Nam reſpondeo cum Sanchez quòd illa verba, *quomodolibet dando,vel recipiendo*,intelligũtur pro Ordine & beneficio, nam de hac tantùm ſimonia ibi Pontifex loquitur, & ſub nomine officiorũ Eccleſiaſticorum intelliguntur beneficia, vt docent cõmuniter Doctores,quos penes Sanchez habebis.

Non deſinam tamen hîc obiter apponere quæ poſt diſcuſſam materiam de pœnis ſimoniæ collegit Adamus Tannerus *vbi ſuprà in* 2. 2. *D.Thom. diſp.*5.*q.*8.*dub.*4.*num.*99.vbi ſic aſſerit:Ex his quæ de ſimoniæ pœnis diximus, colliguntur hæc pronuntiata ad praxim notabiliora. Primò nullam ſimoniam inducere pœnas iuris (in quibus eſt etiam pœnalis reſtitutio accepti) niſi in Ordine, beneficiis & Religionis ingreſſu, ex probabili ſententia. Secundò ſimoniam mentalem nec in his quidem ipſis, aut vllis aliis caſibus vllam pœnam iuris incurrere, ex cõmuni.Tertiò ex probabili, neque ſimoniam conuentionalem,excepta confidentiali,inducere ipſo facto illas pœnas iuris poſitiui. Quartò ex probabili, neque ſimoniam realem obligare ad reſtituendum ſpirituale ſimoniacè acceptum,præterquam beneficium. Quintò tandem ſimoniam (præter excommunicationem in Ordine & beneficiis, & ſuſpenſionem in Ordine) in ſupradictis caſibus obligare quidem ad reſtituendum temporale ſimoniacè acceptum etiam ante ſententiam, ſed ex probabili opinione ante ſententiã ſatis eſſe reſtituere ei à quo acceptum eſt. Sextò ſimoniam confidentialem ipſo quidem facto inducere excommunicationem, attamen iuxta probabilem ſententiam nec inhabilitatem ad beneficia, nec priuationem beneficij (niſi eadem ſimonia ſimul

etiam

etiam realis sit) in foro cõscientiæ ipso facto inducere, sed solùm in foro exteriori, adeoque post sententiam declaratoriam criminis. Septimò hoc idem verum habere in simonia, quæ committitur siue in electione Papę, siue in examine ad parœcias. Octauò & denique ex probabili sententia etiam electionem Papæ, etsi per simoniam factam, si alioqui à duabus tertiis partibus Cardinalium legitimè facta sit, non esse ipso facta irritam. Ex quibus licet quædam minùs probabilia, & meo etiam iudicio, falsa sint, propter auctoritatem tamen Doctorum probabilia & in praxi tuta censeri possunt. Hæc Tannerus *loco citato*. Sed si aliqua ex supradictis falsa sunt, vt ipsemet Tannerus fatetur, nescio quomodo in praxi tuta esse possint.

Et tandem pro coronide huius resolutionis ponam hîc ea, quæ Turrianus nouissimè *in disp. select. cent. 4. cens. Theolog dub. 59.* notauit. Sic enim ait: Vasquez aliique viri docti huius ætatis, senserunt non esse obligationem restituendi pretium acceptum pro collatione Sacramentorum, supponunt enim simoniam non obligare ad restitutionẽ ex iure naturali, sed ex iure positiuo. Secundò docent ius positiuum non loqui de hac simonia quantum ad restitutionem, sed de simonia in beneficiis, & multi viri de hoc interrogati in Hispania senserunt esse probabile, quibus ego subscribo. Ita ille.

Resol. CLVIII. *An Priores, Abbates, & alij Clerici curam animarum non habentes, teneantur inquirere pauperes vt ipsis eleemosynas faciant de superfluis ex redditibus Ecclesiasticis?*

Alibi satis firmaui ad hoc teneri Episcopos, & beneficiatos; nunc quæro an alij Ecclesiastici qui curam animarum non habent, ad id etiam teneantur? & affirmatiuè respondet Auendanus *in responsis, resp. 19. nu. 9.* Abulens. Honcala & Gregor. Lopez, quos citat Sanchez.

Sed ipse *in opusc. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 39. nu. 4. & 5.* contrarium docet, sic enim asserit: Laici non tenẽtur ex officio, seu statu suo quærere pauperes, sed sat est si occurrentibus subueniant: at Clerici habentes redditus Ecclesiasticos superfluos, tenentur quærere pauperes, tum quia ista bona superflua tenentur speciali vinculo pauperibus dare, & sic si non occurrant, tenentur illos quærere; tum etiam, quia ratione status specialis cura pauperum ipsis incumbit. Sed nota hoc esse verum de solis Episcopis & beneficiatis curam animarum habentibus, hi enim ratione officij tenentur ad id: at ceteri Clerici cùm pastores non sint, nec animarum curam habeant, non videntur ad id teneri. Ita Sanchez, qui citat Cordubam & doctos recentiores Magistros; sed de hac quæstione *inf.* iterũ redibit sermo.

Resol. CLIX. *An sit licitum sumere, vel applicare medicinam prouocatiuam effusionis seminis?*

Si nullum alium habet effectum, non est licitum, & oppositum asserere est improbabile & dignũ graui censura temeritatis, saltem, quia illicitum est procurare pollutionem per medium contra naturæ ordinem. Si medicina verò habeat alium effectum vtilem, quem ius intendit, licitum est applicare talem medicinam, non intendens pollutionem. Multa sunt exempla in materia de peccatis. Legantur Doctores agentes de delectatione morosa, vel de præcepto fornicationis. & hæc opinio non solùm est probabilis, sed vera, & idem iudicium est de alia causa pollutionis, quæ de se non est intrinsecè mala, & ex hac doctrina possunt excusari à censura multa, quæ docuit P. Thomas Sanchez *in materia de matrimonio*, agens de actu coniugali, quæ homines aliqui non benè cum illo compositi reprehendunt iniustè, quæ multi viri docti & pij à censura liberant. & hæc omnia docet Turrianus *in select. disp. cent. 2. censuræ Theologicæ, dub. 74.* Sed ego contrarium teneo, & puto in his materiis non esse laxandas habenas.

Resol. CLX. *An iuramentum promissorium de faciendo peccato veniali, sit tantùm peccatum veniale?*

Ad hoc dubium ita respondet Turrianus *in select. disp. cent. 3. censuræ Theolog. dub. 3.* Affirmatiuam sententiam aliqui putant improbabilem, quia si adducitur Deus vt fideiussor peccati faciendi, grauis iniuria illi infertur, contra summam bonitatem illius, quæ ratio efficacissima est contra illam opinionem, neque video pro illa opinione aliquod idoneum fundamentum, vnde mihi non est probabilis. Ita ille.

Verùm ego puto affirmatiuam sententiam esse probabilissimam, quam tuetur Valentia & Azorius, quos citat & sequitur Adamus Tannerus *in 2. 2. D. Thom. disput. 5. quæst. 5. dub. 1. num. 14.* vbi sic ait: Certum est iurantem se aliquid facturum quod est mortale, peccare mortaliter, etiam contra Religionem, per abusum iuramenti; venialiter autem si fuit veniale quod cum proposito implendi iurauit, vt habet communis opinio. Ita ille, & ante illum Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 28.* qui citat Suarez, Syluestrum, Caietanum, Nauarrum, Sayrum & alios, quibus ego addo Villalobos *in summa tom. 2. tract. 46. difficult. 4. numer. 4.* & Sotum *de iust. lib. 7. quæst. art. 3.* vnde miror communem hanc opinionem Turrianum vocare improbabilem, & ad suum argumentum respondet Sotus & alij *vbi suprà*; hinc cum Lessio *lib. 2. cap. 40. dub. 7. nu. 39.* & aliis dicendum est votum de peccato veniali esse tantùm peccatum veniale, quia paruitas materiæ excusat.

Resol. CLXI. *An sit opinio probabilis asserere in articulo mortis, præsente Parocho, posse quemlibet Sacerdotem absoluere moribundum?*

Aloysius Turrianus *in select disput. cent. 2. censuræ Theolog. dub. 77.* docet hanc opinionem esse improbabilem, & damnatam à Gregor. XIII. & quod dixit Concil. Tridentin. in articulo mortis posse quemlibet Sacerdotem absoluere, intelligendum est de articulo mortis & necessitatis, quando non est ibi proprius Parochus, huic enim necessitati voluit Ecclesia succurrere, & propter tale periculum mortis, probabilior opinio est eligenda, ne homo damnetur in æternum si minùs probabilis sit falsa opinio. Sic ille.

Sed,

Sed, vt verum fatear, hic auctor, vt ſentiunt etiam multi viri docti ex eadem Societate, rigidè & parum modeſtè ſe gerit in cenſurandis aliorum opinionibus, & ideò hanc opinionem, quam falſam ipſe vocat, probabilem eſſe puto cum illis 13. Doctoribus, quos citaui *in part. 1. tract. 5. reſol. 5.* quibus nunc addo ex ipſamet Societate Emanuelem Sà expurgatum, *in ver. Abſolutio, nu. 3.* & nouiſſimè Philibertum Marchinum *in tract. de bello diuino, ſeu peſte, part. 3. cap. 3. num. 10. & ſeq.* vbi ſic ait: Poteſt ſimplex Sacerdos in articulo mortis abſoluere à quibuſuis caſibus & cenſuris reſeruatis, non ſolùm in abſentia, ſed etiam in præſentia cuiuſlibet Confeſſarij approbati, vel Parochi, vel Superioris. Ratio eſt, quia ſimplices Sacerdotes pro articulo mortis pares ſunt quoad iuriſdictionē omnibus aliis Confeſſariis approbatis, nam ſi iſti ſuam habēt iuriſdictionem ab Epiſcopo, illi habent eamdē à Chriſto, vel à Concilio Tridentino, vel à Papa; neque ſolùm illam habent in defectum aliorum Confeſſariorum, ſed illam habent abſolutè & ſimpliciter, Concilium enim non appoſuit iſtas gloſſas & limitationes, ſed loquitur abſolutè: ergo neque nos illas apponere debemus. Ita ille. Concilium igitur nullum ordinem conſtituit, quia voluit in eo articulo ampliſſimum fauorem præſtare fidelibus. Adde quòd vt conceſſio vim ſuam obtineat, non requiritur vt motiuum legiſlatoris in ſingulis caſibus inueniatur, ſed ſufficit quòd interdum poſſit inueniri, quia non reſtringit conceſſionem ad caſus particulares quibus neceſſitas reipſa inuenietur, ſed generaliter concedit, quia neceſſitas interdum ſubeſſe poteſt, & ideò, vt dixi, hanc ſententiam puto probabilem eſſe, vt contraria probabilis etiam eſt, quam præter Doctores, quos *ſuprà* citaui, tenet P. Ochagauia *de Sacram. tr 2. de confeſſ. ſacram. q. 35. num. 4.* Ad rationes Turriani patet reſponſio ex his quæ dicta ſunt, & ex his quæ adducit ipſemet Turrianus *loco cit. part. 1. diſp. 21. dub 2.*

RESOL. CLXII. *An executor teſtamenti à teſtatore nominatus teneatur acceptare officiū, & ad id poſſit cogi?*

HIc caſus frequenter poteſt accidere, & ad illum reſpondet Spino *in ſpecul. teſtam. gloſſa 28. n. 18.* quòd licet non poſſit cogi acceptare officium executoris, at in foro conſcientiæ ſi ſine cauſa non acceptet, peccabit mortaliter, ex gloſſa *in cap. ſicut 11. q. 1. ver. vſum.* & *ibi* Archidiaconus, vbi docent peccare non accipientem arbitrium, vnde dictam gloſſam ſequuntur Imola *in cap. paſtoralis, de officio delegati, in princ.* & *ibi* Felinus *n. 6.* aſſerentes peccare mortaliter non acceptando officium arbitri, quando ſpes eſt, quòd partes ad concordiam reducet.

Sed ego puto quòd quando neque expreſsè, neque tacitè acceptauit officium executoris, non ſolùm non poteſt cogi, ſed neque tenetur acceptare, neque peccabit renuntiando, quia aliter hoc officium non eſſet voluntarium, contra communem Doctorū ſententiam, & ita docet Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 4. c. 1. dub. 42. nu. 4. & ſeq.* vbi etiam explanat, quando executor dicatur acceptare, vel non acceptare tacitè officium ſuum, & tenet cum Sarmiento *lib. 8 ſelect ſup. l. 1. ff. de legat. 2. num. 12.* contra Padillam *in dictam legem nu. 28.* non poſſe Iudicem compellere executorem teſtamenti ad officium accipiendum, etiamſi executor ſit conſanguineus teſtatoris, quod etiam mihi placet.

Notandum eſt etiam hic quòd in caſu ſupradicto, nempe quando executores nominati à teſtatore nolunt acceptare officium, tunc Epiſcopus eſt executor. Ita Sylueſter *ver. teſtamentum 2. q. 2. dicto 1.* Armilla *ver. executor, num. 25.* Tabiena *eodem ver. q. 15.* Angelus *nu. 21.* & Ancharanus *in cap. religioſus, de teſtam. in 6. n. 2.* vbi dicit, quòd ſi teſtator aſſignet eū, qui eſſe nequit, vel is obiit, exequetur Epiſcopus.

Et tandem nota hîc obiter id quod alibi etiam notauimus, quòd licet in foro externo executores habeant annum ad exequendum teſtamentum; hoc tamen non procedit in foro conſcientiæ, & ideò executor & heres, ſi cùm poſſint differant notabiliter ſoluere debita & legata defuncti, peccant mortaliter. Ita Nauarra *de reſtit. lib. 3. cap. 4. num. 165.* Nauarrus *in manuali cap. 25 num. 65.* quod ita verum eſt, vt aſſerat optimè Palacios Rubeos *rubr. de donat. §. 65. num. 19. & 20.* Azeuedus & alij, quos citat & ſequitur Sanchez *vbi ſuprà dub 53. num. 8.* executores & heredes non excuſari à peccato mortali quando differunt ſolutionem debitorum, & legatorum cauſa vendendi res defuncti maiori pretio, niſi differant vt rebus defuncti melius venditis copioſiores dentur eleemoſynæ, & augmentum eleemoſynæ eſt valdè magnum, tempus autem tarditatis eſt valdè breue, ita vt arbitrio boni viri melius ſit tardare, certum eſt omnino ſupradictos non excuſari quando differunt vt res meliùs vendātur, vt heredi proſit. quæ omnia notanda ſunt à Confeſſariis, quia in hoc ſcio & multùm doleo executores teſtamentorum multùm peccare.

RESOL. CLXIII. *An reſeruato peccato carnis contra caſtitatem externam includatur viſus, ornatus, &c. procedentes ex affectu interno?*

AD hunc caſum ita reſpondet Turrianus *in ſelect. diſp part. 2. diſp. 31. dub. 61.* Aliqui clarè pronuntiant, tale peccatum non eſſe reſeruatum, quia talis viſus non poteſt ab aliis cognoſci, & fieri poteſt tali modo, vt non ſit ſignum affectus interni, & intentio reſeruantis videtur ea eſſe, vt non fiat actus externus in ea materia, quę poſſet ſignificare internum affectum. Ego verò exiſtimo tale peccatum eſſe reſeruatum quando reſeruatio cadit ſuper omnem actum externum libidinoſum procedentem ex voluntate libidinoſa, quia talis eſt viſus prędictus, neque eſt fundamentum ad limitandam intentionem reſeruantis, & oppoſitum neque eſt probabile, neque tutum: ſuppono autem tale peccatum poſſe reſeruari. Sic ille. & ita etiam docet *in dub. 52.* ſed more ſuo excedit Turrianus *in cenſura ſupradictæ opinionis*, vnde ex eadem inclyta Societate Henriquez *lib. 6. cap. 14. num. 6. in gloſſa lit. I.* & Iacobus Granado *in 2. 2. D. Thom. contr. 1. tract. 15. diſp. 13. num. 14.* docent, non reſeruari, neque ſubiici excommunicationi peccatum, niſi quòd ſecundùm quantitatem operis externi, & non ſola relatione ad conſenſum internum, certò conſtet eſſe mortale.

RESOL. CLXIV. *An pro consecutione legati vt quis dicatur orphanus, debeat carere patre & matre?*

HIc casus frequenter potest accidere, & affirmatiuè respondendum omnino videtur, quia ille dicitur orphanus, qui caret patre & matre, prout communi calculo notarunt Doctores *in l. orphanotrophos, C. de Episc. & cler.* Sicardus *in rubr. C. quando Imperator inter pupil. & vid. num.* 3. Rolandus à Valle *lib. 1. consil. 76. num. 46.* Rebuffus *in constit. Franciæ, tit. de sentent. prouision. glossa finali, ver. secundò orphani.* Perez *lib. 3. ordinat tit 1. lib. 1. ver item est notandum.* Menochius *de arbitr. iudic. cas. 66. in addit. num. 7.* Castillo *controuers. iur. lib. 1. cap. 25. nu. 17.* & alij, & in terminis casus nostri Lara *de anniuers. lib. 1. cap. 21. num. 32.* pro consecutione legati puellas orbatas parentibus vocat orphanas.

Verùm, his non obstantibus, quoad consecutionem legatorum ego puto satis esse, vt quis dicatur orphanus, si careat tantùm patre, & ita hanc sententiam tenet Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 4. c. 2. dub. 63. n. 4.* vbi tamen *num. 2.* rectè reprobat Paulum de Castro asserentem orphanum esse orbatum matre; & ratio nostræ opinionis est, quia dum patrem habet, licet matre careat, non dicitur præsidio destitutus, cùm patrem habeat, cuius curæ subest, sicuti è conuerso cùm solam matrem habet, dicitur præsidio destitutus, quia non est sub matris potestate, nec mulieres prudentiam habent ad se gubernandas, nedum ad alios; & hæc sententia confirmatur ex Laurentio Valla *in elegan. lib. 4. cap. 33.* Alciato *lib. 1. prætermissorum, in ver. orphanotrophos.* Gregorio Tholosano *in syntagm. iuris part. 2. lib. 12. cap. 1. nu. 5.* & Gratiano *in disceptat. forens. lib. 4. c. 666.* asserentibus orphanos, vocari illos, qui carent patre, & præsidio paterno; sed an puella quæ habet patrem inutilem, dicatur orphana in ordine ad legata, iam suprà satis dictum est.

RESOL. CLXV. *An aliquando sint absoluendi qui nolunt dimittere occasiones proximas peccandi?*

DE hac quæstione alibi etiam actum est, nunc verò addam tantùm verba Iosephi de Ortu *in speculo Parochorum, cap. 10. num. 33.* vbi sic ait: Parochus non debet absoluere peccatores, qui dum ponunt, nolunt dimittere occasionem proximam peccandi, tamen iis infrà concurrentibus potest absoluere. Primò, si in peccatore est vera pœnitentia præteritorum; secundò verum & firmum propositum non peccandi; tertiò credulitas quòd Deo adiuuante, pœnitens ipse non peccabit cùm se inuenerit in illa proxima occasione; quartò si adsit aliqua rationabilis causa non separandi siue pro tunc, siue per aliquod tempus, erit exemplum si ex tali separatione damnum corporale, vel scandalum magnum sequatur, nihil obstat si concurrentibus iis, pluries etiam septuagies septies pœnitens reinciderit, quia per hoc non fit argumentum verum ad iudicandum non fuisse, neque esse veram pœnitentiam siue præsentem, vel præteritam, cùm natura humana sit labilis, & de facili mutetur de vno statu in alium: vnde notandum est, quòd qui in statu peccati est, & vult, non est capax absolutionis; qui verò in occasione peccandi est, iis suprà concurrentibus absolui potest. Absolutio pariter non est deneganda pœnitenti, qui vult cauere à peccato, sed credulitatem habet reincidere propter magnam consuetudinem quam habuit peccandi, ista enim credulitas relabendi non impedit quin absolutio pariat effectum suum, dummodò pœnitens, vt dixi, proponat non peccare, & illo tempore caueat. Idem censeo de iis qui legitimè sunt coniugati, & deinde habent aliquod impedimentum occultum pro quo veniunt separandi quoad thorum, expectando Pontificiam dispensationem, quamuis interim peccatum timeatur propter proximam occasionem, dummodò illa quatuor superiùs dicta concurrant, possunt absolui, in eadem domo simul conuersari, & alter alteri seruire, quamuis familiariter, & vti consanguinei simul cohabitent, eo maximè licebit, quando eorum separatio à longè esset scandalosa. Idem sentio de viris, qui artem medendi exercent in partibus secretioribus, maximè in mulieribus, & sæpè peccauerunt saltem morosis delectationibus. Idem sentio de Confessariis qui quotiescumque confessionem cuiusdam iuuenis, vel certæ mulieris audiunt, sæpè peccant. Idem sentio de pœnitentibus qui accedentes ad quemdam Confessarium se morosè delectant delectatione mala, vnde sæpè peccant, quando mutare non possunt absque nota infamiæ, vel scandali. Idem sentio de Magistris quarumcumque artium, qui docent puellas, vel pueros, & occasionem proximam habent peccandi, siue opere, siue cogitatione, siue locutione, quamuis non proponant dimittere artem, vel ministerium, dummodò quatuor illa superiùs allata concurrant, omnes absolui possunt, & hæc omnia docet Ioseph ab Ortu *vbi suprà*, quæ an omnia probabilia sint, iudicent viri docti, maximè exemplum de Medico, licet, vt alibi diximus, Castrus Palaus & alij hanc sententiam etiam doceant; sed ego eius probabilitatem etiam aliis iudicandam relinquo, mihi enim non placet.

RESOL. CLXVI. *An quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Iubilæa, quorum quodlibet requirit confessionem & communionem, teneatur qui vult illa lucrari bis confiteri, & bis Eucharistiam sumere?*

HIc casus frequens est, & illum ponit Aloysius Turrianus *in disput. select part. 2. disput. 31. dub. 64.* & sic respondit: Non deficit, qui affirmaret id, quia quælibet Indulgentia requirit peculiaria opera; sed longè probabilius est, non esse necessarium bis confiteri, aut sumere Eucharistiam, si pœnitens perseueret in gratia tempore vtriusque indulgentiæ, quia confessio & communio requiruntur in ordine ad dispositionem animæ, vt existens in gratia possit lucrari indulgentiam: secus de aliis operibus, sicut si quælibet indulgentia requirat dare eleemosynam, tunc enim necessaria esset dare duas eleemosynas, istæ enim non habent pro effectu primario emundare animam à peccato;

neque

neque videtur contraria intentio requirentis confeſſionem, & requirentis eleemoſynam, quando expreſsè nõ conſtat de voluntate requirentis duas confeſſiones diſtinctas. Ita ille.

RESOL. CLXVII. *An emens vicariatum Epiſcopi, teneatur reſignare, & Epiſcopus pretium reſtituere?*

QVoad primum affirmatiuè reſpondet Lopez *in inſtruct. part. 1. cap.* 307. Nauarrus *in manuali cap.* 23. *num.* 111. *ver. ad* 13. ſed contrariam ſententiam, cui tamquam probabiliori adhæreo, tenet Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.*113. *num.*6. & ratio eſt, quia vicariatus Epiſcopi non eſt beneficium.

Quoad ſecundum verò dubium, an Epiſcopus teneatur reſtituere pretium? eius reſolutio pendet ex illa quæſtione, an non tantùm pretium receptum pro ſimonia in Ordine, beneficio, & ingreſſu Religionis ſit neceſſariò reſtituendum? & affirmatiuam ſententiam docet Nauarra *de reſtit. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 405. *& lib.* 4. *cap.*2. *num.*134. Aragon *in* 2.2. *D.Thom. quæſt.*100. *art.* 6. D. Anton. *part.*3. *tit.*1. *cap.*5. §. 7. Sylueſter *ver. ſimonia, quæſt.* 20. *dicto* 2. *in fine.* Caietan. *in ſumma, ver. Reſtitutio, cap.* 4. Couarruuias *in reg. peccatum, part.*2. §. 2. *num.* 7. Lopez *vbi ſuprà*, & alij.

Sed licet hæc ſententia ſit probabilis, non minùs probabilem contrariam eſſe cenſeo, quam in terminis docet Thomas Sanchez *vbi ſuprà num.* 2. qui reſpondet ad omnes Canones, qui videntur facere pro affirmatiua ſententia, & ideò abſolutè docet nullo modo teneri reſtituere ante Iudicis ſententiam pretium recipientem ſimoniacè extra ſimoniam in beneficio, Ordine, & ingreſſu Religionis, quia iure diuino ad id non tenetur, vt probat *dub.*111. & ius Eccleſiaſticum nullum eſt quod obliget ante Iudicis ſententiam reſtituere, exceptis illis tribus caſibus; ergo, &c. Vnde hanc ſententiam, quòd iure Eccleſiaſtico non impediatur tranſlatio dominij, niſi in ſimonia in Ordine, beneficio & ingreſſu Religionis, tenet ex Thomiſtis Sotus *de iuſtit. lib.*9. *quæſt.*8. *art.*1. *ad* 6. *ver. porrò verò.* Vide etiam Henriquez *lib.*7. *de indulg cap.*35. *num.*4. *in gloſſ. litt. S.* Et hanc opinionem probabilem eſſe concedunt ipſi aduerſarij, vt Lopez *loco cit. part.*1. *cap.* 307. & tenent quidam docti recentiores, vt obſeruat Sanchez, qui hoc intelligit, & optimè, quando tradita eſt res ſpiritualis, ſi enim non ſit tradita, pretium eſt reſtituendum; & ponit alios duos caſus, in quibus pretium reſtitutioni obnoxium eſt. Verùm ex dictis oritur etiam pro praxi ſequens quæſtio, videlicet, cui ſit reſtituendum pretium receptum pro ſimonia in Ordine, beneficio & ingreſſu Religionis? & tale pretium eſſe reſtituendum Eccleſiæ in cuius iniuriam ſimonia commiſſa eſt, vel pauperibus, tradit D. Thom. *in* 2.2. *quæſt.*100. *art.* 6. *ad* 4. *& q.*32. *art.*7. *ad* 2. *& q.*62. *art.* 5. *ad.*2. Tabiena *ver. ſimonia, quæſt.* 76. *&* 77. D. Antoninus *part.*2. *tit.* 1. *cap.*5. §. 7. Aragon *in* 2.2. *quæſt.*32. *art.* 7. Caietanus *ver. reſtitutio cap.*4. & alij. Probatur hæc opinio ex *cap. de hoc, & cap. audiuimus, de ſimonia*, & tenet præter DD. citatos Leſſius *lib.*2. *cap.*41. *dub.*31. *num.*171.

Verùm licet hæc opinio ſit valdè probabilis, vt ait Bañez *in* 2.2. *quæſt.*32 *art.*7. *dub.* 2. tamen ego teneo in tali caſu, pretium ante Iudicis ſententiam eſſe reſtituendum danti; & ita docet Bañez *loco cit.* Molina *de iuſt. tom.*1. *tract.* 2. *diſp.*92. Medina *in ſum. lib.*1. *cap.*14. §. 21. Sotus *de iuſt. lib.*9. *quæſt.*8. *art.*1. & alij, quos citat & ſequitur Thom. Sanchez *in opuſc. tom.*1. *lib.*1. *cap.*3. *dub.*114. *n.*11. quibus ego addo Villalobos *in ſumm. tom.*2. *tract.*37. *diffic.*4. *num.* 2. & Gordonum *in Theol, moral. tom.*2. *lib.*8. *quæſt.*9. *cap.*2. §. 4. *nu.*7. quia dans non aliter abdicat à ſe dominium, niſi vt in recipientem transferat: ergo ſi recipiens eſt incapax, dominium remanet apud dantem; de quo non debet ſpoliari, niſi per legem aliquam, quę tamen non extat. nam textus citati pro contraria ſententia *vbi ſuprà*, applicantes Eccleſiæ iniuriam paſſæ pretium, ſunt in pœnam talis iniuriæ; ſed pœna non obligat ante Iudicis ſententiam: ergo, &c.

Notandum eſt tamen quòd cùm omnes ſupradictæ ſententiæ ſint probabiles, poteſt quis tuta conſcientia dictum pretium vel danti, vel Eccleſię, vel pauperibus reſtituere; & ideò ſi is qui recepit pecunias in pretium beneficij & Ordinis, ſit pauper, poteſt retinere ſibi dictum pretium. Ita Sanchez *vbi ſuprà nu.*12. *&* 13. qui etiam optimè excipit à dicta concluſione datum ſimoniacè pro gratia & iuſtitia, & datum pro ingreſſu Religionis. nam in primo caſu pretium ex Bulla Greg. XIII. reſtituendum eſt pauperibus; in ſecundo verò ex *cap. reniens, de ſimonia*, reſtituendum eſt danti.

RESOL. CLXVIII. *An qui ſeruiuit Epiſcopo cum intentione recipiendi beneficium, vt pretium ſeruitij, teneatur illud reſignare?*

REſolutio huius caſus pendet ex illa quæſtione, an ſimonia mentalis inducat pœnas ſimoniæ? & affirmatiuam ſentẽtiam docet Sotus *de iuſt. lib.*9. *quæſt.* 8. *art.* 1. *ad* 2. Maior *in* 4. *diſt.*25. *quæſt.*1. *art.*7. Medina *in ſum. lib.*2. *cap.* 14. §. 21. Medina Complutenſis *C. de reſtit. cap. de vſurar. reſt.* §. *iam ad rationes.* Henricus *quodlib.*6. *quæſt.* 26. Adrianus *quodlib.*9. & alij. Ratio eſt, quia vſurarius mentalis tenetur etiam ad reſtitutionem; ceteras rationes videbis apud citatos Doctores.

Sed ego contrariam ſententiam puto probabiliorem, & ita docet D. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.*100. *art.* 6. *ad* 6. Guttierrez *can. qq. lib.*2. *c.*23. *n.* 35. & alij, quos citat & ſequitur Villalobos *in ſum. tom.* 2. *tract.* 37. *diffic.*36. *num.*4. vbi ſic ait: *No ay derecho que obligue al ſimoniaco mental a que reſtituya, y es neceſſario guardarſe eſto en practica, porque fauorece a las animas, que es muy difficultoſo de hazer la reſtitucion, y dexar el beneficio, y de otra manera muchos de los criados de los Obiſpos eſtarian obligados a reſignar los beneficios, que les dan, porque ſiruen por eſſo principalmente que no hazen diſtincion de intencion primaria ni ſecundaria, ni aun la ſaben hazer.* Sic ille, & ideò hanc ſententiam docet etiam Sanchez *in opuſc. lib.* 2. *cap.*3. *dub.*105. *numer.* 5. vbi ita aſſerit: Hinc inferunt aliqui quòd ſi quis ſeruiuit Epiſcopo animo interno recipiendi beneficium, vt pretium ſeruitij, & Epiſcopus ei contulit beneficium animo etiam interno ſoluendi illi ſeruitium:

at exterhè nullũ etiam implicitè interfuit pactum, ſed vterque finxit gratis facere, recipiens beneficium non tenetur illud reſignare, nec Epiſcopus ſoluere ſeruitium, quia ſolùm fuit ſimonia mentalis, quæ ad reſtitutionem non obligat. Hæc Sanchez, qui citat Caietanum, Angles, & alios. Ad argumentum contrarium de vſura mentali reſpondet Villalobos *vbi ſuprà*.

RESOL. CLXIX. *An ſi quis vicit ludentem cum falſis chartis, vel taxillis, teneatur ad reſtitutionem?*

IMpertinens forſitan videbitur alicui hoc dubiũ, & tamen affirmatiuam ſententiam docuit Victoria, quem citat & ſequitur Lopez *lib. 2. de contract. cap.* 22. Garzias *de contract. part. 2. c.* 19. Alcocer *de ludo cap.* 21. Azeuedus *lib. 8. de recopil. tit. 7. leg. 2. nu.* 83. & alij, quia cùm ludus ſit contractus, debet in ipſo omnimoda æqualitas ſeruari: ergo vel neuter, vel vterque ludentium lucrari poteſt. Sed in noſtro caſu ludens cum falſis chartis & taxillis non poteſt lucrari, ergo neque alter colluſor.

Sed negatiuam ſententiam ſuſtinendam eſſe puto, quam tuetur D. Thom. *in 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2.* D. Anton. *2. part. tit. 1. cap.* 23. §. 3. Sylueſter *ver. ludus q.* 13. Tabiena *ver. reſtitutio q.* 17. Palacios Rubeos *rubr. de donat.* §. 81. *n.* 6. Henriquez *lib. 7. cap.* 35. *num.* 6. Auiles *in leg. Prætorum c.* 29. gloſſa Leyes *n.* 4. & alij, quia in noſtro caſu inæqualitas procedit ex culpa alterius ludentis; ergo non obſtat quin eius colluſor poſſit lucrari, qui impedimentum non apponit ex parte ſua, & ideò dicendum quòd ſi tractus ad ludum lucretur à trahente, non tenetur ipſe lucrum reſtituere, ſicut ſi trahens lucraretur.

Notandum eſt etiam hîc obiter Petrum, v. g. communiter non teneri reſtituere ob ſolam importunitatem, cum qua traxit aliquem ad ludum, ex eo quòd illi obiiciat ob miſeriã non ludere, &c. Ita probabiliter Sanchez *de matrim. lib. 4. diſput.* 10. *n.* 10. Alcocer *de ludo cap.* 21. Garſias *de contract. part. 2. cap.* 19. Licet aliqui magis probabiliter contrarium aſſerant, vt ipſe Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap.* 8. *dub.* 9. *nu.* 6. Caietanus & Bannez *in 2. 2. q. 32. art. 7.* Medina *in ſumm. lib. 1. cap.* 14. §. 28. Sotus *de iuſt. lib. 4. q. 5. art. 2.* & alij. Et idem dicendum eſt, ſi aliquis colluſor vellet dimittere ludum, & alter nolit, dicendo ſe non ſoluturum, niſi ludum ſuſtineat, vel dicat quòd tenetur ſuſtinere ludum, & alter ex verecundia perſeuerat, &c.

RESOL. CLXX. *An Archiepiſcopus Panormitanus peccet confirmando præſentationem digni, omiſſo digniori, factam ab Illuſtriſſimo Senatu huius vrbis in aliquam Parochiam: & an Senatus eligendo indignum, amittat pro illa vice ius eligendi?*

DE iure communi negatiuam ſentẽtiam tenendam eſſe non dubito, non ſolùm in foro externo, ſed etiam interno; ſed difficultas eſt de iure nouo Concilij Trident. *ſeſſ. 24. c.* 18. *de reform.* & ſtante conſtitutione Pij V. edita *ann.* 1566. vnde ductus hoc decreto Concilij & Bulla Pontificis aſſerit Petrus de Aragon *in 2. 2. q. 63. art. 2.* per illa corrigi ius commune, & ſic Epiſcopus non debet admittere præſentationem minùs digni, tamquam inualidam, omiſſo digniori.

Sed his non obſtantibus, contrariam ſententiam tenendam eſſe puto cum Sanchez *in opuſc. to. 1. lib. 2. c. 1. dub. 6. nu. 6.* Dico igitur Concilium & Pium V. noluiſſe in aliquo facultati patronorum derogare, & ſic præſentatio patroni facta de digno eſt valida, & per conſequẽs admittenda eſt neceſſariò à Prælato. Ratio eſt clara, quia à iure antiquo non eſt recedendum, niſi iure nouo expreſſis verbis recedatur; ſed hoc non accidit in caſu noſtro, nam Concilium non irritat præſentationem de digno factã, quæ de iure antiquo valebat, ſed tantùm præcipit, vt patronus eligat digniorem, quod etiam de iure antiquo tenebatur facere: ergo, &c. alias rationes videbis apud Sanchez.

Verùm dato, & non conceſſo, quòd opinio affirmatiua Petri de Aragon eſſet vera, non facit pro caſu noſtro, in quo patronus qui præſentat ad parochias, eſt laicus, nempe Illuſtriſſimus Senatus huius vrbis, & ideò ſecundùm probabilem ſententiam, quam ego ipſe adduxi *in part. 1. tr. 1. Miſcellan. reſol. 37.* poteſt præſentare etiam in foro conſcientiæ dignum, omiſſo digniori: ergo debet Archiepiſcopus Panormitanus præſentationem dictam confirmare, & ad id tenetur, & ſi nollet, poſſet cogi à Superiore, quia, vt ait Sanchez *loco cit. n.* 8. cõfirmatio eſt actus exterior, & iuridicus ab habente iuriſdictionem ad confirmandum; ſed talis electio eſt valida in foro externo, & etiam interno in caſu noſtro, ſecundùm probabilem opinionem: ergo. imò in caſu noſtro ſi maior pars Senatorum ciuitatis eligeret minùs dignum ad parochiam, minor verò digniorem, teneretur Archiepiſcopus confirmare dignum, nam præſentatus à minori parte, cenſetur non præſentatus. Ita Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez *num.* 11.

Et tandem nota, quòd licet communiter aſſerant Doctores, eligentem indignum priuari poteſtate eligendi pro illa vice, ex *cap. cùm in cunctis, § finali, de elect.* tamen ego puto contra Doctores, quos citat & ſequitur Padilla *in l. cùm quidam, ff. de legat. 2. n.* 17. Rochus de Curte *tract. de iure patron. ver. honorificum quæſt. 4. nu.* 15. Probus *in c. ſi tibi abſenti, de præben. in 6. num.* 53. textum illum non habere locum in patrono laico, ſed tantùm Eccleſiaſtico, vnde patronus ſæcularis ſcienter præſentans indignũ, poterit iterùm præſentare. Ita Doctores, quos citat ad ſatietatẽ, & ſequitur Sanchez *vbi ſuprà n.* 25. & ideò patet ex dictis, quòd ſi Illuſtriſſimus Senatus huius vrbis præſentaret indignum ad aliquam parochiam, non ex hoc priuaretur poteſtate iterùm alium præſentandi, nec in hoc poſſet inquietari ab Archiepiſcopo.

RESOL. CLXXI. *An Clerici id quod detrahunt ex neceſſariis ad decentiam ſtatus, viuentes parcè, teneantur pauperibus largiri ſicut ſuperflua?*

AFfirmatiuè reſpondet ex veteribus Panormitanus *in c. cùm omnes, n.* 15. *de teſtamentis*, & ex recentioribus Sarmiento *lib. de reddit. part. 3. cap. 5. n. 1. & ſeq.* vbi latiſſimè probant hanc opinionem.

Sed tu contrarium tene cum Alcocer *lib. de ludo c.* 38. Nauarro *lib. de reddit. quæſt. 1. num.* 59. Molina

de

de primogen. lib. 2. cap. 10. *nu.* 50. Auendaño *reſponſ.* 19. *n.* 12. & aliis communiter.

Notandum eſt obiter primò contra Innocent. *in cap. quia nos de teſtam.* Clericos de bonis quaſi patrimonialibus quæ lucrantur ratione alicuius miniſterij, vt pro Miſſis dicendis, pro adminiſtrandis Sacramentis, audiendis confeſſionibus, pro concionibus, pro officio alicuius vicariæ temporalis, pro comitandis defunctis, officiis decantandis, &c. poſſe diſponere ſicut de bonis patrimonialibus ad libitum. Ita Auendañus & Alcocer *vbi ſuprà*, quibus adde Sotum *de iuſt. lib.* 10. *quæſt.* 4. *art.* 3. *concl.* 3. & Driedonem *lib.* 2. *de libert. Chriſt. cap.* 4. qui etiam docent hoc procedere quoad bona quæ Capellani recipiunt ex Capellania collatiua, & ita tenet nouiſſimè Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 45. *nu.* 6. optimè obſeruans *num.* 7. *ſequenti*, idem dicendum eſſe de ſtipendiis & eleemoſynis, quas Clerici accipiunt pro aliquo miniſterio, ad quod ratione beneficij aliàs tenebantur, vt quod accipit Parochus pro adminiſtrandis Sacramentis ſuis ſubditis, beneficiarius pro anniuerſariis, & à fortiori contra Sarmientum *lib. de redditibus* 3. *part. cap.* 5. *nu.* 8. dicendum eſt Prælatos & Clericos poſſe liberè diſponere de ſtipendiis officiorum quæ à Principibus ſæcularibus acceperunt.

Sed difficultàs eſt quoad obligationem conferendi ſuperfluum pauperibus, an idem ſentiendũ ſit de quotidianis diſtributionibus ac de ceteris beneficij fructibus? & affirmatiuè reſpondet Sarmiento *vbi ſuprà num.* 6. Nauarrus *lib. de redditibus, quæſt.* 1. *num.* 74. Verùm probabiliter alij contrarium ſentiunt, & ita tenet Auendañus *reſponſ.* 19. *numer.* 12. Sylueſter *ver. Clericus* 4. *quæſt.* 4. Angelus *eodem ver.* 13. *num.* 3. & alij, quia putant diſtributiones dari propter diurnum laborem, vt illius ſtipendium; ſed prima opinio eſt probabilior, vt aſſerit Sanchez *vbi ſuprà dub.* 46. *n.* 4.

An idem dicendum ſit de penſionibus? aliqui aſſerunt habentes has penſiones titulo ſpirituali, ſed ſæculari, immunes eſſe ab obligatione dandi ſuperfluum pauperibus. Ita Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 18. *ad* 2. Couarr. *cap. cùm in officiis, de teſtam. num.* 6. Gigas *tract. de penſionibus quæſt.* 52. Sed circa præſentem quæſtionem vide Sanchez *loco citato, dub.* 47. *nu.* 5. 6. & 7. At de obligatione Eccleſiaſticorum dandi eleemoſynam, infrà iterùm redibit ſermo.

RESOL. CLXXII. *An Principes teneantur ad officia ſæcularia eligere digniores?*

AFfirmatiuam ſententiam cum Theologis & Iuriſtis docui *in part.* 1. *tract. Miſcellan.* 1. *reſol.* 66. quam etiam nouiſſimè docet Villalobos *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 8. *diffic.* 6 *numer.* 8. & 9. vbi ſic ait: *Cayetano tiene que no ay obligacion en el caſo de la tercera concluſion eligir el mas digno, el fundamento es lo vno porque el fin con que ſe inſtituyeron eſtos oficios no es premiar los ſubditos, ſi no ſolo prouecr a la vtilidad publica, luego no ay obligacion de juſticia diſtributiua de eligir el mas digno; lo ſegundo porque el Rey es ſeñor deſtos oficios, pues que los vende debecho, que ſi no, no los pudiera vender, y anſi ſiende ſeñor podra los dar a quien quiſiere como ſea digno. Al primero deſtos fundamentos ſe reſponde, que aunque el fin primario de la Republica en inſtituyr eſtos oficios, no es premiar los ſubditos, es el fin ſecundario como ſe dixo en los beneficios. al ſegundo reſpondo que el Rey no tiene pleno dominio en eſtos oficios, ſino ſolo gubernatiuo; y no arguye el contrario el venderlos, porque no los puede vender ſi no es en prouecho de la Republica, y con algunas moderaciones, loqual no fuera ſi tuuiera pleno dominio.* Sic ille, & ante illũ Molina *de primog. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 66. &, vt dixi, communis ſententia Theologorum & Iuriſtarum.

Sed his non obſtantibus, non eſt negandum contrariam ſententiam eſſe probabilem, & ideò Turrianus *in ſelect. diſp. cent* 2. *cenſ. Thelog. dub.* 87. ſic ait: An ſit probabile poſſe eligere Principem dignum ad officium ſæculare ſine peccato, relicto digniori. Affirmat Vazquez, & eſt ea opinio probabilis, & in praxi recepta. Hæc Turrianus.

Non deſinam tamen hìc apponere opinionem Sanchez circa præſentem quæſtionẽ, ideò *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 36. *nu.* 15. ſic aſſerit: Quando electio non fit per plura ſuffragia, ſed ab vno tantùm electore, nec eſt neceſſariò facienda de partibus illius communitatis, probabilius eſt contra ſecundam ſententiam non eſſe acceptionem perſonarum, nec peccatum mortale prætermittere digniorem, vt quando Rex eligit Præſides, vel Auditores Regios, vel Prætores, &c. Probatur, quia tantùm quis tenetur diſtribuere ſecundùm ordinem iuſtitiæ diſtributiuæ, & oppoſitum facere eſt acceptio perſonarum quando diſpenſat bonum commune quod debetur ciuibus in quantum ſunt partes illius Reipublicæ. Sed in hac electione illud officium non eſt bonum commune debitum ciuibus, in quantum ſunt partes illius communitatis: ergo. Ita ille. Igitur ſecundùm Sanchez in Sicilia, v. g. Rex non peccabit mortaliter, ſi eligat aliquem dignum in conſultorem in ſtratico, vt vulgò dicitur, ciuitatis Meſſanæ, vel in Proregem, relicto digniori, quia iſti eliguntur exteri; peccabit tamen mortaliter ſi eligat capitaneum, vt vulgò dicitur, ciuitatis Panormi, Iudices, & Præſidentes Regni, &c. dignos, relictis dignioribus, quia tenetur eligere ſupradictos de partibus iſtius communitatis, nempe Regni, vel ciuitatis.

RESOL. CLXXIII. *An qui, v. g. accipit gradum Doctoratus in aliqua Vniuerſitate publica, vt Meſſanæ, Catanæ, &c. non habens curſus requiſitos, vel non interfuit illis iuxta Vniuerſitatis ſtatuta, vel non ſit matriculæ adſcriptus, &c. peccet mortaliter?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Alcocer *in ſum. cap.* 27. & P. Henriquez conſultus de hac re, & hoc licet non interueniat iuramentum, quia Vniuerſitas non intendit conferre gradum patientibus defectum aliquem iuxta ſua ſtatuta.

Verùm contrariam ſententiam docet Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 57. *n.* 15. vbi ſic ait: Secluſo iuramento recipere gradum patientem aliquem defectum ex dictis, qui in foro conſcientiæ non annullant gradum, non eſt peccatum mortale, ſi ille aliàs eſſet dignus, & ſufficiens ad illum gradum, quia hi defectus non ſunt ſubſtantiales, & quod ſubſtantiale eſt, concurrit, ſcilicet promoti ad gradum ſufficientia: ſi autem iuramentum in-

terueniat tunc temporis, erit peccatum mortale, non ratione talis defectus interuenientis, sed ratione periurij, quod ille committit; sic docti iuniores. Hæc Sanchez, & ego. Vnde si in tali casu quis potest euitare iuramentum, minimè peccatum lethale committet.

RESOL. CLXXIV. *An tributum sit iniustum eò quòd indirectè grauentur Clerici?*

NEgatiuè respondet Sanchez *in opusc. to.1. lib 2. c.4.dub.55 nu.* 40. vbi sic ait: Impositionem factam sæcularibus arietes vendentibus in macello, quod vocant *Bustro*, quòd scilicet ex singulorum arietum pretio duos soluant argenteos, non esse illicitam, licet inde resultet quòd Ecclesiastici cariùs emant. Probatur, quia non est iniustum tributum, eò quòd indirectè grauentur Clerici, nam ex alcauala, & vectigalibus, id est, *pasajes*, quæ mercatores ex mercibus soluunt, quas ab vno loco in alium transuehunt, & vendunt, sequitur, quòd Clericis cariùs stent merces illæ, & non ob id sunt iniusta vectigalia illa. Insuper hanc sententiam tenent aliqui Doctores qui proponunt hunc casum, an possit imponi tributum super carnibus, vino, &c. indistinctè sine exceptione Ecclesiasticorum, & obiiciunt videri non esse licitum, quia inde indirectè grauantur Clerici, cùm hæc cariùs emant, & posita hac obiectione respondent, quòd si faciunt animo iniuriandi Clericis, & extorquendi pecunias, quas alio modo extorquere nequeunt, est illicitum; si verò non hoc animo, quia licet non essent Clerici, adhuc imponerent, nec imponunt magis super his, quę sæpiùs emuntur à Clericis, est licitum, nec possunt conqueri Clerici. Sic respondent Sylvester *ver. immunitas* 1. *quæst.6.in fine* Lopez *part.*1. *instruct.cap.* 190. Actensis *lib.6.summ.tit.* 30. Angelus *ver.immunitas, num.*42. At in hoc casu constat non malo animo iniuriandi Clero impositum esse tributum, quia licet non essent Clerici, imposuissent, & non magis imposuerunt in his quæ sæpiùs emuntur à Clericis, & sic tenuerunt docti recentiores Magistri. Ita Sanchez.

Sed hæc doctrina stante Bulla Cœnæ ibi directè, vel indirectè mihi nõ placet, & Doctores quos pro sua firmanda sententia adducit Sanchez, ego reprobaui *in* 1 *part.tract.*2.*resol.*82.

RESOL. CLXXV. *An emens victualia pro filio Clerico, vel Capellano suæ familiæ, teneatur soluere gabellas?*

AFfirmatiuè respondet Thom. Sanchez *in opusc. tom.*1.*lib.*2.*cap.*4.*dub.*54. *nu.*2. quia dominium eorum, quæ consumuntur, non est Clerici, sed patris, vel domini sæcularis; sicut Clericus, qui sustentat plures famulos sæculares, non tenetur soluere gabellam pro parte, quam famuli consumunt. sic docti recentiores. Ita Sanchez.

Sed contrariam sententiam prorsus tenendam esse puto, & ita communiter obseruatur, & præsertim in nostro Regno Siciliæ, vbi supradicti sunt immunes à gabellis pro victualiis emptis in sustentationem Clericorum, quia Clericus est ab omni exactione immunis pro ea parte, quam ipse consumit; nec valet dicere cum Sanchez, quòd dominium eorum, quæ consumuntur, non est Clerici, nam respondeo quòd sufficit, quòd illa victualia emantur pro Clericis, eaque ipsi consumant; & ita sentiunt plures Magistri Societatis Iesu, & aliarum Religionum de hoc casu à me consulti. Adde quòd in tali casu patres possunt donationem facere filiis de tota illa summa quam expensuri sunt pro illis, & posteà eorum nomine illam in eorum seruitium expendere, & sic cessaret ratio Sanchez.

RESOL. CLXXVI. *An quis possit licitè emerè à sartoribus fragmenta, quæ supersunt ex vestibus, etsi iustè ipsi ea sibi retinent?*

HIc casus frequentissimus est, & erit Confessariis multùm plausibilis. Negatiuam sententiã docet Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 25. diffic. 13. num.6.* vbi sic ait: *Muchas vezes aconteçe que los criados se quexan que no les pagan loque merecen, y toman ellos secretamente algo de mas por via de recompensa, y aun los officiales y sastros tambien, y se quedan por esso con sobras, ò retazos de la obra, y quanto a esto digo con Soto, Nauarro, y Rebellio que estos criados cometen hurto, si no es que los hagan seruir por fuerça ò engaño. la razon es porque si el salario llega al infimo precio justo basta, que no les deuen mas, y si no llega y no les consta cierto es que no lo podran tomar, y quando dixesen que no llega al infimo precio parece que no se les puede creer, porque si ellos hallaran otro que les diere mas, no seruieran aquel amo, y pues no le hallan, son como mercaderias que se ruega con ellas, y por esso valen menos, que los seruicios valen menos por falta de amos, como las mercaderias por falta de mercaderes, y ansi no tienen de que se quexar, y si dizen que siruen con mas fieldad y puntualidad, respondaseles que no merecen mas en dinero. si no en otros agradecimientos. Confirmase esto porque en este caso no tuuiera al amo al criado, si entendiera que le costaua tan caro, y es contra razon y justicia querer que otro compre ò alquile por el precio que el no quiere pues es libre, y ansi rarissimas vezes se puede justificar esta recompensa si no es que interuenga miedo, ò fuerça lo que toca a los sastres, y otros semejantes se ha de jusgar por el mismo camino, y ansi no pueden recompensar el precio por dezir que les dan poco por lo que hazen si no huuiese miedo ò fuerca, y en lo que toca a las sobras y retacos con que estos algun vezes se quedan. mi parecer es que quando se entiende de la voluntad presumpta del señor de la Obra, que no quiere que le bueluan las sobras se podran quedar con ellas, y tal creyeria yo que es quando fuese de poco valor lo que sobra, como suelen ser las cercenaduras, y lo que queda de los huecos de la ropa que hazen, porque todos saben que queda esso y nadie lo pide, mas si quedasse cosa de consideracion como es algun pedazo entero, que puede seruir, no se pueden quedar con ello, y ansi quando les pide vno que saquen el paño ò seda que es menester para vna ropa y ellos piden mas de lo necessario, porque haya sobras no tienen escusa que es hurto manifiesto, y estan obligado a restituyr.* Hæc Villalobos.

His tamen non obstantibus, nouissimè Thom. Sanchez contrarium docet, sic enim asserit *in opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 3. num* 4. Si fragmenta quæ supersunt, etiam essent magna & magni valoris, licitum est ea emere à sartoribus magistris, non verò ab officialibus, id est, famulis, quia illis communiter minus soluitur, quàm merentur fracturæ:

atque

atque ita mihi dixerunt multi ex timoratis, & rectæ conſcientiæ, cum quibus hæc contuli, & ſic ſibi compenſant, & ſatisfaciunt his, quæ ſuperſunt. quæ ratio non procedit cum famulis, hi enim pactum iniere cum magiſtro ſub certa quantitate, & modò in integrum ſoluatur magiſtro, vel non, hic illis in integrum ſoluit. Sic reſpondit mihi in quadam epiſtola ſuo nomine ſubſcripta quidam ſatis doctus recentior à me conſultus. Ita Sanchez. Sed, vt verum fatear, opinio Villalobos mihi magis placet; tamen ſi aliqui ſartores, vel Cõfeſſarij opinionem Sanchez ſequi vellent, eos ego non damnarem.

RESOL. CLXXVII. *An propter pietatem licita ſint opera ſeruilia in diebus feſtis?*

NEgatiuè reſpondet Caietanus *in 2. 2. quæſt. 122. art. 4.* Sotus *de iuſt. lib. 2. q. 4 art. 4. ad 3.* Lopez *in inſtruct. part. 1. cap. 52.* Nauarr. *in manuali, cap. 13. nu. 4. 10. & 11.* & alij communiter, quia non eſt prætermittendum opus Religionis, qualis eſt feſtorum obſeruatio, propter pietatem extra articulum neceſſitatis.

Non deſinam tamen hîc adnotare, contrariam ſententiam docere Palatium *in ſumma*, Caiet. *ver. feſtum*, Alcocer *in ſumma cap. 17.* Tabienam *ver. Feria, num. 18 37. & 41.* Perez *lib. 1. ordin. tit. 1 l. 5. fol. 41. & 42.* quia *in c. conqueſtus, de feriis.* cauſa pietatis permittuntur iudicialia in diebus feſtis; ergo & permitti debent ſeruilia. & hanc ſententiam probabilem putat Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 32. nu. 3.* nam negatiuam ſententiam quam ipſe tenet, vocat tantùm probabiliorem, & cum aliqua modificatione hanc ſententiam tenet Villalobos *in manuali Confeſſariorum cap. 22. numer. 80.* vbi ſic ait: *Las obras ſeruiles que ſe pueden hazer ſecretamente como coſer ſon licitas en fieſtas, quando ſe hazen por limoſna, mas no otras coſas mayores como edificar, que en tal caſo ſe ha de pedir licencia al Obiſpo.* Ita ille, vide etiam Michaëlem de Palacio *lib. 2. de contractibus, cap. 10 §. forſitan quæritat.* vbi ex gloſſa in noſtro caſu docet, quòd pietas & neceſſitas non ſubduntur legi; ſed mihi prima opinio magis placet, quam ſequitur Fagundez *de præcept. Eccleſ. præcept. 1. lib. 1. cap. 14. nu. 2.* & alij communiter.

RESOL. CLXXVIII. *An Epiſcopus ſine populi conſenſu poſſit inſtituere dies feſtos?*

NEgatiuè reſpondet Michael de Palacio *lib. 2. de contractibus, cap. 10.* vbi *in fine* ſic ait: Si quæritur aliquis, num Epiſcopus ſolus poteſt præcipere dies feſtos obſeruari? & quidem ſi Epiſcopus ſolus poſſet facere dies feſtos pro ſuo arbitrio, poſſet præcipere celebrari & obſeruari quos volet; at hoc eſſet in grauamen magnum populi, ſi quidem ſunt pauperes multi, qui ex officio ſuo & labore victitent, & ſi multiplicaret Epiſcopus feſta, iam ipſi grauarentur, quippe non haberent vnde ſibi ſufficientem pararent victum. Adde quòd *in cap. conqueſtus, de feriis*, ſic habetur: Ceteris feriandum ſolemnitatibus, quas Epiſcopi in ſuis diœceſibus cum Clero & populo duxerint ſolemniter venerandas. Igitur Epiſcopus ad inducenda feſta ſolus non habet auctoritatem, ſed ipſe cum Clero, hoc eſt, conſentiente ſuo Capitulo, & annuente populo, hoc eſt, populi rectoribus, debet ſtatuere huiuſmodi feſta celebrari. Vnde videtur quòd ſi contra tenorem huius Capituli fecerit, non teneri populum ad obſeruationem feſtorum; ſed quid ſi fulminat excommunicationis fulmen? Reſpondeo, facile eſt tunc prouocare ad Metropolitanum, aut ſi hic inſtituit propria auctoritate feſta huiuſmodi, ad Papam cauſam deferre. Ita Palacius *vbi ſuprà*, & Doctores, quos ad ſatietatem adducit, & ſequitur Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 5. numer. 6.* qui tamen confitetur ſatis eſſe ad feſta inſtituenda Epiſcopum cum Capitulo, quando Epiſcopus inſtitueret feſtum, & populus abſque cauſa iuſta contradiceret, tunc enim tali contradictione non obſtante eſt ſeruandum feſtum.

Verùm his non obſtantibus, licet de iure ſupradicta opinio vera ſit, de conſuetudine tamen aſſerunt aliqui, quòd dies feſti ſola Epiſcopi auctoritate adhibito conſilio Clericorum, non tamen ſuffragio, ſtatuuntur. Ita Fagundez *prec. 2. lib. 1. cap 3. numer. 11.* Imò Villalobos *in ſumma tom. 2. tract. 31. diffic. 1. n. 3. in fine*, aſſerit, *que ſolo el Obiſpo puede hazer fieſta a los Santos que tiene la Igleſia Romana pueſtos en el Kalendario.* Adde quod obſeruat Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 11. numer. 9.* & Fagundez *vbi ſupra*, in caſu, de quo loquimur, ſatis conſentire populum cum Epiſcopo per hoc ſolum, quòd non contradicat. & in Synodo poſſe Epiſcopum ſine populi conſenſu dies feſtos indicere, tradit Gauantus *in enchirid. Epiſcop part. 2. allegat. 105. num. 39.* Sit tamen Epiſcopus parciſſimus in inſtitutione feſtorum, vt aduertit Sayrus *in claui Regia, lib. 7. cap. 3. n. 16.*

RESOL. CLXXIX. *An ingreſſus mulierum in clauſtra virorum Regularium prohibeatur ſub peccato mortali?*

AD hoc dubium ita reſpondet Layman *in Theol. moral. lib. 4. tract. 5. c. 12. nu. 4.* ingreſſum mulierum in monaſteria virorum Regularium non ita certum eſt ſub peccato, aut excommunicationis cenſura prohibitum eſſe, tametſi enim allegari ſolet Bulla Pij V. & Greg. XIII. eſt tamen valdè probabilis ſententia aliquorum non fuiſſe mentem horum Pontificum nouo iure condito ingreſſum mulierum in Monaſteria virorum prohibere, ſed ſolùm paci & quieti Regularium proſpicere, ad quorũ Monaſteria Marchioniſſæ, Comitiſſæ, &c. prætextu priuilegiorum ipſis conceſſorum contra inſtituta eorumdem Regularium, & interdum non ſine moleſtia ipſorum ingredi præſumebant. Ita ille. Et licet pro contraria ſententia adducatur quædam declaratio Pij V. hanc auctoritatem non conſtare reſpondet Layman, qui etiam adducit Suarez *tom. 5. diſp. 22 ſect. 6.* vbi ſic aſſerit: In communi iure Pontificio, neque in aliis Pontificum decretis inuenio generalem legem prohibentem ingreſſum mulierum in monaſteria virorum ſub mortali, neque etiam ex natura rei, aut ex ipſa profeſſione video in hoc actu per ſe & intrinſecam malitiam; & ideò non exiſtimo in vniuerſum eſſe hoc peccatum mortale, ſi excludantur circumſtantiæ mali finis, ſcandali, violentiæ, iniuriæ Monaſterio illatæ, &c. Hæc Suarez. Sed hæc opinio

mihi non placet, vt nec Bonacinæ *vbi ſuprà punct.2. n.6.& punct.3.nu.1.* quia Bulla Pij V.clarè loquitur, & eſt in Bullario poſita.

Notandum eſt etiam hîc obiter aliquos docere feminas quæ licitè in caſibus permiſſis ingreſſæ ſunt in aliqua loca Monaſterij,excuſari ab excommunicatione, etiamſi poſtquàm ingreſſæ ſunt, ad vlteriora loca progrediantur, quia licet peccent contra obligationem clauſuræ, immorando, vel vlteriùs progrediendo, nihilominùs pœnam excommunicationis incurrere non videntur, quia hæc lata eſt contra feminas præſumentes ingredi Monaſteria Religioſorum; femina autem ingreſſa non dicitur ingredi,ſed immorari,vel ad loca Monaſterij ambulare, percurrere, aut viſitare: ergo, &c.& hanc opinionem probabilem eſſe docet Bonacina *tract.de clauſura,quæſt.5.punct.4.nu.16.*Sed aliquibus,& mihi,non placet.

RESOL. CLXXX. *An per renouationem votorum Regularium obtineatur remiſsio omnium peccatorum?*

HÆc reſolutio erit deuotis Religioſis multùm plauſibilis, & negatiuam ſententiam docet Sanchez *in ſumm.tom.2.lib.5. num.5.* & Tabiena *ver. Nouitius,in fine,*& poſt illos Bartholomæus de Vecchis *in praxi Nouitiorum diſp.13.dub.5. nu.7.* propterea quòd opus primæ traditionis difficilius ſit,& ex intentiore voluntate procedens.

Sed his non obſtantibus, ſententiam affirmatiuam refert & non improbat Sà *ver.Religio, numer.7.* & nouiſſimè illam docet Paulus Layman *in Theol. mor.lib.4.tract.5.cap.10. n.2.* nam vota quæ in Religione eduntur,ideò afferunt plenam remiſſionem peccatorum, quia continent perfectã hominis traditionem erga Deum.Sed hæc traditio non ſemel, ſed iterùm fieri & renouari poteſt: ergo etiam remiſſio peccatorum iteratò acquiritur, & ideò Villalobos *in ſumm.tom. 2. tract. 35. diffic. 26. num. 2.* ſic ait: *Pareceme que ſe puede creer piodoſamente,que todas las vezes que el Religioſo ſe acuerda que hizo profeſſion, y ſe alegra dello con tal affeto que ſi no vuiera profeſſado profeſſara de nueuo, que Dios nueſtro Señor le perdona todas las penas de los pecados ò caſi todas por eſte acto tan heroico,y por le menos por grandiſsima parte dellas;y por loqual algunos deuotos Religioſos vſan reyterar entre ſi la profeſsion quando ven que otros la hazen.* Ita ille.Ad argumentum verò,quod Sanchez adducit,reſpondet Layman, fieri poſſe vt renouatio votorum maiore animi conſtantia & determinatione ad Dei obſequium fiat, quàm prima traditio facta fuerat.Adde quòd cùm hæc ſint accidentalia, non nocent.Verùm ego puto non eſſe recedendum ab opinione negatiua.

RESOL. CLXXXI. *An votum pœnale obligèt ſola prima vice ad pœnam?*

HIc caſus erit frequentiſſimus, maximè in Sicilia,vbi tam facilè emittuntur vota; & negatiuè reſpondet Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib.4. cap.22. num.21.*putat enim obligare pro ſemper, nam, v.g. qui abſolutè vouet ſe non luſurum, non pro ſola prima vice obligatur,ſed ſemper: ergo nec qui vouit aliquam pœnam ſi luſerit, vel non ludere ſub certa pœna, obligabitur ſola prima tranſgreſſione ad pœnam,cùm pœna acceſſoria ſit illi actui tamquam principali,& ideò eius naturam debet ſequi.

Sed his non obſtantibus, ſi ſpectatis omnibus circumſtantiis dubium maneat de intentione vouentis,an fuerit in perpetuum ſibi interdicere peccandi facultatem ſub propoſita pœna, tale votum obligare tantùm pro prima vice, probabiliter docet Layman *in Theol.mor.lib.4.tract.4.cap.5.n.4.*quia cùm de obligatione voti agitur, benignior pars in dubio eſt amplectenda, & ideò hanc ſententiam docet etiam Emanuel Sà poſt Romanam correctionem *ver.votum,num.26.*vbi ſic aſſerit: Vouens ſe aliquid facturum, ſi contingat fortè peccare,intelligitur de prima vice,niſi intendiſſet expreſsè,quoties peccaſſet.Ita ille,& ego.

Notandum tamen quod etiam ſtando in opinione Sanchez, limitanda ſecundùm ipſum erit in caſu,quo pœna grauiſſima eſſet,& quæ iterari non ſolet, nam tunc votum illud pro ſola prima tranſgreſſione obligabit: vt ſi quis vouiſſet non ludere ſub pœna peregrinandi Hieroſolymam, aut Religionis,aut exorbitantis eleemoſynæ. Quare ſi violato voto talis,v.g.ingrederetur Religionem, quæ fuit pœna, & tempore Nouitiatus ex iuſta cauſa exiret, & ſic iam voto pœnæ ſatisfeciſſet, etſi iterùm incideret, non obligaretur ampliùs ad illam pœnam, & ſic de pœna peregrinationis & eleemoſynæ exorbitantis dicendum erit, niſi aliter conſtaret de expreſſa vouentis intentione.

RESOL. CLXXXII. *An parentes ſint abſoluendi qui nolunt ad colloquium admittere filium qui indignum matrimonium contraxit?*

CAſus eſt practicabilis, & ad illum reſpondet Layman *in Theol.moral.lib.2.tract.3.cap.4.num.3.* vbi ſic ait: Iuuenis contra parentum voluntatem indigno matrimonio ſe copulauit, & non paruo dedecore familiam affecit, & propter parentes & fratres hominem ad colloquium ſuum admittere, eiúque veniam petenti ignoſcere conſtanter recuſant; quæritur an à Confeſſario abſolui poſſint? Reſpondeo quòd pater offenſus à filio in locum pœnæ reconciliationem ipſi ad tempus negare poſſit, & idcircò reliquis ſuis liberis, totiúque familiæ præcipere,vt hominem, qui ita deliquerit, ad domum,vel conſortium ſuum non admittant,quouſque delicto conuenientes pœnas luiſſe cenſeatur, & familia hac in re præcipienti parere poteſt veluti miniſtri & executores iuſtæ vindictæ paternæ. Quare Confeſſarius in hoc caſu duo exquirere debet. Primò vtrùm pater, vel patres ex animi odio procedant,an ſolùm iuſtam vindictam ſpectent ad ipſius delinquentis emendationem, familiæ honorem, & aliorum maiorem cautelam procurandam.Secundò vt vindicta, ſiue pœna quæ tali filio irrogatur,non excedat menſuram delicti; quare in perpetuum non poterunt illi reconciliationem denegare, ſed tantùm ad tempus differre quouſque videbitur conueniens ad punitionem & fines bonos conſequendos. Ita Layman: cuius doctrina etiam ampliari poteſt, quando filius valdè nobilis

contra

contra parentum voluntatem ſi non indigno, ſaltem multùm inæquali matrimonio ſe copulauit, & ita in caſu contingenti ſenſerunt mecum docti recentiores.

RESOL. CLXXXIII. *An Clerici in Sacris peccent mortaliter ludendo ludis prohibitis aleæ & taxillorum?*

COmmunis & probabilior ſententia affirmat, quando ſæpè his ludis ludũt, ſecus autẽ ſi citra ſcandalum ſemel, vel iterum his ludant. Ita Rebellius *part.2.lib.12.quæſt.1.n.10.* & alij, quos citat & ſequitur Salas *vbi infrà*, quibus ego addo nouiſſimè Villalobos *in ſum.to.2.tract.28.diffic.1.nu.8.* Sanchez *in opuſc.tom.1.lib.1.c.8.dub.28.nu.7.* quia in ſacris Canonibus penes citatos Doctores ſub grauibus pœnis prohibetur Clericis conſuetudo ludendi, quod procedit, etiam ſi luderent recreationis cauſa. Ita Salas *tract.de ludo, dub.24.n.2. in fine.*

Non deſinam tamen hîc adnotare Sylueſtrum *ver.ludus, q.4.* & D. Antoninum *2.part.tit.1. c.23. §.2.* non damnare Clericos propter continuationem ludi, etiam in ludis prohibitis, ſi ludant notabilem quantitatem, quia conſuetudo licet aggrauet peccatum, at non mutat ſpeciem, ita vt de veniali fiat mortale, & ita explicant *c.Epiſcopus, diſt.35.* & Gutierez *de iuram.confirm.1.part.c.55.nu.2.* cum aliis, putant tunc eſſe mortale quando Clericus luderet notabilem quantitatem ludis prohibitis, principaliter ob lucrum; & tandem plus addit Caietan. *in ſum.ver.Clericorum peccata*, & Henriquez, teſte Sanchez *vbi ſuprà n.4.* nempe quantũ ex præcepto iuris poſitiui non peccare Clericos ludentes ludis prohibitis; non eſt tamen diſcedendum à communi ſentẽtia, quæ magis procederet ſi adeſſet ſcandalũ.

Sed an prohibitio ludendi modo quo *ſuprà* dictum eſt, includat etiam Clericos minores? affirmat Alcocer *tract. de ludo c.11.* quia Canones citati indiſtinctè loquuntur de Clericis; ſed meritò cum Nauarro & Lopez docet Sanchez *loco cit. nu.8.* dictos Canones intelligi de beneficiariis & Clericis ſacro Ordine initiatis, vnde de aliis cenſendum eſſe putat ac de laicis.

Verùm quid dicendum de puris Religioſis? ad hoc Salas *vbi ſuprà num.3.* ſic reſpondet: Quartò aduerte hanc prohibitionem, quę de Clericis tantùm loquitur, à nonnullis extendi ad Religioſos, vt à Valentia, Medina & Nauarro, ſed ſine fundamento. Vnde Religioſi qui Clerici non ſunt, non peccant contra illos Canones, ludendo etiam aſſiduè. Ita Salas. Sed affirmatiuam ſententiam docet Sanchez *loco citato, n.9.* quia hi ludi ſunt valdè indecentes ſtatui Religioſorum.

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Nauarrum *in man.c.20.n.14.* Lopez *in inſtruct.part.2.ca.31.* non eſſe peccatum mortale ſi Clerici, vel Religioſi inſpiciant notabili tempore ludos fortunæ mortaliter peccaminoſos, niſi ludi cauſa ſint, vel omittant corrigere quando tenentur, quia materia non videtur tam grauis. Ita Sanchez *vbi ſuprà dub.29. nu.2.* cum Sylueſtro, Angelo & Caietano; ſi tamen in tali inſpectione adeſſet ſcandalum, Villalobos *in ſumm. tom.2. tract.28. diffic.1. num.7.* putat eſſe peccatum mortale.

RESOL. CLXXXIV. *An repræſentationes ſacræ poſſint fieri in Eccleſiis?*

AFfirmatiuè reſpondet Angelus *ver.ludus, nu.2.* vbi ſic ait: Demonſtrationes quæ fiunt ad honorem Dei, puta paſſionis Chriſti, & vitæ alicuius Sancti, non ſunt prohibitæ in Eccleſiis fieri. Ita ille, & ante illum Tabiena *eodem verb.quæſt.4.* & Sylueſter *quæſt.2. dicto 3.* & nouiſſimè Sanchez *in opuſc. tom.1.lib.1.cap.8.dub.24.n.23.*

Non deſinam tamen hîc adnotare, Bartholomæum Gauantum *in Enchir. Epiſc. ver.repræſentationes ſacræ, num.1.* contrariam ſententiam docere, & citat Barboſam *de poteſtate Epiſcopi part.2.allegat.24. nu.25.* & obſeruat quòd ſanctus Carolus Borromæus *in concil.primo Prouinciali* prohibuit, vt Paſſio Saluatoris nullibi agatur. Vnde Thomas Zerola *in praxi Epiſcoporum part.1.verb.repræſentationes*, obſeruat optimè aliquos Epiſcopos prohibuiſſe dictas repræſentationes nullibi fieri poſſe abſque eorum expreſſa licentia.

RESOL. CLXXXV. *An ſi quatuor oppoſitoribus concurrentibus ad cathedram, vel prætendentibus aliquod officium, quis ſpondeat cum vnoquoque eorum ſeorſim, quòd non adepturus eſſet illam, vbi certum eſt quòd lucrabitur à tribus, & perdet cum vno, teneatur reſtituere?*

HIc caſus eſt curioſus, & affirmatiuam ſententiam docet P. Ledeſma *in ſumma to.2. tract.32. cap.2.poſt.7. concluſ. diffic.2.* & poſt illum Villalobos *in ſumm.tom.2.tract.28.diffic.6.num.3.* vbi ſic ait: *Dize el Padre Ledeſma que huuo vna manera de apueſta en Salamanca en vna catedra que auia quatro oppoſitores que la competian y cada vno dellos tenia apaſionados. Vn eſtudiante hizo apueſtas de cien reales con quatro amigos de los quatro oppoſitores de que no la lleuauan, porque ſi perdia con vno era fuerza ganar con tres, y dize que aunque cada apueſta deſtas en ſi es licita, todas juntas ſon ilicitas, y no puede lleuar con buena conſciencia las apueſtas, y que es comun ſentencia de todos. la razon es, porque todos eſtos contractos juntos hazen vna grande deſygualdad no obſtante que cada vno de por ſi era licito.* Sic ille.

Verùm nouiſſimè negatiuam ſententiam docet Thom. Sanchez *in opuſc.tom.1.lib.1. c.8. dub.16. nu.2.* quia cum omnibus his quatuor eſt dubius de futuro euentu, & ſicut poteſt à quolibet lucrari, ita poteſt cum quolibet perdere. Ita Sanchez, qui etiam ait ſic ſenſiſſe nonnullos doctos recentiores; mihi verò magis placet prima ſententia ex ratione adducta; puto tamen ſententiam Sanchez eſſe probabilem, & hic caſus eſt valdè notandus, quia poteſt frequenter accidere, cùm officia tam ſæcularia, quàm Eccleſiaſtica ſemper habeant plures prætenſores.

RESOL. CLXXXVI. *An qui conteſtatur ſe certò ſcire, & alter contendit, & adhuc vult ſpondere, teneatur ad reſtitutionem?*

AFfirmatiuè reſpondet Alcocer *tract. de ludo, cap.47.* Garzias *de contract part.2.cap.18.* & alij, quia talis cenſetur deceptus ſpondere.

Sed ego contrariam ſententiam teneo cum Medina

dina & Lopez, quos citat & ſequitur Sanchez *in opuſc. tom. 1 lib. 1. cap. 8. dub. 13. nu 11.* quibus ego addo Villalobos *in ſum tom. 2. tract. 28. diffic. 6. num 2.* quia in tali caſu nulla eſt fraus, & talis ſibi imputare debet ſuam temeritatẽ. Hinc infertur deciſio alterius caſus, nempe quando alter colludentium nouit exceſſum notabilem alterius in ludendo aleis, vel taxillis, aut alterius ludi, vel alter admonet ipſum, & de hoc conteſtatur, quòd excedit ipſum notabiliter, an, inquam, in tali caſu hic excedens teneatur pecuniam quam lucratus eſt, reſtituere? Affirmatiuè reſpondet Alcocer *cap. 19.* & Garzias *cap. 14.* quia alter non videtur cedere iuri ſuo, ſed nimia ductus paſſione & cupiditate ludit. Sed tu potes ſecurè in praxi negatiuam ſententiam tenere, quia volenti & conſentienti nulla fit iniuria. Ita vterque Medina, Salmanticenſis & Complutenſis, hic *in ſumma lib. 1. cap. 14. §. 128.* ille verò *C. de reſtitut. quæſt. 22.* & alij, quos citat & ſequitur Sanchez *loco citato, num. 7.* Verùm Rebellius *part. 2. lib. 12. quæſt. 3. num. 3.* putat hanc ſententiam procedere, quando lucrum non ſit ita magnum, vt poſſit eſſe pœna proportionata tali culpæ. Sed abſolutè negatiuam ſententiam docet Sanchez, cui adde Azorium *tom. 3. lib. 5. cap. 25. quæſito 4. in fine.*

RESOL. CLXXXVII. *An quidam Regularis qui mactauit vaccam, incurrerit in pœnas Bullæ Vrban. VIII. editam die 28. Aprilis 1633. contra præſumentes mactare animalia agrorum cultura inſeruientia in Regno Siciliæ?*

SVppono Summum Pontificem *in d. Bulla* fulminare pœnas in audentes, & preſumentes mactare boues, vaccas, vitulos, &c. in hoc Regno Siciliæ. quæ quidem verba important dolum & temeritatem, vt docet gloſſa *in l. ſi quis tantum, C. vnde vi.* Cardinalis *in Clement. 1. de priuilegiis quæſt. 39.* D. Antoninus *part. 3. tit. 24. cap. 54. ver. quærit.* idem Angelus *ver. excommunicatio 5 caſ. 12. nu. 15.* Sylueſter *eodem ver. 7. caſ. 14. dub. 5. num. 35.* Nauarrus *in ſumma cap. 27. num. 155.* Emanuel Sà *ver. pœna. num. 5.* & Doctores, quos citat & ſequitur Barboſa *tract. de dictionibus vſu frequentibus, dict. 278. num. 2.* Menochius *conſil. 363. num. 10.* & Lotterius *de benefic. lib. 2. quæſt. 14. à num. 54.* Cùm igitur pro contrauentione dictæ Bullæ requiratur dolus & temeritas, hoc enim, vt dictum eſt, ſignificant verba illa Pontificis, *audeant & præſumant*, ſequitur quòd ignorantia etiam vincibilis & craſſa, excuſet, vt latè probat Ledeſma *in ſumma tom. 1. cap. 3. de excommunicat. dub. vlt. dicto 3.* Henriquez *lib. 13. cap. 23. num. 3.* Suarez *tom. 5. diſp. 4. ſect. 10. num. 3.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 9. diſp. 32. nu. 37.* Auila *de cenſuris part. 2. cap. 6. diſp. 10. dub. 6.* Molina *de iuſtit. tract. 5. diſp. 71. nu. 13.* Curiel *in p. 2. quæſt. 76. art. 4. dub. 4.* Bonacina *tract. de clauſura quæſt. 5. punct. 3. num 1.* Auendañus *de exequend mand. lib. 1. cap. 4. num. 38.* Cenedus *ad Decret. collect. 45. nu. 3.* & Barboſa *vbi ſuprà nu. 3.* vbi ſic ait: Diſpoſitio puniens aliquid præſumentem, non comprehendit illum, qui id bona fide & ignoranter facit. Sic ille, & alij communiter.

Hoc ſuppoſito conſtanter aſſero ſupradictum Regularem neque in foro interno, neque in foro externo in pœnas dictæ Bullæ incurriſſe, quia cum ignorantia dictæ conſtitutionis Pontificiæ mactauit vaccam, quæ quidem ignorantia licet regulariter debeat præſumi ex *l. veniens, ff. de probationibus*, tamen in noſtro caſu adeſt de tali ignorantia iuramentum; vnde de illa non eſt dubitandum, quia nemo præſumitur ſalutis ſuæ immemor, maximè Religioſus tam ſanctæ Religionis; ſicque in indiuiduo concludit Portel *in reſponſ. Regular. part. 1. caſ. 27. num. 3. & in dubiis ver. ignorantia, num. 16.* Afflictus *in tract. de iure prothim. §. 2. num. 9. ver. & ſi præſumptio.* & ideò gloſſa *in cap. 2. in ver. ſcienter, de tempore ordin. in 6.* & Doctores, quos citat & ſequitur Caballus *reſolut. crimin. centur. 3 caſ. 287. num. 46.* aſſerunt, quòd ignorantia probatur per iuramentum eam allegantis. quod maximè procedit, vt docet Farinacius *de delictis carnis, quæſt. 149. num. 203. & 204.* & alij penes ipſum, quando iurans haberet pro ſe aliquam præſumptionem ignorantiæ, quia, v.g. publicè actum contra legem fecit. Sed totum hoc accidit in caſu noſtro, cùm dictus Religioſus palàm coram omnibus vaccam mactauit: ergo dicendum eſt omnino in pœnas dictæ Bullæ ratione ignorantiæ non incurriſſe.

RESOL. CLXXXVIII. *An profeßio in aliqua Religione emiſſa à laborante morbo Gallico ſit nulla ſi hoc celauit in examine?*

REſpondeo quòd attento iure communi, profeſſio morbo Gallico, vel alia contagioſa infirmitate laborantis non eſt irrita. Ita deciſum eſt in Rota *deciſ. 346. num. 2.* apud Farinacium, & docet Hieronymus Rodriquez *in compend. quæſt. Regular. reſolut. 101. numer. 61.* Miranda *in manuali Prælat. tom. 1. quæſt. 19. art. 2.* cum aliis communiter, & patet ex *cap. ſicut nobis, & cap. ſicut tenor, de Regular.* Difficultas eſt, an in pœnam peccati negando defectum quem tenebatur in ingreſſu confiteri, poſſit Religio priuare habitu, & illum expellere? Negatiuè reſpondet Graffius *tom. 1. lib. 3. de Regul. conſ. 4. num. 9.* Sanchez *in ſumma, tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 58.* Emanuel Rodriquez *in quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 17. art. 9.* & alij, quia cùm expulſio à Religione ſit res grauiſſima, grauiſſimam cauſam exigit. Verùm mihi affirmatiua ſententia magis placet, quam poſt Nauarrum docet Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. numer. 62.* Georgius Kiene *tract. de caſ. reſeru. part. 3. cap. 2. num. 7.* Bartholomæus à S. Fauſto *in theſaur. Religio. lib. 5. quæſt. 212. numer. 2.* Emanuel Sà *ver. Religio numer. 34.* Vega *in ſumma tom. 2. cap. 50. caſ. 4.* Sorbus *in compend. priuileg. ver. Nouitius, poſt 7. notabile, §. quintò principaliter*, & alij. Ratio eſt, ait Leſſius, quia in tali caſu fraus dedit cauſam receptioni ad Religionem; ergo poteſt ex illa reiici; quando enim dolus dat cauſam contractui, vel contractus eſt irritus, vel certè in irritum reuocabilis; nec obſtat quòd profeſſio ſemel valida non poſſit irritari, quia id verum eſt quoad obligationem erga Deum, non autem quoad illam, quæ eſt inter Religioſum & monaſterium. Verùm ſi aduerſus ſupradicta obſtaret aliqua noua conſtitutio Pontificia, erit illa videnda, ad quam me remitto, & præſer-

præſertim decretum Vrbani VIII. de profeſſis non expellendis.

Quæ omnia ſupradicta ſine vlla difficultate procedunt in Religione, quæ haberet tale ſtatutum de expellendo talem profeſſum, confirmatum à Summo Pontifice, quod habent PP. Capucini, vt patet *in eorum conſtitut. cap.* 2. PP. Eremitæ Diſcalceati S. Auguſtini *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. & 8. in quibus Religionibus profeſſio ſupradictorum eſt nulla. nam in dictis conſtitutionibus Superiores, cùm ſe declarent nolle eſſe obligatos ad retinendum dictos profeſſos, qui rogati occultarunt morbum Gallicum, clarè & apertè dicunt ſe non præſtare conſenſum, eò quòd ſicuti ex aſſenſus conceſſione cõſurgit obligatio retinendi, ita ex declaratione non ſe obligandi ad retinendum apertè conſurgit negatio conſenſus: ergo nulla erit profeſſio ſupradictorum in tali caſu, & ita in terminis docet Bartholomæus à Vecchis *in præxi nouitiorum, diſp.* 13. *dub.* 15. *n.* 8. quem in facti contingentia omnino videbis.

Non deſinam enim hîc adnotare quòd præfatus morbo Gallico laborans, cuius profeſſio eſt in dictis Religionibus irrita, non eſt obligatus ad Religionem in genere, nec talis profeſſio vllam ei induxit obligationem, niſi profitens peculiari intentione voluerit tunc aliquod votum efficere, quia poterat eo ſe ligare; quod tamen votum non dicitur validum, tamquam aliquid profeſſionis, ſed vt votum ſimplex. Ita Bartholomæus à Vecchis *vbi ſuprà num.* 10.

RESOL. CLXXXIX. *An ſi quis habeat facultatem edendi carnes ſi illas non edat, teneatur ieiunare?*

POteſt hic caſus frequenter accidere, & ad illum ſic reſpondet Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 30. *num.* 2. & 3. quòd ſi talis habet manifeſtas vires & ſalutem ad ieiunandum, ſed ad præſeruandum ſe ab aliqua infirmitate edit carnes, tunc ſi aliqua die ieiunij non comedat carnes, tenetur illa die ieiunare, quia hos nulla alia ratione excuſamus à ieiunio, niſi quia abſtinentia à carnibus eſt conditio eſſentialis ieiunij, & illa non ſeruata, non poteſt ſeruari ieiunium. Ergo ſi ſeruant illam conditionem cùm poſſint reliquas ſeruare tenentur. Verùm ſi talis haberet facultatem edendi carnes ratione debilitatis & infirmitatis præſentis, licet aliqua die illam non comedat, non tenetur ieiunare, licet illorum ſaluti conduceret illam non comedere eo die & ieiunare. Ita Sanchez ex doctis recentioribus, qui etiam *dub.* 14. *numer.* 2. cum dictis iunioribus docuerat, quòd quando infirmitas eſt talis, quæ communiter ſolet excuſare à ieiunio, licet valetudini illius infirmi conduceret ieiunare, & oppoſitum noceret, non tenetur infirmus tunc ieiunare ex præcepto Eccleſiæ, ſed tenebitur ex præcepto abſtinentiæ, cuius fractio communiter eſt venialis, quia Eccleſia abſolutè voluit omnes infirmos excuſare, quia ieiunium eis vtplurimùm nocet; quòd autem huic non noceat, eſt per accidens, & Eccleſia tantùm reſpicit id, quod commuiter ſolet euenire. Vnde ex his ego olim ante Sanchez editum non damnaui quartanarium peccaſſe mortaliter, qui a non ieiunauit aliquibus diebus, licet eius valetudini tunc conduceret ieiunare, quia quartanarij excuſantur à ieiunio, vt ipſe Sanchez *loco citato numer.* 3. notat. Igitur talis quartanarius tunc non ieiunando peccauit quidem venialiter contra præceptum abſtinentiæ, non autem mortaliter contra præceptum Eccleſiæ.

RESOL. CXC. *An ſi quis in mari dum nauigat poſſit virtute Bullæ Cruciatæ edere lacticinia, non obſtante quòd Bulla dicat, extra Regna, vbi illa ſumitur, non eſſe comedenda?*

HVnc caſum apud neminem inueni pertractatum, & tamen poteſt in praxi ſæpiùs accidere, ideò reſpondent aliqui. Primò, quòd ſeruetur conſuetudo, ſi qua eſt, & ſi ſtricta fuerit ne laxetur, neque ſi laxa coarctetur. Secundò, vt in terra; ſic & in mari termini ſeruari poſſunt, quos certè ciuitates, & regna ſingula habent; atque hi duo modi tutiſſimi ſunt. Tertiò, cùm quis nauigat breuî rediturus in regnum, vbi per Bullam edere poterat lacticinia, quoquo eat veſci lacticiniis poteſt, quia mare paſſim omnibus patet, atque vſus eius perinde ac aëris communis eſt omnibus, ſaltem in hoc; & in iure etiam qui breui tempore abſunt breuî reuerſuri, pro præſentibus habentur. *l. poſtliminij*, §. *captiuus, l. nihil. ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.* Quartò, ſi quis in Hiſpaniam proficiſcatur, idem poteſt per intermedias regiones, ſaltem occultè ad minus, ſi non publicè: vnde infertur, etiam ſi quis, v. g. in portu Neapolitano Quadrageſimam agat, ouis veſci poteſt, & lacticiniis; imò ſi quis Neapoli Quadrageſimam agat breuî rediturus, idem facere poteſt, licet contrarium ſit probabilius, quæ quidem procedunt ceſſante ſcandalo, idque fit monendo de facultate, & priuilegio Bullæ; vel occultè comedendo. Et ita hæc omnia publicè docuit in Collegio Panormitano P. Bernardinus Piccinus Societatis IESV, vir ſanctiſſimus, & huius litteraturæ conſultiſſimus, vt omnes ſciunt, in lectura ſuper Bullam Cruciatæ *num.* 63. vſque ad *num.* 77. vbi etiam quærit, an extra Siciliam, Romæ, v. g. per Bullam poſſit quis frui priuilegio edendi lacticinia, & ait, verba illa Bullæ, *non extra illa*, interpretari poſſe de Conſilio ratione ſcandali, quod vitari poteſt. Accedit præterea, quòd in Bulla Italica hæc verba non habentur, vnde dicendum videtur à Commiſſario generali ita interpretatum; ſed re vera tutior eſt opinio, extra territoria Siciliæ nulli licere edere lacticinia, & probabilis alia opinio licere ei, qui breuî intra ſemeſtre eſt rediturus. Hæc omnia dictus Pater Piccinus *vbi ſuprà*; ſed an probabiliter, vt ipſe putat, aliis iudicandum relinquo: nam quòd lacticinia poſſint edi extra regna Hiſpaniarum, ego reprobaui *in* 1. *part. tract. de Bulla Cruciatæ, reſolut.* 1.

RE-

RESOL. CXCI. *An verba imperatiua poſita in aliquo Canone, Bulla, ſeu Decreto Pontificio, obligent ad peccatum mortale?*

HIc caſus erit multùm practicabilis, & quòd verba imperatiua præceptum ſub mortali non indicent, docet Caietanus *in 2. 2. quæſt. 166. art. 9. circa ſolut. ad 2.* & alij; ſed difficultas eſt, an indicent tale præceptum in decretis Conciliorum, & Summorum Pontificum? & affirmatiuam ſententiam docet Vaſquez *in part. 2. diſp. 158. c. 2. num. 24.* & Caſtrus Palaus *in opere morali tom. 1. tract. 3. diſput. 1. punct. 9. num. 3.* & ideò in Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 5. & 7.* imponitur præceptum cum verbis tantùm imperatiuis Sacerdoti quamprimùm confiteri, ſi ob inopiam Confeſſoris celebrauerit ſine præuia confeſſione. Et in ſupradictis verbis Concilij Tridentini præceptum illud latum cum verbis imperatiuis obligare ſub mortali, tradunt communiter Doctores: ergo, &c.

Verùm, his non obſtantibus, non deſinam hîc adnotare, contrariam ſententiam docere Emanuelem Rodriquez *in addit. ad Bullam Cruciatæ, §. 9. n. 77.* vbi ſic ait: *Ni contra eſto obſta el dicho Capitulo* aduerſus, *porque a eſto reſpondo, que las leyes Canonicas no obligan a pecado mortal, ſi no vienen palabras preceptiuas, ò prohibitiuas aunque ſea de modo imperatiuo; y la razon dello es, porque no mandando ni prohibendo el legiſlator vna coſa, que ordena es viſto no querer obligar a pecado mortal.* Sic ille. Et ideò Petrus de Ledeſma, inſignis Theologus Dominicanus, *in ſumm. to. 1. tract. de Euchariſt. cap 11. ante concluſ. 9.* & Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 7. diffic. 37. n. 7* docent in illis verbis Concilij Tridentini, *vt Sacerdotes quamprimùm confiteantur, ſi celebrauerint ob inopiam Sacerdotis abſque confeſſione*, docent, inquam, in dicto loco Concilij non contineri præceptum ſub peccato mortali.

Sed ego primæ ſententiæ adhæreo. Dico igitur legem verbo imperatiuo conditam, regulariter loquendo, obligare ſub mortali in materia graui, niſi aliud ex coniecturis appareat. Et ita etiam hanc ſententiam præter Vaſquez & Palaum docet Granado *in 1. 2. D. Thomæ, controu. 7. tract. 3. part. 1. diſp. 4. ſect. 1. num. 3.* & Bonacina *tom. 2. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 4. num. 10.* qui citat Sylueſtrum, Armillam, Suarez, Salas, & alios; vnde tenet in dicto loco Concilij Tridentini ſub verbis imperatiuis adeſſe præceptum ſub mortali. Vide etiam *Clement. exiui, de verbor. ſignificat. §. item quia, ver. nos itaque, & cap. Clerici, de vita & honeſt. Cler.*

RESOL. CXCII. *An ſi quis in duello percuſſus lethaliter decidat in terram, & ſigna contritionis oſtendat, ſed ex defectu Confeſſoris non fecit confeſſionem, & mortuus eſt, poſſit ſepeliri in loco ſacro?*

AFfirmatiuam ſententiam docet nouiſſimè Laurentius Portel *in reſponſ. moral. part. 3. caſ. 10. num. 3.* quia licet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 19. de reform.* iubeat, vt moriens in duello non ſepeliatur in loco ſacro in pœnam delicti; tamen reſpondetur prædictam legem Tridentini eſſe pœnalem, vt patet, & proinde ſtrictè intelligendam prout verba ſonant; cùm ergo dicat priuandum ſepultura Eccleſiaſtica morientem in duello, videtur in illa non comprehendi hunc caſum, de quo loquimur, quia non eſt mortuus in duello, ſed finito duello, & mortuus eſt cum ſignis contritionis. Et propterea loqui videtur Tridentinum de illo, qui moritur in duello, cum claro peccato mortali ſine ſignis contritionis; hic verò obiit cum ſignis contritionis. Ita Portel.

Sed hanc opinionem refellit Homobonus *in conſult. caſ. conſcient. tom. 2. part. 7. reſponſ. 64.* qui citat Riccium, quibus ego addo à fortiori Ioannem Sancium *in ſelectis diſput. 36. numer. 9.* vbi ſic aſſerit: Duellantibus ſi in loco conflictus morerentur, quamuis ibi eſſent miniſtrata ſacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, non eſſe concedendam Eccleſiaſticam ſepulturam conſtat, quia ſemper verificatur in loco conflictus deceſſiſſe, vt vult Tridentinum, nec refert quidquam, quòd maior, vel minor mora interceſſerit inter mortem, & ceſſationem pugnæ; cùm ſemper verificetur deceſſiſſe in duello. Ita Sancius; ſed aduerſus illum poſſet quis in fauorem Laurentij Portel aſſerere Concilium Tridentinum prohibere ne Eccleſiaſtica ſepultura concedatur decedentibus in ipſo conflictu duelli; ſed in caſu noſtro, licet talis moriatur in loco duelli, non tamen moritur in ipſo conflictu, vt patet, quia poſt finitum duellum oſtendit ſigna contritionis, vel confeſſionem fecit cum Sacerdote, & Euchariſtiam ſumpſit. Dicendum ergo eſt non incurrere in pœnam Concilij Tridentini; quod quidem Concilium dicendum eſt ſtatuere in illis verbis, *id, quod de iure communi ſtatutum erat*, nempe in peccato mortali publico morienti, vt moritur, qui in ipſo conflictu duelli moritur, denegandam eſſe Eccleſiaſticam ſepulturam; ſed, vt dictum eſt in noſtro caſu moriens non moritur in ipſo conflictu, ſed finito conflictu, ac proinde non moritur excommunicatus, & in peccato publico, imò contritus & confeſſus. Ergo non includitur in tali prohibitione. Et ideò Abbas *in cap. cùm ad Monaſterium, nu. 15. de ſtatu Monach & Regul.* deducit ex gloſſa, quòd ſi quis decedat ex facinoroſo actu, ſi tamen in vltimo vitæ, ſeu puncto mortis oſtendat contritionem, non debet priuari Eccleſiaſtica ſepultura.

Verùm, his non obſtantibus, ego puto tenendam eſſe ſententiam affirmatiuam Sancij *cap. 1. de torneamentis*, vbi ſic habetur, *quòd ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, quamuis ei poſcenti pœnitentia non negetur; Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.* Ita ibi. & licet textus loquatur de torneamentis, deteſtabilior eſt duellorum vſus, quàm torneamentorum, nam in hoc fine oſtentandi vires congrediuntur torneamentantes, in duello verò occidendi ad inuicem, & ita ſententia Sancij contra Portel determinatur in Rituali Romano Pauli V. *rubrica de exequiis*, vbi ſic habetur: *Negatur Eccleſiaſtica ſepultura morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint pœnitentiæ ſigna.* Sic ibi; vide etiam Barboſam *in collect. tom. 2. tit. 13. cap. 1. numer. 7.* hæc tamen opinio non procedit, ſi quis moriatur vnum, vel alterum diem poſt duellum; nam, vt alibi

in

in part. 2. tract. 16. reſol. 54. contra Peregrinum diximus, in tali caſu quis non moritur in loco duelli, ſed ex occaſione duelli; vnde clarum eſt non includi in Concilio Tridentino, neque in Rituali Pauli V. & ideò talis poteſt ſepeliri in loco ſacro; licet probabiliter etiam contrarium doceat Homobonus *vbi ſuprà*.

Sed hîc oritur pulchra quæſtio, an ſi pro illo, qui mortuus eſt in duello, modo, quo ſuprà, cum ſignis contritionis, ſepulto tamen extra Eccleſiam, & non in loco ſacro, poſſit quis offerre Miſſam? Videtur negatiuè reſpondendum, quia talis moriens in publico duello, mortuus eſt excõmunicatus per multas excommunicationes poſitas à Comitolo *in reſp. mor. lib. 6. quæſt.* 13. & aliis: ſed orare non licet pro publicè excommunicato oratione publica, qualis eſt Miſſa, iuxta D. Thomam *in 3. part. quæſt. 79. art.* 3. & alios. ergo. Sed ego contrariam ſententiam teneo cum Portel *vbi ſuprà num.* 2. Primò, quia licet talis publicè in excõmunicationem incurrerit; non fuit tamen nominatim declaratus excommunicatus, neque talem excommunicatum non denuntiatum tenemur vitare in communicatione ſpiritualium, vel temporalium. Secundò, quia talis non eſt mortuus clarè in peccato mortali, nam licet duellando peccauerit mortaliter, tamen poſt duellum ſigna dedit contritionis. Ergo dicendum eſt non fuiſſe mortuum in claro peccato mortali; poterit igitur pro illo oratione publica orari. Et hanc ſententiam tenet Nauarrus *in man. cap.* 27. *num.* 36. & in terminis *tract. de orat. cap. 19. concl. 6.* docet, quòd excommunicato non denuntiato poteſt applicari Miſſa, ſi oſtendit ſigna contritionis, aut ſi mortuus eſt in iis, ob quæ credoillum mortuum eſſe extra peccatum mortale; quod etiam docet ex Societate Iesv Henriquez *lib. 9. cap. 15. nu.* 3. & Reginaldus *tom. 2. lib. 32. tract. 1. ſect. 2. num.* 76.

Resol. CXCIII. *An ad ſacramentum Pœnitentiæ ſufficiat attritio de peccatis ob malum temporale? & plura de attritione.*

OB infamiam, v.g. vel ob nocumentum ſalutis, vel ob pœnam, ſiue pecuniariam, ſiue corporalem, qua peccator damnatus eſt, vel damnandus à Iudice humano, vel ob ſimilia. Et negatiuè reſpondet Vaſquez *in 3. part. tom. 4. quæſt. 92. art. 1. dub.* 3. Suarez *diſp. 20. ſect. 2.* & alij, quibus adde Syluium *in 3. part. ſupplem. D. Thomæ quæſt. 1. art. 3. in fine*, alioquin ſequeretur quòd ſolis naturæ viribus poſſet peccator ſufficienter ſe diſponere ad Sacramentum & Sacramenti effectum.

Mihi verò contraria ſententia modo, quo infrà, explicanda, etiam probabilis videtur, quam docet Ægidius de Coninch, & Petrus de Ochagauia, quos citat & ſequitur Gaſpar Hurtado *de Sacram. diſp. 6. de pœnitentia, diffic.* 5. vbi ſic ait: Aliqui docent, & meritò, attritionem, & dolorem peccatorum ob malum temporale cum reſpectu ad Deum, à quo immiſſum, aut immittendum eſt in pœnam, id eſt, dolorem de peccato, quia Deus ob illud immiſit, aut immittet dictum malum (vt verè fieri poteſt, quia quodcumque malum, quod non ſit culpæ, à Deo immittitur) ſufficere ad effectum ſacramenti Pœnitentiæ; non verò ob malum temporale, vt aliunde euenies, vel euenturum abſque reſpectu ad Deum. Ratio prioris partis eſt, quia dolor ob malum temporale modo dicto reſpiciens Deum (qua ratione quodammodo eſt æternum, & ad alteram vitam pertinens) ex ſe non ſolùm eſt honeſtus, ſed etiam habet motiuum, quod tantùm eſt ad dolendum de peccato, & non ad dolendum de bono opere, & excludit effectum peccandi, quia Deus etiam eo malo punit peccatum, & non opus bonum. Et confirmatur hæc ratio, quia dolor iſte, vt ſic, oritur ex diſplicentia, aut ex metu pœnarum diuinarum, quem Tridentinum ſupponit ſufficere ad effectum huius Sacramenti. Ratio verò ſuperioris partis eſt, quia dolor ob malum temporale, vt non reſpiciens Deum vt puniturum, ſed vt aliunde proueniens, quamuis poſſit eſſe honeſtus, habet tamen motiuum, quod poteſt eſſe ad dolendum de bono opere; quia etiam opus bonum poteſt eſſe occaſio talis mali, & ob id ex ſe non excludit effectum peccandi, quod Tridentinum requirit in dolore, vt ſufficienter diſponat ad gratiam huius Sacramenti. Ita Hurtado.

Notandum eſt tamen hîc obiter. Primò contra Sotum *in 4. diſtinct. 18. quæſt. 3. art. 2.* Bellet. *de poteſtat. Eccleſiæ quæſt. 2.* & Cordubam *in Quæſtionario Theologico quæſt. 2.* quòd attritio ad ſacramentum Pœnitentiæ ſufficiens, non debet eſſe exiſtimata contritio. Ita Paludanus *in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 2.* Vaſquez *vbi ſuprà, dub. 2.* Coninch *de Sacram. quæſt. 62. art. 1. dub. 2.* & alij communiter.

Notandum ſecundò contra Petrum de Ochagauia *de Sacram. tract. 1. de pœnitentia, quæſt. 18.* & contra Coninch à me alibi citatum, non eſſe neceſſarium, quòd attritio ad ſacramentum Pœnitentiæ requiſita, præſupponatur, & antecedat confeſſionem; ſed ſufficere, quòd antecedat abſolutionem, etiamſi tempore aliquo poſt confeſſionem eliciatur. Ita Hurtado *loco citato*, *diffic.* 10. & ego latiùs alibi.

Nota tertiò ad effectum ſacramenti Pœnitentiæ non eſſe neceſſariam attritionem omnium venialium, etiamſi eorum fiat tantùm confeſſio; quia in hoc caſu ſufficit dolor aliquorum, imò vnius tantùm, quia vnum peccatum veniale poteſt remitti ſine alio. Et idem dicendum eſt quoad dolorem de mortalibus anteà legitimè confeſſis. Ita Hurtado *loco citato diffic.* 7. & ego alibi.

Sed ſi quæras hîc incidenter, an habenda ſit attritio, vel contritio de peccatis obliuioni traditis? Reſpondeo affirmatiuè. Primò, ſi pœnitẽs ſe generatim peccaſſe meminerit, ſed quæ, vel qualia peccata ſit oblitus. Aliud erit ſi nec in genere ſe peccaſſe meminerit, niſi fortè à multo tempore confeſſus non ſit, & memoriæ diffidens ob fragilitatẽ ſe peccaſſe metuat, hoc enim in caſu ipſum in genere cõteri debet, non ſub cõditione, ſed ſub præſumptione probabili; quæ interdum generat tantum dolorem, quantum certitudo peccati. Secundò, ſi poſt habitam contritionem de peccatis recogitatis occurrat aliud peccatum, quod priùs in memoriam non venit, tunc de eo contritio, vel attritio habenda erit; quia formalis pœnitentia de omnibus pec-

catis per ſe habenda eſt; contritio autem, quæ hîc præceſſiſſe ſupponitur, non fuit niſi virtualis reſpectu peccati obliuioni traditi; ergo manet obligatio ad formalem eius pœnitẽtiam, cuius in illa virtuali votum continebatur. Et hæc omnia docet Guilielmus Mercerus *de Sacram. in ſupplem. 3. part. D. Thomæ quæſt. 2. art. 3.*

RESOL. CXCIV. *An in Hiſpania potio, vulgò dicta* Chocolate, *frangat ieiunium?*

AFfirmatiua ſententia probatur per ea, quæ adducit Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 13. diffic. 8. num. 15.* vbi ſic ait: *Ha ſe de aduertir, que ay beuidas, que ſon iuntamente comidas para ſuſtentar, y eſſa lleuan meſcladas coſas, que ſuſtentan, las quales no ſe pueden comer en dias de ayuno, ſi no es a la hora de comer.* Idem docet Ludouicus de ſan Iuan *in ſumm. quæſt. de ieiun. art. 12. diffic. 1. dub. 2.* ſic enim aſſerit: *Ay algunos condimentos, que ſe toman por modo de beuida, y tal beuida no es licita.*

Dicendum eſt igitur cum Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 23. num. 1.* Azorio *part. 1. lib. 7. cap. 10. quæſ. 7.* Layman *vbi infrà*, & aliis penes ipſos, quædã eſſe liquida, quæ licet traiiciantur per modum potus, habent tamen propriam, & per ſe rationem cibi, quare ſoluunt ieiunium, & Sanchez ponit exemplum de aqua ſaccharo mixta, quod etiam confirmat Fagundez *de præcept. Eccleſ. part. 4. lib. 1. cap. 2. nu. 46.* Sed hæc omnia accidunt in potu dicto chocolatæ, in quo ingreditur ſaccharum cum aqua mixtum, & aliæ res maioris ſubſtantiæ. ergo dicendum eſt frangere ieiunium, cùm ſit potiùs cibus ſubſtantialiſſimus, quàm merus potus, & aqua, quæ in dicta potione ponitur, ex neceſſitate ponitur ad diſſoluendum ingredientes.

Et ideò omnia ſupradicta docet etiam Franciſcus Syluius *in 2. 2. D. Thomæ quæſt. 147. art. 6.* & quia codex rarus eſt, ponam per extenſum eius verba, itaque ſic aſſerit: Solueret ieiunium ſi quis ſumat magnæ quantitatis potum multùm nutritium, veluti ceruiſiam craſſam, multumque ſubſtantioſam, aut vinum ſiue ſaccharo, ſiue aliis aromaticis variè condîtum, aut qui alioquin valdè copioſè alat. Quapropter quod D. Thomas *in reſponſ. ad 2.* ait: Non intendit Eccleſia interdicere abſtinentiã potus, de eo, qui merus potus eſt, intelligendum exiſtimo, non de illo, qui ſecundùm ſe ſit multùm nutritiuus. Vnde D. Thomas velut pro ratione ſubdit, quòd potus magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quàm ad nutritionem; quæ ratio de illo, qui merus potus eſt, procedit; non de eo, qui per ſe multũ nutritiuus ſit, præſertim ſi ex profeſſo ſumeretur ad nutriendum. Hæc Syluius, quæ quidem ſatis deſtruere videntur potionem chocolatæ in tempore ieiunij.

Quod clariùs confirmatur; nam merus potus, vt aſſerit D. Thomas *vbi ſuprà*, cum Leſſio *lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 10.* Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 7.* & aliis Philoſophis & Medicis, per ſe & principaliter deſeruit ad alterationem, ſiue refrigerationem, vel ad deiiciendum cibum in ventriculum, & alimenti ſanguiniſque diſtributionem, & non ad nutriendum corpus. Sed potio chocolatæ per ſe, & principaliter ordinatur ad alendum corpus, cùm ſit ſumptio multũ nutritiua, & ideò non ſumitur omni tempore, ſed manè, vel ſerò, quando iam digeſtio cibi ſumpti eſt confecta, & homo eget nouo nutrimento. Ergo clarè apparet dictam potionem chocolatæ magis ſumi per modum cibi, vt re vera eſt, quàm per modum potus. Ergo frangit ieiunium, & hoc apud me eſt validiſſimum argumentum, nec aduerſus illud valet dicere, quòd vinum etiam nutrit, & tamen eius ſumptio non frangit ieiunium. nam reſpondeo, vinum nutrire quidem aliquantulùm per accidens, nam per ſe, & principaliter non ordinatur ad corpus nutriendũ, quod contrarium accidit, vt patet, in potu chocolatæ. ergo, &c.

His tamen non obſtantibus, ſententia affirmatiua ſuaderi poteſt; quia hodie (vt fertur) in Hiſpania ſumptio chocolatæ effecta eſt potus vſualis. Ergo non frangit ieiunium. & ita teſtatus eſt mihi Illuſtriſſimus D. Didacus Traſmiera Inquiſitor huius Regni Sicilię, vir litteris, & morum ſuauitate ornatiſſimus, hanc ſententiã docere plures Patres Societatis IESV, & docuiſſe etiã magnos illos viros Antolinez, Baſilium Pontiũ, & Franciſcum Cornejo, ſacræ Theologię in inclyta Academia Salmanticenſi Profeſſores: vnde ad doctrinã, quam pro parte negatiua ſuperiùs adduxi, poſſit quis reſpõdere, illam tãquam veram tunc admittendam eſſe, quando illæ potiones nõn haberentur in prouincia pro potu vſuali; ſecus autem ſi pro potu vſuali ſumerentur, vt aſſerunt accidere in caſu noſtro. Vnde Paludanus *in 4. diſt. 15. quæſt. 4. nu. 34.* ſic ait: Potus autẽ antè & pòſt non ſoluit ieiunium, quod intelligo quando non conficitur ex eſibilibus, vt vini & aquæ, vel quando conficitur ex eſibilibus, non tamen conſueuit ſumi in cibum, vt potus ceruiſiæ. Ita ille.

Et ideò, licet hanc ſententiã ego non approbem, cùm pro modo potiùs contrariam teneam; non audeo tamen damnare, ſuppoſito ex relatione ſupradicti Illuſtriſſimi viri, quòd illam docuerint tot viri docti, quos ſuperiùs adduxi: vnde ſatis ſit extero homini hęc pro vtraque parte curſim tetigiſſe; nam vera reſolutio huius dubij in poſterum tenenda præſtantiſſimis Hiſpaniæ Theologis meritò relinquenda videtur, qui cùm adſint in loco, vbi ſumitur dicta potio, faciliùs, quàm alij ſcopum veritatis attingent, &c.

RESOL. CXCV. *An qui in ſtatu peccati mortalis, & non ieiunus, ſumit Euchariſtiam, peccet duplici peccato in confeßione explicando, & de interuallo, quo infirmus poſt viaticum communicari poteſt?*

NEgatiuè reſpõdeo; quia quamuis ſumptio illa ex duobus titulis ſit peccatum mortale, nempe & quia eſt tranſgreſſio illius præcepti poſitiui de non ſumendo Euchariſtiam, niſi ieiunus; & quia eſt tranſgreſſio præcepti naturalis diuini non ſumendi Euchariſtiam in ſtatu mortalis: nihilominus quia vterque iſte titulus eodem modo opponitur Religioni, quia eodem modo eſt contra reuerentiam Sacramenti; ideò eſt idem ſpecie peccatum; & etiam eſt idem numero, quia non eſt vnde malitia numero multiplicetur, quia materia eſt eadem numero, & non reſpiciẽs diuerſa extrinſeca, imò nullum,

lum, quia eſt abſoluta nullum extrinſecum reſpiciens. Et hæc omnia docet *in ſuo tract. de Sacram. diſp. 9. diffic. 1.* Gaſpar Hurtado Theologus Societatis IESV, quæ doctorum hominum in omni ſcientiarum genere meritò emporiũ vocari poteſt. Verùm hanc opinionem Hurtadi aliqui recentiores non admittũt, & præſertim inter illos noſter P. D. Thomas de Affligo, vir doctiſſimus, nam licet vtrumque peccatum opponatur eidem virtuti religionis, non tamen eodem modo illi opponuntur, cùm diuerſam materiam reſpiciant, & diuerſam habeant deformitatem. nam accedere cum peccato mortali ad Euchariſtiã, opponitur reuerẽtiæ Sacramento debitæ quoad puritatem animæ, quæ puritas eſt diſpoſitio neceſſaria ex iure naturali diuino. Accedere verò ad illam non ieiunũ, opponitur reuerentiæ debitæ quoad diſpoſitionem corporalem, & non eſt diſpoſitio neceſſaria ex iure naturali, & diuino. Adde quòd homicidium, furtum, contumelia eidem virtuti opponũtur, nempe iuſtitiæ commutatiuæ, & tamen differunt ſpecie ſolùm ob materiæ diuerſitatem, nedum ex quocumque defectu.

Notandum eſt tamen hîc obiter, quod ego alibi docui, poſſe infirmum periculosè ægrotantem ſumere Euchariſtiam non ieiunum, poſt interuallum ſex dierum; imò adduxi Ludouicũ de San Iuan putantem ſufficere interuallum trium dierum; nunc verò addam ea, quæ præter Armillam notat circa præſentem quæſtionem Hurtado *vbi ſuprà diffic. 16. in fine*, vbi ſic ait: Doctores ferè omnes pro repetitione Euchariſtiæ ſumendæ ab infirmo periculosè ægrotante non ieiuno, requirunt interuallum aliquarum dierum inter vnam & alteram communionem; Tabiena interuallum ſex dierum; Armilla verò nullum aſſignat, abſque dubio credens, repeti poſſe quoties poteſt à ſano ieiuno, quod in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. 13.* iudicari videtur, dum excipit infirmos abſque vlla limitatione, quo videtur indicare, toties poſſe ab illis non ieiunis ſumi, quoties à ſanis ieiunis. Ita Hurtado, vide meipſum *in 3. part. tract. 4. reſol. 44.* ſed ego in caſibus contingentibus libenter concederem infirmis, poſſe recipere iterùm lucrum viaticum poſt interuallum trium, vel quatuor dierum.

RESOL. CXCVI. *An qui audit Miſſam poſt Euangelium incluſiuè, ſatisfaciat præcepto; & an quis vnica Miſſa poſſit ſatisfacere pluribus petentibus vnam Miſſam, ſine ſtipendio?*

DE hac quæſtione alibi actum eſt, nunc verò ſolùm addam, Gaſparem Hurtadum *de ſacrificio Miſſæ diſp. 5. diffic. 1.* affirmatiuam ſententiam docere; ſic enim ait: Omiſſio Miſſæ vſque ad Euangelium incluſiuè, ſeu iam dictum, ſi ab eo iam dicto aſſiſtatur vſque in finem, non erit mortalis; quia omiſſio hæc non videtur attingere grauitatem. Ita ille.

Notandum eſt etiam hîc ſecundùm Hurtado *diſp. 4. diffic. 15.* ex hoc, quòd ſacrificium Miſſæ pro pluribus oblatum proſit ſingulis, ac ſi pro vno tantùm offerretur, credimus vna Miſſa ſatisfieri pluribus petentibus vnam Miſſam, dũmodo ab illis non ſit acceptum ſtipendium, ſed gratis multis perſonis Miſſa promiſſa fuerit, quod eſt valdè notandum. Et ratio eſt, quia non eſt alia obligatiõ in Sacerdote, quàm applicandi petenti Miſſam fructũ ex opere operato, ſeu ex inſtitutione Chriſti, qui non minùs obuenit ſingulis, quàm ſi vnitati applicaretur; & non eſt obligatio applicandi fructum ex opere operantis, nempe orationum, & precum, & aliarum actionum Miſſæ (qui minùs obuenit ſingulis,) quia qui ea exercet ex malo fine, qua ratione nullum habent fructum, etiam ſatisfacit petenti Miſſam. Ita Hurtado ex Ægidio Coninch; ſed an probabiliter, iudicent alij, nam hæc opinio multis recentioribus non placet.

RESOL. CXCVII. *An ſi quis ſumpſit Euchariſtiam manè, & poſt prandium incidat in periculum mortis, poſſit iterùm Euchariſtiam ſumere?*

DEciſio huius caſus pendet ex illa quæſtione, an qui paulò ante articulum mortis ſumpſit Euchariſtiam, maneat liber ab obligatione præcepti ſumendi Euchariſtiam pro eo articulo? & partem affirmatiuam alibi probabilem eſſe docui, quam nouiſſimè tuetur Homobonus de Bonis *in conſultat. caſuum conſcient. vot. 2. part. 5. reſpon. 47.* Sed pro conſolatione alicuius infirmi, in tali caſu poſſe iterùm, etiam non ieiunum Euchariſtiã ſumere, probabiliſſimum eſſe exiſtimo, tenens opinionem illorum, qui aſſerunt non ſatisfieri dicto præcepto per cõmunionem factam ante articulũ mortis, quamuis paulò anteà factam. Et ideò Gaſpar Hurtado *de Euchar. diſp. 10. diffic. 2.* ſic ait: Exiſtimamus eum, qui ſanus, aut ſi infirmus, extra periculum tamen mortis, communicauit, ſi in eodem die poſt eam communionem incidat in periculum mortis, ſiue violentæ, ſiue naturalis, & adeò vrgens, vt prudenter timeatur eodem die moriturus, aut quòd eo tranſacto non ſit futurus potens communicare, teneri pro viatico iterùm in eodem die cõmunicare poſt incidentiam in dictum periculum, quia præceptum communicandi in articulo mortis, cui non eſt ſatisfactum communione ante periculum facta, eſt diuinum, & maioris ponderis, quàm prohibitio Eccleſiaſtica non communicandi in eodem die, niſi ſemel (& tu adde, ieiunus) quod expreſsit Vaſquez *in manuſcriptis*, & ei ſubſcripſerunt noſtræ Societatis, & plures alij grauiſsimi viri Academiæ Complutenſis, & Salmanticenſis, & id fecerunt Madriti P. Vega Rector illius Collegij, & P. Arnolos in eodem Collegio. Ita Hurtado *vbi ſuprà.*

RESOL. CXCVIII. *An ſi Confeſſarius non intellexit integra peccata pœnitentis, ſit ab ipſo iteranda tota confeſsio, ſi bona fide fuerit facta?*

PRo ſententia negatiua *in 3. part. tract. 4. reſol. 109.* adduxi Paulum Layman Societatis IESV, quam ſcio alicui diſplicuiſſe, immeritò quidem, & ideò hanc ſententiam nouiſsimè docet Guilielmus Mercerus ſacræ Theologiæ Profeſſor eximius in Academia Louanienſi, *in ſuis comment. ad 3. part. D. Thomæ quæſt. 9. art. 1.* vbi ſic aſſerit: Putant aliqui iterandam eſſe confeſsionem ſi intelligatur Confeſſor fuiſſe ignorans, aut non intellexiſſe pœnitentem. Sed hoc caſu Gabriel, & Syluester bona fide confeſſum eſſe validè abſolutum probabiliter exiſti-

exiſtimant, quia nihil defuit ex parte pœnitentis, & Cõfeſſor ſciens ac volens formam debitam adhibuit. Nec refert, quòd ſtatum pœnitentis abſolutè non intellexerit, quia neque id accidit ex vitio pœnitentis, neque abſolutè requiritur ad ſubſtantiam Sacramenti, vt patet ex eo, qui ſic in mortis articulo abſoluitur. Ita Mercerus. vnde apparet ſatis probabilem eſſe opinionem, quam *loco citato* olim docui cum docto viro Paulo Laymanno, non teneri repetere niſi ſola peccata non intellecta à Confeſſario.

RESOL. CXCIX. *An abſoluti in articulo mortis à caſibus reſeruatis teneantur, ſi conualuerint, comparere coram Superiore, ſicut tenentur ſi fuerunt abſoluti ab aliqua cenſura?*

AFfirmatiuam ſententiam docet nouiſſimè Gaſpar Hurtado *de ſacram. Pœnit. diſput. 11. diffic. 13.* quia facultas in iure conceſſa ad abſoluẽdum à reſeruatis, quibus excommunicatio annexa eſt, in articulo mortis, aut alio legitimo impedimento exiſtente, extenſa eſt à Doctoribus ad abſoluendum à quibuſcumque aliis, quamuis forſan eis non ſit annexa excommunicatio. Ergo etiam extendenda eſt cum eodem onere, cum quo in iure conceſſa eſt ad abſoluendum ab illis, quibus annexa eſt excõmunicatio. Ita Hurtado contra Suarez. Sed ego ſententiam Suarez puto probabiliſſimã eſſe, quam docuit Sanctorius *de caſibus Papalibus, cap. 13. n. 147.* Nauarrus *in man cap. 26. n. 26.* & nouiſſimè docet Guilielmus Mercerus *in 3. part. D. Thomæ q. 9. art. 6.* vbi ſic ait: Notandum eos, qui propter periculum fuerint abſoluti à cẽſuris Superiori reſeruatis, ſi euaſerint, teneri, vt quamprimùm potuerint, ſiſtant ſe Superiori, non vt iterùm abſoluantur, ſed vt obtemperent mandatis eius, & niſi fecerint, recidunt in eaſdem cenſuras, vt habetur *in cap. eos qui, de ſent. excom. in 6.* Sed eos quoque, qui abſoluti fuerint à caſibus reſeruatis non habentibus cenſuram annexam, non teneri vt ſiſtant ſe illi, cui erant reſeruati, neque ampliùs confiteri eoſdem. Ita Mercerus.

Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd ſubditus abſolutus ex facultate conceſſa cum onere comparendi, non tenetur comparere, ſi ante abſolutionem ignorauit dictum onus. Ita Vaſquez *in 3. part. tom. 4. quæſt. 93. art. 1. dub. 6.* Hurtado *vbi ſuprà difficult. 12.* & alij.

RESOL. CC. *An Epiſcopi poſſint licitè ſine rationabili cauſa reuocare approbationes liberas Regularium audiendi confeſſiones?*

AFfirmatiuè reſpondet Gaſpar Hurtado *de ſacram. Pœnit. diſp. 10. diffic. 19.* vbi ſic ait: Addimus reuocationem approbationis, etiam Religioſorum, quantumuis ſine rationabili cauſa pro ſolo nutu Epiſcopi factam eſſe validam, & licitam. Et in primis eſt valida, vt aduertit Vaſquez, quia approbatio ſua natura eſt reuocabilis, & nullo iure eius reuocatio limitatur. Ergo ſi de facto fiat reuocatio, quãuis abſque rationabili cauſa fiat, erit valida. Deinde eſt licita, quia nullo iure prohibetur; non poſitiuo, quia nullibi extat; nec naturali, quia ſicut in principio potuit ab Epiſcopo pro ſolo ſuo nutu abſque cauſa licitè negari, quia nullo iure Sacerdotis, nec alio titulo cogitur Epiſcopus ad id faciendũ; ita etiam poſt eam factam poterit pro libito abſque cauſa licitè reuocari, quia poſt approbationem factam nullum apparet ius in approbato acquiſitum, vt approbatio ipſius non reuocetur; quia quamuis approbatio ſit inſtar ſententiæ, eſt tamen ſolùm declaratiua ſufficientiæ, quam anteà approbatus habebat; non collatiua alicuius, in quo, vel ad quod ius aliquod acquirat, ac proinde ſicut potuit à principio licitè pro ſolo nutu Epiſcopi non declarari ſufficientia Sacerdotis; ita etiam declaratio ſemel facta poterit licitè pro libito Epiſcopi reuocari. Ita Hurtado. Sed, pace viri docti, immeritò quidem, & ideò contrariam ſententiam teneo cum Doctoribus, quos citaui *in 3. part. tract. 21. reſol. 22.* quibus adde Mercerum *in 3. part. D. Thomæ quæſt. 8. art. 4. dub. 2. nu. 8.* & hanc ſententiam ſequendam eſſe apparet ex declaratione ſacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium *in vna Giennenſi, & Criolenſi 30. Auguſti 1630.* quam affert Barboſa *in collectan. declarationum, ver. Regularis Confeſſor, & ver. Approbare.* Et ex alio decreto ſacræ Congregationis *20. Nouembris 1615.* quod affert Gauantus *in manuali Epiſc. ver. Confeſſor. num. 23. & 24.* & Peirinus *in priuileg. Minim. tom. 1. conſtit. 2. Sixti IV. §. 11. nu. 45.* non poſſunt igitur ex dicto decreto Confeſſarij Regulares ſuſpendi ab Ordinariis, niſi ex noua cauſa, atque ad confeſſiones ipſas pertinente, aut ob non ſeruatum interdictum ab ipſis Ordinariis poſitum: vnde ſi contra determinationes huius decreti Confeſſarij Regulares ſuſpendantur ab audiendis confeſsionibus, Ioan Baptiſta Lezzana, vir quidem doctus & amiciſsimus, *in ſumma qq. Regular. cap. 19. nu. 9.* putat quòd non tenentur obedire, ſed ne omittas videre me ipſum *vbi ſuprà.*

Ex his infertur, quòd licet ſecundùm aliquos approbatio Confeſſariorum Regularium poſsit ab Epiſcopis ex iuſta & rationabili cauſa reſtringi, & limitari ad certum tempus, locum, atque perſonas; ſi tamen id fiat ſine iuſta cauſa, probabiliſsimum eſt talem reſtrictionem non valere. Ita Lezzana *vbi ſuprà, nu. 8.* Miranda *in manuali tom. 1. q. 45. nn. 10.* Henriquez *lib. 3. de pœn. cap. 6. nu. 5. & 9.* & vide omnino me ipſum *loc. cit. reſol. 25.*

Non deſinam tamen adnotare, quòd licet ſupradicta ſint vera, tamen Regularibus facultas audiẽdarum confeſsionum ad beneplacitum per Epiſcopos conceſſa poteſt quandocumque reuocari. Ita ſacra Congregatio Epiſc. & Regular. *in vna Papienſi 12. Martij 1619.* apud Barboſam *loco citato ver. Regular. Confeſſor. & ver. Approbare*, contra Peirinum, quem videbis penes me ipſum *vbi ſuprà, reſolut. 26.*

Et tandem nota, quòd Regulares ab Epiſcopo anteceſſore præuio examine approbatos, poteſt modernus Epiſcopus pro maiori conſcientiæ ſuæ quiete rurſus examinare. Ita ſacra Congregatio *in vna Albanenſi 5. Februarij 1628.* & *in vna Giennen. 30. Ianuarij 1629.* apud Barboſam *vbi ſuprà*, contra aliquos DD. quos citaui *loco citato, reſolut. 27.* Sed noſtram ſententiam nouiſsimè docet etiam Lezzana *in ſumma qq. Regul. cap. 19. nu. 7.* & Aldanus *in compen. Canon. reſol. lib. 3. tit. 12. num. 8.*

RESOL.

RESOL. CCI. *An pœnitens teneatur reiterare confeſſionem factam bona fide cum Confeſſario ignorante?*

NEgatiuè reſpondeo, quia dicta confeſſio non fuit inualida, & nulla, cùm actus pœnitentis cogniti vt peccata, ſunt materia ſufficiens abſolutionis. Ergo abſolutio ſupra illam cadens erit valida, licet peccauerit Sacerdos (niſi bona fide excuſetur) quia cauſa inſufficienter cognita tulit ſententiam abſolutionis. Et ita docet Gabriel *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 2 *quæſt.* 8. Petrus Sotus *lect.* 6. *de confeſsione.* Ægidius Coninch, Suarez, & alij, quos citat, & ſequitur Gaſpar Hurtado *de Sacram. diſp.* 10. *de pœnit. diffic.* 15. quibus ego addo Franciſcum Syluium *in* 3. *part. D. Thomæ quæſt.* 8. *art.* 5. *quæritur* 7. vnde dictam confeſſionem non eſſe repetendam docet Mercerus *de Sacram in* 3. *part. D. Thomæ quæſt.* 9. *art.* 1. quod ego alibi etiam docui *in* 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 121. Verùm ego ibi pro contraria ſententia adduxi Vaſquez, cui nunc addo Homobonum *in conſult. caſuum conſcient. volum.* 2 *part.* 5 *reſponſ.* 86. Turrianum *in pœnit. diſput.* 25 *dub.* 2. Victoriam *in ſumma de confeſsione, num.* 168. & alios, quia in tali caſu abſolutio fertur à Iudice, cauſa inſufficienter cognita. Ergo, &c. vnde vtramque opinionem probabilem eſſe exiſtimo.

Non deſinam etiam hîc obiter adnotare in caſu ignorantiæ proprij Parochi permitti pœnitentibus confiteri alieno Sacerdoti abſque licentia proprij, ex *cap. placuit* 9. *quæſt.* 2. *de pœnit. diſt.* 6. Ità Vaſquez *in* 3 *part. tom.* 4. *q.* 93. *art.* 2. *dub* 3. Nauarrus, & Medina, quos citat, & ſequitur Hurtado *vbi ſuprà diffic.* 11. quod intelligendum eſt, quando Parochus eſt adeò ignorans, vt confeſſio illi facta ſit nulla, aut illicita, ratione ignorantiæ ipſius, ſecundùm poſteriorem opinionem, quam *ſuprà* poſuimus, & etiam intelligitur quando non eſt alius Sacerdos, qui ex priuilegio, aut aliter habeat iuriſdictionem delegatam.

Verùm, his non obſtantibus, Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 2. Canus Bellet. *de pœnit. punct.* 5. docent in tali caſu non permitti pœnitentibus confiteri alieno Confeſſario abſque licentia proprij; ſed noſtra opinio eſt probabilior. vide Hurtadum *loco citato.*

RESOL. CCII. *An in aliquo caſu poſsint Superiores Regularium vti ſcientia habita in confeſsione, non obſtante decreto Clementis octaui, & an dictum decretum obliget ſub mortali?*

AFfirmatiuè reſpondet Guilielmus Mercerus *de Sacrament. in* 3. *part. D. Thomæ q.* 11. *art* 5 *dub.* 2. *concl.* 2. vbi ſic ait: Clem. VIII. *in decreto de caſibus reſeruatis*, edito pro Religioſis, ſic habet: Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſteà ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caueant ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerint, ad externam gubernationem vtantur.

Notandum tamen eſt, hanc prohibitionem eſſe iuris humani; propulſare autem periculum à Republica, vel à proximo abſque noſtro incõmodo, & violatione ſecreti, eſſe iuris diuini, & ideò poſſe fieri, vt quis teneatur hac ſcientia vti ad malũ auertendum, præſertim cùm ſit ſententia probabilis, quæ habet id poſſe fieri, & nullum ius humanum poſſit impedire, ne quis in neceſſitate vtatur ſententia probabili. Nec putandum eſt Pontificis cõſtitutionem agere de huiuſmodi caſibus extraordinariis, qui in domibus Religionis rariſſimi inueniuntur. Ita Mercerus; ſed an probabiliter, tibi iudicandum relinquo.

Notandum eſt etiam hîc obiter, in ſupradicto decreto latum eſſe præceptum cum verbis imperatiuis, quæ non obligare ſub mortali docuit Caiet. *in* 2. 2. *q.* 166. *art.* 9. Rodriq. *in addit. ad Bullam Cruciatæ*, §. 9. *num.* 77. & alij. Sed hæc opinio mihi non placet, & ideò puto cum Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 9 *nu.* 3. ſupradicta verba decreti obligare ſub præcepto peccati mortalis.

RESOL. CCIII. *Vtrùm quando confeſsio repetenda eſt cum eodem Confeſſario, quia fuit inualida, & vnico verbo pœnitens confitetur peccata in confeſsione inualida diſtinctè confeſſa, poſsit Confeſſarius abſolutionem impendere ſi non ſolùm non recordetur peccatorum, ſed etiam neque pœnitentiæ impoſitæ?*

HIc caſus poteſt frequẽter accidere, & ad illum affirmatiuè reſpondet Guilielmus Mercerus *de Sacram. in* 3. *part. D. Thomæ, quæſt.* 9. *art.* 1. vbi ſic ait: Ex parte Confeſſoris, vt rectè ſuo officio fungatur, obſeruandum eſt, cùm ſi priùs pœnitentiam impoſuerit, non indigere recordatione peccatorum, nec pœnitentiæ impoſitæ, contra Nauarrum; ſed ſufficiet, quòd recordetur hunc fuiſſe confeſſum, & quòd poſteà nihil graue cõmiſerit, in quo ſtandum eſt eius teſtimonio; ſi verò pœnitentiam non impoſuit, & neque in particulari, neque ſecundùm aliquã confuſam, & moralem rationem recordatur ſtatus conſcientiæ ipſius pœnitentis, poſtulare debet iteratã notitiam, vt imponat pœnitentiã condignam. Si tamen abſolueret abſque repetitione huiuſmodi, licet fuerit mutilum Sacramentũ, eſſet validum, quia haberet omnia eſſentialia. Ita Mercerus.

Verùm aliquibus magis placent in tali caſu ea, quæ docet Gaſpar Hurtado *de Sacram. diſp.* 8. *de pœnitent. diffic.* 8. vbi ſic aſſerit: Nos verò exiſtimamus, quòd ſi Confeſſarius pœnitentiam impoſuit, & ea eſt ipſi nota, vel ipſi fit nota à pœnitẽte, non eſſe neceſſariũ, quòd ei fiat iterùm diſtincta peccatorum cõfeſſio, quia ad abſoluẽdum ſufficit, confeſſionem fuiſſe à pœnitente diſtinctè factam, & diſtinctè à Confeſſario perceptam, & ob impoſitam pœnitentiam, & horũ notitiã, quia abſque fundamẽto amplius exigitur. Si autem Confeſſarius non impoſuit pœnitentiam, vel non taxauit illam, aut ſi impoſuit, vel taxauit, & non recordatur illius, nec habet notitiam aliàs ſufficientem ad eam prudenter taxandã, neceſſarium eſt, quòd ipſi fiat cõfeſſio maior, quam qui in illo vnico verbo cõfitendo peccata in cõfeſſione inualida facta; ſed non requiritur cõfeſſio diſtinctè facta, ſed ſufficit cõfeſſio aliqua cõfuſa peccatorũ anteà diſtinctè confeſſorum talis qualis ſufficit, vt Confeſſarius acquirat notitiam ſufficientẽ ad prudenter taxandam pœnitentiam; quia tunc ad id tantùm requiritur noua confeſsio peccatorum antea diſtinctè confeſſorum. Hæc Hurtado.

RESOL. CCIV. *An quando quis confitetur commiſiſſe erga Deum blaſphemias, addendo* paulò plus, minúſve, *ſi recordatur ſe aliis quatuor vicibus blaſphemaſſe, teneatur has quatuor vices denuò confiteri?*

COmmuniter Doctores, quos vidi aſſerunt, illa verba, *plus, vel minus*, extendi tantùm ad duo; ſed extendi etiam ad quatuor, docet nouiſſimè Gaſpar Hurtado *de Sacram. diſp. 9. de pœnit. diffic. 5.* vbi ſic ait: Qui confitetur ſe fornicatum fuiſſe decem vicibus paulò plus, minúſve, & poſteà recordatur ſe aliis tribus, vel quatuor vicibus fornicatum fuiſſe, non tenetur illas tres, vel quatuor vices de nouo confiteri. Ita ille, cum quo videtur conſentire Filliucius à me citatus *in 3. part. tr. 4. reſol. 94.* quam vide.

Non deſinam tamen hîc adnotare, Hurtado ſuam ſententiam veram exiſtimare, quando etiam poſtquam talis recordatus eſt ſe illis tribus, vel quatuor vicibus ampliùs fornicatum fuiſſe, poſſit rectè & verè iudicare ſe decem vicibus fornicatum fuiſſe paulò plus, minúſve, non verò quando id non poteſt ſic iudicare, & dicere, vel quia poſt confeſſionem iam pœnitenti conſtante certo, aut determinato numero, nempe ſe duodecim vicibus determinatè fornicatum fuiſſe, vel quia poſt dictam recordationem non poſſet verè & rectè iudicare, & dicere ſe fornicatum fuiſſe decem vicibus paulò plus, minúſve, ſed duodecim paulò plus, minúſve, quia ſicut ſi in principio pœnitenti certò conſtaret ſe duodecim vicibus determinatè fornicatum fuiſſe, aut iudicaret, ſe duodecim paulò plus minúſve fornicatum fuiſſe, teneretur ſic confiteri, ſic etiam tenetur poſt confeſſionem factam, Ita Hurtado.

RESOL. CCV. *Quidam adiuit meretricem, vt eius tactibus frueretur, ſine intentione fornicandi, & poſteà fornicatus eſt; quæritur, an ſufficiat explicare in confeſſione fornicationem tantùm ſine tactibus?*

DE hoc caſu olim interrogatus fui, & quidam putauit illos tactus non eſſe in confeſſione explicandos, nixus auctoritate Doctorum aſſerentiũ tactus ante fornicationem non eſſe in confeſſione explicandos: ſed nunc ego affirmatiuam ſententiam mordicus tenui, quam in terminis, vt dici ſolet, terminantibus tenet nouiſſimè Gaſpar Hurtado *de Sacram. diſp. 9. de pœnit. diffic. 6.* vbi ſic ait: Si tactus non fiant ex affectu fornicationis, ſed tantùm ob libidinem in ipſis repertam, ſi fornicatio poſteà fiat ex alio affectu, tunc erunt peccatum diſtinctum à fornicatione, quia tunc non ordinantur ad illam ex affectu operantis. Ita ille.

Dicendum eſt igitur tunc tactus, & oſcula non eſſe in confeſſione explicanda, quando ordinantur, & ſunt inchoationes ad copulam, nam quamuis ratione ſui habeant propriam malitiam, non cenſentur tunc moraliter peccatum numero diſtinctum à copula, ad quam ordinantur, quod verum exiſtimo contra Hurtadum *loco citato*, etiamſi oſcula, & tactus ſequantur fornicationem, ſunt enim illius complementum, & quaſi appendix illius, vt alibi ſatis probatum eſt, & ſic non ſunt explicanda in confeſſione, quod non procedit in caſu propoſitæ dubitationis, nam illi tactus, & oſcula à principio non fuerunt ordinata ad copulam. ergo, &c.

RESOL. CCVI. *An qui intra annum confeſſus eſt, teneatur in Quadrageſima confiteri noua peccata mortalia?*

AD hunc caſum ita reſpondet Mercerus *de Sacramen. in 3. part. D. Thom. quæſt. 6. art. 5. nu. 3.* Notandum eſſe probabile illum, qui intra annum ſæpiùs confeſſus eſt, ſi haberet in Quadrageſima conſcientiam noui peccati mortalis, quod numquam confeſſus eſſet, teneri nihilominus ad confitendum illo anno pro tempore Quadrageſimæ, hoc enim videtur ſignificare *cap. omnis vtriuſque*, cùm præcipit cõfiteri ſemel in anno omnia peccata, ſcilicet mortalia, & quidem illa, vt apparet, quæ eodem anno commiſit: in iſto autem caſu talis non eſt confeſſus omnia peccata mortalia eo anno commiſſa. ergo tenetur. Hoc tamen dico eſſe probabile, & in praxi certum eſt eſſe tutius, non tamen eſt planè certum, reſponderi enim poteſt cap. non loqui de omnibus peccatis, quæ committuntur vſque ad finem anni, ſed de omnibus, quæ habemus quando confitemur. Ita ille.

Sed ego alibi negatiuam ſententiam, quam ipſemet Mercerus probabilem putat, abſolutè docui, & nũc iterùm doceo cum Gaſpare Hurtado *de Sacram. diſp. 7. de pœnit. diffic. 11.* quia qui iam ſemel cõfeſſus eſt omnia mortalia, quorum tempore confeſſionis habuit conſcientiam, impleuit præceptũ annuæ confeſſionis, cùm hoc præceptum non eſt confitendi omnia peccata mortalia, quæ quis committit in anno vna, aut pluribus confeſſionibus, ſed tantùm eſt confitendi ſemel omnia mortalia, quorum quis habet notitiam tempore confeſſionis. ergo, &c. Vnde ego olim contra quemdam Religioſum Caſuiſtam vnius ſummæ probabiliter conſului, eius pœnitentem, qui in Paſchate noluit communicare, præter hoc peccatum, aliud non commiſiſſe, videlicet quia non eſt confeſſus multa peccata mortalia perpetrata poſt confeſſionem factam in eodem anno. nam, vt dictum eſt, in illa confeſſione iam præcepto annuæ confeſſionis ſatisfecerat; & alia peccata poſteà perpetrata tenebatur confiteri ſi ſacram Euchariſtiam ſumeret, quam cùm ſumere nollet, peccauit quidem contra præceptum ſumendi communionem in Paſchate, non autem contra præceptum iterùm confitendi.

Notandum eſt etiam, quòd in caſu ſupradicto talis tenetur in anno ſequenti confiteri illa peccata commiſſa poſt cõfeſſionem anni præteriti, & cum tali confeſſione facta in anno ſequenti ſatisfacit præcepto anni ſequentis, quamuis poſt eam confeſſionem de nouo committat intra eumdem annum ſequentem alia peccata mortalia. Ita Hurtado *loco citato*; qui etiam *in diffic. 12.* optimè notat, quòd qui anno præcedenti omiſit confeſſionem peccatorum mortalium, tenetur, magis probabiliter, vt ego etiam alibi docui, à principio anni ſequentis ad confeſſionem illorum; ſed ſi in ea confeſſione etiam confiteatur aliquod peccatum mortale illius anniſequentis, ea etiam ſatisfacit præcepto confeſſionis illius anni ſequentis, quia tunc illa confeſ-

confeſſio pertinet ad vtrumque annum, cùm confiteatur peccata in vtroque anno perpetrata.

Nota etiam, quòd annus pro impletione dicti præcepti computãdus eſt à Ianuario in Ianuarium; quia annus abſolutè dictus communiter, & ordinariè ſic computatur. vnde qui in Ianuario anni præcedentis, & in Decembri ſequentis confitetur, ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis pro illis duobus annis, quia talis confitetur ſemel in quolibet anno. Ita Vaſquez *in 3 part. tom. 4. quæſt. 90. art. 2. dub. 1.* & alij, licet Guilielmus Mercerus *vbi ſuprà*, Suarez *diſp. 36. ſect. 36.* & alij aſſerant annum pro impletione dicti præcepti computandum eſſe à Quadrageſima in Quadrageſimam, aut à Paſchate in Paſcha. Sed ſi quæras hîc incidenter, an ſi quis, v.g. in principio anni confeſſus eſt venialia, & poſteà commiſit mortalia, an, inquam, teneatur ex præcepto annuæ confeſſionis confiteri intra illum annum dicta peccata mortalia? Negatiuè reſpondendum eſſet ex doctrina Petri de Ochagauia *de Sacram. tract. 2. quæſt. 9.* aſſerentis ex confeſſione peccatorum venialium ſatisfieri præcepto annuæ confeſſionis; ſed affirmatiuam ſententiam docet Hurtadus *vbi ſuprà, diffic. 11.* nam qui tantùm confitetur venialia, non ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis, quia ea tantùm præcipitur confeſſio mortalium: vnde ſi anno illo poſt confeſſionem tantùm venialium committat mortale, tenetur intra eumdem annum illud confiteri: & hanc opinionem certiorem eſſe putat Mercerus *loco citato, de Sacrament. in 3. part. D. Thomæ quæſt. 6. art. 5. num. 3.*

Resol. CCVII. *An impuberes incurrant in excommunicationem latam, v.g. ab Epiſcopo contra non obſeruantes præceptum annuæ confeſſionis, vel communionis in Paſchate?*

AFfirmatiuè reſpondet Hurtado *de Sacram. diſp. 7. de pœnit. diffic. 9.* vbi ſic ait: Impuberes non implentes præceptum annuæ confeſſionis incurrunt excommunicationem maiorem, quæ in aliquibus diœceſibus ipſo facto imponitur. Ita ille, quod etiam docuit *de cenſuris in communi, diffic. 7.* vbi probat, pueros impuberes ratione vtentes poſſe validè ligari cenſuris ab homine.

Sed his non obſtantibus, contrariam ſententiam docet Corduba *in ſum. quæſt. 6.* & Petrus de Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Euchar. quæſt. 7.* quibus adde nouiſſimè Guilielmum Mercerum *de Sacrament. in 3 part. D. Thomæ quæſt. 6. art. 5. num. 7.* vbi loquendo de pœnis, quæ poſſunt incurri ex violatione præcepti annuæ confeſſionis, aſſerit per conſtitutionem Synodorum particularium poſſe incurri excõmunicationem ipſo facto; ſed ſubdit non extendi ad pueros, etiamſi peccent contra diuinum, & humanum præceptum, quia, vt dicitur *in cap. 2. de delictis puerorum*, in pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis prouectioris ætatis humanæ leges ducunt ſeueriùs puniendum. Sic Mercerus. vnde puto hanc ſententiam, vt alibi dictum eſt, probabilem eſſe, quam, præter Doctores citatos, docet etiã Homobonus de Bonis *in conſult. caſuũ conſcientiæ, vol. 2. p. 5. reſponſ. 126.* vbi citat Sotum, Comitolũ, & alios; vide etiam Vgolinum *de cenſ. c. 17. §. 3. nu. 5.*

Resol. CCVIII. *An ſi quis, v.g. habuit licentiam celebrandi in Oratorio domus ſuæ in ciuitate Panormi, poſſit vti hoc priuilegio ſi transferat domicilium Meſſanæ?*

HIc caſus eſt multùm practicabilis, & negatiuè videtur reſpondendum; quia reſcriptũ Pontificum aſſerit, quòd Miſſa celebratur in domo ciuitatis Panormi. ergo non poteſt celebrare in domo ciuitatis Meſſanæ; nam aliàs dicta verba nihil operarentur: vide *cap. commiſſa. §. porrò, de elect. in 6. & l. boues, §. hoc ſermone, ff. de verb. ſignif.*

Verùm opinio affirmatiua probabiliſſima mihi videtur, quã docet nouiſſimè Antonius Nouarius *in ſumma Bullarum, tit. de oratoriis priuatis, num. 6.* & Megalius *var. reſolut. tom. 2 reſolut. 67. per totam.* quia hoc non eſt priuilegium locale, ſed perſonale; vnde finitur morte illius, cui talis licentia conceſſa fuit; ergo in quocumque loco quis habitauerit, poterit ſibi facere Miſſam celebrare, cum licentia tamen Ordinarij, & ſeruatis ſeruandis in conceſſione. Ad argumentum verò contrarium reſpondeo, illa verba non eſſe appoſita diſpoſitiuè, ſed demonſtratiuè; & verba, quæ tantùm cauſa demonſtrationis apponuntur, nihil operantur, cùm demonſtrent habitationem; vt rectè obſeruat Crauetta *conſ. 86. num. 11.* ergo, &c. Adde, quòd in dubio verba accipienda ſunt demonſtratiuè, non autem taxatiuè, aut limitatiuè, vt declarauit ſacra Rota *in vna Squillacenſi die 4. Martij 1616.* coram Reuerendiſſimo Martino Andrea *deciſ. 54. num. 7.* ex doctrina Bartol. *in l. cùm pater, §. menſæ, num. 8. ff. de legat. 2.* Decio *conſil. 183. numer. 1. ver. & ad hoc facit, & conſil. 468. num. 3.* Crauetta *conſil. 301. num. 3.* Cephalus *conſil. 13. num. 37.*

Notandum eſt tamen hîc obiter cum ſupradictis Doctoribus, ſub nomine familiæ in præfatis licentiis poſitæ venire maritum & vxorẽ, filios & filias, ac etiam nurum habitantem in eadem domo, & cõmenſalem; ſicut & omnes ſeruos & ſeruas commenſales, qui in miniſterio eiuſdem familiæ ſunt.

Resol. CCIX. *Quæ cauſa ſit ſufficiens vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in interſtitiis Ordinum Presbyteratus?*

COncilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 11. & 13.* vt Epiſcopus diſpenſet in interſtitiis, requirit vtilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ, quæ quando adſit, vel non, remittit Epiſcopo iudicandum: ſed Doctores vtplurimùm non explicant in particulari quando Eccleſiæ vtilitas, vel neceſſitas poſtulat, vt quis ordinetur non ſeruatis temporum interſtitiis, vt diſpenſare poſſint Epiſcopi: qui quidem hoc in caſibus contingentibus ſcire cupiunt, & ideò quia caſus eſt quotidianus, ponam hîc verba P. Gaſparis Hurtadi *de Sacram. tract. de ordine, difficult. 23.* ſic aſſerentis: Iudicio Epiſcopi relinquitur, vt in interſtitiis diſpenſet, prout neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ poſtulauerit, quæ verè poſtulat, vt ordinetur, qui habet beneficium, aut Capellaniam cum obligatione celebrandi Sacrum, & etiam (vt Congregatio Cardinalium declarauit) vt ordinetur qui in litteris, aut in virtute magnos fecit profectus: quia is ordinatus erit vtilis Eccleſiæ. Ita ille. Vide

etiam Hieronymum Rodriquez *in compen.qq.regular. reſolut.* 106. *num.* 23. & Barboſam *in collect. DD. ſuper Concilium Tridentinum ſeſſ.*23.*cap.*14.*num.*2. aſſerentes, hanc neceſſitatem & vtilitatem moraliter debere penſari, non enim in puncto indiuiſibili conſiſtunt: ſed recipere debent eam latitudinem, quæ in aliis rebus moralibus arbitrio boni viri attendi ſolet.

Obſeruandum eſt etiam hîc, facultatem remittendi interſtitia conceſſa Epiſcopo ex cauſis ſupradictis tranſire in Capitulum, ſeu eius Vicariũ Sede vacante, quando tamen ex decretis eiuſdem Concilij poteſt concedere licentiam ordinandi. Ita Sacra Congregatio, teſte Armendario *in addit. ad recopilat.legum Nauarræ lib.*1.*tit.*18.*leg.*7. *de Epiſcopis, nu.* 57. & Marta *de iuriſd. part.*2.*cap.*9.*num.*13. cum Homobono de Bonis *vbi infrà.*

Nota etiam, Hurtadum *vbi ſuprà* affirmare ſolos Generales Societatis IESV, & ab ipſis deputatos poſſe ex Bulla Gregorij XIII. diſpenſare cum ſuis ſubditis Regularibus in interſtitiis, tamen alij hoc priuilegium ad alias Religiones extendunt. Vide Suarez *de Relig.tom.*4.*tract.*8. *lib.*2. *cap.*12. *à num.* 21. cui adde Villalobos, & Ioan. de la Cruz, quos ego ipſe citaui *in* 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 32. Verùm non deſinam hîc adnotare, quòd Homobonus *in conſult.caſ. conſcient. tom.*2. *part.*5.*reſponſ.*211. Tamburinus *de iure Abbat.tom.*2.*diſp.*2 *quæſt.*25. & Lauretus de Franchis *de controuerſiis inter Epiſcopos & Regulares,* ponunt declarationem ſacræ Congregationis tenoris ſequentis: An Superiores Regularium poſſint quemadmodum Epiſcopi, vt *in ſeſſ.* 25.*Tridentini cap.* 11. *&* 13. diſpenſare ſuper temporum interſtitiis cum ſubditis ſuis? Sacra Congregatio cenſuit, Superiores Regulares non poſſe diſpenſare ſuper interſtitiis Regularium ordinandorum, ſed id pertinere ad Epiſcopum ordinantem, qui tamen quoad cauſam diſpenſandi iudicium ſuum formare debet ex atteſtatione Superiorum Regularium.

Et tandem nota, quòd recipiens Ordines non ſeruatis temporum interſtitiis abſque diſpenſatione non incidit in ſuſpenſionem, neque in irregularitatem. Ita Lauretus *vbi ſuprà, quæſt.*32 *fol.*84. Campanili *in diuerſ.iur. Canon. rubr.*6.*cap.*3.*num.*13. & alij; quos citat, & ſequitur Barboſa *loco citato cap.*13. *nu.* 12. neque Epiſcopũ illum ordinantẽ, Barboſa *nu.*11.

RESOL. CCX. *An quando prouiſio efficitur per concurſum, ſi quis eligat dignum, omiſſo digniori, teneatur ad reſtitutionem?*

AFfirmatiuè reſpondet Molina *de primogen.lib.*2. *cap.* 25. *num.* 59. Guttierrez *canonic. quæſtionum lib.*2.*cap.*11.*nu.*55. *& ſeq.* Vaſquez *opuſc.de benefic.cap.*2. §. 3. *num.* 117. Fernandez *in examin. Theolog. moral. part.*4. *cap.*4. §.1. *num.*2. & alij; quia in tali caſu eligens dignum, omiſſo digniori, non ſolùm peccat contra iuſtitiam diſtributiuam; verùm etiam contra commutatiuam ortam ex illo, quaſi contractu proueniente ex edicti propoſitione, & ex fide in illo data.

Scio Martinum Ledeſmam 2. 4. *quæſt.* 18. *ad fin. ver ſecunda concluſio.* Mercadum *de contract.lib.*6.*cap.* 17. §. *y aſſi dizen los Theologos. ver. eſto no lo ſiguo.* Garſiam *de benefic. part.* 7. *cap.* 16. Nauarrum *in manuali cap.* 17. *num.*74. *ver. nec obſtat,* & alios contrariam ſententiam probabiliter docere; ſed tu ne diſcedas ab opinione affirmatiua, tamquam probabiliori, & tutiori; quòd autem in foro externo dicta electio ſit nulla, & ſubreptitia, docet Azeuedus *conſil.* 9.*num.*30. & declarauit Rota *in vna Tudenſi* 18. *Aprilis* 1603. coram Sacrato; & *in vna Dertunenſi* 18. *Decembris* 1581. coram Giptio; & obſeruat Beltraminus *in annot. ad deciſ.* 11. *Gregor. XV.* vnde Ioan. Valerus *in differentiis vtriuſque fori, ver.electio, differen.*2. *num.* 4. aduertit, conquerente digniore reuocari collationem factam digno de beneficio curam animarum habente, mediante concurſu, &c.

RESOL. CCXI. *An Abbates, & alij Prælati inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, etiam nullius diœceſis, gaudeant facultate abſoluendi, & diſpenſandi ex Concil.Trident.ſeſſ.*24.*cap.*6.

NEgatiuè reſpondet Gratianus *in diſcept. forenſ. cap.*441.*num.*2. Toletus *lib.*1. *cap.*83.*nu.*5. Aragon *in* 2.2.*q.*88.*art.*12. Suarez *in* 3.*part.tom.*4.*diſp.*30. *ſect.*2.*nu.*6. *& to.*5.*diſp* 41.*ſect.*2.*nu.*7. Ledeſma *in ſumma tom.*2.*tract.*1.*c.*6.*poſt concluſ.*2.*diffic.*1. & alij.

Sed affirmatiuam ſententiam docet Henriquez *lib.*6.*cap.*16.*num.*1. Flores de Mena *var. reſolut. lib.*3. *quæſt.*24. *num.*18. Auila *de cenſ. part.*7. *diſp.*10.*dub.*10. Sanch. *in ſum. tom.*1. *lib.*2. *cap.*11. *num.*5. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.*3. §. 2. *q.*8. *num.*55. Moneta *de commut. vltim.volunt.cap.*5 *num.*455. Sigiſmundus à Bononia *tract de elect. dub.*51. *num.*8. & alij aſſerentes, facultatem, quam habent Epiſcopi abſoluendi à cenſuris, & diſpenſandi ſuper irregularitate occulta, &c. ex vigore Concilij Tridentini competere etiam aliis Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe.

Notandum eſt etiam hîc obiter contra Bonacinam *de cenſ.diſp.*7.*quæſt.*5.*punct.*1.*nu.*6. & Altherium *de cenſ.tom.*2.*diſp.*8.*de ſuſpenſ. cap.*3. *ver. ex eodem,* Capitulum Sede vacante habere facultatem diſpenſandi, & abſoluendi conceſſam Epiſcopis *in dicto loco Concilij Tridentini.* Ita Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 2.*num.*10. Garſias *de benefic.part.*7.*cap.*11.*num.*21. Beia *part.* 4. *caſ.* 37. Sayrus *in claui Regia lib.*2. *cap.*11. *num.*84. & alij. Sicut etiam cõtra Armendarium *in addit.ad recopil. leg. Nauarr.lib.*1.*tit.*18.*leg.*7. *de irregularitate, num.*50. Garſiam *dicto cap.*11.*num.*13. *&* 20. Ledeſmam *vbi ſuprà, poſt concl.*20. *diffic.*3. Suarez, & alios, dicendum eſt ſupradictam facultatem competere etiam Superioribus Regularium circa ſuos ſubditos. Ita Henriquez *loco citato,* §.8. *& lib.*7.*cap.* 25.*ſeſſ.*2. Rodriquez *to.*1.*quæſt.*61.*art.*9. Molina *tract.* 3.*diſp.*61.*nu.*4. *&* 5. Sanchez *vbi ſuprà, nu.*7. Vecchius *in praxi Nouitiorum diſp.*9. *à num.*4. & alij.

RESOL. CCXII. *An confeſſio facta principaliter ex fine veniali ſit inualida?*

HIc caſus poteſt in praxi ſæpiùs accidere, & affirmatiuam ſententiam docet Sylueſter *ver. Confeſſio* 1. *quæſt.*7. aſſerens, Sacramentum Pœnitentiæ quando ſuſcipitur principaliter ex quocumque alio fine, quàm remiſſionis peccatorũ, eſſe inualidum;

quia

quia hæc ſola eſt principalis effectus Sacramenti; ergo ea ſola eſt principaliter intendenda.

Sed ſi hæc opinio eſſet vera, plures confeſſiones eſſent iterandæ;& ideò contrariam ſententiam tenendam eſſe puto cum Soto *in* 4. *diſt.*18.*quæſt.*3.*art.* 3. Vaſquez *in* 3. *part. tom.*4. *quæſt.*92. *art.*3.*dub* 2. & aliis.Dico igitur ſacramentum Pœnitentiæ non fieri inualidum quocumque fine ſuſcipiatur, dum in eo non peccatur mortaliter, quamuis ex eo principaliter, & tamquam ex motiuo ſuſcipiatur, dum etiam ſuſcipiatur ex fine remiſsionis peccatorum, quamuis minùs principaliter,& tantùm impulſiuè. Ratio eſt, quia ex eo, quòd hoc modo ſuſcipitur, non deficit intentio ſuſcipiendi Sacramentum.Ergo non ex eo fit inualidum, quia valor Sacramenti tantùm pendet ex dicta intentione, & ex partibus eſſentialibus illius. Sed hæc omnia adſunt in caſu noſtro. Ergo, &c.

RESOL. CCXIII. *An priuilegia Regularium conceſſa celebrandi tempore interdicti ſint reuocata per Concilium Trident. ſeſſ.*25.*cap.*12.

AFfirmatiuam ſententiam docet Nauarrus *in man.cap.*27.*num.*190. Garſias *de benefic. part.*3. *cap.*2. *à num.* 278. qui *in addit. ad part.*5 *cap.*8.*num.*87. *ver. ad* 8. teſtatur ſic reſpondiſſe S. Cardinalium Congregationem conſultam ab Epiſcopo Abulenſi. Et idem aſſerit Armendarius *in addit. ad recopil. leg. Nauarræ, lib.*2.*tit.*18.*leg.*7. *de Relig.num.*73.

Sed cõtrarium docent Henriquez *lib.* 13. *cap.* 48. §.1. Rodriquez *tom.*2. *quæſt.*112.*art.*1. Sayrus *de cenſ. lib.*5. *cap.*13. *num.*24. & 25. Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig.lib.*2.*cap.*7.*dub.*2. *concl.*2. Miranda *in man. Prælat.tom.*2.*q.*37.*art.*12. Homobonus *de examin. Eccleſ. tract.*11.*cap.*12.*quæſ.*25.*reſol.*1 & alij, aſſerentes, ſpecialia Regularium priuilegia, vt pro ſuis feſtis, vel aliis certis diebus non ſeruent interdicta, Tridentino Decreto non eſſe reuocata.

RESOL. CCXIV. *De obligatione Epiſcoporum, & beneficiariorum ad eleemoſynas elargiendas?*

DVrus erit hic ſermo, ſed verus; ſic igitur ait Iacobus Granado *in* 2.2.*D.Thomæ contr.* 3. *tract.* 11. *diſp.*3. *num.* 21. Ego quidem, vt in hac re dicam quod ſentio, non damnarem eum, qui quartam partem, ſi Epiſcopus ſit, & qui quintam, aut ſextam, ſi Epiſcopus non ſit, elargiretur pauperibus, dummodo reſiduum poſt ſuam congruam ſuſtentationem piis aliis operibus impenderet, & non occurrerent ſpeciales,& vrgentiores pauperum neceſsitates. Probatur, quia Eccleſiaſticus non tenetur omnes redditus,qui illi ſuperſunt poſt ſuſtentationem, erogare pauperibus, quia bonam eorum partem poſſunt inſumere in alia opera pietatis; ergo quantitas ſub graui præſertim obligatione pauperibus eroganda,non poteſt cẽſeri iure aliquo determinata:patet conſequentia;quia non de diuino, aut naturali,vt conſtat, nec Eccleſiaſtico,quia modò Eccleſia nihil determinauit, & quãuis olim determinauerit quartam partem, iam ceſſauit illud præceptum, cùm ceſſauerit fundamentum illius, nempe quòd quarta pars redditiuum eſſet ab aliis ſeiuncta, & verè extaret; ſolùm ergo ſtandum eſt in hoc negotio prudentum arbitrio;ſed prudentes arbitrantur quartam partem, imò & minorem quantitatem eſſe ſufficientem; ergo non eſt maior obligatio imponẽda. Locutus ſum autem de quarta, & quinta parte, non quia omnibus tãta ſit obligatio, quia multi Eccleſiaſtici erunt, quorum redditus non ſufficiant, vt detrahatur quinta,imò nec octaua pars diſtribuenda pauperibus; ſed quia iſta quantitas in dictis caſibus ſufficiat, vt vnuſquiſque cenſeatur obligationi ſuæ ſatisfacere, licet pingue ſit beneficium. Confirmatur, quia abundantes, & frequentes eleemoſynas cenſetur elargiri, qui de quinque mille aureis elargitur mille; ſed ex nullo capite colligi poteſt, teneri Eccleſiaſticum, niſi ad abundantes,& frequentes eleemoſynas;ergo ſatisfacit ſuæ obligationi, quartam, ſi Epiſcopus ſit, & quintam, ſi non ſit Epiſcopus, elargiendo. Minor probatur, quia caput iſtud tantùm poteſt eſſe duplex;nimirum, quòd ſit pater pauperum,quòd non poſsit ſuperfluos ſumptus facere. Neutrum autem horum probat quidpiam contra nos:non primum, quia pater ſpiritualis pauperum ſatisfacit huic muneri copioſè illis ſuccurrendo, eorum neceſsitates inquirendo ſaltem in generali, & quando peculiares & grauiores neceſsitates occurrunt, abundantiorem ſtipem erogando;& totum hoc fieri poteſt optimè,licet in ordinariis neceſsitatibus non plus, quàm quod diximus,eroget; non enim exigit munus patris ſpiritualis, vt quidquid ipſi ſupereſt, illis donet, alioqui, vt dicebam, non poſſet in alia pia opera quidquam inſumere, quod eſt incredibile,& contra praxim Eccleſiæ. nec ſecundum, quia præter eleemoſynam ſunt alij ſumptus non ſuperflui, ſed pij, & ſpectantes ad diuinum cultum.

Ex quo tandem infero, ſi poſt congruam ſuſtentationem, & eleemoſynam in quantitate dicta, & opera pietatis, in quibus magna latitudo eſt, velit Eccleſiaſticus notabilem aliam quãtitatem ex redditibus beneficij ſibi reſeruare ad vſus non pios,ſed vanam oſtentationem, aut ſuperfluitatem, me non videre,quo iure,aut titulo excuſetur à culpa lethali: nam ſacri Canones Eccleſiaſtica bona propterea *Patrimonium Dei* appellant, quia in Miniſtrorum Dei ſuſtentatione, & piis operibus inſumẽda ſunt; & abſurdum eſt exiſtimare non eſſe contra intentionem, & iuſtiſsimam voluntatem Eccleſiæ,quòd hæc accipiantur ab Eccleſiaſticis,vt prodigè, & variè inſumantur. Confirmatur,quia grauiſsimi Doctores obligant laicos ſub mortali,vt ſuperflua omnia ſui ſtatus erogent pauperibus: ſed certum eſt, Eccleſiaſticos eſſe multò ſtrictiùs obligatos ad eleemoſynas, & pia opera; ergo certum eſt, teneri ſub mortali ad erogandum,vel in aliis pietatis operibus inſumendum ſuperflua ſtatus ſui; ergo peccant lethaliter, ſi in profanis vſibus conſumant Patrimonium Chriſti. Patet conſequentia, quia hæc, quæ poſt cõgruam ſuſtentationem ſuperſunt, ſuperflua ſunt, nec ad decentiam ſtatus vllo modo pertinentia. Et ſanè commune eſt inter Doctores pronuntiatum, totum, quod ſupereſt beneficiario poſt ſuam congruam ſuſtentationem, expendi debere in pauperes, & vſus pios,nec legi aliquem,qui contrarium doceat; cum hoc autem cohærere non poteſt,

poteſt, quòd quis contentus ſit inſumendo quartam, vel quintam partem inter pauperes, & alia pia opera, & reliquum vanè inſumendo, etiamſi ſint multa millia aureorum. Prudentiſſimè ergo noſter Azorius *tom.2.lib.12.c.11.quæſ.1. in fin.* noluit determinare quantitatem, quam inſumere ſufficiat beneficiario; ſed obligauit illum, vt impendat quidquid illi ſupereſt. Et hæc omnia docet Granado *vbi ſuprà*, quæ quidem multùm notanda erunt à Confeſſariis Eccleſiaſticorum, qui benignas opiniones circa præſentem materiam apud neminem ex Doctoribus inuenient; ſecus autem circa diuites dicendum erit, vt patebit *in ſeq.reſol.*

RESOL. CCXV. *De obligatione diuitum largiendi eleemoſynas in graui neceſſitate proximi de neceſſariis ad ſtatum?*

TEneri diuitem in graui neceſſitate proximi, licet non extrema, elargiri illi eleemoſynam de neceſſariis ad ſtatum, docet Sotus, Cano, Victoria, quos citat & ſequitur Bannez *in 2. 2. quæſt. 32. art.2. dub.4.* Valent. *hîc punct.4.* & alij; & ſic ait Bannez: Aduocatus tenetur defendere cauſam pauperis, quando aliter defendi non poteſt, & plura alia exempla adducit, & rationes pro hac firmanda ſententia, quam puto probabilem, & conſulendam.

Sed contrariam non minùs probabilem eſſe exiſtimo, quam tuetur Caietanus *in ſumm.ver.eleemoſyna largitio*, Nauarrus *cap.24. num.7.* Corduba *lib.1. quæſt.26.propoſ.2.* & D.Thomas *art.5.ad 3.* vbi explicans quãdo ſit mortale non elargiri eleemoſynam, ait: Cùm pauper euidenti, & vrgente neceſſitate premitur, & diues habet ſuperflua, etiam ſecundùm ſtatum. Et clariùs *in corpore artieuli*: Dare (inquit) eleemoſynam de ſuperfluo eſt in præcepto, & dare eleemoſynam ei, qui eſt in extrema neceſſitate; alias autem eleemoſynas dare eſt in conſilio. Ecce ſanctus Doctor duos tantùm caſus agnoſcit, in quibus præceptũ illud obliget, ſcilicet cùm pauper extremè indiget, & cùm quis habet ſuperflua; nomine autem ſuperflui intelligit ſuperfluum ſecũdùm ſtatum, vt euidenter conſtat ex corpore articuli; & alioqui ſi ſolùm intelligeret ſuperfluum naturæ, cogeremur aſſerere abſolutè, & ſine vlla limitatione teneri diuites de neceſſariis ad ſtatum elargiri eleemoſynam, etiam in communibus neceſſitatibus, quod falſum eſt, & cõtra omnes Doctores. Confirmatur hæc opinio ex ſententia illorum Doctorum aſſerentium præceptum eleemoſynę, etiam de ſuperfluis naturæ & ſtatus non obligare, ſaltem ſub mortali, niſi in extrema neceſſitate. Ita Alexander *part.4. quæſt.34. art.1.* Gabriel *in 4. diſt.16. q.4. art.2. concluſ.5.* D.Antoninus *2. part. tit.1. c.24.§.vlt.* Roſella *ver.eleemoſyna*, Durandus *in 4.diſt.15.quæſt.6. ad 2.* & alij; ſed quidquid ſit de hoc, dicendum eſt probabiliter, quòd quia vnuſquiſque habet ius, vt viuat ſicut decet ſtatum ſuum: ergo nemo poteſt illum obligare ad elargiendum eleemoſynam de iis, quæ ad huiuſmodi decentiam neceſſaria ſunt, niſi quãdo proximus eſt in extrema neceſsitate. Ad exemplum Aduocati, quod affert Bannez, reſpondet Caietanus in *2.2. quæſt.61. art.1.* in ſola extrema neceſsitate eſſe mortale, quòd Aduocatus non defendat cauſam pauperis, & ita intelligit D. Thomam; ſed meliùs dicendum eſt, cauſam pauperis, ſi grauis ſit, defendi debere ab Aduocato ſub mortali, quia munus eius hoc eſt, & alioqui ſæpè nihil amittit, ſed potiùs lucrabitur, quia ſi propterea amitteret lucrum alicuius momenti neceſſarium ad ſtatum, non teneretur ſub mortali: & ita omnia ſupradicta pro confirmatione huius poſterioris ſententiæ docet Iacobus Granado *in 2. 2. D. Thomæ, controu. 3. tract.11.diſp.2.ſect.5.num.32. & ſeq.*

Notandum eſt etiam hic cum dicto Granado *diſp.4.nu.1.* Caietano *ver.eleemoſyna largitio*, Corduba *lib.1.quæſt.18.* quòd rarò cõtingere poteſt, quòd ſæculares ſub mortali teneantur pauperibus erogare ſuperflua decentiæ ſuæ, quia, vt alibi ex Vaſquez & aliis notaui *part.2.tract 16.reſol.26.* vix in magnis diuitibus inueniuntur ſuperflua ſtatus. Dicendum eſt igitur cum Emanuele Sã *ver. eleemoſyna, num. 2.* quòd cùm inter Doctores non conueniat quando peccet mortaliter, qui non facit eleemoſynam, non facilè condemnandi diuites, qui non faciunt; monendi tamen, vt faciant quãtas maximè poſsint. Ita ille, & ego. Cùm igitur ſæculares de neceſſariis ad ſtatum non teneantur erogare pauperibus, niſi extremam neceſsitatem patiantur, & neceſsitates iſtæ rarò eueniant, aut ſaltem manifeſtentur diuitibus, quippe qui non tenentur eas quærere, & ſtatus decentia magnam habeat latitudinem, difficileque inueniatur qui ſuperfluitatis conuinci poſsit, difficile eſt damnare ad mortale, & in caſu, ſaltem dubiæ obligationis, nec diues tenetur elargiri, nec Confeſſarius ſub mortali obligare. Vide meipſum *vbi ſuprà.*

RESOL. CCXVI. *An ſi quis omiſit recitare, v.g. medietatem tertiæ, vel ſextæ, ſatisfecerit præcepto?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Oliuerius Bonartius Societatis IESV *de Hor. Canon. lib. 2. cap.19.num.12.* vbi ſic ait: Vt ſententiam meam paucis aperiam, dico inſiſtendo veſtigiis communis ſententię Doctorum, qui putant vnum tantùm eſſe præceptum de omnibus Horis, ſimul habens pro obiecto ſeptem Horas canonicas; ideoque illius præuaricationem vnum ſolum eſſe peccatum; probabile videri mihi non incurri in hac re peccatum mortale, niſi minima aliqua hora ferè integra prætereatur, vel aliqua pars horæ maioris illi reſpondens: vnde qui ex tertia ſaltem recitat vſque ad primum Pſalmũ incluſiuè, imò vnum illius Pſalmum, non videtur peccare mortiferè. Probatur, quia omiſsio auditionis Miſſæ die præcepto vſque ad Euangelium ſecundùm receptam opinionem, non eſt peccatum mortale; & tamen illa prætermiſsio æquiualet ferè priuatæ omiſsioni tertiæ. Si ergo in ſacrificio Miſſæ habetur pars exigua, eius principium vſque ad Euangelium, cur cenſebitur in officio Horarum totius diei ſufficiens pars ad peccatum mortale conſtituendum, omiſsio dimidiæ partis horæ tertiæ; cùm officium iſtud multò prolixius ſit, quàm ſacrificium Miſſæ. Hæc Bonartius. Verùm hanc ſententiam non approbant Doctores, quos citaui, & ſum ſecutus *in part.2.tract.de Hor.canon.reſolut.41.*

RESOL.

RESOL. CCXVII. *An Præbendatus peccet mortaliter ſi à Choro abſit?*

REſpondent affirmatiuè, etiamſi cedat diſtributionibus, & propter eius abſentiam officium non dimittatur, nec ſine decenti ſolemnitate celebretur. Ita Vaſquez *opuſc. de benef. cap.4. art.2.dub.1. num.182.* Suarez *de Relig. tom.2. lib.4. cap.10.num.17. & cap.13.num.5.& ſeq.* Bonacina *de Hor.canon.diſp.2. quæſt.1.punct.2.num.1.* & alij, quos citat & ſequitur Caſtrus Palaus *tom.2.diſp.3.punct.2. num.3.* ex multis rationibus, quas ipſe adducit.

Sed contrarium tenet Sylueſter *ver.Hora quæſt.2.* Caietanus §.5. Angelus *num. 21.* Nauarrus *de orat. cap.1.num.14.* Macignus *de Horis canon. cap.56. num. 34.* Barboſa *de poteſt Epiſc. part.3. allegat.53. num. 181.* & Valentia *tom.3. diſp.6. quæſt.2. punct.10.§.6.* vnde puto vtramque ſententiam probabilem eſſe, vt ego alibi etiam docui.

Nota tamen, ſtando etiam in ſententia affirmatiua, tres, vel quatuor dies in anno abſentiæ à Choro non conſtituere culpam mortalem in præbendatis, quibus à iure conceditur abſentia à Choro tribus menſibus in anno. Ita Bonacina, Suarez, Caſtrus Palaus *locis citatis.*

Nota etiam, quòd Præbendatus ſubmiſſa voce recitans ſuam partem, vel non recitans, ſed ſolùm attẽdens ad partem, quam alius Chorus recitat, lucratur, ſecũdùm probabilem opinionem, mediam partem diſtributionum. Ita Suarez *de Relig. tom. 2. lib.4.c.12.nu.18.* Nauarra *de reſt. lib.1. cap.2.num.222.* Cenedus *collect.15 nu.6.ad 6.* & alij, quos citat & ſequitur Bonacina *diſp.1.quæſt.3.punct.2 §.1.nu.17.* licet etiam probabiliter contrariam ſententiam teneat Caſtrus Palaus *tom.2.diſp.3 punct.4 n.5.* & Oliuerius Bonartius *de Hor.canon.lib.2.cap.23.nu.9.& ſeq.*

RESOL. CCXVIII. *An qui Subdiaconatum ſuſcipit, teneatur ordinationis ſuæ die, Officium totum recitare?*

REſpondeo negatiuè, ſed ſolùm ab illa parte, à qua obligatio inĉepit, v.g. ſi quis accepit Subdiaconatum, vel emiſit profeſſionem hora vndecima ante meridiem, non tenetur recitare matutinum illius diei, neque primam, neque tertiam, ſed ad ſummum ſextam, & reliquas Horas, quia ab illa hora vndecima incepit obligatio. Ita Caſtrus Palaus *tom.2.diſp.2 punct.4.num.3.* qui citat Suarez, & Bonacinam; quibus adde Homobonum *in conſult. caſ.conſcient.vol.2.part.5.reſponſ.240.*

Non deſinam tamen hîc adnotare, Oliuerium Bonartium *de Horis canonicis lib.2.cap.39.num.11.* docere, in tali caſu Subdiaconum, v. g. ſatisfacere, ſi non dicat ſextam, & nonam, ſed incipiat à Veſperis illius diei; nam Eccleſiæ mens non cenſetur velle tironem ad paruas aliquas Horas diei currentis aſtringere.

Sed ſtando in prima opinione quæritur, quid dicendum, ſi antequam quis Subdiaconatum accepit, vel profeſsionem emiſit, omnes Horas illius diei recitauit? Reſpondet Caſtrus Palaus *loco citato* non ſatisfacere obligationi ſuperuenienti; quia non poteſt eſſe ſatisfactio obligationis, vbi nulla eſt obligatio; tenetur igitur iterùm recitare modo, quo *ſuprà* dictum eſt.

Nota tamen ſecundùm Caſtrum Palaum, affirmatiuam ſententiam eſſe probabilem; nam negatiuam, quam ipſe tenet, vocat tantùm probabiliorẽ.

Nota etiam hîc obiter id, quod alibi etiam notauimus cum Soto, & Valentia, quibus nunc addo Caſtrum Palaum *vbi ſuprà, punct.1.§.1.num.5.* probabile eſſe, cùm Epiſcopus ordinandis iniungit aliquos Pſalmos, & litanias recitare, nolle ſub graui culpa obligare; ſed ex quadam honeſtate, & decentia. Et Homobonus de Bonis in ſupradicto caſu ex Azorio, & Layman putat etiam, ſupradictos Clericos non peccare, niſi venialiter. Ita ille *in conſult. caſ conſcien.vol.2.part.5.reſponſ.210.*

RESOL. CCXIX. *An ſit vnum tantùm peccatum internum, etiamſi voluntas omittendi Horas canonicas ſæpiùs per diem facta morali interruptione iteretur?*

AD hunc caſum ſic reſpondet Oliuerius Bonartius *de Hor. canon. lib.2. cap.20.num.6.* Cenſent communiter Doctores latum diſcrimen eſſe inter omiſſionem Horarum externam, & omittendi illas voluntatem. Illa enim, quamuis vnius diei Horas omittas, vnicum ſolum peccatum eſt; hæc multiplex pro numero volitionum renouatarum, quibus voluiſti, vel omnes, vel aliquas per diem vicibus moraliter interruptis omittere, quæ etiam peccata ſunt, quamuis poſteà mutata voluntate Horas recites. Dixi hunc eſſe communem ſenſum Doctorum; quia ſunt aliqui, qui probabiliter tenent non videri multiplicari peccata pro numero volitionũ internarum, eò quòd illę cenſeantur continuari ſuo modo in externa omiſſione, quę vnicum peccatum eſt: vt enim deſideria, & propoſita, quæ quis ſæpiùs reaccẽdit, & furioſo impetu fertur ad hoſtem ſuum interficiendum, non ſunt niſi vnum peccatum, quia continuantur in externa inchoatione homicidij; ita etiam cenſeri poterunt omnes illæ intentiones Horas illas omittendi vnum numero peccatum; quia continuantur in illa externa omiſſione, quæ ſolùm complentur ſub finem diei naturalis. Ita Bonartius, qui *cap.21.num.1.* docet, beneficiarium Sacris initiatum Horas omittentem, peccare duplici peccato, contra iuſtitiam, & Religionem; adeoque in confeſſione vtrumque exprimendum; ſed tu tene contrariam ſententiam, quam alibi cum multis Doctoribus docui; quibus nunc addo Caſtrum Palaum *tom.2. diſp.2. punct.1.§.2.nu.29.* quia eadem eſt res præcepta omnibus illis titulis, & ſub eadem ratione præcipitur; namque recitatio in laudem Dei, &c.

RESOL. CCXX. *An beneficiarius teneatur ad aliquam reſtitutionem omittendo partem notabilem alicuius Horæ?*

AFfirmatiuam ſententiam tenet Caſtrus Palaus *tom.2.diſp.2.punct.7. num.5.* quia omittens partem notabilem alicuius Horæ, abſolutè dicitur illam omittere, ſicut abſolutè dicitur omiſiſſe Miſſam, qui partem notabilẽ non audit; ſed pro cuiuſlibet Horæ omiſſione eſt debita reſtitutio, iuxta Extrauag. Pij V. etiamſi fructus illi correſpondentes

tes leues sint. Ergo est etiam debita restitutio pro omissione cuiuslibet partis notabilis, paucitas enim fructus excusabit ab obligatione graui restituendi, non à leui. Ita Castrus Palaus, qui citat Garsiam, & Bonacinam.

Sed, his non obstantibus, negatiuam opinionem defendit Oliuerius Bonartius *de Horis canonicis lib. 2. cap. 11. num. 10.* vbi sic ait: Primò quidem certum est, nec in Concilio Lateranensi, nec in Extrauag. Pij V. quidquam de hac quæstione determinatum esse: vnde prima specie videtur nihil necessariò restituendum pro parte Horæ, quamuis notabili, prætermissa; quia cùm lex sit pœnalis, saltem ex parte, & fundamentum eius sit culpa, ob quam irrogatur pœna, solumque de Horis integris in illis mentio fiat; non debet ad earum partes extendi, sed suis terminis arctari: censeo igitur nihil fructuum necessariò tribuendum pauperibus ratione partis Horarum omissæ; quantumuis magnæ, & sufficientes ad materiam peccati mortalis, nisi pro omissis laudibus, quia multi putant, illas esse Horas disiunctas; quod quamuis minùs rectè arbitrẽtur, solent tamen separatim à nocturno Officio legi per modum Horæ diuersæ. Ratio verò est, cur nolim aliquem ob partem prętermissam ad restitutionem obligari, quia lex hæc est odiosa; & proculdubio grauem pœnam imponit, cùm pro singulis Horis restitutionis onus irrogat; cur ergo nos illam extẽdimus, & iugum beneficiorum magis aggrauamus, quàm ius ipsum, & verba legis. Ita Bonartius; & hanc sententiam sequitur, cum aliqua tamen limitatione, Suarez *de Religione tom. 2. lib. 4. c. 30. à n. 9.* & Toletus *lib. 2. cap. 12. nu. 20.* non obligantes ad restitutionem, si fructus correspondentes leues sint, eò quòd beneficium sit tenue; sed negatiuam sententiam absolutè, & sine vlla distinctione satis probabilem, & securam in praxi ego existimo.

Sed quid dicendum de eo, qui partem leuem in singulis Horis omittit, cuius omissio comparatione totius Officij diei grauis quãtitas censeri potest; an, inquam, obligatus sit restituere? Et negatiuam sententiam ego teneo, quam tuetur Moneta *de distribut. part. 2. q. 3. num. 22.* & Filliucius *tom. 2. tract. 23. cap. 10. quæs. 7.* quos sequitur Castrus Palaus *loco citato*, validam pro hac sententia rationem adducens, adi illum, & non pigebit.

Notandum est etiam hìc obiter quod aliqui dicunt, restitutionem fructuum pro omissione Horarum suppleri posse per quascumque eleemosynas, quas anteà beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit, cùm eæ cuiusdam anticipatæ solutionis rationem quamdam habere possint. Ita Bonartius *vbi suprà n. 21.* quod tamẽ nimis laxum videtur.

RESOL. CCXXI. *An si quis impotens sit ad recitandum Officium solus, teneatur cum socio recitare?*

NEgatiuam sententiam docet Ioannes Sancius *in selectis disp. 15. num. 2.* & alij, quos refert Garsias *de benefic. part. 3. cap. 1. num. 214.* quia recitare cum socio est priuilegium; ergo quis non est astrictus illo vti. Lessius autem *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 54.* & Garsias *vbi suprà nu. 215.* distinguunt; nam si quis solitus est recitare Horas cum socio, adhibere illum tenetur, secus si solitus non sit. Excipit tamen Garsias, nisi socium quem gratis anteà habebas, posteà nisi cum stipendio sis habiturus. Ratio est, quia ita nullum onus speciale Clericis imponitur. Ergo, &c. Alij autem absolutè affirmant in tali casu obligationem adesse cum socio Horas recitare, si facilè habere potes, siue anteà vsus fueris illo, siue non. Ita Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 7. in princ.* Reginaldus *to. 2. lib. 18. c. 13. nu. 183. ad finem.* Azorius *tom. 1. lib. 10. c. 13. quæs. 3. & 6.* & alij communiter, quia obligatus es adhibere media ad implendum præceptum, quæ difficilia non sunt.

Sed difficultas est, si quis stare vellet iristа vltima sententia, an illa intelligenda sit, si vsus socij gratis habeatur; an verò in tali casu teneatur, saltem beneficiarius quærere illum cum stipendio?

Affirmat Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 28. num. 12.* de beneficiario: negat autem de Clerico simplici, & Religioso, quia horum obligatio non est ex iustitia, sed ex Religione. Sed Castrus Palaus *tom. 2. disp. 2. punct. 6. n. 14.* putat, quemlibet Clericum, seu Religiosum, si habeat vnde absque difficultate graui possit socium conducere ad secum recitandum, obligatum esse illum conducere, quia vsus socij in persona impotenti aliter recitandi officium, est medium simpliciter necessarium ad huius præcepti executionem. Ergo si ex communi sententia obligatur ad hoc medium assumendum, obligari debet ad expẽdendos aliquos moderatos sumptus, si necessarij sunt ad huius medij assumptionem. hæc sententia est nimis rigida, & ideò libenter opinioni Suarez adhæreo, imò ego puto probabiliter, quòd nec beneficiarius de rigore ad id tenetur, licet ad hoc facere consulendus sit, & ita hanc sententiam tenet Oliuerius Bonartius *de Horis canonicis lib. 2. cap. 38. num. 12.* vbi sic ait: Nota tamen non videri obligari diuites Clericos, quantumuis etiam amplum, & copiosum Sacerdotium obtineant, ad socium pretio conducendum: tum quia nulla ratione, vel iure hoc probari potest; tum quia, sicut non teneor Sacerdoti soluere stipendium, vt festiuis diebus Sacrum audiam, ita nec socio, vt mecum legat. Adde non debere imponere maius onus infirmis Clericis, quàm sanis. Consulendum nihilominus est beneficio lauto fruentibus, vt mercede sibi comparent socium, qui simul cum illis legat, dum infirmantur. Ita Bonartius.

RESOL. CCXXII. *An piscatio, aucupatio, & venatio sint licita in diebus festiuis?*

PRima sententia docet talia opera esse liberalia, si ob recreationem in diebus festiuis fiunt; esse verò seruilia, si ob lucrum, & quæstum. Ita docet Angelus, Syluester, Rosella, Tabiena, Armilla, & Pisanella; quos refert Azorius *part. 2. lib. 1. cap. 27. quæs. 7.* & ideò *in cap. licet, de feriis*, ex dispensatione conceditur piscatio diebus festis.

Secunda sententia asserit per se venationem, & piscationem esse opus seruile; sunt enim actiones ad vsum corporis, & ipsius vtilitatem pertinentes. Ita Suarez *de Religione tom. 1. lib. 2. de festis, cap. 28. nu. 3.* Fagundez *de præcept. Eccles. lib. 1. cap. 11. num. 16.* verùm ratione consuetudinis putat Suarez *num. 5.*

Fagun-

Fagundez *num.17.* licere venari;negant tamen de piſcatione adeſſe talem conſuetudinem, niſi ob vrgentem, & ſpecialem neceſſitatem; ac proinde licita non eſt, iuxta *dict. cap. licet.* Verùm, his non obſtantibus, ex neotericis Iacobus Granado *in 2.2. D.Thomæ contra.3. tract.12.diſp.4.ſect.7. num.65.* ex Nauarro, Medina, & Lopez docet, venationē ferarum non eſſe opus ſeruile, & prohibitum in die feſto,licet fiat propter lucrum;& illam ſolam piſcationem eſſe opus ſeruile, quæ fit deferendo retia, remigando, & ſimilem laborem exercendo: ſed Filliucius *tom.2. tract.27. cap.9. numer.172. & 173.* & in hoc dubio diſtinguit,& aſſerit,venationem,& piſcationem ob recreationem, quæ in induſtria poſita ſit,volucrum,& ſimilium accedit ad opus liberum, & non eſt prohibita in die feſto; ſecus autem dicendum eſt de venatione, & piſcatione ex officio,& quæ tota poſita ſit in corporis defatigatione.

Notandum eſt etiam hîc obiter Caietanum *in 2.2.qu.122.art.4.* Sotum *de iuſtitia lib.2.q.4.art.4.§. Tertium genus,* & alios docere, quòd iter agere ſit opus ſeruile; conſuetudine tamen excuſari viatores: ſed non eſſe opus ſeruile,ſiue pedibus, ſiue equo fiat,tradit Angelus *ver.feriæ nu.15.* Roſella *n. 26.* Azorius *p.2.lib.1.cap.27.q.8.* Suarez *de Relig. to. 1.lib.2. de feſtis.cap.27.n.2.* & alij communiter; quia iter agere eſt de ſe actio naturalis conſiſtens in quadam corporis ſituatione,atque exercitatione, & ideò opus liberale, non ſeruile eſt;tunc neque erunt opera ſeruilia quædam agitationes corporis,quæ in ſaltationibus,choreis & tripudiis conſiſtunt; vnde talia opera ſunt licita in diebus feſtis,non ratione conſuetudinis,ſed quia per ſe opera liberalia ſunt.

RESOL. CCXXIII. *Ad quam ſummam debet aſcendere res, vt pretioſa dicatur, ad effectum, vt Prælatus illam non poſſit alienare?*

AD hoc dubium ita reſpondet Caſtrus Palaus *tom.2.diſp.vnic.punct.15.§.1.n.2.* Quòd ſi inquiras cuius valoris debet eſſe res, vt pretioſa dicatur:Reſpondeo,mihi videri centum aureos attingere debere, hinc fit illas res mobiles alienabiles eſſe,quę valorem centū aureorum non attingunt. Ita ille,quod eſſet valdè notandum,niſi determinaſſet ſacra Congregatio,teſte Homobono *in cōſult.caſ.conſcient.vol.2. part.6.reſponſ.98.* & Peregrino *in compendio nouiſſimo noſtrorum priuilegiorū, ver. Alienatio bonorum,in ſcholio,* mobile pretioſum illud cenſeri,quod excedit valorem 25.aureorum.

Notandum eſt tamen hîc obiter, primò opinionem aſſerentem, Reliquias Sanctorum non comprehendi ſub bonis mobilibus pretioſis,prohibitis ſine debita ſolemnitate alienari, probabilem eſſe,vt aduertit Peregrinus *loco citato dub.4.* & Bonacina *tract.de alienatione,diſp.2. quæſt.vnic.punct. 2.num.31.* quia *in Extrauag. Ambitioſæ,* ſermo ſolus eſt de alienandis bonis temporalibus pretio æſtimabilibus:ſed Reliquiæ non ſunt prætio æſtimabiles; ergo illarum alienatio non prohibetur ex hoc capite. Sed affirmatiuam ſententiam tenet ipſe Bonacina, Peregrinus,Caſtrus Palaus *num.8.* & alij.

Nota ſecundò,poſſe fieri permutationē ab vna Eccleſia ad alteram abſque ſolemnitate.Ita Triuiſanus *part.2. deciſ.16.* & alij,contra Bonacinam *de alienatione,diſp.2.q.vnic.punct.2.nu.14.* Sed ego puto cum Peregrino *loco citato dub.7.* vtramque ſententiam probabilem eſſe.

Nota tertiò,fieri poſſe ſine debita ſolemnitate tranſactionem,remiſſionem, aut concordiam aliquam de rebus Eccleſiæ, in quarum poſſeſſione ipſa Eccleſia non exiſtit;quia tunc non alienantur res,quas habet Eccleſia,ſed quas ſperat ſub dubio habere, remittit pro alicuius rei certæ acquiſitione.Ita Caſtrus Palaus §.3.*n.2.* & alij penes ipſum.

Nota quartò, oblationes imagini Regularium factas,præter vota aurea,& argentea magni valoris, poſſe alienari per Superiorē ſine requiſitis ſolemnitatibus.Ita ex Bonacina Antonius Nouarius *in ſumma Bullarum tit.de alienat. n.22.*

Nota quintò, non poſſe Regulares inconſulta ſacra Congregatione, vt patet ex decreto *ſub die 21. Maij* 1624. accipere pecunias ad cambium,vel mutuo,cum ſolutione lucri ceſſantis, vel damni emergentis. Ita Homobonus *in cōſult.caſ.conſcient. vol.2.p.6.reſponſ.97.* Nouarius *loco citato numer.13.* Peirinus *in priuileg.Minim.to 2.conſtit.8.Vrbani VIII.* niſi excuſaret,ait Lezana *in ſumma qq. Regular.cap. 10.num.4.* aduerſus dictum decretum, conſuetudo legitimè præſcripta.

RESOL. CCXXIV. *An in Bullis Pontificiis, & Decretis ſacræ Congregationis ſub nomine priuationis officiorum, graduum, dignitatum, &c. intelligantur comprehenſi Concionatores, Lectores, Confeſſores,&c.*

HIc caſus frequenter poteſt accidere,& deſeruiet pro Bulla Pij V. *de clauſura Clemen. VIII.* de largitione munerum, & aliarum Bullarum, in quibus punitur pœna priuationis adminiſtrationum, dignitatum, officiorum, &c. & adeò circa dubium propoſitum affirmatiuam ſententiam docet Lezana *in ſumma qq. Regul.cap.10. num.32.* quia dicta verba ſunt ampliſſima;ergo ſine fundamento reſtringuntur: & ad quandam Bullam Sixti V. reſpondet, quòd Summus Pontifex manifeſtè declarat, ſe ſolùm loqui quantum ad conſtitutionem illam à ſe editam,non quoad alias à ſe, vel ab aliis editas, vel edendas; ſic enim dicit: Declaramus hac in re,de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, &c. expende enim particulam illam, *hac in re, de qua nunc agitur;* quo denotat, ſe non loqui in aliis caſibus aliarum Bullarum.Quare dicēdum eſt, per officia, dignitates,honores,adminiſtrationes,&c.de quibus in Bullis Pontificiis,& decretis ſacrę Congregationis fit mētio,intelligi debere ea omnia, quibus propria,& ſecundùm communem vſum, etiam æſtimationem,talia vocabula accommodantur. Ita Lezana.

Verùm contrariam ſentētiam, non ſolùm docet Sanchez *in ſumma tom.2.lib.6.cap.15.numer.66.* & Rodriquez *in expoſit.Mot.Pij V. nu.21.* ſed etiam

Bonacina *de clauſura*, qui *punct. 4. num. 6.* & de largitione munerum *diſput. 3. punct. 5. numer. 2.* vbi tenet ſub nomine officiorum, graduum, dignitatum, &c. intelligi gradus honorificos cum ſuperioritate, ſeu officia, quibus annexum eſt ius ſuperioritatis, vt Generalatus, Prouincialatus, Guardianatus, officium Viſitatoris, Commiſſarij generalis, Vicarij Monachorum, ſeu Monialium, officium Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ. Hoc tamen nomine non veniunt Magiſter Nouitiorum, Miniſtri, Conſultores, Admonitores, Concionatores, Lectores Theologiæ, Confeſſarij, Præfectus Sacriſtiæ, Definitores, Diſcreti, &c. Ita Bonacina, quod anteà docuerat Filliucius *tom. 2. tract. 34. cap. 3. num. 77.* vnde tamquam nimis rigida non videtur amplectenda opinio Lezanæ, viri quidem docti, & amiciſſimi.

Notandum eſt etiam hîc obiter cum Filliucio *vbi ſuprà num. 79.* dictas perſonas non incurrere ante ſententiam criminis declaratoriam, & hoc ante illum obſeruauerat Soſa *in Bulla Clemen. VIII. de largitione munerum, numer. 102.* Sanchez *vbi ſuprà numer. 65.* Fauſtus *in reſ. Relig. lib. 8. quæſt. 130.* & alij.

RESOL. CCXXV. *An infirmus, qui non poteſt recitare maiorem partem Officij, teneatur recitare minorem, quam poteſt, vt Horas, v. g.*

AFfirmatiuam ſententiam docet Lezana *in ſumma qq. Regular. cap. 12. num. 27.* vbi ſic ait: Qui propter aliquam cauſam, infirmitatem ſcilicet, excuſantur à dicendo totum Officium diuinum, non tamen excuſantur à dicenda illa, vel illis Horis Canonicis, quas commodè dicere poſſunt: ſicut qui debet centum, & non poteſt ſoluere niſi decem, tenetur decem ſoluere: & ſicut qui non poteſt ieiunare totam Quadrageſimam, tenetur ieiunare illis diebus, quibus poteſt. Ita Lezana, & ante illum Suarez *tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 28. num. 22. & 27.* Valentia *tom. 2. diſput. 6. quæſt. 2. punct. 10. §. 7.* & Oliuerius Bonartius *de Horis canonicis libr. 2. cap. 40.* Sed mihi contraria ſententia magis placet, quam tuetur nouiſſimè Caſtrus Palaus *tom. 2. diſput. 2. punct. 6. numer. 9.* vbi ſic aſſerit: Terriò dico, mihi probabiliorem eſſe ſententiam aſſerentium, te non eſſe obligatum Officium recitare, ſi maiorem illius partem non potes: tum quia maior pars trahit ad ſe minorem: tum quia ita videtur eſſe cõſuetudine receptum, ne infirmi, & debiles, vel aliàs impediti, ſcrupulis, & perplexitatibus vexentur, quod ſine dubio contingeret, ſi potens ſine notabili damno recitare quamlibet Horam, ad illam teneretur; quis enim determinare poſſet, quot Horæ tibi nocumentum graue afferrent? aut quis affirmare vnam ſolam Horam ex minimis graue nocumentum allaturam? Ne igitur perplexus ſis, ab omni Hora videris excuſatus, cùm maiorẽ Officij partem recitare non potes, v. g. cùm non potes recitare Matutinum cum Laudibus, quia hæc eſt pars maior, prima, & præcipua Officij. Ita Caſtrus, qui citat Nauarrum, & Leſſium.

Notandum eſt etiam hîc obiter cum dicto Caſtro Palao *numer. 7.* id, quod alibi notauimus, aliquem non eſſe obligatum recitare Matutinum, ſi impotens eſt recitare lectiones, quia habet Diurnum, & caret Breuiario; aut viſu, vel alia decauſa non poteſt, quia excluſis lectionibus, Pſalmi non conſtituunt ſubſtantialiter Matutinum iuxta formam à Pio V. præſcriptam. ergo, &c. vnde in facti contingentia, cui alicui nauiganti caſu cecidiſſet Breuiarium in mare, licet haberet Diurnum, putaui non fuiſſe obligatum Pſalmos Matutini recitare; ſed Laudes cum reliquis Horis, quia erat maior pars Officij, & erant partes diſtinctæ præcepti, quarum vna ab alia non pendet. Quod tamẽ de Officio nouem Lectionum intelligo, non de Officio trium, quarum defectus videtur paruus, vt notauit Thom. Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 19. numer. 7.*

RESOL. CCXXVI. *An Litanias non recitare in diebus S. Marci & Rogationum, ſit peccatum mortale?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Lezana *in ſumma qq. Regul. cap. 12. num. 23.* & Caſtrus Palaus *tom. 2. diſp. 2. punct. 2. num. 13.* quia ſunt pars Officij illius diei; neque in Bulla Pij V. excipiuntur, ſicut excipiuntur alij Pſalmi, & preces, & ita etiã tenent Doctores, quos citaui *in part. 1. tract. de Horis canon. reſol. 42.*

Sed ibi ſententiam negatiuam eſſe dixi Molfeſij, Macigni, & aliorum, quibus nunc addo Homobonum *in conſult. caſ. conſcient. vol. 2. part. 5. reſponſ. 244.* vbi ſic ait: Litanias omnium Sanctorum in diebus ſancti Marci & Rogationum recitare tenentur, ſi publicis ſupplicationibus non interfuerint, non tamen ſub mortali culpa ad has aſtringi videntur. Ita ille; verùm prima opinio eſt tutior, & verior.

RESOL. CCXXVII. *An ſi teſtator dicat, vt Capellania conferatur Sacerdoti, conferri poſſit Clerico minorum Ordinum?*

NEgatiuè reſpondet Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 2. alleg. 44. n. 17. & ſeq.* Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 15. diſp. 1. punct. 6. n. 12.* & alij, quia præſentandus debet habere qualitatem à fundatore requiſitam; ſed fundator dixit, Capellaniam eſſe conferendam Sacerdoti; ergo ſi hac qualitate caret, non poteſt eligi, nec valet dicere habere illam aptitudine, quia hoc non eſt propriè habere illam.

Verùm ego ſine vllo metu contrariam ſententiam in praxi ſequi poſſe exiſtimo, quam tuetur Perez de Lara *de Capellania lib. 2. cap. 5. numer. 16.* Gratianus *in diſcept. forenſ. cap. 133. numer. 1. & ſeq.* Pariſius *de reſign. benefic. libr. 3. quæſt. 9. numer. 3.* Gonzalez *in Regul. Cancellar. 8. gloſſ. 5. numer. 74. & 104.* cum aliis penes ipſos, quando teſtator diſponit per verba affirmatiua, vt ſi diceret: Inſtituatur Capellanus Sacerdos, qui Miſſas celebret; ſecus autem ſi diſponeret per verba negatiua, dicens: Vt nullus alius, niſi qui actu Sacerdos ſit, inſtituatur, quia illa verba aptitudinem ſigni-

ſignificant,non actum,nempe illam Capellaniam Ordinem ſacerdotalem habere annexum, & eſſe ſacerdotalem, & ideò ſicut beneficium parochiale, & Canonicatus ſacerdotalis habent annexum Ordinem ſacerdotalẽ,& hoc non obſtante quando alicui conferuntur,non eſt neceſſe,vt actu Sacerdos ſit,ſed ſufficit eſſe aptitudine, vt intra annum à die adeptæ poſſeſſionis Sacerdos ordinetur, ſic in noſtro caſu poteſt conferri Capellania non Sacerdoti,dummodo habilis ſit intra annum Sacerdotem eſſe.

Notandum eſt etiam hîc à fortiori contra Lambertinum *de iure patron.part.1.lib.2.q.7.art.27.* Guttierrez *conſil.1.n.11.& conſil.2.num.15.* Azorium *par. 2.lib.6.cap.24.q 3.* Rodriquez *qq. Regul.tom.2.q.122. artic.2.* & alios, quòd ſi teſtator dicat: Inſtituatur Capellanus, qui Miſſas celebrat, ex iſtis verbis nõ infertur Capellaniam actu, vel aptitudine proxima debere eſſe ſacerdotalem, ſed conferri poſſe cuilibet conſtituto in ætate 14.annorum. Ita Lara, Gonzales, & Barboſa, quos citat & ſequitur Caſtrus Palaus *loco citato numer.* 18. quia ſupradicta verba ſolùm ſignificant, Capellanum aſtrictum eſſe celebrare; ſed huic obligationi poteſt per alium ſatisfacere. ergo, &c. & ideò niſi fundator dixerit, vt Capellanus teneatur per ſeipſum Miſſas celebrare,& non per ſubſtitutum,poterit patronus præſentare Clericum beneficij ſimplicis capacem. Et ita etiam ego docui *in part.2.tr. 14.reſol.18.*

Et tandem pro coronide huius reſolutionis nota quòd poſito aliquam Capellaniam actu,vel habitu ſacerdotalem eſſe, ex conſenſu heredis, poſſe Epiſcopum ſupradictam qualitatem,ſaltem pro vna, vel altera vice diſpenſare, vt conferatur Clerico 14. annorum, ſecundùm Aldephonſum de Lara *de Capellania lib.2.cap.5.à.numer.28.*ita Cuchus *in inſtit.lib.2.tit.9.num.62.* Vgolinus *de offic. Epiſcopor.cap.61.numer.7.* Abbas,Imola,Felinus,Nauarrus,Rebuffus,Zerola,Zecchius,Leo, Sà, Lambertinus,quos citat Caſtrus Palaus *vbi ſuprà nu.21.* licet ipſe *numer.* 22. contrarium ſentiat cum Guttierrez *conſil.1.num.19.* Garſia *de benef.tom.2.part.7. cap.1.à numer.107.* quibus ego addo Monetam *de commut.vlt. voluntat.cap.5. numer.302.* Riccium *collect.158.*Barboſam *in collect.DD.ſuper Concil.Trident. ſeſſ.22.cap.7. num.7.* & alios penes ipſos, rationem adducentes, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de reformat. cap.5.* prohibet Epiſcopis,etiam cũ conſenſu patrom,tollere qualitates in fundatione beneficiorum appoſitas.

RESOL. CCXXVIII. *Quando omiſſio correctionis fraternæ ſit peccatum mortale?*

SCio plures viros timoratos maximis ſcrupulis ſe ſubiicere, putantes ſæpiùs peccare in omiſſione correctionis fraternæ;& tamen non eſt ita, vt patebit ex ſequenti doctrina Iacobi Granadi, inſignis Theologi Societatis IESV, *in 2. 2. D. Thomæ controu.3.tract.12. diſput.1. num.6.7. & 8.* vbi ſic ait: Dicendum ergo eſt, vt præcepti iſtius tranſgreſſio ſit culpa mortalis, requiri in primis certitudinem moralẽ, quòd proximus ſit in ſtatu culpæ mortalis, aut certè venialis,quæ ſpeciale periculum inducit grauiter offendendi Deum, id eſt, quia propter periculum proximum ſit culpa mortalis; alioquin non eſſet obligatio grauis illum corrigendi, niſi fortè in Prælato, aut illo,cui ſpecialiter incumbit proſpicere bono alicuius communitatis, quòd valdè lædatur non corrigendo, quia cùm ipſe non teneatur ſub mortali euitare culpas veniales; nec nos tenemur ſub mortali eũ corrigere, vt illas euitet.Deinde quòd indigeat correctione; nam ſi ipſe delinquens eſt timoratæ conſcientiæ, ita vt credatur aduertiſſe ſuum lapſum,& velle ex animo reſurgere,aut certè ab alio corripiendus putatur,non eſt obligatio corrigendi; quia hæc eſt eleemoſyna, quam nemo tenetur dare, niſi indigẽti. Tertiò quòd ſperetur probabiliter fructus;ſi enim non creditur emendandus,ceſſat obligatio;imò quando eſſet aliqua ſpes emendationis, ſed valdè modica, non eſſet peccatum mortale omittere correctionem; qui verò dubitaret,an correctio profutura eſſet delinquẽti,ſi certus eſſet ſaltem non obfuturam, teneretur eam adhibere, non autem ſi ſimul dubitaret, an eſſet nocumentum allatura. Ita Valentia *punct.2.* & Aragon *art.2.* cum Dominico Soto; Bañez *dub. vlt.* qui rectè aduertit in extrema neceſſitate proximi, etiamſi dubitem de nocumento, teneri nihilominus corrigere. Quartò,quòd damnum inde proueniens corripienti non ſit notabile, alioqui non erit obligatio niſi in neceſſitate extrema, aut quaſi extrema damnationis proximi,niſi fortè corripiens ſit Prælatus. Quintò,quòd non expectetur aliud tempus, in quo commodiùs, aut æquè commodè corrigi poſſit, & alioqui ſit periculum in differenda correctione. Sextò tandem, quòd ex intentione, & propoſito omittatur correctio, nam ſi ex quadam tepiditate, aut ſimili affectu omitteretur, non eſſet peccatum mortale, niſi alioqui notabile proximi damnum tantum eſſet, vt grauiter imputaretur nolenti ei ſuccurrere correctione, vt optimè Caietanus:& quidem Valentia *ſuprà*,dixit, rarò concurrere circumſtantias requiſitas,vt præceptum correctionis obliget ſub mortali, & Emanuel Sà *ver.correptio.numer.2.* Omittere(inquit) correptionem,ferè ſemper veniale peccatum eſt; in Prælatis tamen, quorum maior eſt obligatio ſubditos corripiẽdi,facilè poteſt eſſe mortale, ſi ex negligẽtia,aut timore correptionem neceſſariam omittant. Vide ſanctum Auguſtinum *tom.5.lib.1.de ciuitate,cap.9.*& aduerte eoſdem Prælatos poſſe grauem culpam cõmittere, etiamſi culpæ, quarum correptionem omittunt,ſint valdè leues,ſi propterea diſciplina Religioſa iacturam notabilem patiatur, vt facilè pati poteſt,tenentur etiam defectus inquirere:neutrũ autem ſubditorum eſt,de quibus in hoc loco potiſſimum ſermo eſt.

Facit in confirmationem doctrinæ, quam ex Valentia & Sà retulimus,id,quod graues Doctores notant, explicantes, quando ſit peccatũ mortale, audire,& non contradicere detrahenti, licet

detractione ipſa non delectetur, qui audit: ſanctus enim Thomas *infrà.quæſt.73.art.4.* ait: Si quis tunc correctionem omittat ob negligentiam, verecundiam, vel timorem, qui non ſit mortaliter malus, non peccare plerumque, niſi venialiter; addit autem Sotus *lib. 1. de iuſtitia quæſt.10. art.4. pag. 457.* non cenſeri timorem hunc mortaliter malum, quoties propter illum omittitur correctio proximi, ſed quando omittitur ob timorem correctio illa ad quam adhibendam eſt ſtrictior obligatio, vt ſi detraheretur fidei, Religioni, &c. Nec diſſimilis eſt doctrina Nauarri *in ſumma cap. 18. num.37.* dicentis: Qui audit detrahentem ſine aſſenſu, & delectatione, licet non contradicat ob verecundiam, vel amicitiam, non peccat mortaliter, niſi in tribus caſibus. Primus eſt, ſi ſit ſuperior, cui incumbit munus corrigendi ſubditos. Secundus, ſi vltra infamiam prouenit magnum aliquod damnum dicenti, vel alteri. Tertius, ſi fama illius, cui detrahitur, valdè læditur; quod ita intellige, vt læſio ſit maior, quàm illa, quæ præcisè ſufficiat, vt detractio ſit mortalis, alioqui enim non eſſet dubium, quin lethaliter non peccaret omittendo correctionem.

Ex quibus omnibus tandem concludo, præceptum hoc fraternæ correctionis amplè accipiendum eſſe, nec facilè credendum, timoratos præſertim viros peccare lethaliter illud violãdo, præſertim ſi Prælati non ſint, non ſolùm, quia ita ſentiunt graues Doctores, ſed etiam quia præcepta charitatis minùs rigoroſam afferre ſolent; & præſertim iſtud eleemoſynæ ſpiritualis, cuius finis, cùm ſit ſubleuare miſeriam ſpiritualem proximi, ſcilicet culpam, in qua ipſe liberè eſt, & à qua liberè exire poteſt, non ita propriè cenſetur pati ſpiritualem neceſſitatem, ſicut nec propriè pateretur corporalem, qui poſſet facilèſibi ipſi ſuccurrere; quò autem neceſſitas proximi minor eſt, eò minùs tenemur illam ſubleuare. Et hæc omnia docet Granado *vbi ſuprà*, quæ quidem maximè notanda erunt, cùm non parum leue reddant onus præcepti fraternæ correctionis.

RESOL. CCXXIX. *An bellare in diebus feſtis ſit per ſe licitum?*

NEgatiuè reſpondet Suarez *de Religione tom. 1. libr. 2. de feſtis, cap. 28. numer. 8.* Fagundez *de præcept. Eccleſ. part 1. libr. 1. cap. 11. numer. 2.* Filliucius *tom. 2. tractat. 27. cap. 9. nu. 175.* & nouiſſimè Caſtrus Palaus *tom. 2. de obſerv. feſtorum, diſp. 2. punct. 5. num. 11.* quia bellare eſt actio merè corporalis laborioſa, & eſt vſus artis mechanicæ; ergo non eſt opus liberale, ſed ſeruile.

Hæc opinio eſt probabilis, ſed non minùs probabilem affirmatiuam ſententiam eſſe puto, quã nouiſſimè docet ex eadem Societate Iacobus Granado *in 2.2. D. Thomæ contr. 3. tract. 12. diſp. 4. ſect. 7. num. 65.* & reſpondet ad omnia argumenta adducta à P. Suarez; & ideò Caietanus *in 2.2. quæſt. 40. art. 4.* Bannez *dub. 4. num. 4.* Valentia *tom. 3. diſput. 3. quæſt. 16 punct. 5.* Sà *ver. Bellum, num. 15.* & Rodriquez *in ſumma part. 1. cap. 126. num. 10.* putant, præliationem, ſi fiat in die feſto, etiam extra neceſſitatem, ſi Miſſa audiatur, non eſſe peccatum mortale; vnde licet exiſtiment, eſſe veniale, ego tamen puto cum Granada *vbi ſuprà num. 63.* qui citat Lorcam, valdè probabile eſſe, nullum eſſe peccatum, ſi Miſſa audiatur.

Adde, quòd, etiam ſtando in prima opinione, bellare in die feſto ferè ſemper eſt licitum, cùm ſemper ſit aliqua vtilitas, aut neceſſitas in non differendo bello ad aliud tempus, ſi ſtatim commodè geri poſſit: vnde excuſantur, qui aggeribus, foſſa, & vallo, arces, vrbes, oppidáve muniunt, & alia ſimilia faciunt.

RESOL. CCXXX. *An magiſtri artis digladiatoriæ, vulgò dicti* Schermidori, *poſſint illam docere in diebus feſtiuis?*

NEgatiua ſententia poteſt ſuaderi, quia talis actio videtur merè corporalis, laborioſa, & circa effectus corporis omnino exiſtens. Item eſt vſus artis mechanicæ: ergo tamquam opus ſeruile erit in diebus feſtiuis prohibitus: & ideo Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 2. de feſtis, c. 28. num. 8.* aſſeruit, cenſeri artifices mechanicos, qui docent vſum armorum: & ita etiam tenent Fagundez, & Palaus *vbi infrà*, abſolutè, & per ſe loquẽdo, quibus etiam adde Filliucium *to. 2. tr. 27. c. 9. n. 175.*

Verùm contrariam ſententiam tuetur Iacobus Granado *in 2.2. D. Thomæ controuerſ. 3. tract. 12. diſp. 4. ſect. 7. numer. 67.* vbi tenet, docere exercitium, & vſum armorum, non minùs liberale eſſe, quàm docere ſaltationem, aut pulſationẽ citharæ, quod non eſt mechanicum: & ita, ait ille, hæc omnia in die feſto licent. Adde, quòd Fagundez *part. 2. lib. 1. cap. 11. num. 2.* & Caſtrus Palaus *tom. 2. diſput. 2. de obſeruatione feſtorum, punct. 5. numer. 11.* obſeruant, quòd iam conſuetudine receptum eſt iuuenes diebus Dominicis, & feſtiuis artem digladiatoriam diſcere: quio eſto diſcatur vſu, & exercitio operis ſeruilis ob neceſſitatem Reipublicæ, cui maximè conuenit iuuenes exercitatos in prælio habere, permittitur videntibus, & conſentientibus Prælatis. Sed ego abſolutè ſentio cum Granado, dictam artem non eſſe mechanicam, ac proinde illam docere abſolutè, & per ſe in diebus feſtiuis licitam eſſe, etiam conſuetudine ſecluſa, quod etiam confirmatur ex auctoritate Doctorum aſſerentium, bellum ex ſe non eſſe opus ſeruile: vnde docent, vt viſum eſt *in ſuperiori reſolutione*, prælationem, etiam extra neceſſitatem, eſſe licitam in diebus feſtiuis.

RESOL. CCXXXI. *An ſi quis priuatim ex deuotione recitaret Officium Confeſſoris non Pontificis, pro B. Andrea, v. g. vel pro B. Franciſco Borgia, peccaret mortaliter? & multa alia circa cultum Beatificatorum.*

AFfirmatiuè reſpondet Iacobus Granado *in 2.2. D. Thomæ contr. 1. tract. 7. diſp. 4. ſect. 2. numer. 19.* vbi ſic ait: Petet aliquis, an in quocumque die liceat recitare Officium deuotionis gratia in hono-

honorem Beatificati, Officium, inquam, quod Eccleſia illi tribuit in ſuo determinato die. Reſpondetur non licere,& quidem quod attinet ad ſatisfaciendum præcepto, certiſſimum eſt, non impleri præceptum recitandi, v. g. ſi quis Sacerdos recitaret Matutinas preces de communi Cõfeſſorũ applicatas alicui Beatificato; ſed præterea licet ex deuotione id fieret, crediderim nõ licere extra diem deputatum à Pontifice, & tunc non, niſi à perſonis determinatis,quibus poteſtas recitandi facta eſt. Probatur,quia ex hypotheſi,quòd hoc diuinum Officium ordinatum ſit ab Eccleſia,vt in honorem Sanctorum recitetur, cenſetur, & verè eſt publicus cultus; non licet autem Sancto beatificato deferre cultum publicum, niſi quando,& quibus Pontifex concedit.Itaque ſicuti extra diem deputatum non licet celebrare Miſſam,quantumuis occultè id fiet; nec ſimiliter licebit recitare Officium diuinum; nam vtrumque ex Eccleſiæ inſtructione eſt publicus cultus. Ita ille.

Notandum eſt etiam hîc obiter id, quod alibi etiam notauimus contra Megalium, & Palaum, quòd quando in Bullis beatificationis aliquorum fit à Pontifice poteſtas celebrandi Miſſam determinatis tantùm perſonis, tunc non licebit celebrari per alias perſonas. Ita Doctores, quos alibi citaui; quibus nunc addo Franciſcum Goſa Hiſpaniæ decus in quodam opuſculo; & Granado *vbi ſuprà ſect.2. numer.* 2. qui tamen *num.* 16. quærit, an ſi in diplomate Pontificio fiat Sacerdotibus alicuius Religionis poteſtas celebrandi in honorem alicuius Beati, & non addatur particula, *tantùm*,vel particula, *ſolùm*, poſſent alij quicumque Sacerdotes in illius honorem celebrare ſacrificium Miſſæ. Et reſpondet ſibi videri valdè probabile poſſe celebrare; dummodò id fiat petentibus illis Sacerdotibus, quibus ea poteſtas conceſſa eſt. Probatur ex *regul. 27. de regul. iuris in 6.* Qui facit per alium,eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum. Ergo qui poteſtatem habet celebrandi in honorem alicuius Beati; conſequenter cenſetur habere, vt per alium celebret. Et in huius rei confirmationem facit ſententia, quam ſequitur Gonzales *ſuper reg.* 8. *Cancell. gloſſ.*5.*à numer.*71. cum aliis Doctoribus, & deciſione Rotæ; ſcilicet ſi quis in fundatione Capellaniæ obligaret Capellanum, vt celebret certum numerum Miſſarũ in ſingulis hebdomadis, ſatisfacere Capellanum huic obligationi, ſi per alium Sacerdotem eas faciat celebrare. Idem ergo in re propoſita dicendum eſt, cùm ſit omnino eadem ratio. Hæc Granado. Sed hanc opinionem aliqui viri docti recentiores non approbant,& aſſerunt eſſe diſparem rationem inter exemplum adductum pro confirmatione,& caſu,de quo eſt quæſtio.

Sed quæritur hîc, an liceat infra annum commemorationem in Miſſa facere de ſupradictis Beatis? & negatiuè reſpondet Granado *vbi ſuprà, ſect.*2.*num.*18. vbi ſic ait:Infertur non licere in aliis diebus celebrare, aut recitare (v. g. conceditur, vt in die obitus celebretur) Miſſam in honorem Beatificati; non licebit in aliis anni diebus celebrare, imò nec commemorationem, quam vocant, agere; nec auderem à mortali culpa excuſare eos, qui ſecus facerent, niſi bona fides, aut ignorantia excuſaret. Verum quidem eſt cùm primùm conceditur prędicta poteſtas,licere quaſi pro initio, & inchoatione feſtiuitatis Miſſam celebrare in honorẽ Beatificati, etiam ante diem à Pontifice præfixum; ſi dies hæc multùm diſtet à tempore,pro quo fit conceſſio praxis;id enim declarauit,hanc eſſe tacitam voluntatem illius. Ita Granado. Sed hoc vltimum non videtur admittendum, & praxis, de qua teſtatur Granado, in hoc Siciliæ Regno non adeſt; vnde tali caſu non vtique celebrantur Miſſæ,ſed cùm innoteſcit Põtificium diploma, pulſantur in aliquo die campanæ, & cum præſentia Epiſcopi cantatur ſolemniter Hymnus, *Te Deum laudamus*, ante imaginem & altare Beatificati; & in fine dicitur eius oratio, v.g. de communi Confeſſorum non Pontificum; & ita fecerunt Patres Societatis IESV in caſu B. Franciſci Borgiæ; & Clerici Regulares pro B. P. noſtro Caietano,& B. Andrea.

Et tandem nota cum eodem Granado *loco citato, numer.*17. quòd quando in aliquo diplomate conceditur,vt, v.g. eſt conceſſum Clericis Regularibus celebrandi Miſſam pro B. Caietano, vel B. Andrea;vel Patribus Societatis IESV, pro B.Franciſco Borgia in ſuis Eccleſiis quoad ſæculares vbique terrarum,non licebit illis celebrare in alienis Eccleſiis, vt in aliqua parœcia, aut Monaſterio alterius Religionis. & ſi obiter petas, ait Granado,an ſit culpa mortalis?reſpõdetur, ſi id ſemel, aut bis fieret, non videri peccatum lethale, quia cùm celebratio ſit licita,quòd ſolùm mutetur Altare, vel Eccleſia,non videtur grauis inordinatio, niſi ea mutatio toties fieret, vt meritò iudicari poſſet valde contraria decreto & legi Summi Pontificis.Ita ille;ſed in his materiis cautè procedendum eſſe puto.

RESOL. CCXXXII. *An Parochus in illis diebus, in quibus tenetur Miſſam celebrare, vt populus eam audiat, poſſit pro ea manualem eleemoſynam recipere?*

SVpponendum eſt, Parochum ex vi beneficij parochialis non teneri ad offerendum Miſſam pro populo, quia obligatio Parochi ad id nullo iure ſcripto, nec conſuetudine introducta probari poteſt, nec ex inſtitutione beneficij parochialis deducitur, quia ex hoc tantùm deducitur obligatio Parochi ad celebrandum Miſſam, vt populus eam audiat; ita ego *in tract. de celebratione Miſſarum*, & nouiſſimè Hurtado *de Sacram. diſp.*4. *de ſacrific. Miſſæ,difficult.* 16. Hoc ſuppoſito, quæritur,an Parochus in dicto caſu,quando celebrat,vt Parochiani Miſſam audiant,poſſit pro applicatione Sacrificij eleemoſynam accipere ab alio? Et negatiuam ſententiam, teſte Gellio *in* 8.*ſelect.Canon.cap* 28.*num.*4.& Barboſa *in collect.declarationum,ver.Miſſarum eleemoſyna,*§.*vltimo*,determinauit ſacra Cardinalium Congregatio *ſub die* 1. *Septembris* 1629. ſic aſſerens: Miſſam quibus die-

bus tenentur Parochi celebrare,non poſſunt pro ea manualem eleemoſynam recipere.

RESOL. CCXXXIII. *An in Altari priuilegiato pro Defunctis ſatisfaciat, ſi quis celebret Miſſam, quæ non ſit de* Requiem?

HIc caſus eſt practicabilis,& negatiuè reſpondit ſacra Cardinalium Cõgregatio Rituum *in vna Piſtorien. 1. Iunij 1601. & in vna Toletana 13. Iulij 1601.* ſic aſſerens, Miſſa celebrata in Altari priuilegiato pro Defunctis non ſuffragatur, nec indulto ſatisfit, niſi ſit de *Requiem*,licet in indulto non exprimatur.

Notandum eſt etiam hîc obiter, Miſſam de *Requiem* in Altari priuilegiato non poſſe dici in die feſto duplici,& de præcepto,qui incidit in diẽ aſſignatum pro dicto Altari priuilegiato.Ita dicta ſacra Congregatio *die 24. Aprilis 1626.*

RESOL. CCXXXIV. *An gradus cuiuſlibet inter ſe affinitatis, vel conſanguinitatis ſint in confeßione diſtinguendi?*

DE hac re alibi actum eſt,nunc tamen tantùm adducã verba Gaſparis Hurtado *de Sacram. diſp. 9. de pœnit. difficult. 4. §. Quid.* ſic aſſerentis: Difficile exiſtimamus, gradus ipſos conſanguinitatis inter ſe, & gradus affinitatis inter ſe eſſe neceſſariò diſtinguendos, quia difficile eſt, gradus ipſos conſanguinitatis inter ſe, vtpote inter ſe eiuſdem ſpeciei, & gradus affinitatis inter ſe, vtpote inter ſe eiuſdem ſpeciei, addere malitiam diſtinctam ſecundùm ſpeciem, quamuis intra eamdem ſpeciem addant notabiliter maiorem illi, qui ſunt propinquiores, ob quod non deſunt (vt Corduba *quæſt. 2.* refert) qui exiſtimant, gradus conſanguinitatis non eſſe inter ſe neceſſariò diſtinguendos,& explicandos, neque gradus affinitatis inter ſe,ſed ſufficere, ſi pœnitens dicat, ſe perſonam conſanguineam cognouiſſe,non declarando gradus conſanguinitatis,& ſe perſonam affinem cognouiſſe, non declarando gradum affinitatis. Ita Hurtado, & ante illum Caietanus *in 2.2. q. 154. ar. 9.* plus addens, & tenens,conſanguinitatem non eſſe diſtinguendam ab affinitate, quia malitia inceſtus,quam conſanguinitas addit,eſt eiuſdẽ ſpeciei cum malitia,quam addit affinitas;licet quoad vtrumque negetur à Nauarro *in manual. cap. 16. n. 3.* vbi tenet, in confeſſione conſanguinitatem eſſe neceſſariò diſtinguendam ab affinitate, ſicut & gradus cuiuſcumque inter ſe.

RESOL. CCXXXV. *An Sacerdos hæreticus, ſchiſmaticus, & excommunicatus non toleratus habeat poteſtatem abſoluendi in articulo mortis?*

NEgatiuam ſententiam quoad hæreticos, & ſchiſmaticos docet Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 4.* Nauarrus *in man. c. 26. n. 26.* & Martinus Ledeſma *2. 4. quæſt. 21. art. 6.* Quia Sacerdos hæreticus, & ſchiſmaticus non habet iuriſdictionem, quia caret fide, quæ eſt fundamentum neceſſarium ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & de excommunicato non tolerato idem docuit Medina *Cod. de Confeßione, quæſt. 32.* & Couarr. *in cap. alma mater, part. 2. §. 6.* quia per excommunicationem aufertur ei omnis iuriſdictio, ſaltem Eccleſiaſtica; ſed meritò contrariam ſententiam docet Cano, Suarez, & Vaſquez, quos citat, & ſequitur Gaſpar Hurtado *de Sacram. diſp. 10. de pœnit. difficult. 8.* quibus ego addo nouiſſimè doctum Guilielmũ Mercerum *de Sacram. in 3. part. D. Thom. q. 8. art. 5. dub. 6. num. 2.* Layman *lib. 5. tract. 6. c. 12. n. 13.* Barboſam *in collect. in Concilium Trident. ſeſſ. 13. c. 7. nu. 15.* & alios penes ipſum,quod probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7.* vbi ſic ait:Piè admodum in Eccleſia cuſtoditum ſemper fuit,vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis,atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt; vnde triplex iſta vniuerſalitas, nempe quilibet pœnitens, à quibuſuis peccatis,per quemlibet Sacerdotẽ, nihil relinquit excipiendum:prima comprehendit omnes pœnitentes,etiam excommunicatos,hæreticos,&c. ſecunda omnia peccata affecta quacumque reſeruatione,& cenſura;tertia omnes Sacerdotes quacumque cenſura, vel culpa ligatos,etiam non approbatos. Nec credendum eſt, Eccleſiam in tali caſu nolle concedere poteſtatem abſoluendi.

Notandum eſt tamen, in tali caſu pœnitentem non ſolùm licitè, vt obſeruat Mercerus, à talibus Sacerdotibus hæreticis,ſchiſmaticis,&c. expetere abſolutionem, ſed etiam,per ſe loquendo, teneri, quia obligatur ad confeſſionem ex diuino præcepto,quod commodè impleri poteſt,& hoc procedit,vt optimè obſeruat Hurtado, etiamſi talis Sacerdos non ſit licitè adminiſtraturus abſolutionẽ, quia iuſtificari tunc poſſit, & non velit, etenim tunc pœnitens petit, quod Sacerdos poteſt tunc licitè facere, ſi vult. quæ omnia limitanda ſunt, quando pœnitens non timet ſubuerſionem ob communicationem cum tali Sacerdote, & quando ob communicationem cum eo non apparet profiteri errorem aliquem dicti Sacerdotis.

RESOL. CCXXXVI. *An ſaltem Parochus in die Natiuitatis Domini teneatur tres Miſſas celebrare?*

DIxi *ſaltem Parochus*, quia, vt alibi probatum eſt, nullus Sacerdos in illa die tenetur tres Miſſas dicere; ſed difficultas eſt quoad Parochũ, & affirmatiuam ſententiam docet Henriquez *in ſumma lib. 9. cap. 30. num. 6.* vbi affirmat,Parochum teneri tres Miſſas dicere eo die.

Verùm contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quam docet Bellettus *in §. is qui Cler. part. 2. §. 28. numer. 2.* Quia ſicuti Parochiani eo die non tenentur niſi vnum Sacrum audire, nec Parochi plura dicere, ſecluſo ſcandalo,& contemptu. Deinde Eccleſia concedit ex priuilegio tres offerre Miſſas in die Natalis Domini; ergo nemo tenebitur ex obligatione illas celebrare.

Notandum eſt tamen hîc obiter contra dictum Bellettum *loco citato*, & alios, in nocte Natiuitatis Domini poſſe ante Auroram Sacerdotes cele-

celebrare omnes tres Miſſas,& ita præter Doctores,quos *in tract.de celebrat. Miſſarum* citaui, docet nouiſſimè Guilielmus Mercerus *de Sacram. in 3. part.D.Thomæ q.*83. *art.*2.*propoſ.*3.*nu.*1. Gaſpar Hurtado *de Sacram.diſp.*4.*de ſacrific.Miſſæ,difficult.*4.Puteanus *in* 3.*part.D.Thomæ quæſt.*83. *art.*2. quia *in canone,nocte ſancta,de conſecr.diſt.*1. abſolutè, & ſine vlla diſtinctione id concedit;quòd verò in Rubrica Miſſalis tria tempora diuerſa aſſignentur pro tribus Miſſis, non obſtat, quia id tantùm efficitur pro Miſſis ſolemnibus.

Nota etiam ſecundo, quòd Religioſi, quibus ex priuilegio licet vna hora ante diem celebrare, poſſunt duabus horis & dimidia,imò & vno quadrante ante ortum Solis celebrare. Ita Hurtado *vbi ſuprà*, & ego alibi.

RESOL. CCXXXVII. *An quis poſsit in die Veneris ſancto communicare?*

NEgatiuè reſpondet Francolinus *de Horis canonicis cap.*30.*numer.*12. & videtur docere Innocentius I. *in epiſt.*2.*ad Decentium,cap.*4. & refert *in can.Sabbati,de conſecr. diſt.*3. dum ait,traditionem Eccleſiæ habere in iſto biduo (id eſt,in Feria ſexta,& in Sabbato ſancto)Sacramenta penitus non celebrari;& Miſſale Romanum ita aſſerit: Hodie (id eſt,Feria quinta)Sacerdos conſecrat duas Hoſtias,quarum vnam ſumit, alterã reſeruat pro die ſequenti,in qua non conficitur Sacramentum:reſeruat etiam aliquas particulas conſecratas,ſi opus fuerit pro infirmis;ergo ſolùm infirmis licet in Feria ſexta communicare.

His tamen non obſtantibus, affirmatiua ſententia vera eſt,quã docent Vaſquez, Suarez, Layman, & Tannerus,quos citat,& ſequitur Gaſpar Hurtado *de Sacram.diſp.*4. *de ſacrificio Miſſæ difficult.* 3.quia id in nullo iure prohibitum inuenitur.nam Innocentius *in dicta Epiſtola* loquitur de celebratione,non de communione, dicit enim in illa die non celebrari,id eſt,non conſecrari: prohibet igitur celebrationem in conſecrando, non verò in miniſtrando. Ad auctoritatem verò Miſſalis Romani reſpondetur,quòd dum ordinat, vt reſeruetur Euchariſtia pro infirmis, non prohibet quòd reſeruetur pro ſanis,& ipſis non liceat,ſed tantùm infirmis. Nec valet dicere, quòd licet hoc non ſit prohibitum de iure,eſt tamen prohibitum de cõſuetudine, cùm in illa die fideles ſacram Cõmunionem non accipiant; nam reſpondeo,quòd etiamſi regulariter ea die fideles non communicẽt, id tamen non omittitur regulariter, quaſi ex conſuetudine id prohibente, & quaſi neceſſarium ſit ea die non cõmunicare, ſed quia eſt congruens, cùm ſit dies maximi mœroris.

Notandum eſt etiam hîc obiter cum Mercero *de Sacram.in* 3.*part. D.Thomæ quæſt.*83.*art.*2 *propoſit.* 2.*num.*2. contra Francolinum *vbi ſuprà numer.*8.& 9. licere indiſcriminatim omnibus Sacerdotibus in die Sabbati ſancti priuatim celebrare: vnde ait Hurtado *vbi ſuprà*, qui voluerit Miſſam in dicta die celebrare, & ante ſolemnem, poterit Miſſam Sancti in ea die contingentis, aut votiuam aliquam celebrare. Vide meipſum *in tract.de celebratione Miſſarum.*

RESOL. CCXXXVIII. *An Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare,ſi per menſem ſit infirmus, teneatur pro illo tempore Miſſas compenſare?*

MVlti putant in tali caſu tempus vnius menſis eſſe ſatis laxum ad excuſandum Sacerdotem, ne Miſſas compenſet; ſed excuſari docet Hurtadus *de Sacram.diſp.*4. *de ſacrificio Miſſæ, difficult.*1. vbi ſic ait: Si Capellanus infirmitate, aut alio impedimento non voluntario impeditus exiſtat,non tenetur Miſſas pro paruo tempore,nempe pro vno menſe omiſſas compenſare, niſi conſtitutio aliqua, aut nota conſuetudo id non permittat, quia id poteſt de mente fundatoris prudentiſſimè præſumi. Ita ille,qui citat Layman;vnde rectè aſſeruit Mercerus *de Sacram. in* 3. *part. D. Thomæ q.*83.*art.*2.*propoſ.*2.*n.*1. quòd obligatio celebrandi quotidie intelligenda eſt moraliter, & regulariter, quia alioquin eſſet onus intolerabile, niſi ſit tale beneficium,& talis conſuetudo,vt obliget ad prouidendum quotidie Eccleſiæ de ſacrificio per ſe, vel per alium,tunc enim maiori rigore vrgebit hæc obligatio quotidiana.

RESOL. CCXXXIX. *An Epiſcopi hodie poſsint abſoluere ab hæreſi occulta?*

AFfirmatiuam ſententiam docet nouiſſimè Iacobus Granado *in* 2.2. *D.Thomæ,contr* 1. *tr.* 15.*diſp.*14.*ſect.*2.*num.*8.*& ſeq.* vbi ſic aſſerit: Supereſt potiſſima difficultas, an ſcilicet iſta facultas Epiſcopo conceſſa à Tridentino, reuocata ſit à Sũmo Pontifice. Partem affirmantem ſequuntur Nauarrus *in ſumma cap.*27. *num.* 275. Molina *ſuprà* relatus,Suarez *in illa ſect.*4.*num.*12.*&*13. vbi refert ſeipſum *in* 4.*tom.* 3. *part.* idem aſſerentem, Garſia *de benef.part.*11. *cap.*10. *numer.*115. dicens, id eſſe indubitatum. Sanchez *in illo cap.* 11.*numer.vlt.* concludens, hoc omnino eſſe tenendum, & multi alij, quos iſti Doctores referunt. Probatur primò, quia in Bulla Cœnæ etiam nouiſſimè edita à Gregorio XV. perſpicuis diſertiſque verbis negatur facultas abſoluendi à caſibus illius, ac proinde ab hæreſi etiam virtute clauſulæ Concilij Generalis, licet in illa in genere, vel in ſpecie oppoſitum conceſſum fuerit; ergo licet Tridentinum conceſſerit Epiſcopis hanc facultatem,fuit & eſt modò reuocata. Secundò probatur, quia grauiſſimi Doctores teſtantur à Summis Pontificibus eſſe reuocatam; Nauarrus enim ait, ſic declaraſſe Pium V. & Gregorium XIII. Azorius *libr.*8. *inſtit. moral. cap.* 10. *quæſt.*10. teſtatur,ſe audiuiſſe à viro Religioſo,docto,& fide digno ſic declaraſſe Clementem VIII. Tertiò probatur, quia in Generalis Inquiſitionis Prætorio Romano ſæpè pronuntiatum eſt, non poſſe Epiſcopos iam abſoluere ab hæreſi occulta. Quartò tandem,quia duo ſunt reſponſa Congregationis Cardinalium, quorum meminit Suarez *ſuprà*, in quibus declaratur,

facultatem Tridentini Epiſcopis ablatam fuiſſe. Nihilominus valdè probabile eſt, adhuc perſeuerare poteſtatem à Tridentino conceſſam Epiſcopis. Sic ſentiunt Nauarrus *lib.1.conſil.titul. de conſtit.conſil.1.quæſt.vlt.* Simancas *de Cathol.inſtit. tit.3.numer. 6.* Henriquez *lib.6.de pœnit.cap.14. numer.7.* Bañez *ad artic.4.quæſt.11.dub.2.poſt.2. concluſ.* Sà *verbo Epiſcopus, numer. 37.* Lorca *diſput. 45.* Guttierez *libr.1. quæſt.can.cap.13.ad fin.in poſteriori editione,* & multi alij; Sanchezque tandem fatetur, rationes pro hac ſententia vrgere, & auctoritate Doctorum reddi videri probabiliſſimam. Probatur hæc ſententia, quia, vt *ſuprà* argumentabamur, vitanda eſt correctio iuris, quoad ſine incommodo fieri poterit, & id præſertim locum habet comparatione Concilij Tridentini, cuius decreta tanti æſtimarunt Summi Pontifices, qui poſt illud Eccleſiam gubernarunt, & quod in viridi obſeruantia ſemper eſſe tantoperè cupiunt. Cùm ergo tam diſertè Concil.Trident. faciat Epiſcopis poteſtatem abſoluendi ab hæreſi occulta, & ceteris caſibus Bullæ Cœnæ, non eſt credendum, eam facultatem fuiſſe reuocatam virtute Bullæ Cœnæ poſteà promulgatæ, ſi cum iſta conciliari poſſit; quòd autem rectè conciliari poſſit, facilè oſtenditur. Primò, quia ſic ſentiunt tot graues Doctores, quorum in explicando iure magna auctoritas eſt. Secundò, quia rectè dici poteſt, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & ideò non derogare facultati Tridentinæ, in qua de occultis criminibus ſermo eſt. Ex quo patet reſponſio ad primum contrariæ ſententiæ. Ad ſecundum reſpondetur, nullibi afferri à prædictis Auctoribus teſtimonium authenticum talis reuocationis, aut declarationis, & cùm aliunde tam perſpicuè conſtet de facultate Tridentini, non cogimur credere, eam eſſe reuocatam. Ad tertium reſpondetur, id pronuntiatum eſſe in hoc grauiſſimo, & ſanctiſſimo Tribunali ſecundùm oppoſitam ſententiam, quæ probabiliſſima eſt; ſed quoniam nondum nobis præcepit eam amplecti, licitum eſt contrariam reputare etiam valdè probabilem, ſicut & multi alij reputarunt. Ad quartum ſimiliter dicendum eſt, ea reſponſa Cardinalium eſſe magnæ auctoritatis, ſed non ſufficere ad tollendam contrariæ ſententiæ probabilitatem; & hæc omnia ad verbum docet Granado *vbi ſuprà.* vide etiam Fernandez *in exam. Rect. mor. part.4. cap.7 §.1. num. 5.* Gutierez *can.qq.lib.1.cap.13. ad fin.* Gomez *in Bulla Cruciat. clauſ 10. numer. 44. in fine* Bañez *in 2.2. quæſt. 11. artic.4.dub.2.poſt.2.concluſ. argum 3.verſ.Et ſi quis obiiciat.* Rodriquez *in qq.Regul.tom.1 quæſt.20.art. 10.* Vegam *in ſumma tom.2.cap.125.caſ.1.* Aragon. *in 2.2.quæſt.11.artic.3.* Llamas *in ſumma part.3.cap.1. §. vlt. in fine.* Zerolam *in praxi Epiſcop. part.2. verbo Abſolutio, §. 8. & 18. & verſ. hæreticum, §. 4.* & alios, quos ego ipſe citaui *in part.1.tractat.5. reſolut. 2.* Sed ego *ibi* contrariæ ſententiæ adhæſi, aſſerenti dictam facultatem Epiſcopis eſſe per Bullam Cœnæ ſublatam, & ita ſentiunt plures Doctores, quos *ibi* citaui; quibus nunc addo Hurtadum *de excommun. diſputat. 15. difficult. numer. 11.* Fabrum *de ſacram. Ordin. diſtinct.25.quæſt.1.diſput.3. cap. 4. numer.126.* Duardum *in Bulla Cœnæ lib.3. §. 2. quæſt. 11.numer.47.* Coriolanum *de caſ.reſer.part. 1.ſect.3. art.23. numer. 6.* Bonacinam *in Bulla Cœnæ diſput.1.quæſt. 2.punct.2 numer.7 in fine.* Acoſtam *in expoſit.Bull.Cruc. quæſt.58.* Gratianum *in diſcept. foren.tom.3. cap.414.num.12.* Armendariz *in addit.ad recopil. legum Nauarræ libr.2.titul.21.lege vnica, de familiaribus Inquiſitorum, numer. 3. & 4.* Alzedum *in praxi Epiſcop.part.2.cap. 6. num.15.* Campanili *in diuerſ. tur.can.rubr.11. cap.26. numer.55.* Farinacium *de hæreſi quæſt. 192. §.4. numer.53.* Bledam *in defenſione fidei in cauſa Moriſcorum, part.1.cap.13.* & alios penes ipſos, teſtantes de ſupradicta declaratione Gregorij, de qua etiam teſtatus eſt mihi Dominus meus Clemens Merlinus ſacræ Rotæ Auditor, vir non ſolùm legalis, ſed etiam politioris litteraturæ conſultiſſimus, & morum ſuauitate ornatiſſimus. Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd etiamſi ſtandum eſſet in prima ſententia, Emanualem Rodriquez *in addit. ad Bullam Cruc. §. 9. numer.69.* docere, facultatem datam Epiſcopis abſoluendi ab hæreſi, intelligendam tantùm, quando ipſe hæreticus ſolus abſque eo, quod ab alio audierit, committit occultè crimen hæreſis, manifeſtando illam aliquo actu exteriori, quamuis nemo eam audiat; deinde ſubdit illam facultatem non extendi ad hæreſim occultam, quando adeſt complex, nam aliàs, inquit, eſſet deſtruere machinam ſancti Officij; & denique reſoluit, Concilium *in præſenti* dare facultatem abſoluendi ab obligatione denuntiandi complicem, quam habet, aliàs eſt excommunicatus edicto ſancti Officij; ſed Granado *vbi ſuprà numer.6.* putat, Epiſcopum vigore dicti Concilij Tridentini poſſe abſoluere hæreticum, etiamſi coram aliquo hæreſim protulerit, dummodo delictum ſit occultum, quod eſt, quando non ſcietur à maiori parte communitatis, quæ ſaltem conſtet decem perſonis, & ad id, quod docet Rodriquez *de denuntiandis complicibus.* vide meipſum *in part. 1. tract.4. reſol. 9.*

Nota ſecundò, ex ſententia Granadi *numer.5.* Epiſcopum abſolutionem ab hæreſi impendere poſſe iis, qui quomodolibet pertinent ad ſuam diœceſim, ſiue quia domicilium in ea habent, ſiue quia ibi inueniuntur, tamquam peregrini, ſiue quia ipſe exiſtens extra diœceſim vult alicui ſibi ſubdito, & in hæreſim lapſo, abſolutionis beneficium impendere.

Nota tertiò, cùm prædictam abſolutionem ab hæreſi non permittat Concilium Vicariis Epiſcoporum, Molina *de iuſt.tract.5.diſp.18. numer.1.* Garſias *de beneficiis tom.2.part.11.cap.10.num.113.* & alij exiſtimant, nullo modo poſſe ab Epiſcopo hanc abſolutionem ab hæreſi committi alteri perſonæ; ſed Iacobus Granado *loco citato numer.7.* cum Sanchez *in ſumma tom.1.lib.2.cap.15.numer.23.* & aliis tenent, quòd licet Epiſcopus non poſſit hanc abſolutionem committere alteri, qui generaliter habeat facultatem abſoluendi ab hæreſi, poteſt tamen committere caſum particularem,

cùm

cùm occurrerit, ita vt tunc ſpecialiter, & non generaliter tribuat vices ſuas. Verùm omnia ſupradicta non procedunt in noſtra ſententia aſſerente, hanc poteſtatem abſoluendi ab hæreſi eſſe per Bullam Cœnæ Epiſcopis ſublatam.

Nota quartò, etiam poteſtatem diſpenſandi in irregularitate, & occulta hæreſi proueniente ademptam eſſe Epiſcopis per Bullam Cœnæ Domini docere Ricciullum *lib.5.c.16.num.5.* & alios, licet contrarium doceat Vgolinus *tract.de irregular.cap. 36.n.5.* Sanchez *in ſumma tom.1.lib.2.cap.25.num.17.* quos alibi citaui; imò Petrus Cornejo *in 3.part.D. Thomæ tr.5. de irregular.diſp.9.dub.vnico,q.4.* & probabiliter docet, ob peccatum hęreſis ſecundùm ſe ſecluſa infamia non incurri irregularitatem, ſed vide *ſuprà, in tract. de irregular.*

RESOL. CCXL. *An in aliquo caſu quis non incidat in excommunicationem, etiamſi proferat exteriùs hæreſim internam?*

AD hanc quæſtionem ita reſpondet Iacobus Granado *in 2.2. D.Thomæ contr.1.tract.15. diſp. 13.numer.14.* Dubitari ſolet, an contingere poſſit, vt quis exteriùs proferat hæreſim internam, quin ſubiaceat cenſuris Eccleſiæ, præſertim excommunicationi. Reſpondetur affirmanter. Et quidem primus caſus eſt, quando illam manifeſtaret ſolũ ad petendum conſilium, vel ad illam aperiendam Confeſſario. Ita Aragon §. *ſed dubium eſt.* Similiter, qui illam ſcriberet inter ſua peccata, vt manifeſtaret Confeſſario: etenim totum hoc non eſt formaliter ſe manifeſtare hæreticũ, ſed quærere medicinam criminis omnino mẽtalis. Secundus caſus eſt, quando quis omnino indeliberatè, & abſque vlla aduertentia exteriùs diceret hæreſim; hic enim actus non eſt humanus, ac proinde nulla illius ratio habenda eſt ad incurrẽdam illam pœnam. Imò Henriquez ſtatim referendus ait, non reſeruari, aut ſubiici excõmunicationi peccatum, niſi quod ſecundùm quantitatem operis externi, & nõ ſola relatione ad conſenſum internum, certò cõſtet eſſe mortale, dicitque eſſe multorum recentiorum. Addunt etiam alij, & benè, non incurrere pœnas hæreticorum illum, qui exteriùs manifeſtaret hæreſim cum deliberatione, quæ tantũ ſufficeret ad peccatum veniale. Tertius, ſi quis iocosè tantùm, & non aſſertiuè eam proferret, & alioqui eſſet homo, de quo hæreſis præſumi non poſſet. Ita Victoria, quem refert, & videtur ſequi Simancas *de Catholicis inſtitutionibus tit.42.num.10.* Quartus, licet alij contrà ſentiant, videtur valdè probabile, non incurri pœnas ab hæretico mentali, qui efficeret aliquod ſignum exteriùs, ex quo nullus alius, ſi eſſet præſens, poſſet probabiliter colligere, illum eſſe hæreticum, quamuis, qui illud profert, haberet animum exteriùs illam profitendi. Ita Henriquez *lib.6.ſummæ cap.14.num.6. littera I.* Colligitur planè ex Caſtro 2. *de iuſta hæreticorũ punitione, c.18.* vbi ait, ſolos illos hæreticos excommunicationi ſubiacere, qui hæreſim mente conceptam manifeſtant, vt ſi quis eſſet tunc præſens, poſſet cognoſcere, illum lapſum eſſe in talem hęreſim; & Bañez *ſuprà* ait, non incurri excommunicationem ab eo, qui exteriùs ſignum efficeret, quod ſecundùm ſe, aut ex circumſtantiis non eſſet ſufficiens ad explicandum errorem. Probatur, quia propterea Eccleſia non punit hæreſim penè mentalem, quia non poteſt ab vllo cognoſci, præterquàm ab habente illam; ſed idem eſt, quando ſignum ne probabiliter quidem poteſt alteri manifeſtare hæreſim: ergo perinde reputandus eſt, ac ſi foret hæreticus mentalis. Vnde ſi quis hæreticus exteriùs moueret caput, quando nullus poſſet vllo modo colligere, id fieri ad profitendam hæreſim, non incurreret pœnas; ſecus verò, ſi ille dixiſſet, ſe vti illo ſigno ad hæreſim ſuam profitẽdam, quia iam ſatis ſe declarauit. Denique alij dicunt, non incurri excommunicationem ab hæretico mentali qui ſolùm recitatiuè profert hęreſim ſuam, dicendo; Ego habui in mente mea iſtum actum hæreſis. Quod quidem probabile valdè videtur, ſi nullatenus inde colligi poſſet, adhuc eum in errore permanere, & iuxta hoc intellige, quod tenet Azor. *lib.8.cap.10. quæſ.6.* & hæc omnia docet Granado *vbi ſuprà.*

Notandum eſt tamen hîc obiter primò contra Panormitanum, Ioannem Andream, Ananiam, Felinum, & ceteros Canoniſtas *in c.vlt.de hæreſi,* Adrianum *in 4.quæſt.2.de confeſſione.§.Alij probant.* Albertum Pighium *libr.6. de Eccleſ.Hierar.cap.16.* Albertinum *de agnoſcen. aſſer.quæſt.33.* Rojas *de hæret. part.1.num.246.* Menochium *de arbitrariis caſ.360. nu.6.* Azeuedum *in recopil.lib.8.tit.3. leg.1.num.152.* Spino *in ſpeculo teſtam.gloſ.7. principali numer.3. cum ſeq.* & alios, hæreticum purè mentalem non incurrere in excommunicationem, quia Eccleſia nõ habet iuriſdictionem in actus, qui nullo modo poſſunt eſſe exteriùs cogniti, regimen enim illius eſt viſibile; ergo debet verſari circa obiecta viſibilia. Ita DD. communiter.

Nota ſecundò contra Caietanum *in 2.2. quæſt. 94. art.1.* hæreticum purè externum, qui mente non negat fidem, non incurrere in cenſuram; optimè, vt obſeruat cum communi Mercerus *de Sacram.in 3.part. D.Thomæ q.66.art.9. nu.4.* Quare poterit à quolibet Confeſſario abſolui in foro cõſcientiæ, vt rectè notat Granado *vbi ſuprà in 2.2. contr. tract.15. diſp.13.num.11.* licet Eccleſia præſumat, illum eſſe hæreticum, & excommunicatum, niſi aliunde conſtiterit oppoſitum.

RESOL. CCXLI. *An adimplens pœnitentiam in peccato mortali, peccet mortaliter? & plura de pœnitentia ſacramentali.*

HIc caſus ſæpiùs in praxi occurrit, & affirmatiuam ſententiam quoad primum docet Barboſa nouiſſimè *in collect.Doctorum ſuper Concil.Trident.ſeſſ.13.cap.8. num.6.* vbi ſic ait: Pœnitentiam in peccato mortali adimplens, peccat mortaliter. Ita ille. Verùm negatiuam ſententiam tenendam eſſe puto, & ideò Hurtado *de Sacramentis diſput.14. de pœnitent. difficult.14.* ſic ait: Quamuis qui implet pœnitentiam in ſtatu peccati mortalis ponat obicem effectui primario ſacramenti Pœnitentiæ, ſed

ſed tamen ſecundariò conferendo media pœnitentia ſacramentali. Ita ille. Imò plus addit Vaſquez *in 3.part.tom.4. quæſt.94.artic.2.dub.5.* nempe pœnitentiam ſacramentalē in ſtatu peccati mortalis factam, cauſare ex opere operato remiſſionem pœnæ temporalis reſtantis, ſicut cauſat, quādo fit in ſtatu gratiæ. Et ita hanc ſententiam tenet etiam Martilius *in 4. quæſt.11.art.3.* & Medina *Cod.de Confeſſione, quæſt. de pœnitentia iniuncta extra gratiam impleta*; licet contrarium doceat Suarez *in 3.part.tom.4.diſp.38.ſect.8.* Henriquez *lib.5.cap.20. num.7.* Coninch *de Sacramentis diſp.10. dub.11.* aſſerentes, pœnitentiam ſacramentalem in ſtatu peccati mortalis impletam remittere poſteà pœnam temporalem ex opere operato, quando recedit fictio, id eſt, quando ceſſat ſtatus ille; ſed hoc dici abſque ſufficienti fundamento putat Hurtado *vbi ſuprà*; quia ſi tribuere effectum ex opere operato recedente fictione cōuenit Baptiſmo, & fortè etiam pœnitentiæ informi, ideò eſt, quia hæc duo Sacramenta ſunt media neceſſaria ad remiſſionē culpæ, & pœnæ æternæ. Pœnitentia verò ſacramentalis non eſt neceſſaria ad remiſſionem pœnæ temporalis reſtantis, quia hæc poteſt pluribus aliis operibus haberi; ergo, &c. Verùm hanc ſententiam Suarez, & aliorum, quam ſine fundamēto dictam putauit Hurtado, probabilem eſſe docet Guilielmus Mercerus *de Sacramen. in ſupplem. part.3.D.Thomæ,q.15.dub.3.queritur 3.n.3.*

Notandum eſt tamen hic obiter pro praxi contra Richardum *in 4.diſtinct.17. art.2. quæſt.8. ad 4.* D.Antoninum *part.3.tit.14. cap.19.§.19.* & Syluestrum *ver.Confeſſio 6. quæſt.3.* pœnitentem, qui oblitus eſt pœnitentiæ ſibi iniunctæ, non teneri ſecundò eadem peccata confiteri, vt aliam pœnitētiam pro iis recipiat; ſed ſi ſua culpa pœnitentiæ non recordetur, ſufficit hoc peccatum confiteri, & ſi fortè obliuio accidiſſet ſtatim poſt datā pœnitentiam, & crederet, Sacerdotem adhuc eius eſſe memorem, teneretur, ſi poſſet, ab eo petere, quid iniunxiſſet, præſertim quando pœnitentia eſt grauis. Ita Coninch *de Sacramentis diſp.10. dub. 9.num.86.* Caietanus *in ſum.ver. Confeſſio iteranda, §. ex ſatisfactione.* Sotus *in 4.diſt.20.q.2.art.2.ad 3.* Hurtado *diſſic.11.* & alij.

Notandum ſecundò contra Paludanum *in 4. diſtinct.15.quæſt.1.art.2.* & Maiorem *quæſt.2. dub.1.* in pœnitentiam ſacramentalem imponi poſſe à Cōfeſſario opus præcepti. Ita Vaſquez *in 3.part.tom. 4.quæſt.94.art.1.dub.6.* Hurtado *diſſic. 8.* Coninch *dub. 8.* Mercerus *quæſt.14. dub. 4.* qui optimè obſeruat, ſi eo caſu pœnitens omittat opus aliàs debitum, iam eadem omiſſione peccabit dupliciter; ſi autem expleat, duplicem fructum reportabit, vnum ratione operis præcisè conſiderati, & præcepti: alterum ratione virtutis, quam opus trahit ex poteſtate clauium.

Nota tertiò contra Vaſquez *in 3.part. tom.4.qu. 94.art.2.dub.1.numer.9.* Nugnum *in addit.quæſt.13. art.2.difficult.1.* Coninch *diſp.10.dub.8.* quòd Confeſſarius nō tenetur imponere pœnitentiam obligantem, quia ex vna parte pœnitentia ſub conſilio tantùm impoſita ſufficienter ſacramentalis, vtpote impoſita virtute clauium, & ex altera parte pœnitentia ſic impoſita poteſt eſſe expediens pœnitenti ob ipſius fragilitatem; & ita docet Suarez *in 3.part. tom.4.diſput.38.ſect. 3.* Tannerus *tom. 4.diſput.6.quæſt.8.numer.7.* Nauarrus *in manual.cap. 26.nu. 24.* Henriquez *lib.5.cap 21.* & alij: vnde nouiſſimè Mercerus *de Sacrament. in ſupplement. part. 3. D. Thomæ quæſt. 15. dub. 2. numer. 5.* dixit pœnitentiam imponi poſſe per modum conſilij, dicendo: Si hoc, vel illud feceris, ſeruiat tibi in ſatisfactionem.

Nota quartò contra eumdem Vaſquez, & Coninch *locis citatis*, Ledeſmam *in 2. part.quarti, quæſt. 14. art. 4.* & alios, quòd pœnitens poteſt pœnitentiam invindictam peccatorum implere per alterum, quando Confeſſarius id vult, ſiue id velit, quando illam imponit, ſiue poſteà, & ideò ex rationabili cauſa poteſt Cōfeſſarius imponere pœnitentiam per alium implendam. Ratio eſt, quia ex vna parte vnus poteſt ſatisfacere pro alio pro pœna temporali relicta poſt remiſſionem peccati, & ex altera parte obligatio implendi pœnitentiam oritur ex voluntate Confeſſarij; ergo quando Confeſſarius vult, id ſufficit. Ita Suarez *tom.4. diſp.18.ſect.9.* Reginaldus *in prax.tom.1.lib.7.cap.7. quæſ.2.* Tannerus *vbi ſuprà nu.11.* Mercerus *dub.3.n. 4.* & alij. Et tandem

Nota quintò contra Alexandrum *4. part.quæſt. 84.membr.2.art.1.* & Almainum *in 4.diſt.15.quæſt.1.* poſſe Confeſſarium in pœnitentiam ſacramentalem imponere opus internum. Ita Coninch *vbi ſuprà.* Hurtado *diſſic.7.* Suarez *ſect.6.* & Mercerus *dub. 2.* Quia ſicut Confeſſarius poteſt abſoluere ab internis peccatis, ita & ad actus internos ligare poteſt; & quamuis tales actus non ſint per ſe ſenſibiles, tamen ſunt ſenſibiles per accidens, cùm exteris imponuntur, & acceptantur.

RESOL. CCXLII. *An legitimè impeditus adire Pontificem, poſſit ab hæreſi occulta abſolui ab inferiori Sacerdote?*

AD hoc dubium reſpondet Iacobus Granado *in 2.2.D.Thomæ contrà 1. tractat.15.diſp.16.ſect.4.* vbi *num.18.* ſic aſſerit: Vix, aut ne vix quidem caſus iſte in praxi occurrere poteſt; nam ſi impedimentum ſit articulus, vel periculum mortis, diximus, quemlibet Sacerdotem poſſe abſoluere ab hæreſi; extra hunc verò articulum, aut periculum, cùm Epiſcopus iuxta valdè probabilem ſententiā poſſit abſoluere, & idem probabiliter dici poſſit de Inquiſitoribus, non deerit (moraliter loquendo) qui remedium habeat, eſto non poſſit adire Papam; ſed ſi daremus, facultatem Epiſcoporum eſſe reuocatam, & Quæſitores fidei non poſſe in foro conſcientiæ hanc abſolutionem impendere, vera nihilominus ſententia eſt, etiam quando adeſt legitimum impedimentum adeundi Papam, non poſſe hereticum occultum ab vllo alio abſolui. Ita Granado, qui citat Sanchez, & Suarez: ſed circa præſentem quæſtionem vide meipſum *in p 1. tract.5. reſ.4.*

PRÆ-

PRÆCLARA ET SOLEMNIS QVÆSTIO.

An adſit obligatio recitandi Officium Defunctorum in die 2. Nouembris?

AFFIRMATIVE reſpondent communiter Doctores. Ita Tannerus *in 2. 2. D. Thom. diſp. 5. quæſt. 1. dub. 5. num.* 148. Caſtrus Palaus *tom. 2. diſp. 2. de orat. punct. 2. nu.* 13. Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 25. n. 8. & 9.* Layman *in ſumm. lib. 4. tr. 1. c. 5. n. 4.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 27. nu. 1.* Toletus *in ſumm. lib. 2. c. 13. nu. 3.* Gauantus *in rubr tom. 2. ſect. 9. c. 2. nu. 18.* Lublinus *in ſummula caſ. ver. Horæ Canonicæ, nu. 12.* Naldus *in ſum. ver. officium diuinum* 11. Binsfeldus *in enchir. Theol. p. 4. c. 8. §. 5. concl. 8.* Io. Baptiſta de Fabris *in man. ordin. c. 20 qu. 7.* Ægidius de Trullench *opuſc. de Horis Canon. dub. 2. n. 12.* Homobonus *in conſult. caſ. conſcien. vol. 2. p. 5. reſponſ. 245.* Molfeſius *in ſumm. to 1. tract. 5. c. 1. n. 57.* Ioan. Franc. Suarez *in enchir. caſ. conſcien. lib. 2. ver. Horæ Canonicæ,* §. 14. Graſſius *in deciſ. part. 1. lib. 2. c. 53. n. 24.* Vega *in ſumm. tom. 1. c. 128. caſ. 24.* Sotus *de iuſt. lib. 4. quæſt. 4. art. 4.* Macignus *de Horis Canon. c. 29. n. 16.* Armilla *ver. Horæ Canonicæ, n. 9.* Eſcobar *in exam. Confeſſ tr. 3. c. 12. nu. 63.* Fauſtus *de Horis Canon. lib. 2. quæſt. 302.* Vantius *in diſcipl. Cleric. lib. 3. cap. 4.* Lezana *in ſum. qq. regul. c. 12. n. 23.* & Anton. de Literatis *in ſumm. part. 6. cap. 7. nu. 11.* Probatur hæc opinio à ſupradictis Doctoribus, quia in tali die Officium defunctorum ponitur cum Officio maiori, & præſcribitur dicendum in rubrica vt Officium proprium illius diei. Secundò, quia omnes obligati ad dicẽdas Horas Canonicas in illa die recitãt Officium defunctorum; ergo ſaltem ex conſuetudine adeſt obligatio illud dicendi.

Sed contrariam ſententiam tenuerunt aliqui, quos tacito nomine citat Molfeſius *in ſumm. tom. 1. tractat. 5. cap. 1. num. 57.* & nouiſſimè tenuit quidam Theologus Societatis IESV in quadam collatione domeſtica facta à Patribus Collegij Matritenſis, vt teſtatus eſt mihi amiciſſimus, pariterque doctiſſimus P. Didacus Sigonei, eiuſdem Societ. qui per epiſtolam datam in Collegio Complutenſi ſub die 26. Nouembr. 1634. mecum hunc caſum dignatus eſt conſulere, vnde vt eius mandatis obtemperarem, hanc compoſui reſolutionem. Dico igitur quòd iſta ſententia ſuaderi poteſt his rationibus.

Primò, quia pius V. in Bulla poſita in principio Breuiarij non obligat ad dicendum Officium defunctorum diebus in rubricis Breuiarij ſtatutis, & abſolutè loquitur, neque diſtinguit, neque excipit Officium defunctorum in die 2. Nouembr. & lex vbi non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, vt patet ex *l. de pretio, ff. de public. in rem act. l. non diſtinguemus. ff. de recept. arbitr. l. preces ff de offic. præſ. l. 2. §. conuenire. ff. de iudic.* Et lex generaliter loquens generaliter eſt intelligenda, vt habetur *in l. an fraudem, §. vlt. de teſtam. milit. lib. 1. §. generaliter, de aleat.* Si igitur Pius V. in dicta Bulla tollit abſolutè obligationem recitandi Officium mortuorum, neque excipit diem 2. Nouembr. cur nos illam excipere debemus? & ideò Zechius *in ſumm. tom. 2. cap. 83. numer. 16. in fine.* Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 24. diffic. 6. numer. 3.* Ioan. de la Cruz *in direct. part. 1. pr. 3. art. 3. dub. 4. concluſ. 2.* Carillo *in itiner. ordinan. ſect. 6. cap. 1. numer. 40.* Philiarchus *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 1. libr. 1. cap. 40.* Rodriquez *in compend. qq. regul. reſ. 24. numer. 14.* Leſſius *lib. 2. cap. 37. dub. 12. num. 76.* Aragon *tom. 2. in 2. 2. D. Thom. quæſt. 83. art. 12.* Turrianus *in ſumm. part. 1. cap. 116. dub. 5. num. 12.* Gordonus *in Theolog. mor. tom. 2. lib. 6. qu. 2. num. 44.* Petrellus *in lectura caſuum conſcientiæ part. 1. lect. 4. §. 1. n. 8.* ſimpliciter & ſine vlla diſtinctione docent, quòd ij qui recitãt iuxta Breuiarium Romanum, non obligantur ad Officium defunctorum diebus in Breuiario præſcriptis, & non excipiunt diem 2. Nouembr. quam ſciebant excipere ſupracitatos auctores. ergo non eſſe excipiendam putarunt.

Secundò probãtur hæc ſententia, quia in rubrica appoſita in Breuiario die 2. Nouembr. non inueniuntur vlla verba præceptiua obligantia ad dicendum Officium defunctorum, ſed ſolùm ibi dicitur quòd *dicto Benedicamus Domino, dicũtur Veſperæ defunctorum*; ſicuti etiam in feria 2. poſt primã Dom. Quadrag. dicitur in rubr. *poſt Veſperas dicuntur Veſperæ defunctorum.* Vide, quæſo, quomodo in dictis duabus rubricis eadem ſunt verba; cur ergo non erit eadem obligatio, vel non obligatio? nam vbi eſt eadem ratio, debet eſſe eadem iuris diſpoſitio, ex *l. illud. ff. ad legem Aquil.* quod etiam habetur *in l. à Titio. ff. de furt. l. quidã numularios ff de eden. l. illud. C. de ſacroſ. Eccleſ. l. ſi poſtulaueris, §. 2. ff. ad leg. Iul. de adult.* & ex aliis iuribus. Si igitur rubrica ferię 2. poſt Dom. 1. Quadrag. non obligat ſub mortali ad dicendum Officiũ defunctorum, quare rubrica diei 2. Nouembris ad illud obligabit, vbi in dicta rubrica ſunt verba pręceptiua & inductiua peccati mortalis? profectò nullibi. cur ergo aſſerunt Doctores in dictis verbis obligationẽ adeſſe?

Tertiò probatur. nam, vt dixi *in tract. de Horis Canon. reſol. 56.* cum Vaſquez & aliis, quibus nunc addo Graſſium *in decis. part. 1. lib. 2. cap. 53. n. 24.* Homobonum de Bonis *in conſult. caſ. conſc. vol. 2. part. 5. reſponſ.* 245. Rubrica appoſita in Breuiario in die D. Marci, & in diebus Rogationum, non obligat ſecundùm opinionem probabilem ſub culpa lethali ad dicendas Litanias extra chorum. ergo neque rubrica diei 2. Nouembris obligabit ad dicendum Officium defunctorum. Probatur conſequentia à fortiori, nam ſupradicta rubrica in die D. Marci ſic aſſerit: *Hodie qui non interſunt proceſſioni Litaniarum, dicant illas priuatim poſt Matutinum cum ſuis precibus & orationibus, ſine Pſalmis pœnitentialibus.* In quibus vltimis verbis apparet Litanias eſſe partes Pſalmorum pœnitentialium, & in illis includi. quod etiam euidenter apparet ex alia rubrica appoſita in fine Breuiarij ante ſeptem Pſalmos pœnitentiales, vbi ſic habetur: *Dicũtur flexis genibus in omnibus ſextis feriis Quadrageſimæ, quando officium fit de feria. Litaniæ autem omiſſis*

ſeptem Pſalmis dicuntur in Litaniis maioribus in die S. Marci, &c. Vide quomodo Litaniæ ſunt partes ſeptem Pſalmorum pœnitentialium; nam alioquin non diceretur in rubrica, *Litaniæ autem omiſſis ſeptem Pſalmis*, &c. Et ita hanc ſententiam apertè tenet Azorius Illuſtriſſimæ Societatis IESV doctiſſ. Theologus *tom.1.lib.10.cap.16.quæſt.4.* vbi loquens de ſupracitata Bulla Pij V. ſic ait, *Liberauit quoque præcepto & lege Litaniarum recitandarum.* Sed in tota Bulla Pij V. nulla mentio efficitur de Litaniis. quomodo ergo dixit Azorius, quòd Pontifex abſtulit onus illas recitandi, niſi quia, vt dictum eſt, includuntur in ſeptem Pſalmis pœnitẽtialibus, & excluſis iſtis ab onere recitandi, excluduntur etiam vt eius partes Litaniæ; quod tãdem confirmatur ex vſu communi fori pœnitentialis, in quo quando Confeſſarij imponunt pro ſatisfactione peccatorum ſeptem Pſalmos pœnitentiales, obſtricti ſunt etiam pœnitentes dicere Litanias & preces. ergo, &c. Igitur dicendum eſt, quòd dum Pius V. in Bulla in principio Breuiarij excludit ſeptem Pſalmos ab onere recitandi ſub peccato mortali, excludit etiam Litanias, quæ in ipſis includuntur.

Sed dato, & non conceſſo, quòd Litaniæ non includerentur in dictis verbis Pij V. non tamen ex verbis ſupradictæ rubricæ in die D. Marci apparet eſſe recitandas ſub onere culpę lethalis. nam dicta rubrica vtitur verbo imperatiuo, *dicant*, quod quidem verbum ex opinione probabili Alphonſi de Caſtro *libr.1.de leg.pœnali, cap.5. docum.4.* Caietani *in 2.2.qu.166.art.9. circa ſolut.ad 2.* Ludouici Carbonis *de legib. lib.7. diſput.4. ad finem*, non continet præceptum. Et ſecundùm Nauarrum *in manual.cap.23.nu.49.* Emanuelem Sà *ver.lex, num.6.* Sayrum *in Claui Regia lib.3.cap.7. n.16.* verba imperantia inducunt tantùm obligationem ſub veniali, non autem ſub mortali. Si igitur ſecundùm opinionem probabilem non adeſt obligatio recitandi Litanias ſub mortali, non obſtante rubrica, quæ illas præcipiat, quia illas præcipit cum verbis imperatiuis, quantò magis dicendum eſt non adeſſe obligationem recitandi Officium defunctorum in die 2. Nouembris, cùm rubrica illius diei non vtatur verbis præceptiuis, neque etiam imperatiuis, ſed tãtùm dicat, quod dicitur Officium defunctorum.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta contraria. &

Ad primum aſſero, quòd gratis dicitur Officium defunctorum in die 2. Nouembris eſſe partem officij illius diei, & quod præcipiatur. Nam, vt *ſuprà* viſum eſt, non apparet præceptum vllum in rubrica dicti diei de dicendo ſupradicto officio, nam rubrica vtitur iiſdem verbis, quibus vſa eſt in feria 2. poſt primam Domin. Quadr. Si igitur non adeſt obligatio dicendi Officium defunctorum in ſupradicta die, quare erit obligatio in die 2 Nouembris? & ſicut Officium defunctorũ in feria 2. poſt dictam primam Domin. non eſt pars officij illius diei, quare erit pars officij diei 2. Nouembris. Quòd verò in hac die addantur alia in Breuiario, quæ in rubrica feriæ 2. poſt primam Domin. Quadrag. prætermittuntur, hoc non eſt ſignum maioris obligationis, ſed maioris ſolemnitatis. Non apparet igitur ex vi rubricarum, vt *ſuprà* ſatis probatum eſt, adeſſe obligationem recitandi Officium defunctorum ſub onere peccati mortalis.

Nec valet dicere quòd licet in dictis rubricis non inueniantur verba præceptiua, tamen Pius V. in Bulla præcipit obſeruandam eſſe formam præſcriptam in Breuiario; ſed in dicta forma præſcribitur vt dicantur Litaniæ & Officium mortuorum. ergo ſub præcepto recitandæ erunt. Nõ, inquam, hoc argumentum valet. nam poſſet aliquis reſpondere cum Valent. *to.3.diſp.6. q.2.punct.* 10. præceptum Pij V. de recitando officium, iuxta formam in Breuiario præſcriptam, intelligendum eſſe de forma ab eo præſcripta ad differentiam formulæ Breuarij antiqui; ſed quia hæc interpretatio diſplicet, & meritò, Garſiæ *de benef.tom.1.par. 3.c.1.n.163.* & Squillante *de oblig.Cler.part.1.dub.26. numer.51.* Ideò aſſero quòd licet Pius V. præcipiat obſeruandam eſſe formam in Breuiario præſcriptam, attamen in dicta Bulla ſimpliciter, & ſine vlla diſtinctione tollit obligationem recitãdi Officium defunctorum, & Pſalmos pœnitentiales, in quibus, vt dictum eſt, tamquam pars includuntur Litaniæ. ergo, &c.

Ad ſecundum argumentum adeſſe quidẽ conſuetudinem recitandi dictum officium concedo, ſed non ex hoc ſequitur dictam conſuetudinem obligare ſub mortali; nam, vt rectè obſeruat Sancius *in ſelect. diſput.54. numer.33.* Salas *de legib. diſp. 19. ſect.6. numer. 61.* Syluester *ver. conſuetudo quæſt. 4.* Tabiena *eodem ver. not.7.numer.8.* Gordonus *in Theol.mor. tom.1.lib.2.quæſt.14.cap.5. num.18.* & Villalobos *in ſum tom.1.tract.24.diffic.9.num.8. & tract. 2.diffic.38. num.5. Para introduzir coſtumbre ſe requiere que los que la introduzen lo hagan de cierta ciencia y no por ignorãcia penſando que eſtan obligados, y es la razon porque los actos que introduzen la coſtumbre han de ſer voluntarios, y no ay coſa tan contraria a la voluntad como el error.* Ita ille. Sed in noſtro caſu hęc conſuetudo cenſetur introducta ex errore, quia, vt viſum eſt, Doctores non benè aſſeruerunt ex vi rubricæ recitandam eſſe Officium defunctorum in die 2. Nouembris, quam obligationem non adeſſe ſatis probatum eſſe credo. Ergo dicendum eſt dictam conſuetudinem fundatam eſſe in ignorantia & errore, atque ideò non obligare, quia Clerici Religioſi & Beneficiarij ideò recitant in tali die Officium defunctorum, quia exiſtimant ſe obligatos ad recitandum.

Vel ſecundò poſſet aliquis reſpondere, conſuetudo vt inducat obligationem opus eſt, vt obſeruat Tannerus *in p. 2. diſp.5.quæſt.7. dub.1.num.19.* Henriquez *lib.7.cap.13. num.9.* Monteſinus *in p. 2. tom.2. tract.de leg.diſp.23.q.13.num.222.* & alij communiter, vt ſit introducta cum animo obligandi, & non ex deuotione: ſed conſuetudo, de qua loquimur, non videtur introducta cum animo obligandi. ergo. Probatur minor, nam non videtur probabile quòd cùm Summ. Pontifex, Pius ſcilicet V. in ſua Bulla propter periculũ peccandi tolle-

tolleret conſuetudinem obligatoriam ſub mortali ad dicendum Officium defunctorum, vt patet ex contextu Bullæ, & notat Leſſius *lib.2.cap.37.dub.12. nu.76.* & alij.non,inquam, videtur probabile quòd Clerici, &c. voluiſſent introducere,non obſtante dicta Bulla, iterùm illam conſuetudinem cum animo ſe obligandi ad culpam lethalē. Videtur igitur dicendum talem conſuetudinem fuiſſe introductam ex deuotione cum animabus Purgatorij, & ad lucrandas Indulgentias, quas Pius V. in Bulla dictum officium recitantibus largitur. Vnde cùm dubitetur,vt patet ex ſupradictis,an talis conſuetudo fuerit introducta cum animo ſe obligandi, vel tantùm ex deuotione, ſequitur ex doctrina probabili Patris Suarez *de legib.lib.7.cap.15. nu. 13.* Ioannis Wiggers *in p. 2. D. Thom. quæſt. 97. art. 3. num. 29.* Caſtri Palai *in opere morali tom.1.tra.3.diſp. 3. punct.2. §.3.num.13.* Bonacinæ *de leg.diſp.1.quæſt.1. punct.vlt.§. 3.num.21.* Ægidij de Trullench *opuſc. de Hor.Canon. dub.2.num.13.* & aliorum,ſequitur,inquam,non eſſe præſumendum dictam conſuetudinem fuiſſe introductam cum animo ſe obligandi, quia ea, quæ ſunt facti, & non iuris, non præſumuntur, & lex non præſumitur,niſi probetur,tum etiam, quia nemo præſumitur ſibi velle onus, & obligationem imponere, niſi id manifeſtè conſtet; quidquid in contrarium etiam probabiliter aſſerat Granadus *in p.2.contr.7.tract.3.part.3.diſp.16.ſect.2.nu.13.* Azorius *tom.1.lib.5.cap.18.q.5.* & Reginaldus *tom.1. lib. 13.cap. 23.ſect.1.n.244.*

Verùm,his non obſtantibus, hæc omnia diſputationis cauſa dicta eſſe volo, nam quia prima ſententia eſt communis, non audeo ab illa diſcedere, & certè Officium defunctorum in die 2. Nouembris eſſe proprium illius diei probari poteſt ex Kalendario & Martyrologio, vbi nomen quod Eccleſia tribuit feſtiuitati illius diei, eſt Commemoratio defunctorū: ergo officium magis proprium illius diei eſt Officium defunctorum,quia per nomen feſtiuitatis explicatur, de quo agi officium debet. Et ideò quando duo ſignantur officia pro aliquo die, magis intentum erit ab Eccleſia, quod correſpondet nomini feſtiuitatis.quod in caſu noſtro probatur, quia quando Eccleſia diſpenſauit cum inclyto Ordine Dominicano, vt vnum tantùm officium diceret in dicta 2. die Nouembris, deſignauit Officium defunctorum, relicto officio de octaua:ergo euidens ſignum eſt,quòd officium magis proprium illius diei eſt Officium defunctorum. Confirmantur ſupradicta, quia ſi Officium defunctorum non poteſt in 2. die Nouembris celebrari, in aliam diem transfertur, & eſt adeò ſolemne,vt ſolùm transferatur,quando in diem Dominicam incidit, quod non accidit in aliis Officiis defunctorum intra annum dicendis:ergo,&c.

Vnde ex his patet quòd Pius V. in Bulla ſuperiùs allegata ſolùm loquitur de Officio defunctorum quod per anni circulum ſtatuitur dicendum in rubricis aliquibus diebus,& non de officio proprio illius diei 2.Nouembris.quod ampliùs probatur ex dicta Bulla, vbi Pontifex tollit obligationem dicendi Officium defunctorum, his verbis: *Nos propter varia huius vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præſcriptione remouendum duximus*, &c. in quibus verbis clarè apparet non eſſe incluſum Officium defunctorum 2.die Nouembr.nam ad ſemel illud dicendum non obſtant negotia & occupationes huius vitæ, neque periculum non recitandi adeſt: ergo verba illius Pontificis diriguntur ad Officia mortuorum multoties per anni circulum dicenda,quæ ſi cum onere peccati mortalis recitanda eſſent,prudenter SS.Pontifex timebat periculum labendi in dicta recitatione adeſſe.

Deinde Summum Pontificem in dicta Bulla non loqui de ſupradicto officio in die 2. Nouembris,patet ex conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, vt colligitur ex *cap. cùm dilectus,de conſuetud.ex l.minimè.ff.de legib.* & ex *l. ſi de interpretatione, ff.eodem tit.* & notat Menochius *conſil.32. num. 44. conſil.390.num.21.& conſil.1415. numer.10.* Cenedus *in qq.can.quæſt.3.num.11.* Syluanus *conſil. 88. num.27.* Afflictus *deciſ.166.num.6.* & alij. Cùm igitur à diebus Pij V. vſque modò communis conſenſus omnium fuerit,talem obligationem non fuiſſe ſublatam per Bullam Pij V. vt fatentur omnes Doctores poſt dictam Bullam ſcribentes; ergo dicendum eſt conſuetudinem interpretatos eſſe, ſub illa clauſula non includi Officium defunctorum in die 2. Nouembris recitandum. Igitur de iſta conſuetudine, de qua loquimur, non eſt philoſophandum, tamquam de conſuetudine inductiua obligationem, ſed tamquam de conſuetudine interpretatiua legis,quæ ſupponit obligationem.

Et tandem, etiamſi de tali conſuetudine eſſet philoſophandum, vt conſuetudo inductiua obligationem, dicendum videtur, illam ad culpam mortalem obligare, quia, vt docet Soar. *de leg.lib.7. cap.15.num.13.* Caſtrus Palaus *tom.1.tra.3.diſp.3.punct. 2.§.3.nu. 13.* Ioan. Wiggers *in p.2. D.Thom. quæſt.97. art.3.num.29.* & alij, ex aliquibus coniecturis deduci poteſt conſuetudinem obligare. Prima, ſi conſuetudo ſit grauis, difficilis, & communiter ſeruatur, quia non ſolent multi vniformiter conuenire in his actibus,niſi quando ſe obligari ſentiunt. Secunda,ſi viri timorati malè ſentiant de his, qui non ſeruant conſuetudinem,vel communiter ſcandalizantur. Sed omnes hæ coniecturæ adſunt in conſuetudine recitandi Officium defunctorum in die 2.Nouembris,nam eſt conſuetudo grauis,& communiter ſeruatur, & viri timorati malè ſentiunt de his, qui illam non ſeruant: ergo dicendum eſt talem conſuetudinem ad culpam mortalem obligare. Ex quibus omnibus patet reſponſio ad argumenta pro ſecunda ſententia ſuperiùs adducta. Et hæc dicta ſufficiant circa præſentem quæſtionem, non ita diligenter ab auctoribus vſque adhuc examinatam.

TRACTATVS V.

De Confessariis sollicitantibus.

RESOLVTIO I. *An sint denuntiandi Confessarij sollicitantes, qui de tali delicto infamati non sint?*

CIRCA materiam huius tractatus de Confessariis sollicitantibus, multas quæstiones explanaui *in part. 1. tract. 4. à resolut. 11.* sed quia enixè à multis rogatus fui, etiam per litteras, vt alia, si haberem, in lucem emitterem, vt eorum precibus satisfacerem, sequentia simul collegi; & ideò ad dubium præsentis resolutionis videtur negatiuè respondendum ex verbis appositis in Bullis Pontificiis, ibi, *quomodolibet diffamatos*, quibus appareret non posse Inquisitores se intromittere in hoc crimine, si non adsit infamia, cùm constitutio pœnalis non sit extendenda vltra verborum latitudinem, ex *reg. odia, de reg. iuris in 6.* & ex *l. cùm quidam, ff. de liberis & posthumis*, & ideò Stephanus Fagundez *de præcept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31.* & Marcellus Megala *in 1. editione lib. 1. cap. 5. num. 14.* docuerunt non esse denuntiandos Inquisitoribus Confessarios sollicitantes ad Venerem, si aliquo modo de tali delicto non fuerint diffamati.

Sed hæc opinio destruit constitutiones Pontificias, & tollit praxim, ideò contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto. Vnde meritò Megala *in 2. editione, in apostilla marginali* mutauit sententiam, & aduersus Fagundez ex eadem Societate nouissimè insurgit Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 10. num. 3.* cui ego addo Emanuelem de Moura *opusc. 1. de Ensal. & incant. sect. 3. cap. 3. num. 11.* Acugnam *tract. de confess. sollic. q. 4. num. 4.* Sousa *de Confess. sollicit. tract. 3. cap. 21. numer. 2. & seq.* Portel *in addition. ad dub. Regul. ver. sollicitare, numer. 11. & 20.* Peirinus *in priuileg. Minim. tom. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 3. num. 3.* & Sanctarellum *tract. de hæresi cap. 44. dub. vnic. num. 8.* quia sicuti in crimine hæresis potest fieri inquisitio, licet contra reum nulla præcedat diffamatio, vt docet Simancha *in Cathol. instit. tit. 43. num. 7. & seq.* Rolandus à Valle *lib. 3. cons. 8. numer. 6.* Pegna *in Direct. Inquis. part. 3. comment. 16.* Scaccia *de iudiciis in causa, &c. lib. 5. cap. 59. num. 10.* Campegius *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap. 9. numer. 9.* Royas *singul. 3. num. 22.* & alij. Ita igitur in hoc crimine sollicitationis in confessione potest fieri inquisitio, quamuis non præcedat infamia, quòd clarè apparet ex verbis constitutionis Pontificiæ, ibi, *diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, &c. procedas.*

Ad illa verò verba, *quomodolibet diffamatos*, quæ aduersarij adducunt, respondeo non obstare, quia, vt obseruat Acugna & Moura, illa particula *quomodolibet*, significat non necessariò requiri vt præcedat vera infamia, sed sufficere qualemcumque infamiam, vt constat ex *cap. statutum, §. in nulla, de rescript. in 6.* & ex *cap. indemnitatibus, §. sanè, de elect.* etiam *in 6.* Igitur supradicta verba non exigunt infamiam simpliciter, sed eam, quæ quocumque modo talis dici queat, dicit enim *quomodolibet*; dicetur autem diffamatus aliquo modo, qui iam non habet integram & illæsam famam, sed lacerata per notitiam, præsertim feminarũ, in qua est in proximo publicitatis periculo; vide etiam Freitam *in nouis addit. de Confess. sollic. q. 4. n. 62.* & DD. citatos.

Nota verò quòd post hæc scripta inueni Fagundez *in editione nouissima, vbi suprà num. 83.* suum iudicium circa præcedentem quæstionem praxi Sancti Tribunalis subiicere.

RESOL. II. *An sit denuntiandus Confessarius qui tribuit pœnitenti chartam in confessione, postea tamen legendam, in qua ad Venerem sollicitabat?*

AFfirmatiuam sententiam docet Ioan. Sancius *in selectis. disp. 11. num. 31.* vbi sic ait: Confessarius pœnas Breuis non effugiet, si chartam continentem sollicitationem tradat feminæ pœnitenti, quãuis non statim legendam conferat. nam cùm traditur charta, incipit sollicitatio, & iniuria fit Sacramento, quo monendum erat pœnitenti vitam in melius mutare, instrumentum conferatur, quo faucietur. Ita ille.

Sed contrariam sententiam indicat probabilem nouissimè Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 4. nu. 2.* si charta non immediatè post susceptum Sacramentũ legatur, sed transacto iam tempore, quia talis chartæ traditio est solùm causa sollicitationis, non verò sollicitatio, non enim tunc quando traditur charta, mouetur pœnitens ad malum, vt supponitur; ergo tunc non sollicitatur: sollicitatio namque est motio voluntatis alienæ, cùm autem non moueatur pœnitentis voluntas in confessione, sed extrà, quando scilicet legit chartam, efficitur in cõfessione non fuisse factam sollicitationem, ac proinde non fore ex obligatione denuntiandum. ceteras rationes videbis apud Castrum Palaum.

Et ad argumentum non tactum à Castro Palao quòd ex negatiua sententia daretur ansa, & occasio Confessariis sollicitandi pœnitentes fraudando legem, & eludendo cum hac inuentione pœnas inflictas aduersus eos in Bullis Pontificiis, fortè quis posset respondere ex doctrina doctiss. Emanuelis de Moura *in opusc. 1. de ensal. & incant. sect. 3. c. 3. nu. 18.* quòd Confessarius in committendo delicto si sibi caueat à circumstantiis quæ illum submittunt Inquisitoribus, faciuntque delictum enormius, hoc non est facere fraudẽ legi, sed facere opus prudentiæ humanę & cautelæ, quo magis fidẽ profiteatur.

Verùm, his non obstantibus, tu ne recedas à sententia affirmatiua Sancij, quia talis sollicitatio moraliter inceptã fuit in confessionario, quando Confessarius tradidit chartam postea legendam feminæ. Et ideò aduersus sententiam negatiuam, quam prorsus ego improbo, meritò nouissimè insurgit Fagundez *de præcept. Eccles. in editione nouissima, pr. 2. lib. 4 cap 3. num. 62.*

RE-

RESOL. III. *Vtrùm femina ſollicitata teneatur ſub mortali denuntiare Confeſſarium?*

REſpondent affirmatiuè Acugna *de Confeſſ. ſollicit. quæſt.* 21. *nu.* 6. *& ſeq.* Henriquez *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 6. *in fine.* Sanctarellus *de hæreſi cap.* 46. *dub. vnic. n.* 10. Rodriquez *in quæſt. Regul. tom.* 2. *q.* 27. *art.* 1. & alij communiter, & hoc magis clarum eſt poſt Bullam Greg. XV. in illis verbis, Mandantes omnibus Confeſſariis vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe, vt *ſuprà*, ab aliis ſollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſollicitantes. Vnde quamuis per Inquiſitores edictũ denuntiandi nõ publicetur, tenebitur pœnitens ſollicitatus denũtiare poſt habitam ſufficientem notitiam dicti decreti Greg. XV. vt optimè notat Sancius *in ſelectis diſp.* 11. *num.* 20. Adde quòd licet in tenore aliarum Bullarum nullum intimabatur præceptum feminis ſollicitatis denuntiandi Confeſſarios ſollicitantes, ſed tantùm tribuebatur iuriſdictio Inquiſitoribus huiuſmodi delicta puniendi, tamẽ ſupradictæ Bullæ aliorum Pontificum ante Greg. XV. fuerunt vſu receptæ cum obligatione denuntiandi dictos Confeſſarios ſub onere peccati mortalis; ſed conſuetudo eſt optima legis interpres, *cap. cùm dilectus, de conſuetud.* ergo, &c.

RESOL. IV. *An Confeſſarius conſentiens ſollicitationi, ſed ſtatim deſiſtens de turpi illa materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, & non præbendo pœnitenti abſolutionem, incidat in Bullam Gregorij XV. & ſit denuntiandus?*

AD hoc dubium negatiuè reſpondet Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 1. *c.* 34. *n.* 10. vbi ſic ait: Si Confeſſarius ſollicitationẽ amplectens de materia illius loqui deſiſtat, ac libidinis complementum in aliud tempus & locũ differat, neque feminæ ſollicitatrici abſolutionem impendat, probabilius eſt decreta hæc minimè violaſſe. Ita ille, quod etiam anteà docuerat *opuſc. de Confeſſ. ſollicit. tract.* 1. *cap.* 6. *nu.* 8. & ratio eſt, quia Confeſſarius in hoc caſu ſolummodò videtur infidelis miniſter, qui mulierẽ ab impudico propoſito noluit diſſuadere, cùm hoc ad Confeſſarij munus propriè attineat; non verò vocandus eſt ſollicitator, neque volens iniuriam inferre Sacramento, vt colligi poteſt ex eo quòd noluerit confitenti abſolutionem tamquã indiſpoſitæ impendere. Neque poteſt dici abutens Sacramento poſitiuè, quod ad tranſgreſſionem decreti neceſſariò exigitur, vt teſtantur illa verba, *Allicere* & *Prouocare*, quę abuſum Sacramenti actiuum denotant; ſolùm igitur dicendum eſt, nõ benè vtens Sacramentum miniſtrans. Ita Souſa & alij, quos adduxi *in* 1. *part. tract.* 4. *reſol.* 11.

Verùm contrariam ſententiam ego ſequor, nã vt Confeſſarius dicatur verè ſollicitator, non eſt opus, vt abſolutionem ſacramentalem impendat, nec vt de rebus venereis longiùs cum pœnitente loquatur, ſed ſufficit ſollicitationi feminæ acquieſcere, nam talis conſenſus ad illam ſollicitationẽ non efficitur mentaliter, ſed verbis; ergo eo ipſo quòd ita ſollicitationi cõſentit, dicitur habere inhoneſtos ſermones cum pœnitẽte, quod prohibet Gregor. XV. *in ſua Bulla*, nec enim magis aut minùs mutat ſubſtantiam, aut differunt ſpecie, vt patet *in l. fin. ff. de fundo inſtruct. l. ſi is cui, ff. quemadmodum ſeruit. amittat.* & docet Surdus *conſil.* 305. *num.* 66. & *conſil.* 368. *nu.* 13. Marius Antonius *var. reſolut. lib.* 3. *reſol.* 39. *num.* 4. Ferrerus *in conſtit. Cathalon. gloſſa* 8. *n.* 155. & alij. Ergo, &c. Sed de hac quæſtione inferiùs etiam redibit ſermo.

RESOL. V. *An Confeſſarius in ſollicitando propter paruitatem materiæ non ſit denuntiandus?*

PRo ſententia negatiua *in part.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 21. adduxi Portel, cui nunc addo Caſtrum Palaum *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 9. *punct.* 3. *num.* 2. *&* 3. & Souſam *in aphoriſm. Inquiſit. lib.* 1. *c.* 33. *n.* 4. ſic aſſerentem, vt ſollicitans puniatur iuxta hæc decreta, neceſſe eſt vt actus ſollicitationis ſit peccatum mortale, quod ſi detur, ſufficit quicũque actus inhoneſtus. Sic ille, *& de Confeſſar. ſollicit. tr.* 1. *c.* 1. *n.* 7. vbi probat in tali caſu non adeſſe obligationem denuntiandi, quia excommunicatio maior poſita in edicto, non poteſt ferri niſi pro mortali culpa, nec lata pro veniali obligat: ergo, &c. Ita Souſa ex inclyto Ordine Prædicatorum, vir quidem doctiſſimus.

Sed hæc opinio mihi diſplicet, & ideò contrariam docet Ioannes Sancius *in ſelectis diſp.* 11. *nu.* 22. vbi ſic ait: Quamuis manum, brachium, vel pedẽ feminæ premere, vellicare, digitos intorquere, mammillas tãgere, & ſimilia peccata, venialia ſint intra genus luxuriæ, dummodò abſit finis mortalis, vel pollutionis periculum, vt docent Nauarrus *cap.* 14. *num.* 31. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſput.* 46. *num.* 16. Salas *in* 1. 2. *quæſt.* 74. *tract.* 13. *diſp.* 6. *ſect.* 20. *numer.* 146. *& ſect.* 21. *numer.* 149. Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſar. ſollicit. quæſt.* 7. *num.* 28. hæc tamen ſi fiant tempore Sacramenti miniſtrandi, vel immediatè antè, vel pòſt, erunt mortalia & damnata ob grauem iniuriam illatam Sacramento, vt tenet Freitas *quæſt.* 7. *num.* 33. quamuis enim intra genus caſtitatis leuia illa ſint, intra Religionis tamen genus grauia reputantur, ſicut licet intra genus temperantiæ ieiunij die modicum cibi ſumere leue peccatum ſit, nihilominùs intra Religionis genus graue crimen eſt illo ſumpto cibo Euchariſtiam ſumere. Ita Sancius, ad cuius argumenta licet Caſtrus Palaus conetur reſpondere, tamen eius opinio non eſt admittenda, nam daretur occaſio labendi malis Confeſſariis, & profanandi Sacramentum, nam ſi ad tales tactus mulieres conſentirent, Confeſſarius haberet intentum, ſi feminę nihil agerent, & non conſentirent, Confeſſarius impunè ſine periculo denuntiationis ſollicitationem adhibuiſſet, aſſerendo illos tactus eſſe tantùm venialiter culpabiles, & non inducere obligationem denuntiandi. Adde quòd ego puto, Confeſſariũ, qui ſupradictos tactus, licet leues, in confeſſione cum pœnitentibus adhiberet, moraliter poſſe præſumi animum habere vlteriùs progrediendi, vnde pœnitens in tali caſu debet moraliter præſumere illos tactus cum malitia mortali à Confeſſario adhibitos fuiſſe, & ideò denuntiationis nexu ligari, quod etiam probo ex doctrina Souſæ *loco cit. n.* 54.

vbi docet, quòd mulier cui Cõfessarius verba dubia profert, aut factum, vel signũ dubium ostendit, tenetur de illo Inquisitoribus deferre; sed hoc accidit in casu nostro: ergo, &c. & ideò omnes Confessarij in casu de quo loquimur, obligẽt pœnitentes ad denuntiandum. vnde opinionem Castri Palai, Sousæ & aliorum in praxi minimè consulendam esse puto; & post hæc scripta inuenio illam meritò reprobare Fagundez *de præcept. Eccles. in editione nouissima, pr. 2. lib. 4. c. 3. n. 52.* vbi etiam rectè contra Freitam & alios Doctores citatos negat in peccato luxuriæ dari paruitatem materiæ, vt ego etiam alibi docui, & nouissimè docet Homobonus *in consult. cas. conscient. vol. 2. part 5. respons. 139.* Et ita tales Confessarios, vt dictum est, esse denuntiandos, docet etiam me citato Antonius Nouarius *in summa Bullarum, tit. de sollicitat. in confess. n. 4.*

Resol. VI. *An sit denuntiandus Confessarius qui dicente femina se velle in crastinum confiteri, illam sollicitat, & confessionem dissuadet?*

NOn esse denuntiandum tenet Sancius *in select. disp. 11. n. 49.* vbi sic ait: Si femina se velle crastino confiteri diceret, & tunc dissuaderet Confessarius, & venerea ageret, propriè non dicitur sollicitata proximè ante confessionem, cùm tunc quando fit sollicitatio, nolit femina confiteri, vnde sollicitatio tunc non est proxima confessioni faciendæ, sed proxima conuentioni de illa agenda. Ita ille. Cuius sententiam nouissimè inuenio docere etiam Castrum Palaum *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 8. n. 4.*

Sed in terminis Bullæ Gregorij XV. contrariam sententiam tenendam esse puto, quia hæc sollicitatio efficitur in confessionario, & Confessarius dum pœnitentem sollicitat, simulat eius confessionem audire; ergo includitur in dicta Bulla, & ideò est denuntiandus. Et ita hanc sententiam tenet Fagundez *de præcept. Eccles. in editione nouissima, pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 49.*

Resol. VII. *An Confessarius audiens in confessione mulierem incidisse in aliqua peccata sensualia, insequens illam discedentem paulò pòst ab Ecclesia, & in itinere illam sollicitãs, incidat in pœnas, & sit denuntiandus?*

AFfirmatiuam sententiam docet Laurentius de Peirinis *in priuileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. schol. 2. n. 2.* vbi sic ait: Occasione confessionis diceretur sollicitare Confessor, qui audiens mulierem in confessione, eamque leuem ibi cognoscens, lenonem paulò pòst ad dictæ mulieris vestigia insequenda mitteret, eamque domum intrantem sollicitaret, seu etiam in itinere. Ita ille, qui pro hac sententia citat Iacobum de Graffiis; & ita hanc sententiam nouissimè docet etiam Lezana *in summ. quæst. regular. cap. 19. n. 34.* vir quidem doctus & amicissimus.

Sed tu cogita, nam secundùm aliquos si Confessarius diuertit ad alios actus, in dicto casu sollicitatio neque moraliter, neque physicè incepit in locis prohibitis à Pontificibus: ergo, &c. & licet Confessarius vtatur scientia confessionis, non tamen, vt dictum est, sollicitat pœnitentem in locis prohibitis sollicitare: ergo non incidit in pœnas Bullæ, neque denuntiãdus erit. Imò putant neque Pontificias Bullas contrauenire; si ante discessum ab Ecclesia talis Confessor feminam sollicitaret, dummodo id efficeret extra tempora & loca in Bulla Gregorij XV. contenta. Et ita sentiunt docti recentiores à me consulti, & præsertim aliqui Magistri Illustrissimę Societatis Iesv, quia prætextus confessionis, de quo agitur in Bulla, debet esse proximus, non autem remotus à loco & statu cõfessionis, vt docet Sousa *opusc. de Confessar. sollicit. in addition. num. 10.* & de occasione idem dicendum putant. Sed ego in hac quæstione de meo nihil asserere volo.

Resol. VIII. *An Sacerdos non habens potestatem absoluendi, si in excipiendo aliorum confessiones illos sollicitet, incurrat in pœnas sollicitantium, & sit denuntiandus?*

NEgatiuam sententiam docet Sousa *in aphor. Inquis. lib 1. c. 34. nu. 16.* vbi sic ait: Sacerdos qui sciens se iurisdictionem audiendi confessiones minimè habere, mulierem, quę bona fide confitetur, ad honestos actus inducit, in dictis decretis non comprehenditur, & si mulier confiteatur Sacerdoti, quem nouit nõ fungi iurisdictione, ea tamen intentione, vt ipse à Superiori potestatem illam absoluendi petat, probabile est huius decreti reum, probabilius tamen oppositum. Ita ille. & pro hac sententia *in part. 1. tract. 4. resolut. 17.* adduxi etiam Portel. Et hanc sententiam recenter mordicus tenet Fagundez *de præcep. Eccles. in editione nouissima pr. 2. lib. 4. cap. 3. n. 79.* etiam in terminis Bullæ Gregor. XV. & ratio est, quia Sacerdos in tali casu probè nouit non dari verum Sacramentum: ergo sollicitatio & prouocatio ab eo facta, vt est ab eo, non coniungitur cum Sacramento: ergo non est iniurioſa Sacramento, prout de iniuria Sacramenti loquuntur Pontifices in constitutionibus, sed suspicio hæresis in hoc casu non datur ab iniuria Sacramenti separata: ergo cùm hęc non detur, nec suspicio danda est, ac proinde huiusmodi Sacerdos in Pontificiis decretis non peccat, neque includitur, & in terminis etiam Bullæ Gregorij XV. tenet hanc sententiam suprà citatus Sousa *opusc. de Confessar. sollicit. in annotat. ad dictam Bullam n. 4.*

Sed ego *vbi suprà*, & meritò, cõtrariam sententiam tenui, & nunc iterùm teneo, non solũ in terminis Bullę Gregorij XV. sed etiam aliorum Pontificum; & ideò præter Acugnam & Sancium, quos *ibi* citaui, docet hanc opinionem nouissimè Castrus Palaus *tract. 4. disp. 9. punct. 9. num. 1.* vbi sic asserit: Certum esse debet Sacerdotẽ iurisdictione carentem ad audiendas confessiones, si exponatur illas audire, & pœnitentem sollicitet, fore denuntiandum, quia absolutè censetur Confessarius, cùm Ordinis potestatem habeat, & à peccatis venialibus & mortalibus confessis possit absoluere, & ab omnibus in articulo mortis; aliàs posset quilibet Sacerdos sollicitãs affirmare ausum fuisse sollicitare pœnitentem, eò quòd iurisdictionem non haberet ad absoluendum à peccatis, quæ sibi erant confessa, quod esset eludere decreta Inquisitionis,

tionis, & conſtitutiones Pontificum, & quidem iuxta conſtitut. Gregorij nemini poteſt eſſe dubium talem Sacerdotem comprehendi, cùm hic Sacerdos ſimulet ſe audire confeſſiones, & ſic ſimulans ad Venerem incitet pœnitentem. Hæc Palaus *loco citato*.

Verùm, vt aduertit Sancius *in ſelectis diſp.11.n.39.* Henriquez *lib.6.cap.21. num.4.* & alij, ſi mala fides Confeſſarij & pœnitentis interueniat, quia vnuſquiſque cognoſcit confeſſionem inualidam iri ex defectu iuriſdictionis, & ob id intendere nequeāt conficere Sacramentum, in tali caſu talis Sacerdos non eſſet denuntiandus. Verùm ego contrarium puto, per ea quæ adducit Freitas *in editione nouiſſ. de Confeſſ.ſollicit.quæſt 13. num. 22.* Sed quidquid ſit in terminis Bullæ Pauli V. & Clement. VIII. hodie ſtante conſtit. Greg. XV. ſupradictus Confeſſarius erit denuntiandus, vt rectè obſeruat Sancius *loco citato*, qui addit etiam hoc procedere à fortiori, ſi Confeſſarius deprehendēs feminam verum propoſitum emendationis non habere, & ob id illam non abſoluit, ſed illam hoc non obſtante ſollicitet, nam in tali caſu Confeſſarius erit denuntiandus non ſolùm in terminis dictæ Bullæ Gregorianæ, ſed etiam aliarum Bullarum, quia licet in hoc Sacramentum non conficiatur, accuſatio tamen in foro pœnitentiæ fit, quæ ſufficit ad obligationem ſigilli.

Ex quibus etiam ſequitur quòd Confeſſarius, qui ad libidinem mulierem prouocat, quæ ei confitetur, vt excommunicationem Eccleſiæ pro defectu annuæ confeſſionis fugiat, comprehendatur in ſupradictis Pontificum decretis. Ita Souſa *loco citat.num.18.*

RESOL. IX. *An interpres ſi ſollicitet in confeſſione pœnitentem ſit denuntiandus?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Seraphinus Freitas Additionator Roderici Acugna *tra. de Confeſſ ſollicit.quæſt.5.n.27.* vbi ſic aſſerit: Ex prædictis noua quæſtio excitari poteſt, vtrùm laicus confeſſionis interpres, ſi in eodem actu ſollicitet, quod facilè fieri poteſt, ignorante linguam Confeſſario, Pontificiis pœnis ſubiaceat; non incurrere ſuadet, quia is nec eſt Sacerdos, nec huius Sacramenti Miniſter. Contrarium tamen dicendum mihi videtur, tum quia in hoc caſu eademmet datur ratio, quæ in Confeſſore. hoc eſt abuſus Sacramenti, ſacrilegium, antidoti remedium in venenum, ſumiturque Sacramentum vt medium ad peccandum; tum etiam, quia interpres, licet laicus, participat aliquid de actu clauis, vt ait D. Thom. *in addit.ad 3.part. quæſt.11. art.3. in corp.* & Suarez *tom.4.diſput.33.ſect.5.num.4.* Sub nomine igitur Sacerdotis comprehenditur ſiue extenſiuè, ſiue per participationem. Accedit quòd dictus laicus in tali caſu ſecundùm opinionem communiorem tenetur ad ſigillum æquè ac Confeſſarius, quia ſicut de actu clauis participat, vt diximus cum D. Thom. participat etiam ſigillationem, ex eodem D. Thom. *in 4.diſt.21. quæſt.3. art.4. ad tertium.* Ita Freitas *vbi ſuprà.*

Sed, his non obſtantibus, ego puto interpretem non ſolùm laicum, ſed etiam Sacerdotem, non incurrere pœnas ſollicitantium, quia abſolutè non eſt Confeſſarius, ſed potiùs ex parte pœnitentis ſe teneat, & ita docent Ioan. Sancius *in ſelectis diſp.11. n.10. & 37.* Caſtrus Palaus *tra.4. diſp.9.punct.9. n.6.* & Antonius Souſa *in aphoriſm.Inquiſ.lib.1.c.34.n.14.* vbi ſic ait: Siue laicus, ſiue Sacerdos interpres mulieris confitentis, qui ipſam confitentem ſollicitat, non comprehenditur in Summorum Pontificum decretis. Ita ille, & ego, quamuis Freitas *in editione nouiſſima num. 37. & ſeq.* ſuam iterùm conetur defendere opinionem. Sed nolis contemnere noſtram ſententiam, quam poſt hæc ſcripta inuent etiam docere Fagundez *de præcept. Eccleſ.in editione nouiſſima pr.2. lib.4. cap.3. num.78.* & iterùm Souſa *de confeſſ.ſollicit.tract.1.cap.10.n.3.*

RESOL. X. *An ſi Confeſſarius & pœnitens conueniant in ſimulatione confeßionis, vt ibi inhoneſtos ſermones habeant, ſint denuntiandi, & incidant in pœnas Bullarum?*

NEgatiuè reſpondet Caſtrus Palaus *tract. 4. diſp.9.punct.8.num.2.* vbi ſic ait: Si vterque in ſimulatione confeſſionis conuenerunt vt liberius de rebus inhoneſtis tractarent, nemini incumbit obligatio denuntiandi: non Sacerdoti, vt de ſe conſtat; neque pœnitenti, aliàs eſſet obligatus denuntiare ſeipſum. Neque hæc ſollicitatio eſt propria Sacerdotis potiùs, quàm pœnitentis, ſed eſt mutua ſollicitatio, ac proinde in ſollicitationē ſibi factam vterque conſentit. hæc ſententia eſt probabilis in terminis Bullæ Pij IV. Pauli V. & Clement. VIII.

Verùm ſtante noua conſtitutione Gregor. XV. non eſt tenenda, & ideò Ioan. Sancius *in ſelectis diſp.15. numer.3.* ſic ait: Quamuis aliquibus piis & doctiſſimis viris viſum ſit non ſolùm mortale crimen committendū iri in huiuſmodi fictione, verùm contra illum caſum procedere rationem & mentem Breuis contra ſollicitantes Confeſſarios editi, vtpote peccantis ſub confeſſionis ſcuto, & in illius opprobrium, vt refert Acugna *de ſollic. Confeſſ.quæſt.15. n.2.* qui tamen non comprehendi ſub Breui caſum illum cenſet. Verùm, quamuis ſub dicto Breui non comprehendatur caſus ille, comprehenditur tamen ex vi decreti Gregor. XV. vt conſtat ex illius tenore. Ita ille.

Nota tamen quòd ſi pœnitens bono animo accedat, alia negotia in confeſſione tractaturus, Sacerdos verò occaſione arrepta ad Venerem inducat, tunc etiam ſecundùm ipſummet Caſtrum Palaum eſt obligatio in pœnitente denuntiandi Sacerdotem, exdicta conſtitutione Gregor. & ideò Souſa *in aphor.Inquiſ.lib.9. cap.34. num.42.* ita aſſerit: Sollicitatio in loco ad audiendas confeſſiones deputato, non tamen in actu confeſſionis, non comprehenditur in dictis conſtitutionibus ſecundùm antiqua iura. Secus in iure nouo Bullæ Gregor. XV. quod comprehendit omnem ſollicitationem tam in confeſſionario, quàm in loco ad audiendas confeſſiones deputato, ſeu vbi confeſſiones audiuntur, dummodò ſimuletur confeſſio. Hæc ille.

RESOL. XI. *An Confeſſarius ſtatim poſt confeßionem ducens ad cellam puerum, vt chirographum confeſsionis tradat, & illum ſollicitet, ſit denuntiandus?*

AFfirmatiuè reſpondet Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib. 1. c. 34. n. 39.* ita aſſerens: Si Confeſſarius ſolliciter puerum à ſe confeſſum & abſolutum, dum eum ſtatim poſt confeſſionem in domum, ſeu cubiculum ſuum ducit, vt confeſſionis chirographũ tradat, eſt denuntiandus, quia iſte caſus ratione dependentiæ includit confeſſionem, ſicuti ſi Cõfeſſarius feminæ ſibi confeſſæ pœnitentiam imponat, vt ab ipſomet Confeſſario nuda verberetur, & cùm ad hoc peruenisſet, manu propria, aut ſcutica vapulat ab ipſo, vel ſi Confeſſarius ſuadet feminæ vt ipſi eo loco verenda oſtendat, quæ ipſa in eadem confeſſione morbo affecta habere dixit. Hæc ille. qui etiam *n. 31.* optimè notat, quòd actus immediatus ad confeſſionem cenſeri debet, ſi Confeſſarius ſciens mulierem velle confiteri, illam ſollicitet, quamuis confeſſio non ſequatur, vel quia ipſa noluit confiteri, vel quia Confeſſarius noluit eam audire, & hoc etiam anteà docuerat Acugna *quæſt. 14. n. 8.* & nouiſſimè Caſtrus Palaus *tract. 4. diſp. 9. punct. 7. nu. 3.* quod tamen intelligendum putat cum Sancio *diſp. 11. num. 49.* quando femina vellet ſtatim confiteri, vt *infrà* videbitur.

RESOL. XII. *An Confeſſarius ſit denuntiandus qui ſollicitat pœnitentem ad lenocinium?*

ETiam in terminis Bullę Pij IV. Pauli V. & Clement. VIII. ſupradictum Confeſſarium eſſe denuntiandum, docuit Acugna *quæſt. 17. n. 8.* & *ibi* eius Additionator Freitas *num. 14.* Sed alij tenent quòd ſecluſa noua conſtitutione Gregor. XV. dictus Confeſſarius non erat denuntiandus, & ita tenet Ioan. Sancius *in ſelect. diſp. 11. num. 44.* vbi ſic ait: Quando Confeſſarius feminam ſollicitat, non quidem ſibi, vel aliis copulandam; ſed quòd mediet, & intercedat vt alia femina in fornicationem conſentiat, pœnas Breuis euitabit, cùm talis ſollicitatio non ſit directa ad exequendum carnis flagitium cum pœnitente femina. Iam verò reor ex decreto Gregor. XV. denuntiandum fore huiuſmodi Confeſſarium, ex illis verbis, *aut cum pœnitẽtibus illicitos & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint*; inhoneſti ſanè ſermones ſunt pœnitentem inducere, quòd mediet vt alia femina in fornicationem conſentiat. Hæc Sancius, & nouiſſimè hoc etiam docet Antonius Souſa *in aphor. lib. 1. cap. 34. n. 21.* ſic aſſerens; Confeſſarius feminam pœnitentem ad lenocinium ſollicitans, non comprehenditur in terminis antiquarum conſtitutionum; ſecus verò iuxta conſtitut. Gregorij.

Sed ego non ſolùm ſtante conſtitutione Greg. hanc ſententiam tenendam eſſe puto, vt docui *part. 1. tract. 4. reſol. 19.* ſed etiam in terminis Bullarum aliorum Pontificum, & ita hanc ſententiam tenet etiam in editione nouiſſima iterùm Freitas *num. 19.* & Caſtrus Palaus *tract. 4. diſp. 9. punct. 5. n. 2.* nam ex ſupradictis Bullis, & ex edicto Inquiſitorum, mandantur denuntiari Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes ad actus inhoneſtos prouocãt, ſeu alliciunt: qui autem prouocat pœnitentem, vt mediet, abſolutè prouocat ad actus inhoneſtos, illa enim mediatio actus inhoneſtus eſt, & eiuſdem ſpeciei cum crimine perpetrando. Item ratio tota prohibendi ſollicitationem pœnitenti factam procedit in præſenti, cùm venenum propinet ei Cõfeſſarius, cui debebat antidotum ſalutis propinare, & loco reconciliationis grauem peccati molem imponat, fontique limpidiſſimo lutum admiſceat; ergo cùm illa decreta ſint inſtituta in fauorem ſacramenti Pœnitentiæ, non limitanda ſunt, ſed potiùs extendenda. Ita Caſtrus, & ego, ſatis quidem probabiliter. Vide etiam Bonacinam *in tr. var. diſp. 6. punct. 3. nu. 19.* & poſt Bullam Greg. de hoc non eſt dubitandum, vt obſeruat Peirinus *in priuileg. Minim. tom. 2. conſtitut. 4. Gregor. XV. §. 5. n. 16.* Et ita hanc ſententiam, me citato, docet Nouarius *in ſumma Bullarum, tit. de ſollicit. in confeßione, num. 10.*

Non deſinam tamen hic adnotare quòd Antonius Souſa *opuſc. de Confeſſ. ſollicit. in annotat. ad Bullã Gregor. XV. num. 7.* videtur negatiuam ſententiam, nempe Confeſſarium ſollicitantem pœnitentem ad lenocinium, non eſſe denuntiandum, tamquã probabilem admittere, etiam in terminis Bullæ Gregor. XV. quia affirmatiuam ſententiam vocat tantùm tutiorem, & probabiliorem; ſed ego puto omnino negatiuam ſententiam eſſe damnatam in ſupradicta Bulla, vbi Pontifex vtitur his verbis: Ad inhoneſta ſiue inter ſe, ſiue cum aliis quomodolibet perpetranda; vbi illa verba, *cum aliis, & quomodolibet*, omne lenocinium, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confeſſarij manifeſtè includũt, & ita hanc ſententiam nouiſſimè docet etiam Lezana *in ſumma quæſt. Regular. c. 19. n. 34.*

RESOL. XIII. *An ſi pœnitens ſollicitet ad fornicandum, & Confeſſarius renuat, contentus tantùm oſculis, vel tactibus, ſit denuntiandus?*

NEgatiuè reſpondet doctus Caſtrus Palaus *tract. 4. diſp. 9. punct. 5. nu. 4.* quia quando Confeſſarius renuit congreſſum, volens ſe tactibus tãtùm delectari, non cenſetur ſollicitare ad malum, ſed ſollicitationi factæ à femina conſentire, femina enim inducens ad congreſſum, tacitè & in virtute inducit ad oſcula & tactus, vtpote præuia ad illum, eaque de cauſa manifeſtato congreſſu in confeſſione nulla eſt obligatio confitendi tactus & oſcula: ergo Cõfeſſarius ſuadens ſolùm tactus, renuens vlteriùs proſequi, non perſuadet feminæ ad congreſſum ſollicitanti aliquod malũ, ad quod ipſa non induxerit, imò ſi benè perpendatur, ſolùm perſuadet feminæ, vt contenta ſit ſollicitatione ad tactus & oſcula, neque vltrà velit procedere. Hæc omnia Caſtrus.

Sed contrariam ſententiam docuit Io. Sancius *in ſelectis diſp. 11. num. 28.* vbi ſic aſſerit: Si femina ad actum naturalem Veneris inſtiget, Confeſſarius tamen illum renuat, intendens ſolùm tactibus ſe oblectare, & ad eos ſolos prouocet, tunc denuntiandus erit Cõfeſſarius, cùm tam à copula, quàm ab oſculis, & tactibus auertere poſſet feminã. Sic ille, qui multas rationes adducit pro hac firmanda opi-

opinione. Certum eſt etiam in vtraque ſententia, quòd ſi femina prouocaret, v.g. Confeſſarium ad ſodomiam, ipſe verò ad naturalem cõgreſſum incitaret; vel ſi femina ſollicitaret ad fornicationẽ, ipſe autem ad mollitiem, vel è contrà, certum quidem eſt Confeſſarium in tali caſu fore denuntiandum, quia ſollicitauit feminam ad malum, ad quod non fuit ab illa inductus.

Notandum eſt etiam hîc obiter quòd ſi femina Confeſſarium ſollicitaſſet, poſteà verò dolore tacta pœniteat, vt abſolutionem petat, Confeſſarius tamen ſollicitet, erit vtique in tali caſu Confeſſarius denuntiandus, quia poſtquàm femina ceſſauit à ſollicitatione, in illo ſtatu eſt conſtituta ac ſi numquam ſollicitaſſet: ergo tunc ſollicitatio facta à Confeſſario non poteſt dici continuatio feminæ ſollicitationis, ſed noua ſollicitatio ex parte ipſius Confeſſarij.

RESOL. XIV. *An quando Confeſſarius & femina ad inuicem ſe ſollicitant, ſit in tali caſu Confeſſarius denuntiandus?*

REſpondet Sancius *in ſelectis diſp.* 11. *n.* 26. Acugna *de Confeſſ. ſollicit. q.* 11. *n.* 1. Caſtrus Palaus *tract.* 4. *diſp.* 9. *punct.* 5. *nu.* 4. Peirinus *in priuileg. Minim. tom.* 2. *conſtitut.* 4. *Gregor. XV.* §. 3. *n.* 10. & alij, quòd ſi ad inuicem fiat ſollicitatio, à femina primò, à Confeſſario deinde, ita vt mutuò ſe pelliciant, non fore denuntiandum Confeſſarium, quia illa non eſt prouocatio ex parte Confeſſarij, ſed in prouocationem factam conſentire, & illam continuare.

Sed hodie hoc non procedit ſtante Bulla Gregor. XV. & in terminis aliarum conſtitutionum, quando Confeſſarius & pœnitens ſimul ad inuicem ſe ſollicitarent, nam in tali caſu dicendum eſt Confeſſorem cõtra Bullas delinquere, & ita docet Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 1. *c.* 34. *n.* 11. & Freitas *in editione nouiſſima de Confeſſ. ſollicit. quæſt.* 11. *n.* 35. qui citat Souſam in alio loco, nempe *in opuſc. de Confeſſ. ſollic. tract.* 1. *c.* 6. *n.* 9. vbi ſic ait: Si Confeſſarius & pœnitens ſimul & adinuicem ſeſe prouocent, dicendũ eſt Confeſſorem in decretum delinquere; & ratio eſt, quia Confeſſarius in ſimili euentu fuit verè ſollicitator, animumque impudicum actu exteriori patefecit, nec vt faceret prouocatus fuit ab incontinente femina, cùm non ideò ſollicitauit, quia ſollicitatus fuerit, atque adeò ſollicitatio feminæ per accidens ſe habuit ad ſollicitationem Confeſſarij, ex quo ſequitur nullo modo excuſari poſſe Confeſſarium, qui poſtquam feminam prouocauit, nouit ſe ab illa ſollicitandum fore, quia hoc etiam per accidens eſt. Ita Souſa, & ego.

RESOL. XV. *An ſi Confeſſarius conſentiat in ſollicitationem metus causâ, ſit denuntiandus, & ab Inquiſitoribus puniendus?*

AD hoc dubium ita reſpondet Io. Sancius *in ſelectis diſp.* 11. *nu.* 30. Si vocatus Confeſſarius ad ægrotantis feminæ confeſſionem ab ipſa ſollicitaretur, minas ſuperaddente ſe exclamaturam vim ſibi ab illo inferri, niſi conſentiat, ſicque ipſe ob vitandam infamiam actui impudico conſentiat, non erit locus conſtitutioni Pontificiæ. Ita ille, qui citat Acugnam & Graffium, quibus ego addo Peirinum *de priuil. Minim. tom.* 2. *conſtit.* 4. *Gregor. XV.* §. 3. *num.* 9.

Verùm, ſi talis Confeſſarius denuntiaretur, Antonius Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 1. *c.* 34. *n.* 28. *& in opuſc. de Confeſſ. ſollicit. tract.* 1. *cap.* 17. *n.* 8. *& ſeq.* putat puniendũ eſſe ab Inquiſitoribus arbitraria & extraordinaria pœna, ſine tamen abiuratione; ſed nouiſſimè Freitas *tract. de Confeſſ. ſollic. quæſt.* 11. *n.* 36. docet dictum Confeſſarium non eſſe denuntiandum, neque poſſe illum Inquiſitores pœna arbitraria punire.

RESOL. XVI. *An Confeſſarius incidat in Bullas Pontificias ſi ſollicitet feminam in aliis ſacramentis, Baptiſmi, matrimonij. &c.*

REſpondeo negatiuè cum Lezana *in ſum. quæſt. Regular. cap.* 19. *num.* 34. Sancio *in ſelectis diſp.* 11. *num.* 42. Acugna *quæſt.* 16. *num.* 6. & *ibi* Freitas *n.* 10. Caſtro Palao *tract.* 4. *diſp.* 9. *punct.* 1. *num.* 4. Sanctarello *de hæret. diſput.* 46. *dub. vnic. num.* 5. Peregrino *in conſtitut. Cleric. Regular. part.* 1. *cap.* 5. *lit. M.* Martino Bonacina *in pract. var. diſp.* 6. *punct.* 3. *n.* 7. Laurentio de Peirinis *in priuileg. Minim. to.* 2. *conſt.* 4. *Greg. XV.* §. 5. *num.* 17. & aliis, nam in omnibus conſtitutionibus Pontificum fit mentio tantùm de ſacramẽto Pœnitentiæ. Deinde rariſſimè occurrit, vt in aliis Sacramentis Confeſſarius ſollicitet feminas, quod faciliùs accidit in ſacramento Pœnitentiæ, & ideò Pontifices in ſuis Bullis intenderunt obuiare abuſibus, qui in dicto ſacramento Pœnitentiæ frequentiùs, & commodiùs fieri poſſunt, cùm in illo feminæ ſua peccata carnalia manifeſtant, & inclinationem ad ea, vnde facilè poteſt Confeſſarius ſumere occaſionem ſollicitandi pœnitentes ad turpia, quod, vt dictum eſt, non accidit in adminiſtratione aliorum Sacramentorum. & ita hanc ſententiam docet iterùm Freitas *vbi ſuprà, in editione nouiſſima n.* 11. *& ſeq.* reprobans Mouram *opuſc.* 1. *de incantat. ſect.* 3. *cap.* 3. *n.* 17.

RESOL. XVII. *An incidat in prædictas Bullas qui ſollicitauit pœnitentem ad actus illicitos extra Venerem?*

AFfirmatiuam ſententiam præter Pegnam *in direct. Inquiſ. part.* 2. *comment.* 81. docet Lælius Zecchius *in ſumma tom.* 1. *tract. de fide, cap.* 11. *num.* 5. §. *Tertia ſuſpicio*, & nouiſſimè hanc ſententiã tenet etiam doctus Emanuel Moura *opuſc.* 1. *de enſal. & incant. ſect.* 3. *cap.* 3. *num.* 17. vbi ſic aſſerit: Acugna conſiderat non fruſtrà duplicari in Bulla ad actus inhoneſtos & illicitos, quaſi illiciti addant ſupra inhoneſtos, quamuis conetur vtroſque ſumendos tantùm intra materiam Veneris; ego rationabiliter puto illicitos ampliare ad illicitos in omni materia. Sic ille. Vnde Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 5. *diſput.* 9. *punct.* 6. *num.* 2. putat probabiliter dici poſſe ob facultatem generalem Inquiſitoribus datam cognoſcendi de hæreſi ſuſpectos poſſe cognoſcere de aliis ſollicitationibus extra Venerem ſi deferantur.

Sed hæc ſententia mihi non placet, vt patet ex

praxi.DD.Inquiſitorum, & illam reprobaui cum multis DD.*in part.1.tract.4.reſol.* 20. quibus nunc addo Bonacinam *in tract.var.diſp.6. punct.3.num.7.* & Freitam *in nouiſſima editione de Confeſſ.ſollicit.c.17. num.21.& quæſt.8.num.18.* Souſam *de Confeſſ.ſollicit. tract.1.c.13.n.4. & ſeq.* & nouiſſimè Homobonum *in conſult.caſ.conſcient.vol.2.part.5.reſponſ.130.*

RESOL. XVIII. *An Confeſſarius ſi laudet pœnitentem ex pulchritudine,venuſtate, &c. dicatur illam ſollicitare,& ideò ſit ex hoc denuntiandus?*

NEgatiuam ſententiam probabilem eſſe putat Antonius Souſa *in aphor.Inquiſit. lib. 1. cap.34. nu.5.* vbi ſic ait: Confeſſarius, qui pulchritudinem pœnitentis, & venuſtatem laudat, licet in terminis antiquarum conſtitutionum contra illos non faciat,probabilius eſt violare nouam conſtitutionem Gregorij. Ita ille. Vnde in verbo illo *probabilius*, docet negatiuam ſententiam etiam in terminis Bullæ Gregorianæ eſſe probabilem;ſed, vt dixi,ſecluſa conſtitutione Gregoriana, Confeſſariũ putat in tali caſu non eſſe denuntiandum, quod etiam docuit *opuſc.Confeſſ.ſollicit.tract.1.cap.1.nu.10.* vbi ſic ait: Ex his colligo primò, pœnæ huius decreti non manere ſubiectum Confeſſarium, qui in ipſo etiam confeſſionis actu mulieris pulchritudinem,atque venuſtatem laudat,aliaſque eius dotes commendat, tum quia de ſe hoc non eſt peccatum mortale,tum etiam, quia ille actus non eſt inhoneſtus,neque de ſe ad inhoneſtum actum ordinatus.Sic Souſa.

Sed in terminis omnium conſtitutionum puto,dictam ſententiam non eſſe tenendam,& ideò Peirinus *de priuileg.Minim.tom. 2. conſtit.7.Greg.XV. §.6.num.21.* ſic ait:Inquiſitores poſſunt, & debent procedere contra Confeſſarios qui non verbis expreſſis, ſed ſolùm tacitis & occultis alliciunt pœnitentes ad actus inhoneſtos,vt ſi illos de pulchritudine,venuſtate, &c. laudent.Ita ille quod antè docuerat Acugna *de confeſſ ſollicit. quæſt.7. num.13.* Sanctarellus *de hæreſi.cap.44.dub. vnic. nu.9.* & nouiſſimè Barboſa *de officio Parochi cap.19.num.49.*& Bonacina *in tract. var.diſp.6.punct.3.num.3.* qui rectè addunt hoc verum eſſe,modò non conſtet,aut rationabiliter non præſumatur Confeſſarium, qui feminam laudauit à venuſtate,protuliſſe hæc verba alio fine, quàm intentione alliciendi ad actus inhoneſtos: vt ſi, v.g. ait Bonacina, feminæ pœnitenti dicat, ſuæ pulchritudini & venuſtati iniuriam facere proſtituendo ſeipſam aliis; ſed de his verbis etiam in hoc caſu abſtineant Confeſſarij. nam equidem aliam rationem efficaciorem poſſunt inuenire, vt pœnitens minimè turpem copiã ſui aliis faciat,quàm laudando venuſtatem & pulchritudinem eius. Verùm poſt hæc ſcripta inueni Freitam *in editione nouiſſima de Confeſſ.ſollicit.quæſt.7. nu. 44. & 45.*circa præſens dubium etiam in terminis Bullæ Gregorianæ negatiuam ſententiam docere;ſed tu ne diſcedas ab affirmatiua,maximè poſt Bullam Gregorij XV.

RESOL. XIX. *An pœnitens ſollicitata teneatur denuntiare Confeſſarium, ſi ex illa denuntiatione timeat damnum notabile?*

PArtem affirmatiuam regulariter ſequendam eſſe docet Bonacina *in tract. var. diſp. 6.punct.1. §.3.num.6.in fine,& punct.3.num.11.* quia ferè numquam huiuſmodi periculum damni imminet,tum quia incommoda,quæ ſequuntur ex abuſu ſacramenti Pœnitentiæ, in hac materia prævalent incommodis priuatarum perſonarum.

Sed his non obſtantibus,negatiuam ſententiam tenet Lezana *in ſumma,quæſt. Regul. cap.19.num.34.* Acugna *de Confeſſ. ſollicit.quæſt.19. num.6.* Peirinus *de priuileg.Minimor.tom.2.conſtit. 4. Gregor. XV. §.9. num.28.*Fagundez *pr.2.lib.4.cap.3. num.31.* Sancius *in ſelectis diſp.11.num. 55.* & Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib.1.cap.34.nu.58.*vbi ſic ait: Regulariter excuſatur femina ſollicitata à denuntiando, ſi ex denuntiatione ei ſequatur mors, mẽbri abſciſſio, vulnera, notabilis famæ vel honoris iactura,amiſſio maioris,vel magnæ partis bonorum, aut hæc conſanguineis & affinibus vſque ad quartum gradum probabiliter euentura timeantur; & vt quis dicatur ſufficienter timere prædicta mala taliter quòd à denuntiando deobligetur, ſufficit quòd probabiliter proximè euentura credantur,facileque eis occurri non poſſit,& qui illa minatur,poſſit,ac ſolitus ſit illa,aut ſimilia exequi. Verùm ſi ex omiſſione denuntiationis bonum fidei periclitetur, non poteſt omitti denuntiatio, licet inde denuntianti aliquod ex prædictis malis,vel periculis eueniat.Ita Acugna. & in hoc vltimo caſu admittenda eſt opinio Bonacinæ.

Sed licet ſupradicta ſint vera, aduertant tamen Confeſſarij,quod in hoc cauendum eſt, ne trepidetur à timore,vbi timor non eſt, & ideò, vt vult Peirinus *loco citato*, ſuadeant mulieri non eſſe inhoneſtum comparere coram Inquiſitoribus pro Catholicæ fidei defenſione ad denuntiandum taliter delinquentes. Vnde Sancius *in ſelectis diſp.11. num.45.*Acugna *quæſt.22.nu.14.* & *ibi* Freitas *n. 14.* & alij aſſerunt feminas egregias & nobiles teneri teſtificationis cauſa in ſollicitatione adire Inquiſitores, id enim nimis durum non eſt ob bonum Religionis, niſi clauſura, infirmitas, aut alia iuſta cauſa excuſet;vide etiam *infrà reſolut.37.*monendę tamen ſunt mulieres ſollicitatæ ceſſantibus periculis ad denuntiandum teneri.

RESOL. XX. *An pœnitens,quæ ignoranter accuſauit ſe in confeßione habuiſſe animum peccandi cum ipſo Confeſſario,vnde ex hoc illam ſollicitauit,teneatur dictum Confeſſarium denuntiare?*

REſpondeo affirmatiuè cum Bonacina *in tract. var.diſp.6.punct.3. num.* 17. vbi ſic ait: Femina non obligatur ex vi conſtitutionum Apoſtolicarum ad denuntiandũ Confeſſarium, cui expreſsè vel tacitè ſuum libidinoſum animum erga ipſum ſignificauit, vt ipſum ad peccatum induceret, & Confeſſarius occaſionem inde arripit turpem aliquem actum cum ea exercẽdi.Hoc tamen intelligitur

gitur, modò femina turpem ſuum amorem Confeſſario ſignificet animo ipſum prouocandi, tunc enim ipſa dicitur ſollicitare Confeſſarium, nō autem ab ipſo ſollicitari; ſecus ſi hoc aperiat Confeſſario animo confitendi, ſeu accuſandi ſe de graui illo affectu, & Confeſſarius anſam inde aſſumat exequendæ libidinis, tunc enim Confeſſarius dicitur ſollicitare pœnitentem. Ita Bonacina.

RESOL. XXI. *An Confeſſarius, qui abiurauit propter ſollicitationes, ſi perſeueret in ſollicitando, ſit denuntiandus ob præteritam ſollicitationem?*

DIximus *in part. 1. tract. 4 reſolut. 26.* non eſſe denuntiandum Confeſſarium, qui propter ſollicitationem alterius fuit punitus, & abiurauit; ſed difficultas eſt ſi perſeueret in ſollicitationis vitio, vtrùm ſit deferendus ob præteritam ſollicitationem? & affirmatiuam ſententiam docet Seraph. Freitas *in tract. de Confeſſ. ſollicit. quæſt. 3. num. 34.* Verùm contrariū tenet Ioan. Sancius *in ſelect. diſp. 11. num. 53.* Nam obligatio ad denuntiandum ob præteritam ſollicitationem extincta fuit eo ipſo, quòd ſollicitans Confeſſarius ab Inquiſitoribus punitus fuit, nec renaſcitur denuntiandi obligatio, quia iterùm in ſollicitationis crimen incidit Confeſſarius, nec quidquam prodeſſe poteſt illa denuntiatio ad ſecundam punitionem infligendam, cùm crimen illud ante primam punitionem fuiſſet cōmiſſum, & ad ſecundam punitionem ſolùm ſint attendenda delicta commiſſa poſt primam, nam deterior non iudicabitur Confeſſarius, quia modò reuelentur aliqua ſollicitationis delicta ante primam punitionem patrata, ſed ex eo quòd poſt vnam punitionem in alia noua crimina ſollicitationis fuerit lapſus, primam monitionem, ſeu punitionem ſpernens. Ita Sancius. Verùm ego puto non eſſe recedendum ab opinione affirmatiua quam docet Freitas *loco citato*.

Adde quòd non eſt verum id, quod aſſerit Sancius, nempe nihil prodeſſe iſtam denuntiationem ad ſecundam punitionem infligendam, nam Inquiſitores grauiores pœnas pro pluribus ſollicitationibus, quàm pro vna rependere ſolent, & in cauſa hæreſis accedente noua probatione reus iterùm punitur, & condemnatur; ergo, &c.

RESOL. XXII. *An ſi Confeſſarius poſt ſollicitationem ſtatim pœniteat ſe ſollicitaſſe, ſit denuntiandus?*

AFfirmatiuè reſpondet Antonius Sanctarellus *tract. de hæreſi, cap. 44. dub. vnic. n. 18.* vbi ſic ait: Incurret has pœnas Confeſſarius ſi in actu cōfeſſionis ſollicitet feminam, licet ſtatim pœniteat ſe ſollicitaſſe, nam quod factum eſt, nequit nō fieri, *l. in bello, §. factæ. ff. de cap. & poſtlim. reuer.* quod eſt verum, etiamſi ex magna animi perturbatione & vehementi paſſione fuerit motus ad huiuſmodi ſollicitationem. Ita ille, & poſt illum Martinus Bonacina *in tract. var. diſp. 6. punct. 3. nu. 4.* vbi ita aſſerit: Addo extare obligationem denuntiandi Confeſſarium ſollicitantem, etiamſi Confeſſarius ſtatim pœniteat ſollicitaſſe pœnitentem; & ratio huius opinionis fundatur in alia opinione aſſerēte Confeſſarium emendatū eſſe denuntiandum. Sed dato, & non conceſſo, quòd Confeſſarius emendatus non ſit denuntiandus, tamen adhuc in caſu, de quo loquimur, magna prudentia opus eſt. nam quilibet Confeſſarius ſollicitans ad effugiendam denuntiationē poteſt dicere ſe pœnituiſſe de ſollicitatione facta. Vnde regulariter puto eſſe ſupradictos Confeſſarios denuntiandos.

RESOL. XXIII. *An Confeſſarius emendatus ſit à pœnitente denuntiandus?*

NEgatiuè reſpondet Souſa *de Confeſſ. ſollic. tra. 2. c. 6. concl. 4. n. 16.* Lezana *in ſumma qq. Regul. c. 19. n. 34.* Acugna *quæſt. 3. n. 15.* Peirinus *tract. de priuileg. Minim. to. 2. conſt. 4. Greg. XV. §. 9. nu. 31.* Caſtrus Palaus *tract. 4. diſp. 9. punct. 10. nu. 1.* & ideò Io. Sancius *in ſelectis diſp. 11. nu. 15.* aſſerit, Si multi ſint anni elapſi poſt factam ſollicitationem, & credatur veriſimiliter emendatum iam eſſe Confeſſarium, nō erit denuntiandus, hoc enim pia cōditio humana pati videtur, vt poſt longum tempus admiſſi criminis non deferatur ad punitionis Tribunal delinquens, ſed præſumatur emendationem iam cōſecutam eſſe; tres verò annos exigit cōmunis DD. ad emendationem præſumendam in criminoſo. Hæc Sancius, & hanc ſententiam à fortiori docebunt DD. aſſerentes hæreticum emendatum non eſſe denuntiandum, quorum nomina inuenies *in part. 1. tract. 4. reſolut. 3.* & ratio eſt, quia obligatio edictorum videtur ceſſare, poſita emendatione Cōfeſſarij, ſicut ceſſante cauſa ceſſat effectus: cauſa enim obligationis denuntiādi hæc videtur eſſe, vt Confeſſarius emendetur, & non ampliùs Confeſſionis ſacramento abutatur: ergo, &c.

Sed ego *ibi* quoad hæreticum contrariam ſententiam tenui, & illam etiam quoad Confeſſarios ſollicitantes tenet Martinus Bonacina *in tract. var. diſp. 6. punct. 3. n. 9.* tum quia Summi Pōtifices abſolutè in ſuis Bullis præceperunt denuntiari Confeſſarios tentantes ſollicitare pœnitentes ad turpes actus, tum quia denuntiatio & Inquiſitio contra huiuſmodi delinquentes iudicialiter fieri debet, nec ſolùm inſtituitur ad emendationē delinquētis, ſed etiam ad pœnam, vt tam ipſe, quàm ceteri metu pœnæ in tali crimine in futurum retrahantur. ex quibus patet reſponſio ad argumentum contrariæ ſententiæ. Ita Bonacina.

Nota verò, quòd ſi aliquis ſtaret in prima ſententia, tunc dicendum eſt Confeſſarium eſſe emendatum, ſi eadem ſollicitata mulier ter, vel quater ad ipſum accedens non iterùm in eo libidinoſum animum, & libidinis ſigna reperiat. Ita Souſa *vbi ſuprà*.

RESOL. XXIV. *An ſi ſperetur correctio, pœnitens debeat denuntiare Confeſſarium?*

NEgatiuè reſpondet Fagundez *in præcept. Eccleſ. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31.* Souſa *de Confeſſ. ſollic. tract. 2. cap. 6. numer. 9.* Lezana *in ſumma qq. Regular. cap. 10. num. 34.* Portel *in addit. ad dub. regul. ver. ſollicitare feminas, num. 18.* Caſtrus Palaus *tract. 4. diſp. 9. punct. 10. nu. 2.* Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. regul. reſolut. 131. n. 14.* Peirinus *in priuileg. Minim. conſt. 4. Greg. XV. §. 9. num. 26.* Io. de la Cruz *in direct. conſcient.*

conſcient.part.1.pr.5. quæſt.2.dub.5. concl. 2. Ledeſma *in ſum.tom.2.tract.4.cap.4.concl.24. dub.* 2. Acugna *de Confeſſ.ſollic.q.*18.*n.*14. & iterùm Souſa *in Aphor. lib.1.cap.*34. *nu.* 57.& à fortiori DD.quos ego ipſe citaui *in* 1.*part.tract.*4.*reſol.*2. aſſerentes etiam hæreticos,quando adeſt ſpes certa emẽdationis, eſſe corrigendos.Ratio eſt,quia præceptum de correctione fraterna obligat ex iure naturali, quando ſperatur emendatio,quę in caſu noſtro poteſt colligi ex qualitate corrigentis,& ex conditione corrigẽdi, vnde ſi mulier ſollicitata ſcit alicuius idoneitatem ad illam correctionem , poſſet cum eo hoc intendere.

Sed ego *loco citato* contrarium docui,& idem in ſpecie docet de Confeſſariis ſollicitantibus Ioan. Sancius *in ſelect. diſp.*11. *num.* 56. vbi ſic ait:Etiamſi firmiter credatur emendatio in Confeſſario ſollicitante per fraternam correctionem, non excuſabitur femina à denuntiatione:nam licet in crimine hæreſis , vel illam olentibus (quale eſt de quo agimus)ſtando in ſolo iure naturæ à denuntiatione poterit quis ceſſare,ſi firmiter credat per ſecretam monitionem fore hæreticum emendationem nacturum; quia tamẽ Inquiſitorum edictum publicatur de hæretico,ſiue ſollicitante Confeſſario deferẽdo,nulla præmiſſa monitione, quantumuis firmiter credatur emendationem conſecuturus, parendum erit præcepto , vt benè docet Arevalo *de correct. fraterna , fol.* 118. cùm bonum publicum magis ſit procurandũ, quàm particulare , & iudiciũ de ſpe emendationis hæretici, aut Confeſſarij ſollicitantis nolunt Inquiſitores committere feminis denuntiaturis,ſed ſemetipſis, qui tamquam litterati,& in iſtis rebus experti ſaniùs rem meditabuntur. Hæc omnia Sancius , cuius ſententiam tenet Suarez *tract.de fide.diſp.*20. *ſect.*4. *num.*11. vbi loquens de hæretico qui cùm retuliſſet opinionẽ eorum,qui dicebant præmittẽdam eſſe correctionem,ſi adſit firma ſpes,quòd hęreticus ſtatim eſſet emendandus, & cõſequenter quòd in tali euentu denuntiandi præceptum ceſſaret. Reſpondet huiuſmodi opinionẽ veram eſſe ſtando in ſolo iure naturæ : at ex ſuppoſitione alicuius iuris Eccleſiaſtici præcipientis immediatè procedendum eſſe ad denuntiationem , ſuſtinere non debere talem opinionem. Addit tamen præceptum poſitiuum denuntiandi hæreticum prætermiſſa correctione nec in iure Canonico,nec in Bullis Pontificiis inueniri,ſed immediatè oriri ex præcepto impoſito per edicta Inquiſitorum,quod non minorem habet vim,quàm lex Canonica,cùm illius Tribunalis poteſtas Apoſtolica auctoritate feratur,& quamuis videatur præceptum ab homine , tamen quia Tribunal à quo procedit,perpetuum eſt,ideò per modum legis perpetuò durat. Et ita hanc ſententiam præter Sancium, & Suarez , tenet etiam nouiſſimè Iacobus Gordonus *in Theol.mor.to.*2. *lib.*6. *q.*12.*cap.*25.§.2.*n.*68.

Aduertit tamen idem Sancius,quòd quãdo dicitur edictum Inquiſitorum obligare vt denũtiatio fiat, nulla præmiſſa correctione fraterna,non in eo ſenſu eſt intelligendum , quòd edictum prohibere intẽdat correctionem abſo utè,ſ d ſolùm obligat vt denuntiatio non omittatur titulo correctionis factæ,vel faciendæ.Hoc ſi perpendatur,difficultatem omnem aufert,qua quidam ſunt ſuperati non capientes quomodo edictũ ſanctiſſimi Tribunalis Inquiſitionis præcipere poſſit, quòd correctio nulla fiat ante denuntiationem, cùm id iuri naturæ conforme ſit,& Chriſti Euangelio *Matth.*18. Vt enim iam diximus,non præcipitur per edictum correctionẽ non fieri,ſed quòd quamuis fit facta, non ob id denuntiatio omittatur,quia ſic expedit bono Religionis, & communi. Hæc Sancius,quæ hîc tranſcribere volui, quia codex rarus eſt.Verùm quia,vt aduertit Freitas *in tract.de Confeſſ. ollicit.quæſt.*18.*n.*31. Doctores communiter tenent Inquiſitorum edicta reiicere correctionẽ, ideò aſſero cum Suarez *loco citato de fide, diſp.*20.*ſect.*3.*nu.*12. rationabiliter id præcipere.Primò, quia ob periculum communis detrimenti, quod eſt in peccato hæreſis , rariſſimè poteſt conueniens remedium adhiberi per ſolam monitionem priuatam, & magna prudentia neceſſaria eſt ad cognoſcendum, an hæreticus verè corrigatur, vt fingat, & decipiat; ergo meritò potuit Eccleſia quaſi reſeruare ſibi,vel ſuis Prælatis , & Iudicibus ſuis hoc negotium , & illud non relinquere arbitrio & diſcretioni alicuius hominis priuati. Secũdò , quia finis adæquatus & præcipuus huius denuntiationis iudicialis nõ eſt ſola emenda fratris, ſed etiam publica correctio , & ſecuritas aliorum fidelium , ad hunc autem finem ſecreta monitio numquam eſt ſufficiens medium,& ideò *in c.qualiter & quando , de accuſ.* dicitur , quamuis ante denuntiationem vtique Euangelicam pręcedere debet ſecreta monitio , non eſſe tamen neceſſariam, quando via accuſationis proceditur ; ſed eadẽ ratio eſt de denuntiatione iudiciali , nam quoad finem , & effectum intentum eiuſdem rationis eſt: ergo,&c. Et ideò gloſſa, quod eſt valdè notandũ, *in cap.*2.*de accuſat. ver. charitatiuè*,notat,quòd in denuntiationis modo, cùm agitur ad pœnitentiam, tunc neceſſaria eſt admonitio ſecundùm veritatem Euangelicam.

Notandum eſt tamen,quòd etiã ſtando in prima opinione,ipſimet auctores illam tenentes exiſtimant rarò emendationem in Confeſſario ſollicitante correctione ſecreta ſperari poſſe,ac proinde rarò ceſſare obligationem illum denuntiandi, & ita obſeruat Caſtrus Palaus *tract.*4.*diſp.*9.*punct.* 10.*n.*2.Vnde Souſa *in aphor.Inquiſ.lib.*1.*c.*34. *nu.*56. ſic aſſerit: Regulariter loquendo crimen ſollicitationis quantumcumque occultum, ſtatim denuntiandum eſt,prætermiſſa ſecreta admonitione.Sic ille.Et Henriquez *lib.*6.*cap.*17.*nu.*4. *in gloſſ.lit L.* ita ait:Caſus ſollicitantis reſeruatur cenſoribus fidei, quia ſerpit contra bonum commune , & honorẽ Chriſti,& vix(nota Lector hæc verba)vafer Confeſſarius emendari ſolet correctione. Sic Henriquez.Et tandem non deſinam hîc apponere verba Iacobi de Granado *in* 2.2.*D.Thom. contr.*2.*tract.*12. *diſp.*5.*ſect.*4.*num.*33. vbi loquens de correctione facienda in criminibus vergentibus in damnum communitatis , vt eſt ſollicitatio in confeſſione, ſic aſſer.t: Itaque non ſufficit probabilitas , quòd delin-

delinquens iſte emendabitur correctione priuata, quia cum hac veriſimilitudine ſtare poteſt prudens timor, quòd delictum perſeuerabit, & communitas grauiter lædetur; neceſſaria ergo eſt certitudo, quam in re tanti momenti non facilè ſibi quiſque perſuadeat, niſi ſi non ſit magnæ auctoritatis, & efficacitatis, non poterit, practicè loquendo, certus omnino eſſe, quòd ſua priuata monitio omnino impediat malum imminens communitati. Ita doctus Granado. vnde aduertant Confeſſarij in caſibus contingentibus quid faciant, ne cæcus cæcum ducat, & ambo in foueam cadant.

RESOL. XXV. *An quando Confeſſarius cum verbis, vel ſignis dubiis ſollicitat, teneatur pœnitens illũ denuntiare?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Souſa *in Aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 34. nu. 54.* vbi ſic aſſerit: Mulier, cui Confeſſarius verba dubia profert, aut factum, vel ſignum dubium oſtendit, tenetur de illo Inquiſitoribus deferre, & ſtante dicto dubio poſſunt Inquiſitores vocare Confeſſarium, & illum interrogare de intentione, qua verba illa, vel ſigna ambigua protulit. Ita ille, quod etiam anteà docuerat *in opuſc. de Confeſſ. ſollicit. tract. 2. cap. 4. nu. 16.* & ratio eſt, quia Inquiſitores poſſunt circa factum, aut verbum dubium Confeſſarium interrogare: ergo prædicta verba, vel facta Inquiſitoribus denuntianda ſunt, vt ipſi cognoſcant, & examinent an ſollicitationes ſint. Probatur antecedens, quia cùm Inquiſitores poſſint procedere in hoc crimen, & vt conſtet, an cõmiſſum ſit, neceſſariò ſit exploranda mens ipſius Confeſſarij, quod niſi ipſemet explicet, fieri non poteſt; ſequitur neceſſariò quòd poſſint ipſum vocare, & interrogare, aliàs enim fruſtrà daretur in hoc crimen eis iuriſdictio; ſed quando hoc fieri expediat, diligenter aduertant Inquiſitores. Et ita hanc ſententiam præter Souſam *locis citatis* docet etiam Peirinus *in priuileg. Minimor. tom. 2. conſt. 4. Greg. XV. §. 6. n. 21.* vbi ſic ait: Mulieres ſi non ſolùm verbis claris, ſed etiam tacitis, ſeu obſcuris, & ambiguis, ſeu etiam nutibus, vel tactibus fuerint à Confeſſariis ſollicitatæ, debent eos Inquiſitoribus denuntiare. Ita ille.

RESOL. XXVI. *An femina edicti ignara teneatur denuntiare Confeſſarium ſollicitantem ſtatim, vel intra eoſdem dies, quos edictum ſignauerat?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Acugna *tract. de Confeſſar. ſollicit. quæſt. 21. nu. 4.* vbi ſic ait: Præmitto, excommunicationis conſumpto termino non conſumptam denuntiandi obligationem, imò teneri quemuis edicto ſemper obedire, cùm dierum illud ſpatium non detur, vt extinguatur, ſed ne differatur obligatio. Propterea ſi edicti quis ignarus, aut iuſta aliqua armatus excuſatione, non intra præfixum terminum compareat, mandati tandem iam gnarus, & impedimentis illis iuſtis iam expeditus comparere tenetur, atque non teneri ſtatim ac ſciat probabile eſt, ſufficiens erit Iudici ſe ſiſtere teſtimonium dicturum intra æqualem terminum, qui per edictum conceditur, quia non debet peioris eſſe conditionis. Ita Acugna.

Sed Ioanni Sancio *in ſelectis diſp. 11. num. 59.* verius videtur obligare edictum ante alios dies ab illis, quos anteà ſignauerat, & teneri feminam denuntiare cum primùm commodè poſſit; ſicuti teneretur denuntiare ex præcepto naturali opportunitate adueniente, nec ob id eſt peioris conditionis femina quæ ignorauit edicti publicationem, cùm tam ipſi, quàm aliis terminus ad denuntiandum æqualis ſit deſignatus, imò eſt melioris conditionis per accidens, cùm ob ignorantiam edicti excuſetur ab obligatione denuntiandi per amplius tempus, quàm feminæ edicti gnaræ. Hæc Sancius, qui tamen concedit opinionem affirmatiuam eſſe ſatis probabilem, quam tuentur etiam Filliucius *tom. 1. tract. 14. cap. 2. numer. 42.* & Suarez *de cenſuris diſput. 20. ſect. 1. numer. 14.* loquentes in communi de illo, qui tenetur reuelare aliquid ſub pœna excommunicationis.

Notandum eſt tamen, quòd ſi excuſata fuiſſet femina denuntiare ob aliquod impedimentum intra terminum edicti, dum eſſet illius conſcia, non oportebit illi nouum terminum concedere, quia habuit ſcientiam vt poſſet toto illo tempore deliberare quid & quomodo agere oporteat, & conſulere. Ita Suarez, & Sancius *vbi ſuprà*, licet in hoc diſſentiat Freitas *in nouiſſ. addit. de Confeſſ. ſollicit. quæſt. 21. n. 41.* vt *infrà* patebit. Nota etiam hic, quòd femina conſcia edicti, & non denuntians intra terminum, excommunicationem incurrit, à qua abſolui non poteſt per Bullam Cruciatæ, niſi facta ſit denuntiatio, aut per feminam non ſtet, quin fiat, cùm læſa pars non ſit adepta ſatisfactionem, videlicet Inquiſitores, quorum iuſtum mandatum non eſt impletum.

RESOL. XXVII. *An femina in decimo menſe, v. g. anni poſt edictum publicatum, teneatur denuntiare Confeſſarium ſollicitantem?*

NEgatiuè videtur reſpondendum, per ea, quæ docet Henriquez *lib. 13. c. 18. n. 4. in gloſſ. litter. L.* vbi ſic aſſerit: Dum Inquiſitor viſitat pro cauſa fauorabili fidei, vt habet maius territorium, ita obligatio denuntiandi longiori tempore durat, ſed nouo præcepto edicti non intendit obligare pro toto anno, & prudens perpendet quanto tempore duret noua obligatio, dum promulgatur edictum per præcipuas Parochias. Pegna & recentiores negant obligare pro toto anno. Ita Henriquez, ex quibus ſequeretur, quòd quis, v. g. poſt decimum menſem à die publicationis edicti nõ teneretur denuntiare.

Sed hæc opinio eſt prorſus reiicienda, nam, vt optimè obſeruat Suarez *de fide diſp. 20. ſect. 4. num. 11.* obligatio hæc denuntiandi oritur immediatè ex præcepto impoſito per edicta DD. Inquiſitorum, quæ non minorem vim habent, quàm leges Canonicæ. nam Apoſtolica auctoritate feruntur, & quamuis videantur præcepta ab homine, tamen quia Tribunal, à quo procedunt, perpetuum eſt, ideò per modum legis perpetuò durant, ſicut de Bulla Cœnæ DD. communiter aſſerunt. Vnde in terminis noſtram ſententiam docet Fagundez *de præcept. Eccleſ. pr. 2. lib. 4. cap. 3. numer. 31.* Auila *de cenſ. part. 2. cap. 5. diſp. 5. concluſ. 3.* vbi ſic ait: Edicta Inquiſitorum durant per totum annum, donec

iterùm publicentur; itaque in quocumque tempore anni ſciam aliquem eſſe hæreticum, teneor denuntiare. Probatur, nam hæc videtur intentio Inquiſitorum, cùm hæc delicta ſint contra bonum commune, & ita practicatur, quòd fideles in quocumque tempore anni denuntiant huiuſmodi delicta. Ita Auila; qui tamen notat, quòd edicta Epiſcoporum non durant per totum annum, ſed per duos, vel tres mẽſes, vnde ſi poſt hoc tẽpus tranſactum nouit aliquem eſſe concubinarium, non tenetur denuntiare, nam cùm hæc delicta non vergant in damnum publicum, non videntur ita ſtrictè interpretanda, neque accipiuntur à fidelibus cum tanto rigore, ſicuti accipiuntur edicta Inquiſitorum.

RESOL. XXVIII. *An quis teneatur denuntiare Confeſſarium ſollicitantem, ſi hoc audiuit non ſolùm à fide dignis, ſed etiam à leuibus perſonis?*

ET incipiendo quoad fide dignos certum eſt adeſſe obligationem, per ea, quæ adducit Villalobos *in ſum. tom. 2. tr. 17. diffic. 1. num. 15.* Nauarr. *de hæret. conſ. 3. nu. 1.* Io. de la Cruz *in direct. conſc. part. 1. pr. 8. art. 4. dub. 13. concluſ. 3.* Pitigianus *in pract. crim. reg. c. 3. fol. mihi 167.* Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 7. nu. 49.* Reginaldus *tom. 2. lib. 24. c. 3. ſect. 6. nu. 50.* Genuenſ. *in pract. c. 2. n. 9.* Nauarra *de reſtit. lib. 2. cap. 4. num. 228.* & alij communiter.

Difficultas eſt, an quis teneatur denuntiare ſi audiuit, v.g. Confeſſarium ſollicitaſſe à leuibus perſonis? & negatiuè videtur reſpondendum, per ea, quæ docet Rodriquez *in qq. Regul. tom. 2. q. 6. art. 7.* vbi firmat neminem obligatum eſſe denuntiare, quod à gente parui nominis & æſtimationis audiuit, ita vt ſi illis fidẽ dederit, de facilitate in credendo poſſit à prudentibus notari, quod adeò eſt verũ, vt procedat etiamſi à Superiore ſub pœna excommunicationis & in virtute Spiritus ſancti imperetur. Ita ille, & ita in terminis docet hanc ſententiã Fagundez *de præcept. Eccl. pr. 2. lib. 4. c. 3. n. 31.* vbi ſic ait: Si femina dicat coram multis ſe fuiſſe ſollicitatam à tali Confeſſario in confeſſione ſacramentali, & ea ſit fide digna, iam talis Confeſſor manet infamatus, & qui audiunt, tenentur ſub excommunicatione denuntiare; ſecus ſi ſit leuiuſcula, aut non ita fide digna, & ita hanc ſententiam docet etiam Portel *in addit. ad dub. reg. ver. ſollicitare feminas, n. 22.*

Sed ego contrariam ſententiam teneo in noſtro caſu, & in aliis pertinẽtibus ad ſanctum Officium, cùm talia delicta communi bono noceant, & ideò Thom. à Ieſu *in lib. de viſit. tract. 1. c. 15. nu. 11.* ſic aſſeruit: Nemo tenetur peccatum, de quo eſt dubium, an fuerit commiſſum, vel quod à leuibus perſonis, vel minimè fide dignis referẽtibus audiuit denuntiare; ſecus verò ſi communi bono noceret, tunc enim ſimul cum dubio & leuitate referentium referri debet. Ita ille, & Octauian. Spatharius *in praxi de modo corrigendi Regulares, tr. 5. c. 11. nu. 4.* ſic ait: Nullus tenetur denuntiare quod auditu tantùm percepit, excipio tamen caſus in quibus vel ob grauitatem delicti, vel ob alium dignum reſpectũ Prælati præcipiunt denuntiari ab omnibus etiam qui audierint, etſi aliter non ſciuerint. In quibus caſibus contra Rodriquez dico, ſubditos teneri ad denuntiandum, quæ audierint à quibuſcumque, nec ad illos pertinet diſcernere an à viris bonæ famæ audierint, nẽcne. Sed Prælati illud eſto iudicium & onus, qui ſic præcipit. Ita Spatharius. quæ omnia à fortiori procedunt in caſibus pertinentibus ad ſanctum Officium, in cuius edicto abſolutè & ſine vlla diſtinctione præcipitur ſub excommunicatione, vt ſi quis ſciuerit, vel audiuerit delicta in illo edicto contenta, Inquiſitoribus denuntiet. Igitur ſi quis audiuerit Confeſſarium aliquem feminam ſollicitaſſe, tenetur illum denuntiare, nec ad illum ſpectat diſcernere, ſi ille, à quo hoc audiuit, ſit bonæ famæ, vel leuis conditionis. Adde, & hoc eſt maximum argumentum, quòd, vt patet ex *c. in fidei fauorem, de hæret. in 6.* in S. Officio contra reos admittuntur teſtes aliàs inhabiles, vt excommunicati, criminoſi, infames, periuri, &c. & hoc quia crimen hæreſis, vel illam olens, eſt ita graue, & pernicioſum Reipublicę, vt meritò in eius deteſtationem tales teſtes admittantur, vt ſic faciliùs delictum puniri poſſit, & extirpari. ex quo argumẽto neceſſariò concluditur delicta in edicto contenta eſſe Inquiſitoribus denuntianda, licet illa fuiſſent audita ex ore hominum infimæ conditionis & famæ. Vnde ex his apparet eſſe reprobandum Homobonum de Bonis *in conſult. mor. tom. 1. part. 4. reſponſ. 51.* non ſolùm quia aſſerit, non teneri quem denuntiare Confeſſarium ſollicitantem, ſi audiuit à non fide dignis, ſed multò magis eſt reprehendendus, quia aſſerit, ad denuntiationem faciendam non teneri niſi feminam ſollicitatã. Sed tu contrarium tene cum Fagundez *loc. cit.* & ita obſeruat praxis S. Officij; tenetur igitur non ſolùm femina ſollicitata denuntiare Confeſſarium, ſed etiam alij qui hoc audierunt ſaltem à fide dignis.

RESOL. XXIX. *An femina in aliquo caſu teneatur denuntiare ante impletum terminum publicationis edicti Inquiſitorum?*

AD hoc dubium curioſum quidem ita reſpondet Io. Sancius *in ſelect. diſp. 11. nu. 60.* Si femina conſcia edicti iter ageret ante terminum publicationis impletum ad oppidum, vbi non eſſet opportunitas denuntiandi, aut quia Inquiſitionis Tribunal ibi numquã eſt ſitum, aut alia cauſa, probabile erit non conſtringi feminam præuenire denuntiationem ante impletionem termini deſignati per edictum Inquiſitorum, ſi tãtùm loquamur ex iuris poſitiui obligatione, quia lex non obligat denuntiare, niſi intra illum terminũ, nec conſtringit præuenire denuntiationẽ antè in aliquo caſu eo modo, quo nec teneri quem præuenire tẽpus annuæ confeſſionis, communionis, aut recitandum Officium diuinum ante terminũ deſignatũ per leges, quamuis ſciat ille, qui non præuenit reddendum ſe impotentem ad non implendas leges, probabile iudicent aliqui, qua admiſſa probabilitate præſens caſus probabilis erit, nec tenebitur femina ab iter agendo ceſſare ſibi non neceſſarium, nec expectare dies edicti, ſi nolit ante illos denuntiare; ſicut non tenetur nõ iter agere, quod eſt ſibi non neceſſariũ, qui ſciret ſe reddi impotentẽ ex eo ad ieiunandũ. Diximus non teneri præuenire denuntiationem

ex

ex vi præcepti poſitiui, nam ex vi naturali ſi maximè timeretur damnum Reipublicæ, aut metueretur fuga Confeſſarij, qui alibi quoque nociturus eſſet, præuenire teneretur. Hæc omnia Sancius.

Sed ego contrariam ſententiam teneo, quia quis tenetur præuenire tempus confeſſionis ſi timeat, quòd quando obligabit confeſſio, non erit copia Confeſſarij, & ita docet Suarez *tom.4. diſp.36. ſect.5. nu.5.* Fagundez *vbi infrà*, Layman *in Theol. mor. lib.5. tract.6.cap.3. nu.9.* & alij. Et idem aſſerunt de præcepto communionis, nam qui præuidet impedimentum futurum, vt in tempore Paſchatis Euchariſtiam recipere non poſſit, tenetur præuenire tempus, & illam facere, vt docet Syluius *in 3.part.q.80. art.11.diffic.2.* Fagundez *pr.3.lib.1.c.6.nu.3.* & alij, & ſic etiamſi quis in die feſto præuidet ſe non poſſe audire Sacrum hora nona, tenetur anticipare tempus, & audire hora tertia, ſi in nona non poteſt. Vnde meritò idem Sancius *vbi ſuprà*, aſſeruit probabilius eſſe in caſu noſtro etiam ex vi iuris poſitiui teneri feminam illam præuenire denuntiationem ante terminum deſignatum per edictum Inquiſitorum, & denuntiare Confeſſarium ſollicitantem.

Notandum eſt tamen hîc cum eodem Sancio *vbi ſuprà, nu.64.* quòd ſi femina, quæ iam cenſuram incurrit, denuntiationis præceptum adimpleat, poterit virtute Bullæ Cruciatæ à quocumque Confeſſario abſolui à cenſura, nam ſatisfacta parte abſoluendi priuilegium ab omnibus cenſuris traditur in Bulla, vel à Regularibus virtute priuilegiorum, nec indigebit femina fateri Inquiſitoribus in ſacramento Pœnitentiæ, nec extra, ſe negligentem fuiſſe in denuntiatione, quod eſt valdè obſeruandum, quia quotidianum, & hoc procedit in omnibus aliis caſibus contentis in edicto.

RESOL. XXX. *An ſit denuntiandus Confeſſarius qui non abſoluit feminam ex aliqua iuſta cauſa, ſi tamen illam ſollicitet?*

REſpondet affirmatiuè Sancius *in ſelectis diſp. 11. num.41.* vbi ſic ait: Si Confeſſarius deprehendens feminam verum propoſitum emendationis non adducere, & ob id abſoluendam non iri, adhuc ſollicitet, pœnas Breuis non vitabit, quia licet Sacramentũ non conficiatur, accuſatio tamen in foro conſcientiæ fit, quæ ſufficit ad obligationẽ ſigilli; & liquet quoque ex decreto Greg. XV. in illis verbis, *Qui occaſione confeſſionis etiam ipſa confeſſione non ſecuta ſollicitare*, &c. Ita Sancius, cui addendus eſt Acugna *tract.de Confeſſ ſollicit.q 13 num.10.* vbi eius additionator Freitas *nu. 16.* alios duos caſus ſollicitationis ponit, etiam in terminis aliarũ Bullarum ante conſtitutionem Gregorianam. Primò, ſi femina ſub Crucis ſigno velit peccata detegere, & à Confeſſario interrumpatur ad turpia ſollicitante. Secundò, ſi filiam ſpiritualem, hoc eſt, ex præcedẽtibus confeſſionibus notam ad genua procumbentem ante Crucis ſignũ præoccupet Confeſſarius ſollicitans.

RESOL. XXXI. *An femina ſi conſentit ſollicitationi, teneatur Confeſſarium denuntiare?*

IN *part.1. tract.4. reſol.9.* adduxi Acugnam, Sanctarellum, Peirinum & alios, affirmatiuam ſententiam docẽtes, ex quadam epiſtola Cardinalis Mellini directa ad Federicũ Cardinalem Borromæum Archiepiſc. Mediolan. cuius tenorem hîc per extenſum modò apponere viſum eſt. Sic enim habet, *Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Signor mio Oſſeruatiſſimo Doppo eſſerſi hauuta longa e matura conſideratione ſopra il dubio ſignificato da diuerſe bande, ſe i penitenti ſiano obligari à denuntiare Confeſſori, da quali ſono ſtati ſollecitati nel luogo o atto della Confeſsione quando hanno conſentito alla ſollecitatione. N.S. equeſti miei Signori Illuſtriſſimi in Congregatione tenuta auanti S.Santità à 25. di luglio paſſato, doppo hauer ancho inteſo il parere d'vna particolare Congregatione deputata per queſto effetto hanno riſoluto che qualſiuoglia penitente è tenuto à denuntiare il Cõfeſſore, dal quale ſarà ſtato ſollecitato del luogo o atto della Confeſsione, ancor che gli habbia conſentito & non è tenuto à propalare il proprio conſenſo, ne ſopra ciò s'interroghi dal Veſcouo, ò dall' Inquiſitori, ò loro Vicarij auanti quali deporrà, ne meno il Confeſſore denuntiato procedendo ſi poi contra di lui, ne i conſtituti che ſe gli faranno non s'interroghi ſopra dito conſenſo, & in caſo ch'egli voleſſe dirlo da ſe non ſi ſcriua il ſuo detto, come coſa in ordine alla perſone ſollecitata non ſpettante all' Officio della ſanta Inquiſitione, le parti dunque di V.S.Illuſtriſſima ſono di ſignificare a i Confeſſori detta riſolutione, & incaricargliene ſtrettamente l'oſſeruanza acciò ne i caſi che occorrono alla giornata conforme al tenore della conſtitutione publicata da Gregor. XV. S. M. contra i Confeſſori ſollecitanti ſignifichino à i penitenti l'obligo che hanno di denunciare i Confeſſori, da quali ſaranno ſtati ſollecitati, & hauendogli conſentito, & facendo difficultà in ſcoprire il proprio conſenſo conforme alla riſolutione che ſi è fatta gli dichino apertamente che non ſono tenuti à propalare il detto conſenſo, è che tanto i penitenti, quanto i Confeſſori ſollecitanti procedendoſi contra di loro non ſaranno diciò interrogatie dicendolo da ſe non ſi ſcriuerà ne riceuerà il loro detto, e quando il penitente tuttauia perſiſteſſe nella medeſima renitenza N.S.ſi contenta che dal Veſcouo à dall'Inquiſitore ſi dia autorità al Confeſſore di riceuere per ſcrittura è con giuramento la denuntia per portarla ſubito à chi gli haurà data autorità di pigliarla, e ſe oltre le coſe ſudette occorrerà altro caſo graue, per il quale non ſi poſſa il penitente indurre à denunciare vuole S. Santità che ſi ſcriua qui, è s'aſpetti la riſpoſta & in tanto ſi ſopraſeda nell' aſſolutione, e tãto ſi contentera V. S. Illuſtriſſima di fare oſſeruare nella ſua Dioceſe facendo regiſtrare la preſente ne gli atti di coteſta corte per informatione ſua e de ſuoi ſucceſſori, quali hauranno mira che la preſente riſolutione riguarda ſolo quei penitenti che per hauere conſentito fanno difficoltà in denunciare, ma à quei che non hanno conſentito ò hauendo conſentito non ſono in ciò renitenti, non deue il Confeſſore porre difficoltà alcuna ma laſciare che indifferentemente e liberamente ſodisfacciano all' obligo che hanno di denunciare conforme alla conſtitutione. Si compiacerà anco V.S.Illuſtriſſima di mandare copie della preſente à i Veſcoui ſuoi ſuffraganei accio da eſsi ancora ſia fatta la preſente riſolutione & à V.S. Illuſtriſſima per fine humiliſſimamente bacio le mani. di Roma li 27. di Settembre 1624. di V.S.Illuſtriſſima & Reuerendiſſima humiliſsimo & obligatiſsimo ſeruitore, il Cardinal Mellino. A tergo. All' Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Signor mio Oſſeruantiſſimo il Signor Cardinal Borromeo.*

Vnde ex hac epiſtola apparet, non eſſe admittendam

tendam opinionem Soulæ *de Confessar. sollic. tract. 2. cap. 7. num. 4.* asserentis feminam si consentiat sollicitationi, & veniat in actum peccati, præsertim in confessione, non teneri denuntiare Confessarium. Secundò apparet non esse admittendam opinionem Freitas *in editione nouissima de Confessar. sollicitant. quæst. 10. nu. 40.* asserentis feminam in tali casu non solùm teneri ad denuntiandum, quod est verum; sed etiam teneri aperire copulam, & si hoc non faciat, Inquisitores possunt illam interrogare de omnibus circumstantiis sollicitationis, tam tactuum, quàm etiam copulæ; quæ omnia, pace viri doctissimi, sunt contra supradictam Epistolam, & expellunt feminas à denuntiatione, vt omnibus patet, vnde non sunt admittenda, neque in sacro Tribunali practicantur.

Non desinam hîc adnotare id, quod obseruat Laurentius Peyrinus *in priuil. Minim. tom. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 9. num. 34.* nempe datas esse litteras omnibus Archiepiscopis & Vicariis Generalibus *die 3. Octobris 1626.* subscriptas, Cardinalis Mellini, quibus præcipitur dictis Ordinariis de mandato SS. D N. Vrbani VIII. vt omnibus Sacerdotibus, tam regularibus, quàm sæcularibus approbandis ad confessiones audiendas in actu ipso approbationis legatur, & intimetur constit. Gregor. XV. præsertim §. 9. qui incipit, *Mandantes*, vt eodē tempore sciant Confessarij pœnas propositas sollicitantibus, & quòd non hortātes, vt debent, pœnitētes sollicitatos ad denuntiandum, vel docentes eos non teneri denuntiare, puniētur ab Inquisitoribus.

RESOL. XXXII. *An quis excusetur à denuntiatione Confessarij sollicitantis, si hoc sciuit sub sigillo secreti?*

AFfirmatiuam sententiam docet Fagundez *de præcept. Eccles. pr. 2 lib. 4. cap. 3. num. 31.* cuius sententia mihi non placuit, *in part. 1. tract. 4. resol. 24.* & nouissimè ex eadem Societate illam impugnat Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 10. num. 5.* Ratio est manifesta, quia, vt probat Lessius *lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 47.* & DD. communiter, certum est, si denuntiatio est necessaria ad damnum aliquod publicum, vel priuatum, aduertendum promissionem secreti etiam iuramento confirmatam non obligare, nullum enim iuramentum promissorium cadens in damnum tertij & Reipublicæ obligat, ac proinde talis tenetur illud aperire, non secus ac si non promisisset.

Sed hæc omnia accidunt in casu nostro, vt non cæcutienti patet, nam expedit bono Reipublicæ Christianæ tales Confessarios puniri, & ideò Gregorius XV. asseruit in sua Bulla in hoc casu procedendum esse, sicut proceditur in causis fidei. ergo, &c.

RESOL. XXXIII. *An etiam secluſa Bulla Gregorij XV. Confessarij sollicitantes masculos sint denuntiandi?*

DVbius in hac quæstione remansit Lopez, & absolutè negatiuam sententiam docuit Bariola, Fagundez & Portel, & de hac consulendam esse Sedem Apostolicam desiderauit Paramus. Sed, vt ego asserui *in 1. part. tract. 4. resol. 12.* affirmatiuam sententiam docebant communiter Doctores; verùm quia negatiua habebat pro se viros doctos, nec in contrarium aderat determinatio clara Pontificis, vt ego tunc putabam, censui esse probabilem, quod modò non censeo, quia inuenio ante constitutionem Gregorij Paulum V. *die 6. Februarij anno 1619.* decreuisse expressè Confessarios sollicitantes pueros inclusos esse in Bullis, & per consequens denuntiandos, & ita testatur Ioan. Baptista Scortia *in Bull. Pontif. epitom. 77. theorema. 197.* & idem decreuerat *die 29. Nouembris 1612.* vt testatur Hieronymus Rodriquez *in compend. quæst. Regular. resol. 131. num. 3.* & Antonius Sousa *opusc. de Confessar. sollic. tract. 1. cap. 12. num. 12.* & meritò quidem, quia respectu Confessionis sacramenti est eadem vtrobique irreuerentia & iniuria. Adde quòd, vt notat glossa *in cap. 1. de tempor. ordin. in 6. ver. Italiæ*, quam celebrat Panormitanus *in cap. nihil, de elect.* & Baldus *in l. si quis furto C. de furtis. & in l. illud. C. de sacros. Eccles.* tunc non efficitur extensio & ampliatio casus ad casum in pœnalibus, sed declaratio solùm, cùm vtrobique per omnia sit eadem ratio, vt fit *in cap. si postquam, de elect. & in l. quædam, §. nummularios. ff. de edendo.* Sed extensio tunc efficitur, quando casus non est omnino similis. Verùm in nostro casu non solùm eadem omnino, sed etiam maior ratio est de sollicitante masculum, quàm feminam, ergo meritò Doctores anteà asserunt hunc casum fuisse inclusum in Bullis, quod postea Paulus V. vt diximus, apertè ad tollendas Doctorum opiniones declarauit, & nouissimè fecit Gregor. XV.

Notandum est tamen hic obiter, non benè Nouarium *in summa Bullarum, tit. de sollicit. in confess.* citare meam *resolut. 12. de denuntiationibus, & resolut. 26. de legibus*, nam in dictis locis, vt legenti patebit, ego asserо in terminis Bullæ Gregor. XV. sollicitantes masculos esse denuntiandos; solùm ibi dico in terminis aliarum Bullarum, opinionem negatiuam fuisse probabilem, cum Doctoribus quos *ibi* citaui, quam sententiam nunc, vt dictum est, neque etiam teneo; non benè igitur Nouarius me adduxit.

RESOL. XXXIV. *An Confessarius, qui statim post confessionem sollicitauit pœnitentem, & rem habuit cum illa, teneatur hanc circumstantiam confiteri?*

AFfirmatiuè respondet Petrus de Ochagauia *tract. 2. de Confess. sacram. quæst. 14. num. 14.* vbi sic ait: Si fortè contingat aliquem Confessarium cōmittere peccatum luxurię cum aliqua pœnitente in ipsa confessione, vel proximè ad illam, talis circumstantia esset explicanda in confessione, quia mutat speciem propter iniuriam, & irreuerentiam contra sacramentum Pœnitentiæ commissam. Cùm verò tale peccatum committitur vnico die post confessionem, non habet eam specialem deformitatem necessariò confitendam, tum quia non dicitur proximè ad confessionem, tum quia ex confessione minimè contrahitur cognatio spiritualis perpetuò duratura, sicut nascitur ex Baptismi sacramento. Ita ille, & Ludouicus de san Iuan *in luce Confess. quæst. de sacram. Pœnit. art. 12. diffic. 5.* & nouissimè doctus Hurtado *de sacram. Pœnitent. disp. 9. diffic. 4. §. Quid, in fine.*

RESOL.

RESOL. XXXV. *An femina poſt incurſam excommunicationem, quia non denuntiauit Confeſſarium ſollicitantem, ſit abſoluenda ſi promittat illicò eum denuntiare?*

VIdetur affirmatiuè reſpondendum ex Lucio *in ſumma cap. 24. num.11.* qui, vt refert Freitas *in tract. de Confeſſ. ſollic. quæſt.21. num.25.* aſſerit feminam ſollicitatam abſolui poſſe virtute Bullæ ab excommunicatione quam contraxit ob omiſſam denuntiationem, dum tamen cogatur à Confeſſario denuntiare Inquiſitoribus, & in hanc ſententiam videtur inclinare Freitas *vbi ſuprà num.31.* cum Rodriquez, ſicut retinens rem alienam poteſt abſolui bis, & ter cum proposito reſtituendi; & confirmari poteſt, quia contumax eo quòd non vult ad iudicium venire, poteſt abſolui ſi cautionem de ſtando iudicio præſtiterit; ergo ſimiliter qui promiſit denuntiare.

At his non obſtantibus, contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quam docet Sancius *in ſelectis diſp.11.nu.62.* Auila *de cenſ. part.2.cap.7.dub.7. in fine*, & nouiſſimè Ægidius Trullench *in Bull. Cruciat. lib.1. §.7.cap.2.dub.9. num.11.* quia, ait ille, in re tam graui non eſt facilè adhibenda fides promittenti denuntiare; & contraria ſententia licet ſtando in iure communi ſuſtineri poſſet, & attenta ſolùm natura præcepti; at ſuppoſita excommunicatione tenenda non eſt, nam cùm à peccatis nemo abſolui valeat, niſi à cenſura anteà immunis ſit, & à cenſura illa abſolui nequeat per Bullam, niſi priùs ſatisfacta parte, videlicet Inquiſitoribus, fit ne ſemel quidem feminam fore abſoluendam, & ideò ſi femina confiteatur poſt habitam notitiam delicti, & poſt terminum lapſum negligentem ſe fuiſſe in delatione criminis, ne quidem ſemel abſolui poterit (iuſta tamen cauſa non intercedente, de qua diximus *in loco citato*) quamuis fidem det ſe illicò denuntiaturam: ſicut non eſt abſoluendus, qui excommunicatur, donec eiiciat concubinam, niſi priùs ſit expulſa, nec ſufficit quòd proponat expellere, vt docet Suarez *de cenſ. diſp.7. ſect.5. nu.45.* Gutierrez *in qq. Canon. lib.1. cap.5.num.30. & 31.* Sotus *in 4. diſt.22. quæſt.2. art.3.* & alij. Vide Sancium & Trullench *locis citatis.*

RESOL. XXXVI. *An femina excuſetur à denuntiatione, ſi timeat graue damnum in bonis temporalibus amici maximi?*

AFfirmatiuè reſpondet Sancius *in ſelectis, diſp.11. num.55.* aſſerens deobligari feminam à denuntiatione, ſi graue damnum metuat in fama, vita, aut bonis temporalibus propriis, vel mariti, filiorum, fratris, aut amici maximi. Ita ille.

Sed in editione nouiſſima contrarium aſſerit Freitas *de Confeſſ. ſollicit. quæſt.12 n.19.* dubitat enim, & meritò, de exemplo amici poſito à Sancio, ſi in bonis temporalibus damnum timeatur; licet namque in alia materia id locum habere poſſit, ex traditis per Sanchez *lib. 4. diſput.4. num. 9.* attamen in hæreſeos crimine maior amicus eſt Deus, & dici ſolet amicus vſque ad aras, nam ſententiâ Sancij admiſsâ rarò quis teneretur hæreticum deferre, ſi eſſet conſanguineus, aut amicus, cùm propter hæreſim omnia bona amittat, ex *cap. cùm ſecundùm, de hæret. in 6.* Ita Freitas. Non deſinam hîc adnotare celebrem doctrinam eiuſdem Freitas *ibidem nu. 21.* Tunc ex amiſſione bonorum temporalium quis excuſatur à denuntiatione, quando ſtatum mutare ex illa cogatur: vnde ait ipſe *num. 24.* cùm in caſus contingentia conſultus, vtrùm creditor magnæ quantitatis debitorem, ſed hæreticum, ad Inquiſitores deferre teneretur, à delatione excuſari putabat, propter difficultatem & dilationes petendi debitum à fiſco. Reſpondi, non obſtante ea difficultate ad denuntiandum teneri, tum quia per eam dilationem nec ſtatum delator mutabat cùm eſſet dies, nec timor ille iuſtus erat ad excuſationem, nam metus qui excuſat, debet eſſe iniuſtè illatus & inſtans. Hæc ille, quæ quidem ſunt multum notanda, & iuxta hæc intelligenda ſunt ea, quæ ſuperiùs dixi *in reſolutione 19.*

RESOL. XXXVII. *An ſit denuntiandus Confeſſarius prætextu confeſſionis agendæ vocatus, ſi poſteà in domo ſollicitet?*

AFfirmatiuè videtur reſpondendum ex Sancio *in ſelectis diſp.11.num.68. in fine*, vbi ſic ait, Siue in domo feminæ ſimulatio illa interueniat, dum videlicet prætextu confeſſionis agendę vocaretur Confeſſarius, vtrique tamen intentione venereorum agendorum ad ſimulandum ducerentur. Ita ille.

Sed negatiuam ſentẽtiam, & meritò, docet Freitas *de Confeſſ. ſollicit. in nouiſſima editione quæſt.15.num. 44.* vbi ſic ait: Si Confeſſor domum vocetur ſub prætextu confeſſionis, veluti vt Prælatum Confeſſor decipiat, cùm tamen ex præcedente tractatu tam Confeſſor, quàm femina intentionem habeant venereorum agendorum, puto Breui non eſſe locum, eo maximè, quia in caſu Sancij non proponitur ſollicitatio ex parte Confeſſoris in ſacramento Pœnitentiæ, vel proximè, ſed tractatus remotus ex vtriuſque placito, qui tractatus præcedens nihil ad rem facit, ſiue ſimuletur, ſiue non, confeſſio. Opinio ergo Sancij defendi tantùm poteſt, quando in ipſa domo & loco ad confeſſionem deputato, & ſub confeſſionis figura, vt ita dicam, ſimulet Confeſſor ad ſpectantes illudendos confeſſionem audire, etſi ab ipſo non incipiat ſollicitatio, nec præcedat inter eos tractatus, ſimulatio namque ipſa per ſe ſufficiat. Ita Freitas. Igitur prætextus confeſſionis, de quo agit Conſtitutio Gregoriana, debet eſſe proximus, non autem remotus à loco & ſtatu confeſſionis, de quo videndus eſt Souſa *de Confeſſ. ſollicit. in addit. num.10.*

RESOL. XXXVIII. *An ſit denuntiandus Confeſſarius, qui ſedens in confeſſionario, & loquens cum pœnitente, ſtante, vel ſedente, ante confeſſionarium illam ſollicitat?*

HIc caſus frequenter poteſt accidere, & affirmatiuè videtur reſpondendum, ex decreto Pauli V. quod affert Coriolanus *de caſ. reſeru. part.1. ſect.2. art.22. nu.4.* & Peirinus *de priuileg. Minim. tom. 2. conſtitut. 4. Greg. XV. §.5. num. 15.* cuius tenor eſt hic. Feria 5. die 10. Iulij 1614. in Generali

Congregatione Sanct. Rom. & vniuer. Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram SS. D. N. D. Paulo diuina prouidentia Papa V. ac Illuſtriſſim. & Reuerendiſſimis DD. Petro titulo S. Mariæ in via Bellarminio, Ferdinando Taberna titulo S. Euſtachij, & Ioanne Garzia titulo SS. quatuor Coronatorum Mellino, nuncupatis Presbyteris S. R. E. Cardinalibus aduerſus hæreticam prauitatẽ in tota Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus à ſacra Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis facta relatione quòd multi Confeſſarij tractant cum mulieribus in confeſſionali extra occaſionem confeſſionis de rebus inhoneſtis, Sanctiſſimus decreuit vt contra huiuſmodi Confeſſarios procedatur in S. Officio. Sic ibi. in quibus verbis nulla efficitur mentio de ſimulatione confeſſionis: vnde intelligendum videtur, licet Confeſſarius non ſimulet confeſſionem, dummodo ſollicitet feminam in confeſſionario; & in hoc caſu differentia erit inter ſollicitationem in confeſſionario, & inter eam, quæ fit in ſubſelliis, & aliis locis, quæ licet deputentur aliquando ad confeſſiones excipiendas, non ſunt, neque dicũtur confeſſionalia; videtur enim Summ. Pontifex reſpexiſſe ad locum illum, qui ex inſtituto ad Sacramentum exercendum deputandus eſt in Eccleſiâ, & is caſus in hoc differt à Gregoriana conſtitutione.

His tamen non obſtantibus, talem Cõfeſſarium non eſſe denuntiandum ſentit Freitas *in nouiſſima editione de Confeſſar. ſollic. quæſt. 15. num. 52. & quæſt. 13. nu. 30.* vbi ait: Sed ego puto Gregorium reſtrinxiſſe decretum Pauli V. ad ſimulationis terminos, ſeu potiùs declarauit ad quod reducẽdus eſt. & ita docet Souſa *de Confeſſ. ſollic. tract. 1. cap. 15. & in annotat. num. 13.* & inclinat Freitas *vbi ſuprà quæſt. 15. nu 51.* & ideò Sancius *in ſelectis diſp. 11. num. 66.* docuit Paulum V. in illo decreto, & Gregorium XV. in ſua conſtitutione idem decreuiſſe. Vnde ex ſententia dictorum auctorum dicendum eſt ad dubium propoſitum, talem Confeſſarium non eſſe denuntiandum, quia in tali ſollicitatione nulla adfuit ſimulatio audiendi confeſſiones, & ideò Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 4. diſp. 9. punct. 8. num. 4.* ſic aſſerit: Aduertendum eſt autem optimè poſſe Sacerdotem cum femina de rebus inhoneſtis in confeſſionario tractare, quin ſimulatio vlla ſit confeſſionis audiendæ, & tunc denuntiandus non eſt, quia non quælibet ſollicitatio in confeſſionario facta cauetur illo decreto Greg. ſed ſollicitatio quæ ſimulationem cõfeſſionis trahat, vt conſtat ex illis verbis, *ſimulantes ibidem confeſſiones audire.* Ita ille. & nouiſſimè Freitas *loc cit. nu. 49.* vbi ſic ait: Stando in terminis Bullæ Gregor. XV. ſi Confeſſor in confeſſionario ſollicitet extra confeſſionis occaſionem, non ſimulando audire confeſſionem, ſed alloquendo feminam ſtantem, vel ſedentem, qui compoſitionis modus à communiter accidentibus confeſſionis actum, & ſpeciem excludit, non incurrit pœnas; quod à fortiori procedet, ſi Confeſſor in ſubſelliis Eccleſiæ, in quibus etiam ſæculares ſedere ſolent, non in confeſſionario ſollicitet, tametſi aliquãdo in eiſdem ſubſelliis & ſcamnis confeſſiones excipiat. Hæc Freitas; & hanc ſententiam nouiſsimè docet etiam Lezana *in ſumma qq. Regular. cap. 19. num. 34.* Sed cùm contra Doctores iſtos habeamus apertam declarationem S. E. R. & vniuerſalis Inquiſitionis, ab ea non eſt recedendum.

Notandum eſt tamen hic obiter, Freitam *vbi ſuprà quæſt. 9. num. 21. & quæſt. 15. num. 24.* docere verba illa conſtitutionis Gregor. *ſimulantes confeſſionem audire*, intelligenda eſſe de ſimulatione ad circumſtantium illuſionem, quæ ceſſat inter illam correctorum. Sed contrarium docet Sancius *in ſelectis diſp. 11. num. 40.* quem ego ſequor.

RESOL. XXXIX. *An ſit denuntiandus Confeſſarius qui feminam ad confeſſionem accedentem, ante Crucis ſignum ſollicitet illam, dilatâ in aliud tempus confeſſione?*

ESſe talem Confeſſarium denuntiandum in terminis Bullæ Greg. XV. non eſt dubitandum. Difficultas eſt in terminis aliarũ Bullarum Pauli V. Clem. VIII. &c. Negatiuè reſpondet Souſa *de Confeſſ. ſollicit. tract. 1. cap. 18. num. 7.* Sed aduerſus illum, & meritò, inſurgit Freitas *in editione nouiſſima de Confeſſar ſollicit. quæſt. 14. num. 28.* quia praxis S. Officij eſt in contrarium, cùm tales Confeſſarij in Tribunali Sacræ Inquiſitionis plectantur, vt accidiſſe Pinciæ teſtatur ipſe Freitas. Deinde certum eſt ſecundùm communem opinionem Doctorum, & tenet Moura *opuſc. 1. de incant. ſect. 3. cap. 3. num. 18.* in terminis dictarum Bullarum Confeſſarios ſollicitantes paulò poſt, vel ante confeſsionem, eſſe denuntiandos; ſed hoc accidit in caſu noſtro. ergo, &c. Deinde non ſatis percipitur diſcrimen inter hunc caſum, & illum, quem probat ipſe Souſa *in n. 6.* vbi ſic ait: Idem exiſtimo, ſi Confeſſarius ſciens pœnitentẽ velle confiteri, ipſam ſollicitet, quamuis confeſsio non ſequatur, ſiue quia ſollicitata confiteri poſteà noluit, ſiue quia Confeſſarius audire recuſauit, aut ad alium Confeſſorem remiſit. Ita ille. ergo omnino dicendum in dubio propoſito talem Confeſſarium eſſe Inquiſitoribus denuntiandum.

RESOL. XL. *An femina teneatur denuntiare ſollicitationem commiſſam ante promulgationem Bullæ Greg. XV. & aliorum Pontificum?*

PRo affirmatiua ſententia *in part. 1. tract. 3. reſol. 25.* adduxi aliquos DD. quibus nunc addo Freitam *in editione nouiſſima de Confeſſ. ſollicit. quæſt. 3. num. 15.* & Hieronymum Rodriquez *in compen. qq. regular. reſol. 131. num. 1.* Sed ego *ibi* negatiuam ſententiam docui cum Portel, & Fagundez, quibus nunc addo Antonium Souſam *de Confeſſar. ſollicit. tract. 1. cap. 20. num. 6. & ſeq.* loquentem de conſtitutione Pauli V. Vnde exiſtimo vtramque opinionem probabilem eſſe. Et poſt hæc ſcripta inueni recenter opinionem negatiuam docere etiam in terminis Bullæ Gregorij XV. Fagundez *vbi ſuprà, de præcept. Eccleſ. in editione nouiſſima, præc. 2. lib. 4. cap. 3. num. 74.* & Souſa *in annotat. ad Bullam Gregorij XV. num. 3.* vbi ſic ait: Aduertendum eſt hanc conſtitutionem, ſiue in illis, quæ ex certa ſcientia confirmat, ſiue in aliis, quæ de nouo ſtatuit & obſeruari vult, non extendi ad præteritos lapſus, ad eos ſcilicet, qui eius ſufficientem promulgationem præceſſerunt, nullum

lum enim verbum in ea inuenio quod oppoſitum ſuadeat; vnde omnes lapſus ante huius ſufficientem promulgationem puniendi ſunt, iuxta tenorem conſtitutionis antiquæ Pauli V. Ita ille, & tandem hanc ſententiam negatiuam, me citato, docet etiam Antonius Nouarius *in ſumma Bullarum tit. de ſollicit. in confeſſ. num* 16.

RESOL. XLI. *An ſi edictum non publicetur, teneatur adhuc femina Confeſſarium ſollicitantem denuntiare ſub pœna excommunicationis?*

SVppono edictum Inquiſitorum annuale eſſe, nec finiri per terminum in illo appoſitum, ſed durare per integrum annum, cùm ſingulis annis publicetur. Sed difficultas eſt, quid dicendum ſi Inquiſitores particulares ex negligentia, ſeu alio capite edictum non publicarent, an femina teneretur denuntiare? Reſpõdeo affirmatiuè non ſub pœna cenſurarum, quia obligatio denuntiandi hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, eſt perpetua, licet edicta non publicentur infligẽtia cenſuras, & alias pœnas, & ita docet Freitas *in nouiſſ. editione ad tra. de Confeſſ. ſollicit. quæſt.* 21. *nu.* 44. *&* 58. aſſerens hoc eſſe verum quoad obligationem denuntiandi, non autem quoad incurſionem cenſurarum, cùm in edicto non ſint contrauenientibus inflicta, & in Bullis Pontificiis non imponitur pœna excommunicationis in feminam non denuntiantem Confeſſarios ſollicitantes.

Sed ego puto in tali caſu non denuntiantes non ſolùm peccare mortaliter ex natura rei, ſed in cenſuras incurrere, quia Confeſſarij ſollicitantes ſunt de hæreſi vehementer, vel ſaltem leuiter ſuſpecti, vt docet Aloyſius Bariola *in tract. de Confeſſ. ſollicit.* poſt Flores Inquiſ. Genuenſis *in praxi Archiep. cap.* 66. *num* 22. Modius *de ſacris Ordin. cap.* 27. *num.* 6. Seſſe *tom.* 4. *deciſ.* 449. *num.* 3. Acugna *de Confeſſ. ſollicit. quæſt.* 2. *nu.* 20. Caſtrus Palaus *tract.* 4. *diſp.* 9. *punct.* 6. *nu.* 1. & alij. Sed adeſt præceptum ſub die 3. *Ianuar.* 1623. ſacræ Vniuerſ. Inquiſ. Romanæ de hæret. ſeu de hæreſi ſuſpectis iudicialiter propalandis ſub pœna excommunicationis latæ ſententię. ergo, &c. Tenor autem ſupradicti præcepti hic eſt. Vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus vtriuſque ſexus, cuiuſuis ſtatus, ordinis, gradus, conditionis, & præeminentiæ exiſtentibus, & quacumque dignitate & auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum ſerie ac tenore auctoritate noſtra, & huiuſmodi noſtri officij qua fungimur in hac parte, præcipimus & mandamus quatenus infra duodecim dies proximè computãdos, quorũ primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor primis quatuor immediatos pro ſecundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio ac trina monitione canonica aſſignamus omnes & ſingulos hæreticos, ſeu de hęreſi quomodolibet ſuſpectos, de quibus notitiã habuerint, debeant nobis, vel Reuerendo Commiſſario noſtro quoad habitantes in Vrbe; quo verò ad alios extra Vrbem & vbiuis locorũ degentes, Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis generalibus, ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipſo facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excõmunicationis maioris abſolutionem S.D.N. Papæ, & nobis reſeruamus. Certificantes huiuſmodi conſcientiæ ſuæ immemores, ac dictam excõmunicationis pœnam contemnentes, quòd contra ipſos, tamquam contra hęreticorum fautores aliàs prout melius viſum & iuris fuerit procedetur. ideò, &c. Datum in noſtra & Officij S. Rom. vniuerſ. Inquiſit. Congregat. die 3. Ianuar. 1623. Oct. Epiſc. Præneſtin. Cardin. Bandinus. C. Card. Madrutius. Io. Garſia Card. Mellinus. Fr. Card. Verallus. G. Card. Borgia. Fr. Fœlix Card. Aſculanus. S. Card. S. Suſanæ. Fr. D. Card. de Cremona. L. Card. Ludouiſius. L. Card. de Lauallette, Andreas de Pettinis S. Rom. & vniuerſ. Inquiſ. Notar.

Et licet aliqui opinati ſint ſupradictum præceptum ſacrę Congregationis non fuiſſe perpetuum, quia proponitur ſub nomine præcepti, & non decreti, attamen falluntur, quia ſi diceret decretum, nullus dubitaret quin eſſet perpetuum: at præceptum & decretum ſæpiùs confunduntur in iure, vt notat Tuſchus *verb. Præceptum, concl.* 480. *num.* 4. *&* 11. & clariùs apparet ex conſtitut. Sixti V. circa agitationes taurorum, quam refert Guttierez *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 7. *nu.* 36. vbi poſtquam retuliſſet Pontifex conſtitutionem quamdam Pij V. & Greg. XIII. ait, *Nos vt Romanorum Pontificum præcepta prout decet inuiolabiliter obſeruentur.* vbi conſtitutiones Pontificum vocat *præcepta.* Deinde ex dicto præcepto nullum apparet ſignum, quare non debeat eſſe perpetuum. Illud enim, *Præcipimus vt infra duodecim dies proximè computandos,* &c. intelligo à die notitiæ delicti, non à die datæ dicti præcepti, & colligitur ex eo, quia obligat vbique locorum, & pœna indefinitè poſita perpetua eſt: proponitur autem ſub nomine præcepti fortè, quia id eſt familiarius illi ſancto Tribunali. Et hæc omnia obſeruar, & docet Laurentius de Peirinis *de priuil. Minim. tom.* 2. *conſtit.* 9. *Pauli V.* §. 2. *num.* 27. Igitur non denuntiantes hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, vt eſt in caſu noſtro, ex decreto perpetuo ſacræ Congregat. incurrunt in excommunicationem latæ ſententiæ.

Notandum eſt etiam Sancium *in ſelectu, diſp.* 11. *num.* 62. docere, Præceptum Inquiſitorum circa denuntiationem in Confeſſarios ſollicitantes eſſe perpetuum, & per conſequens excommunicationem quoque perpetuam; ſed hoc impugnat Freitas *loc. cit. num.* 58.

Non deſinam tamen hîc adnotare circa materiam edictorum pro praxi id, quod docet idem Freitas *vbi ſuprà num.* 41. *& ſeq.* quòd quando per edictum iubentur ſcientes denuntiare intra ſex primos dies, inter eos non numeratur dies primus publicationis, vnde cùm dies naturalis 24. horarum ſpatio circumſcribatur, incipit terminus à ſequenti die & hora, qua edictum in precedenti promulgatum fuit: ac ſubinde dum edictum publicatur in Dominica, finitur publicatio ſequenti Dominica in eadem hora.

Secundò notandum tempus edicti computandum de momento ad momentum, ita vt nec ignoranti, neç impedito currat, putat enim Freitas *vbi*

suprà, nullam constituendam esse differentiam in hoc casu inter ignorantem & impeditum. nam iura ignorantibus, & impeditis æqualiter fauent, licet Suarez, vt *suprà* obseruatum est, *de cens. disput.* 20. *sect.* 3. *nu.* 14. & alij teneant, quòd obligatio denuntiandi intra certum terminum data ignorantia publicationis incipit eo transacto cum æquali termino; si verò non ignorantia, sed impedimentum aliquod occurrat, eo cessante, statim ligabit, & de hoc *suprà* dictum est.

Notandum est etiam cum eodem Freitas *nu.* 70. & 71. edictum Inquisitorum non comprehendere hæreticos, & eorum complices, quia hæreticus non tenetur se prodere, neque complices, quia illos denuntiando seipsos proderent, nec per id impeditur Officium S. Inquisitionis, quod procedit in foro exteriori; fallit hoc tamen in femina sollicitata consentiente, vt *suprà* ex epist. Cardin. Millini probatum est; & docet nouissimè Hieronym. Rodriquez *in compen. qq. regular. resol.* 131. *num.* 11. & 12. nam tenetur denuntiare Confessarium eo modo, quo *suprà* declaratum est, cùm ex tali denuntiatione nulla sui nominis, seu honoris iactura obuenire potest.

Notandum est etiam hîc obiter, quòd licet supradictum sit verum, quòd non incurrit in censuras positas in edicto, si quis non denuntiat alios ex metu grauis damni, videlicet vitæ, bonorum, &c. tamen aduerte, eos, qui ad edicti obseruātiam non tenentur, propter metum amissionis vitæ, vel bonorum eorum, qui denuntiantur excusari propter metum iniustum ex aliorum malitia illatum, non propter iustum per leges impositum, qui non excusat. Vnde non sunt intelligendi Doctores de pœnis contra hæreticos impositis, quæ iustissimæ sunt, & ita docet Freitas *vbi suprà, quæst.* 19. *num.* 20.

Resol. XLII. *An si Confessarius consentiat sollicitationi, sit denuntiandus vigore Bullæ Greg. XV.*

Affirmatiuè respondet Fagundez *de præcept. Eccles. in* 2. *edit. præc.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 56. & 57. quia Summus Pontifex in dicta Bulla omnes illicitos & inhonestos sermones, quos Confessarij cum pœnitentibus habuerint, prohibet, & dictos Confessarios denuntiandos esse statuit; sed Confessarius consentiens sollicitationi, commiscet cum pœnitente illicitos, & inhonestos sermones; ergo denuntiandus erit. Ita Fagundez, & ante illum ego ipse *in* 1. *part. tract.* 4. *resol.* 11. sed *ibi* obseruaui multos Doctores etiam in terminis Bullæ Gregorianæ circa præsentem quæstionem negatiuam sententiam docere.

Resol. XLIII. *An Confessarius sit denuntiandus qui concubinam in confessione de zelotypia arguit?*

Affirmatiuam sententiam docet Io. Sancius *in selectis disp.* 11. *nu.* 32. vbi sic ait: Sub pœnis Breuis comprehēdi arbitror Confessarium lasciuè obiurgantē suam concubinam, Hispanè *si la pidiesse zelos lasciuos.* nam talis actio maximè prouocatiua est ad lasciuiam, vel ad minus est signum ostendens lasciuum amorem, zelosum enim aliquem se ostendere, non est aliud, quàm pœnitentiæ signa ostendere, quòd alius, & non ipse solus particeps sit lasciui amoris feminæ, & idem est ac si tunc diceret Confessarius, pœniteo quòd causam discontinuandi nostrum affectum & amorem afferas, quod magis verum est iam ex decreto Gregorij XV. prohibentis in confessione illicitos tractatus, siue sermones haberi. Ita ille.

Sed aduersus illum nouissimè acriter insurgit Seraphinus Freitas *in nouis addit. de Confess. sollicit. quæst.* 9. *num.* 21. & quia codex rarus est, ponam eius verba per extensum, sic itaque asserit: Casus à Sancio propositus fictitius mihi est, nam aut concubina ad Sacramenti fontem pro erratorum expiatione pœnitens accedit, aut animo à peccatis non discedendi concurrente Confessoris mala fide; in secundo casu non est Sacramentum, & Confessor in ea specie sollicitans non incidit, vt ipse Sancius fatetur *d. disp* 11. *nu.* 39. & nos cum Illustrissimo *infrà quæst.* 14. quod ego intelligo etiam stante Gregoriana Bulla contra eumdem Sancium *d. disp.* 11. *num.* 40. quia tunc ex Gregoriano edicto Confessor incurrit, quādo interuenit simulatio ad circumstantium illusionem, quæ in nostra specie inter ipsos excogitari non potest, nisi adsint arbitri. In primo verò casu falsa propositio mihi videtur, supponimus enim feminam peccata luxuriæ cum vxoratis & aliis cōfessam (alias enim si ea occultat cum Cōfessoris scientia, locum habet præcedens casus) reprehendit & obiurgat vehementer feminæ lasciuiam & peccata audire Confessor, in hac hypothesi, si Confessor zelotypia ducatur, pendet ab animo hæc intentio, quam si penetret concubina, vt supponit Sancius illis verbis, *signum est*, &c. iam directè & principaliter non agitur de sollicitatione verbis non expressa, sed mente retēta, & tunc auctore Sancio sistitur femina apud Inquisitores denuntians Confessorem tamquam hæreticum, aut de hæresi suspectum, quia eam de peccatis carnis cū aliis reprehendit in cōfessione. Itaque absurdum & hæreticum mihi videtur firmare, quòd idem est sollicitare ad peccatum carnis, & reprehendere in genere (& præcisè stando in terminis tātùm reprehēsionis peccati in genere) peccatum luxuriæ cum aliis, si Confessor eam de similibus obiurget: quia *signum est*, ait Sancius, ac si dicat Confessor, Pœniteo quòd causam dissensionis nostri amoris afferas, quoniam cum aliis distraheris in similibus lasciuiis; hęc igitur cautè legenda, & seriò cauenda puto. Tunc autem forsan opinio Sancij locum habere potest, si obiurgatio progrediatur vltra peccati reprehensionem, minetur Confessor concubinæ si deinceps cum riuali nominato confabuletur, illius domum intret, vel interueniat aliud ex iis, quæ subintelligit & exponit Sancius, nam stando in terminis reprehensi tantùm peccati, tametsi Confessarij intentio in zelotypiam dirigatur, non subiacebit Breuis edicto, præcipuè, quia obiurgatio lasciua ex zelotypiæ vitio supponit feminam incorreptā & impœnitētem, qui casus vix cōsiderari potest in hypothesi à Sācto proposita & Sacramēti administratione; quid enim opus est reprehendi lasciuè cōcubinam in cōfessione qua cum consuetudine perpetua vtitur Confessarius, vt supponit Sancius. Et hæc omnia docet

Freitas

Freitas *vbi ſuprà*; at his non obſtantibus, ſententiam Sancij ſequitur nouiſſimè Fagundez *in 2. editione de præcept. Eccleſ. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 63.*

RESOL. XLIV. *An Eccleſiaſtici qui interſunt ſententiæ contra Confeſſarios ſollicitantes, teneantur ſub peccato mortali non manifeſtare delinquentem?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Souſa *de Confeſſar. ſollic. tract. 2. cap. 16. nu. 8.* vbi ſic ait: Illud notandum exiſtimo, non eſſe vocãdos tot numero, vt crimen ſecretò ſeruari nõ poſſit; dixi non debere tot perſonas numero intereſſe vt crimẽ ſecretò ſeruari non poſſit, quia, vt exiſtimo, omnes, qui interſunt huiuſmodi ſentẽtiis & abiurationibus, tenẽtur ſub peccato mortali ſecretum ſeruare, perſonamque deliquẽtem, aut crimen aliis non manifeſtare. Ratio eſt, quia infamia talis criminis Tribunalis ſancti Officij Inquiſitionis limites non excedit, vt patet ex eo quòd ſententia illa propter bonũ commune occultè profertur, nec Iudices fidei infamare intendunt eos, quos ſic puniunt, ſed quando crimen aliquos limites non excedit, non poteſt ſine peccato mortali manifeſtari; ergo quotquot interſunt, ſecretum ſeruare tenentur. Ita Souſa.

Sed, vt verum fatear, hæc ſententia nimis rigida mihi videtur, & Seraphinus Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſar. ſollicitant. quæſt. 24. num. 49.* propter ſcandala putauit à DD. Inquiſitoribus in tali caſu pœnam excommunicationis & iuramentum adhibendum eſſe, ne interuenientes hoc crimen propalarent aliis. Ergo dum non adhibetur, non adeſt obligatio peccati mortalis, maximè ſi tales Eccleſiaſtici crimen manifeſtarent inter alios Eccleſiaſticos & Regulares; nam ita nullum ſcandalum oriretur, imò cum dictis viris propalatio effectum bonum faceret, incuteret enim eis timorem; ſecus autem eſſet cum ſæcularibus, & de propalatione cum ſæcularibus, loquitur Freitas *vbi ſuprà*.

RESOL. XLV. *An ſi Confeſſarius in confeſſione petat à pœnitente domum ſuam, vt ibi adducat concubinam, ſit denuntiandus?*

NEgatiuam ſententiam docet Antonius Souſa *in opuſc. de Confeſſar. ſollicitant. tract. 1. cap. 14. nu. 8.* vbi ſic aſſerit: Conſtitutio non intelligitur de actu quo Confeſſarius feminæ ſuadet vt ſibi det pecuniam ad largiendum meretrici, quia licet huiuſmodi actus inhoneſtatem aliquam contineat, illam per ſe primo obiecto non continet; idemque dicendum eſt ſi Confeſſarius ſuadeat feminæ vt in domo ipſiuſmet ad ipſius Confeſſarij notam concubinam pateat acceſſus. Ita ille.

Sed in terminis Bullæ Gregor. XV. hæc opinio mihi non placet, nam ibi Pontifex hæc verba apponit, *Ad inhoneſta ſiue inter ſe ſiue cum aliis quomodolibet perpetranda*, vbi illa verba, *cum aliis*, & *quomodolibet*, videntur caſum de quo loquimur includere.

RESOL. XLVI. *An Confeſſarius ſollicitans feminam ad confeſſionem accedentem, quia ipſe eam præuenit faciendo differre confeſſionem in aliud tempus, ſit denuntiandus?*

NEgatiuè reſpondet Antonius Souſa *opuſc. de Confeſſ. ſollicit. tract. 1. cap. 18. num. 7.* vbi ſic ait: In hoc decreto Pauli V. exiſtimo non comprehendi caſum illum, nimirum ſi accedens femina confeſſionis cauſa à Confeſſario præueniatur, vt confeſſio in aliud tempus differatur, mutatoque confitendi animo à Confeſſario ſollicitetur, nam ſollicitatio tunc non eſt immediata ad confeſſionem, cùm ante omnem ſollicitationem mutatũ ſit propoſitum confitendi; ſicut ſi femina ipſa, quæ aliàs vt confiteretur acceſſit, dicat Confeſſori ſe iã confiteri nolle, & Confeſſarium ſollicitet, cui ſollicitationi ille conſenſum præbeat, imò & in actum venereum illic deueniat, pro eodem enim reputo mulierem propoſitum confitendi mutaſſe iam ad pedes Confeſſoris, ac ſi domi, aut in itinere antequam ad Confeſſarium accederet, illud mutaſſet, dummodo id fuerit ante ſollicitationem. Idem etiam puto ſi mulier abſque Confeſſarij ſuaſu in ipſa iam confeſſione incepta à confitendi propoſito deſiſtat, dicatque Confeſſario amplius nolle confiteri, ſed confabulari, & poſteà longa confabulatione interiecta ſollicitatio ſequatur. Hæc omnia Souſa.

Quæ quidem an ſint probabilia in terminis decreti Pauli V. remitto me iudicio aliorum. nam Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſar. ſollicitant. quæſt. 14. num. 16.* docet in caſu primo, quem ponit Souſa, Confeſſarium eſſe Inquiſitoribus denuntiandum. Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt hodie ſtante Bulla Gregor. XV. hos Confeſſarios eſſe denunciandos, quia hęc ſollicitatio efficitur in confeſſionario, & Confeſſarius dum pœnitentem ſollicitat, ſimulat eius confeſſionem audire, ergo includitur in dicta Bulla, vt in caſu ſimili ex Fagundez *ſuprà* dictum eſt.

RESOL. XLVII. *An Confeſſarius dans pœnitentiam feminæ vt nuda à ſe verberaretur, vt poſteà accidit, ſit Inquiſitoribus denuntiandus?*

AFfirmatiuè & rectè reſpondet Souſa *opuſc. de Confeſſ. ſollic. tract. 1. cap. 18. n. 14.* vbi ſic ait: Duo Confeſſarij feminis ſibi cõfeſſis hanc impoſuerunt pœnitentiam, vt ab ipſiſmet Cõfeſſariis nudæ verberarentur, & cùm ad hoc peruenirent, altera manu propria Confeſſarij, altera verò ſcutica, quam Confeſſarius tenebat manu, vapulat ab ipſo. Dubitatum fuit an huiuſmodi actus ſollicitationes in confeſſione factæ dicendi forent? & reſoluta eſt pars affirmatiua, ac meritò quidem, cùm ſint actus inhoneſti, qui ſollicitantes, ſeu potiùs ſollicitationes tentationis dici debent. Quòd ſint ſollicitationes in confeſſione, videtur etiam manifeſtum, cùm pœnitentia cõfeſſionis ſit annexa per ſe. Ita ille. qui & optimè alium caſum ſollicitationis ponit, quando videlicet Confeſſarius ſuadet feminæ ſibi actu confitenti, vt ipſi eo loco vas naturale oſtendat, quod ipſa in eadem confeſſione morbo affectum habere dixerat, eſt enim hæc ſuaſio, cùm non fiat ad medicinam præſtandam, nihil aliud quàm ſollicitare tentare.

RESOL. XLVIII. *An Confeſſarius regularis ex abiuratione propter ſollicitationem remaneat inhabilis ad officia Religionis?*

HAnc quæſtionem pertractarunt duo Luſitani viri doctiſſimi, Rodericus Acugna,& Anton. Souſa,hic *in opuſc. de Confeſſ.ſollic.tract.2.cap.16.nu.6.* ille *in tract.etiam de Confeſſ.ſollicit.quæſt.24.num.22.* & *ibi* additionator eius Freitas *num.70.* & aſſerunt Confeſſarium propter ſollicitationem, de qua fuit conuictus, vel quam eſt confeſſus, ipſo iure inhabilem ad gradus, & dignitates Eccleſiaſticas non manere, quia nullus eſt textus, nec gloſſa,nec Doctor, qui per abiurationem de leui inhabilitatem ad dignitates & officia inducat; & hoc etiam docuerat Henriquez *lib.13.cap.56.§.1. in gloſſa litt.K.* & Garſias *de benef. tom.2. part.11. cap.10. num.87.* cum aliis penes ipſos.

Sed hodie contrarium dicendum eſt, ſtante decreto Vrbani VIII. edito *anno* 1626. in quo Regulares puniti per S. Officium (pœnitentiis ſalutaribus exceptis) eo ipſo fiunt inhabiles ad gradus & officia Religionis, nec poſſunt rehabilitari, niſi per Sanctiſſimum, vel per Illuſtriſſimos Inquiſitores ſacrę Congregationis,vt obſeruat Aloyſius Bariola *in aphor.lit.R.ver.Regulares.* Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.1.cap.19.num.128.* Peirinus *in priuil. Mmm. tom.2. conſtit.9.Pauli V.* §.2.*num.29.* & Tamburinus *de iure Abbat.tom.1.diſp.5.quæſt.21.num.17.* qui per extenſum verba ſupradicti decreti adducunt.

RESOL. XLIX. *An femina ſollicitata ſi non denuntiauit, & tamen Confeſſarius ex aliarum delatione confeſſus, vel conuictus punitus fuit, teneatur adhuc denuntiare?*

PRobabiliter cum multis negatiuam ſententiam docui *in part.1.tract.de denuntiat reſol.26.* Sed nota quòd hæc ſententia defendi poteſt, quãdo Confeſſarius fuit confeſſus, aut plenè conuictus; & in primo caſu ego illam tenui, vt patet ex titulo dictæ reſolut. Secus autem dicendum eſt, ſi Confeſſarius ſit abſolutus aut non plenè punitus ex defectu probationis, nam in tali caſu adeſt obligatio denuntiandi, quia Promotor fiſcalis S. Officij habet iam ius acquiſitum ad procedendum contra Confeſſarium, quod non ceſſat per illam ſententiam, ſed noua adueniente probatione denuo repetitur cauſa, cùm ſit de re pertinẽte ad fidem,non enim in rem iudicatam tranſeunt huiuſmodi ſententiæ; cùm ergo hoc ita ſit, non videtur ceſſare obligatio denuntiandi, cùm adhuc extet cenſura Inquiſitorum, quæ in fauorem cauſarum fidei poſita eſt; vnde quia non ſemper conſtat reum eſſe ſufficienter punitum,regulariter denuntiandus eſt. & hæc omnia docet Souſa *opuſc. de Confeſſ. ſollicit. tract.2.cap.20.num.12.*

Verùm,his non obſtantibus, Seraphinus Freitas *in addit.nouiſſ.ad tract.de Confeſſ.ſollicit.quæſt.3.num.54.* aduerſus Souſam negatiuam ſententiam tenet, etiamſi Confeſſarius fuerit abſolutus, aut non plenè conuictus: vnde in tali caſu non obligat pœnitentem ad denuntiandum, quia etiam præſumitur emendatus; ergo, ait ille, non erit denuntiandus.

Non deſinam tamen hîc adnotare Bonacinam *in tract. var. diſp.6. punct.3. num.15.* diſtinguere circa præſentem quæſtionem, ſic enim ait: Vel Confeſſarius confeſſus, ſeu conuictus fuit de ſollicitatione illius pœnitentis, qui nondum denuntiauit; vel confeſſus, ſeu conuictus fuit tantummodo de ſollicitatione alterius: ſi confeſſus, vel conuictus fuit de ſollicitatione illius pœnitentis,probabile eſt pœnitentẽ non teneri ad denuntiandum Confeſſarium, qui iam abiurauit illud delictum, quia iudicium bis exerceri non ſolet in idipſum,& res ſemel iudicata & punita, regulariter loquendo, in iudicium reuocari non ſolet, vt iterùm puniatur.Si verò Confeſſarius confeſſus, vel conuictus tantummodo fuit de prouocatione alterius pœnitentis, cenſeo pœnitentem adhuc teneri ad denuntiandũ, etiamſi Confeſſarius ſemel abiurauit.Ratio eſt,tum quia ſic non cenſetur ſufficienter punitus,cùm grauiores pœnas pro pluribus delictis, quàm pro vno rependere debeat; tum quia abſolutus, vel cõdemnatus in cauſa hæreſis accedente noua probatione iterùm puniri, aut condemnari debet. ergo etiam in caſu noſtro accedente noua denuntiatione puniri debet, conſequenter pœnitens tenetur præfatum Confeſſarium denuntiare. Ita Bonacina. Sed Freitas ſtando in ſuo principio ſemper dicit, quòd pro qualibet abiuratione Confeſſarius cenſetur emendatus; ergo non erit denuntiandus. Et hæc aſſerunt Doctores circa præſentem quæſtionem.Sed ſententiam Bonacinæ ego ſequor.

RESOL. L. *An Confeſſarij ſollicitantes in confeſſionario, ſine tamen vlla occaſione confeſſionis, debeant abiurare de leui?*

NEgatiuam ſententiam docet Antonius Souſa *poſt opuſc. de Confeſſ. ſollicit. in annotat.ad Bullam Greg.XV.nu.16.& 17.* vbi docet ſollicitantes in confeſſionario non eſſe de fide ſuſpectos, quia tunc ex aliquo facto colligitur hæreſis ſuſpicio, quando vel factum illud eſt coniunctum cum hæreſi, vel quando qui illum exequitur, inuenitur hæreticus; ſed neutrum iſtorum in propoſito reperitur. ergo nulla ex eo colligi debet hæreſis ſuſpicio. Minor quoad primam partem oſtenditur, quoniam ea hæreſis poſſet dici cõiuncta cum tali ſollicitatione, quæ noſtris temporibus negat auricularem confeſſionem; ab hac autem longiſſimè abeſt ſollicitatio illa, cùm nulla ibi inueniatur confeſſio etiam inchoata. Secunda pars non aliter probari poteſt, quàm experientia, quæ nullum adhuc ſollicitantem hæreticum inuenit. Ita Souſa.

Deinde confirmatur hæc opinio: quia Confeſſarij ſollicitantes ideò ſunt ſuſpecti, vnde abiurant de leui, quia per actum ſollicitationis iniuriam inferunt Sacramento in ipſius Sacramenti ſubſtantia, qualis eſt quæ materiam,ſeu formã Sacramenti,aut ad illud ex parte pœnitentis neceſſariã diſpoſitionem tollit, & ideò Summi Pontifices Paulus IV. Paulus V. & Gregor. XV. in ſuis conſtitutionibus ſic aſſerunt.Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè ſenſerint, Sacramentis à Chriſto Domino noſtro inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant. Sed in noſtro caſu Confeſſarius ſollicitãs non abutitur Sacramẽto,neque illi iniuriam facit,vt patet,quia non ſollicitat in cõfeſſione,neque ex vlla occaſione,aut prętextu confeſſionis; ergo non poteſt dici ſuſpectus

de

de fide, atque ideò nulla abiuratio illi imponenda erit, ſed aliis pœnis punietur Inquiſitorum arbitrio.

An verò idem dicendum ſit de Confeſſario ſollicitante paulò poſt, vel paulò ante confeſſionem, dubiũ eſſe poteſt, nam talis non videtur eſſe de fide ſuſpectus, vt probat idem Souſa *opuſc de Confeſſ.ſollic. tract.* 1. *cap.* 18. *num.* 13. Secluſis aliquibus caſibus: nam qui cùm poſſit ſollicitare in actu confeſſionis, in quo fortè ſollicitandi occaſio erit opportunior (tunc enim femina conſcientiam ſuam manifeſtante, peccata carnis confitente, Confeſſori facilè occurret occaſio in aggrauandis, vel facilitandis peccatis propalandi animum impudicum) & id in tam opportuna occaſione facere non vult, ſed ſollicitationẽ differt, vel anticipat, manifeſtè oſtendit, nolle ſe integritatem & perfectionem Sacramenti commaculare. ergo, vt dictum eſt, talis Confeſſarius non eſt de fide ſuſpectus; ergo non debet abiurare.

Sed ego puto quoad hunc vltimum caſum de Confeſſario ſollicitante paulò ante, vel poſt confeſſionem, omnino abiurationem ei indicendam eſſe, quia qui paulò ante, vel poſt confeſſionem ſollicitat pœnitentem, dicitur ſollicitare in ipſamet confeſſione, vt tradunt Doctores communiter, & ego probaui *in 1.parte tract.4.reſol.*...

Quoad alios verò caſus quando ſollicitatio fit in confeſſionario, &c. Souſa, vt dictum eſt *vbi ſuprà, & in aphoriſm. Inquiſ. lib.*1.*c.*34.*num.*68. doçet Confeſſarium ſollicitantem non debere abiurare; ſed tu cogita, quia ſupradicti caſus enumerati à Souſa includuntur à Pontifice ſimul cum aliis caſibus, in quibus ſollicitantes abiurant de leui, & Pontifex, vt loquitur de iſtis caſibus inducentibus ſecundùm Souſam ſuſpicionem, loquitur etiam eodem modo de illis, quos negat Souſa ſuſpicionem inducere, vnde poſtquam abſolutè, & ſine vlla diſtinctione enumeraſſet Pontifex omnes ſupradictos caſus, poſteà ſubiungit vt Inquiſitores & Ordinarij ſuper his, prout in cauſis fidei inquirant & procedant. ergo, &c. Vnde reuerà debent abiurare, prout in Rom. & vniuerſali Inquiſitione obſeruatur.

Resol. LI. *An Confeſſarij ſollicitantes in confeſſione ſint ſuſpecti vehementer de hæreſi, & quo pacto debeant abiurare?*

Esse ſupradictos ſuſpectos vehementer de hæreſi, docuit Pegna *in director.part.* 2. *commen.*81. & poſt illum Modius *de ſacris Ordinibus, cap.*27.*nu.*6. & M. Anton. Genuenſis *in praxi Archiepiſc. cap.* 66. *nu.*2. vbi ſic aſſerit: Non eſt omittendum quòd tentans mulieres in actu confeſſionis eſt ſuſpectus de fide vehementer, quomodo ſentit de ſacramento Pœnitentiæ, etiamſi prope actum confeſſionis ante, vel poſt ipſam tentauerit, vt fertur declaraſſe Clemens Papa VIII. Ita ille. Vnde ſtante hac ſententia debent abiurare de vehementi, & ideò Auguſtinus Bariola Conſultor S. Officij in Inquiſitione Mediolanenſi *in tract.de Confeſſ.ſollic.poſt flores Inquiſ.* ſic ait: Debent Confeſſarij ſollicitantes regulariter abiurare de vehementi.

Verùm contrariam ſententiam tuentur Paramus *de orig. Inquiſ. lib.*3. *quæſt.*10.*num.*115. Ioſeph Seſſe *in deciſ. Regni Aragon. tom.* 4. *deciſ.*449. *num.*3. Acugna *in tract. de Confeſſ. ſollicit. quæſt.* 2. *num.* 20. Antonius Souſa *opuſc de Confeſſ. ſollicit.tract.*1.*cap.*5.*nu.*6. & alij, aſſerentes ſuſpicionem Confeſſariorum ſollicitantium eſſe tantùm leuem, quod probatur à Souſa, quoniam hæc ſuſpicio non eſt vehemens, neque violenta; ergo erit leuis. Antecedens ex eo apparet verum, quia ex hoc facto non colligitur, neque ferè ſemper, neque vt plurimum, vt illud facientes ſint hæretici. Deinde factum hoc ſecundum ab hæreſi longiſſimè diſtat, præſertim cùm ad peccatum luxuriæ, quod ibi intenditur, homines maximè procumbant; ergo ſollicitatio non poteſt maiorem ingerere ſuſpicionem. & ita intelligenda ſunt verba Pontificis, *nos in animum inducere nequeuntes*, &c. Nam Summus Pontifex ſolùm vult indicare, non deeſſe in tali facto ſuſpicionem, & hoc tamquam certum, manifeſtumque tradit; an verò dicta ſuſpicio ſit vehemens, vel leuis reputanda, non declarat, vnde ſtante hac opinione abiuratio imponenda Confeſſariis in confeſſione ſollicitantibus, erit tantùm de leui, & ita doçet præter Souſam *vbi ſuprà*, Ioſeph Seſſe *loco cit. deciſ.* 454. *num.* 5. & alij, & de hac quæſtione infrà redibit ſermo *in tract. de pœnis.* Sed in hac quæſtione, vbi caſus contigerit, vnuſquiſque ſequatur ſtylum & praxim Inquiſitionis ſuæ.

Resol. LII. *An Epiſcopi poſſint cognoſcere de crimine ſollicitationis?*

Affirmatiuam ſentẽtiam docui *in* 1.*parte tract.*4. *de denuntiation.reſol.*29. Sed difficultas eſt an ſeparatim ab Inquiſitoribus poſſint hoc crimen cognoſcere Epiſcopi in Regnis vbi adeſt Inquiſitio Hiſpaniæ? & videtur etiam affirmatiuè reſpondendum ex verbis Bullæ Gregor. XV. ibi, *& præterea omnes Inquiſitores, & locorum Ordinarij ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus*, &c. Vnde in his verbis æquè facultatem inquirẽdi contra Confeſſarios ſollicitantes conceſſam eſſe Inquiſitoribus ac Epiſcopis, docet Caſtrus Palaus *in opere mor. tom.*1.*tract.*4.*diſp.*9.*punct.*1.*num.*9.*& punct.*10.*num.*4. ergo, &c.

Verùm ego de hoc non dubito; ſed difficultas eſt, vt dixi, an ſtantibus dictis verbis, Epiſcopi, vbi adeſt Inquiſitio Hiſpanica, poſſint ſeparatim ab Inquiſitoribus contra Confeſſarios ſollicitantes inquirere ex virtute dictæ conſtitutionis? & certè qui fauent parti Epiſcoporum, affirmatiuè reſpondent, cùm ſupradicta verba citatæ conſtitutionis loquantur, vt patet ex contextu litteræ abſolutè de Epiſcopis omnium Regnorum, vt poſſint ſimul, vel ſeparatim ab Inquiſitoribus de dicto crimine cognoſcere. ergo, &c.

Probatur ſecundò, quia Epiſcopi poſſunt ſeparatim ab Inquiſitoribus procedere in cauſis fidei contra ſuſpectos, imò & contra hæreticos, vt patet ex *cap. per hoc, de hæret. in* 6. & ideò iuriſdictionem Inquiſitorũ non præiudicare iuriſdictioni Epiſcoporum, cùm cenſeatur cõceſſa cumulatiuè, non autem priuatiuè, docet Sylueſter *ver. hæreticus* §. 2. *num.*10. Roias *ſingul.*28. *num.* 2. Gundiſſaluus *de hæret. quæſt.*7. *num.* 9. Simanca *de Cathol. inſtit. tit.* 25. *num.*4. Gloſſa & Panormitanus *in cap. ad abolendam, de*

de hæret. Sigismundus Scaccia *de iudiciis tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 67. *num.* 9. Carrera *de hæret. num.*67. Decianus *tom.*2. *lib.*5. *cap.*21. *num.*10. & alij, ergo sequitur necessariò, quòd Episcopi possint separatim ab Inquisitoribus contra Confessarios sollicitantes, tamquam suspectos de fide procedere, quia, vt dictum est, Episcopi de iure communi procedunt contra hæreticos, vel suspectos, docetque Simanca *tit.*6. *num.*3. & habetur *in cap. præsidentes, cap. statutum, cap. vt Inquisitionis, de hæret. in* 6. *cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, de hæret. Clem.*1. *eodem titulo, & Extrauag.*1. *eodem tit.* Vnde dati sunt Episcopis Inquisitores tamquam adiutores.

Sed his non obstantibus, contrariam sententiam tenendam esse puto; pro cuius confirmatione, suppono tamquam certum in Regnis Hispaniarum, in quibus Hispanica Inquisitio adest ex consuetudine, & priuilegio Pontificio, non posse Episcopos separatim ab Inquisitoribus causas de rebus fidei cognoscere, & denuntiationes sibi factas tenere ad ipsos Inquisitores remittere, neque reum posse incarcerare, nisi timeatur de fuga, sed certiorare Inquisitores, vt illum capiant; & ita de dicta consuetudine, & priuilegio testatur Sanctarellus *tract. de hæresi*, Romæ impressus, *cap.*40. *dub.*2. *nu.*15. Molina *de iust. tom.*5. *tract.*5. *disput.*28. *num.*12. *&* 13. Acugna *de Confess. sollicit. quæst.*2. *nu.*1. Ioan. Valerus *in differentiis vtriusque fori.* Pegna *in director. part.* 3. *quæst.*52. *commen.*101. & nouissimè Barbosa *in collectan. tom.*3. *lib.*5. *tit* 2. *cap.*17. *num.*3. & alij.

Hoc igitur supposito sic argumentor in fauorem DD. Inquisitorum. Constitutio Gregorij XV. vt patet ex contextu litteræ, præbet auctoritatem Episcopis, vt possint separatim in nostro casu inquirere, prout in causis fidei iuxta sacrorum Canonum formam, &c. Sed in omnibus causis fidei ex priuilegio & cõsuetudine Inquisitionis Hispanicæ, vt *suprà* probatum est, Episcopi non possunt separatim sine Inquisitoribus inquirere; ergo neque posse separatim in casu sollicitationis sine Inquisitoribus inquirere dicendum erit, quia in dicta constitutione, vt patet, non reuocantur consuetudines & priuilegia Sedis Apostolicæ in contrarium, si alibi adessent, vt adsunt in Inquisitione Hispanica. & ideò sicut Fagundez *in* 2. *editione de præcept. Eccl. pr.*2. *lib.*4. *c.*3. *nu.*97. & Antonius Sousa *in annotat. ad Bullam Gregorij XV. num.*21. asserunt, quòd per dictam Bullam non reuocatur priuilegium concessum Generali Inquisitori Lusitaniæ aduocandi ad se omnem causam hæresis, etiamsi coram Ordinariis tractentur: vnde non obstante Bulla Gregor. XV. docent hodie posse Inquisitores Generales Lusitaniæ ad se aduocare omnes processus & integras causas Confessariorum sollicitantium inceptas coram Episcopis. Sic etiam dicendum est, per dictam Bullam non reuocari priuilegium concessum Inquisitioni Hispanicæ, vt Episcopi non possint separatim ab Inquisitoribus causas fidei, vt est ista, de qua loquimur, pertractare.

Secus autem dicendum est de aliis Regnis & Inquisitionibus vbi talis consuetudo & priuilegium Papæ nõ adest. Nã ibi ex hac constitutione Pontificia posse Episcopos contra Confessarios sollicitantes separatim ab Inquisitoribus inquirere concedo.

Ex quibus patet responsio ad argumentum primum superiùs adductum; dico enim intelligendum esse de omnibus Regnis, in quibus Inquisitores non habent priuilegium, vt Episcopi non possint separatim ab illis procedere. Ad secundum verò respondeo illam doctrinam esse veram, loquendo in terminis iuris communis, secus autem ex consuetudine & priuilegio Apostolico, vt adest in Inquisitione Hispanica, ex rationibus quas optimè obseruat Ludouicus Molina *de iust. tract.* 5. *disp.* 28. *nu.*13. ex quibus apparet, quàm vtiliter & rationabiliter supradicta consuetudo fuerit introducta, & priuilegium concessum.

Notandum est tamen hîc obiter, quòd etiam in Regnis vbi non adest Inquisitio Hispanica, si Confessarius sollicitans & femina sollicitata eodẽ tempore ab Episcopo & Inquisitore citentur, coram Inquisitore comparere debent, non autem coram Episcopo. Et ita contra Roias *singul.*44. *nu.*3. *& seq.* docet Sousa *opusc. de Confess. sollicit. tract.*2. *c.*2. *n.*7. & alij penes ipsum, quia iurisdictio Inquisitorum cùm sit delegata à Summo Pontifice, superior est, & maior iurisdictione ordinaria; si autẽ Cõfessarius esset Regularis exemptus, posset in tali casu corã Episcopo cõparere, quia Episcopus contra illum procedit ex iurisdictione delegata. Sed in Regnis nostris Hispaniarum etiam hoc vltimum non procedit, quia, vt dictum est, ex consuetudine, & priuilegio causæ fidei ab Inquisitoribus tantùm tractantur, cum quibus assistunt Episcopi per procuratores.

RESOL. LIII. *An Episcopi vbi non est Inquisitio Hispaniæ, possint separatim ab Inquisitore proferre sententiam contra Confessarios sollicitantes & è contrà?*

ADuertit Sousa post *opusc. de Confess. sollicit. in annotat. ad Bullam Gregorij XV. num.* 20. quòd licet ex dicta constitutione Inquisitores & Episcopi possint procedere, non tamen per illam cõceditur, vt sententiam separatim proferant, etiamsi sola abiuratio eis iniungatur, sed quoad hoc iura, & constitutiones Pontificiæ seruãdæ sunt. Nec etiam per dictam Bullam tollitur communicatio processuum secundùm ius Canonicum. Ita Sousa. Igitur dicendum est, quòd nec soli Episcopi, nec soli Inquisitores possunt sententiam condemnatoriam proferre aduersus Confessarios sollicitantes, vt patet ex *cap. per hoc, de hæret. in* 6. & ita tenet Pegna *in direct. part.* 3. *comment.* 97. Lucerna Inquisitor. *ver. absoluere, num.* 2. Antonius Sousa *opusc. de Confess. sollicit. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 15. & Fagundez *de præcept. Eccles. in* 2. *editione pr.*2. *lib* 4. *cap.*3. *num.*96. Azorius *part.*1. *lib* 8. *cap.*18. *quæs.* 16. Paramus *de origine Inquisitionis lib.* 3. *quæst.* 4 *num.* 2. Molina *de iust. tract.*5. *disput.*28. *num.* 16. & alij penes ipsos. Ratio est, quia per abiurationem abiurans pronuntiatur hæreticus vel de hæresi suspectus. ergo per hoc verè & propriè condemnatur; si tamen sententiam abiurationis Episcopi absque Inquisitoribus contra Confessarios sollicitantes ferant, asserunt citati Doctores factum tenere, & ideò, ait Pegna, hæc esse de genere eorum, quæ licet fieri prohibeantur, facta tamen tenent; licet Castrus Palaus *to.*1. *tract.*4. *disp.*8. *punct.*

punct.13. num. 18. contrarium doceat, ex *Clement.1. de hæret.* vbi poſtquam Pontifex dixerat, non poſſe Inquiſitorem abſque Ordinario, vel è contra, ad ſententiam contra reos procedere, concludit, non valebit, & ſi ſecus præſumptum fuerit, irritum ſit & inane.

Sed quid dicendum de ſententia abſolutoria, an poſſit dari ab Epiſcopis ſine Inquiſitoribus? Affirmatiuè reſpondet Fagundez *loco citato, num.* 93. & Souſa *num.* 12. Molina *num.* 15. & alij penes ipſos; quia in iure ſolùm prohibetur ſupradictis proferre ſententiam contra reos, vt patet ex *dicta Clem.* 1. ergo poterunt proferre pro reis.

Verùm negatiuam ſententiam docet Pegna *in director.inquiſ. part.*3. *comment.*97. Roias *ſingul.* 27. *nu.* 7. Simanca *in inſtit. Cathol.tit.*3.*num.*8. Azorius, Carerius, Zanchinus, & alij, quos citat Barboſa *in dicta Clem.*1. *num.*18. quibus addo ex neotericis Caſtrum Palaum *vbi ſuprà num.*20. & ratio eſt, quia licet textus illius Clementinæ de ſola ſententia condemnatoria expreſsè loquatur, indirectè tamen loquitur de qualibet ſententia ob communicationem & examinationem proceſſuum prærequiſitam. Deinde confirmatur hæc opinio; quia eo ipſo quòd *in Clement.*1. ſit reſtrictum ius antiquũ quoad condemnationem, ita vt Inquiſitores & Epiſcopi non poſſint ſeparatim condemnare, ſequitur quòd ſimiliter non poſſint abſoluere. Probatur conſequentia, quia condemnare & abſoluere eiuſdem ſunt poteſtatis, vtpote contraria & aduerſa, ex *l.qui condemnare, ff.de re iudicata.* ergo, &c.

RESOL. LIV. *An Inquiſitores poſsint animaduertere in ſollicitationem præteritam, ſi iam præiudicata fuerit ab Epiſcopo?*

NEgatiuè reſpondet Acugna *tract. de Confeſſar. ſollicitant.quæſt.*3.*num.*11. vbi ſic ait: Tunc non extenditur ad præterita noſtra concluſio; cùm talia crimina ab ordinario Iudice præiudicata fuerint; nam manẽt tunc extincta in foro Eccleſiæ: vel enim reus iudicialiter abſolutus eſt, ob id ſiſtet accuſatio, non vltrà progrediens, ex *cap. de his, de accuſ.* Vel damnatus idem reus per diffinitiuam ſententiam eſt, atque ſimiliter in ipſum accuſatio progredi non poteſt. Ita ille.

Sed aduerſus illum inſurgit Emanuel Moura *opuſc.*1. *de enſ. & incant. ſect.*3.*cap.*3.*nu.*16. vbi ita aſſerit: Non loquitur Acugna conſequenter, quatenus dicit in ſollicitationem præteritam non poſſe ire Inquiſitores, cùm præiudicata fuerit ab Epiſcopo ſiue abſolutus, ſiue finaliter condemnatus fuerit ſollicitans, quamuis non fuerit ſufficienter punitus. Non, inquam, loquitur conſequenter, quia ſi hoc crimen inducit ſuſpicionem de hæreſi, & conſtitutio Pontificis eſt ſolùm excitatiua iuriſdictionis Inquiſitorum, conſequens neceſſarium eſt, vt ipſi poſſint illud reaſſumere, ſaltem vt reum cogant ad abiurationem. Hæc ille.

Verùm ſententiã Illuſtriſſimi & doctiſſimi Roderici Acugna, meritò nunc Archiepiſcopi Bracharẽſis, acriter defendit Freitas *in additionibus nouiſsimis ad dictam quæſt.*3. *n.*37. *& ſeq.* vbi reſpondet ad rationes Emanuelis de Moura, vide illũ & non pigebit.

Non deſinam etiam hic obiter adnotare, Confeſſarium ſollicitantem, qui non iudicatur ſuſpectus, non eſſe ad ſuum Ordinarium remittendum, ſed ab Inquiſitoribus ratione culpæ puniri debet; nec valet dicere, quòd ceſſante ſuſpicione contra fidem, videtur ſuſpendi Inquiſitorum iuriſdictio; nam reſpondeo, quòd licet ratio commiſſionis ſit ſuſpicio, commiſſio tamen Pontificis eſt abſoluta, & Summus Pontifex ex illo facto præſumit, & ſuper præſumpto ſtatuit. & ita docet Souſa *opuſc. de Confeſſar. ſollicitant. tract.*2.*cap.*1 *nu.*7. & ideò Molfeſius *in ſumma tom.*1. *tract.*7.*cap.*24.*nu.*45. ſic ait: Si Confeſſarij ſollicitantes non ſint ſuſpecti de hæreſi, imponitur eis pœnitentia ſalutaris ſine abiuratione ſecundùm qualitatem exceſſus. Ita ille.

RESOL. LV. *An teſtimonium duarum feminarum ſufficiat ad carcerationem Confeſſarij ſollicitantis?*

NEgatiuam ſententiam docet Acugna *de Confeſſar.ſollicitant.quæſt.*23.*nu.*9. ſi complices fuerint. & Souſa *opuſc.de Confeſſar. ſollicitant. tract.*2.*cap.* 12. *concluſ.* 4. *num.* 8. docet, quòd niſi feminæ ſint probatæ vitæ, & famæ, non ſufficiunt duæ deponentes de diuerſis actibus ad incarcerandum Confeſſarium, ſed ad minus tres requiruntur, vnde Aloyſius Bariola *de Confeſſar.ſollicit. quæſt.*15. ſic ait: Vt Inquiſitores procedant contra Confeſſarios, priùs conſtare debet de delicto per duos teſtes ſaltem fide dignos, quod etiam docuit Molfeſius *vbi infrà.* Sed ego puto cum Ioanne Sancio *in ſelect. diſp.* 11. *num.*47. hoc remittendum eſſe iudicio Inquiſitorũ, qui qualitates & mores denuntiati, & denuntiantium prudenter debent inſpicere; exiſtimo tamen abſolutè contra Canteram *in qq crim. cap.*2. *de probat.per teſtes,quæſt.*1.*nu.*47. ex vnius feminæ quantumuis honeſtæ delatione non eſſe Confeſſarium in carcerem detrudendum, & ita tenet Freitas *in addit.de Confeſſar.ſollicitant.quæſt.*4.*num.*27. & Souſa *vbi ſuprà*, dum aſſerit, quòd talis Confeſſarius iuſtè poſſit incarcerari ſi duæ feminæ probatæ vitæ aduerſus illum denuntiauerint; ergo ſecundùm Souſam vna non ſufficeret, quod etiam apertè docet *cap* 21.*num.*6. prædicta tamen delatio erit ſufficiens ad inquirendum, quòd ſi per Inquiſitionem apparuerit, vt rectè obſeruat Freitas *loco cit.nu.*28. Confeſſarium leuem, ſeu potiùs malæ vitæ eſſe, poterit & tunc capi; & ideò Molfeſius *in ſumma tom.*1.*tract.* 7.*cap.*25. *num.* 39. ſic ait: Dum eſt ſola denuntiatio, vel depoſitio mulieris ſollicitatæ ad turpia, quæ ſit bonæ famæ, Domini Inquiſitores verbotenus ſe informent de qualitatibus Confeſſarij, ſi aliàs inquiſitus ſit de ſimilibus, nam in pari qualitate præualet Confeſſarius, vt ab iiſdem Dominis audiui, & ita ſeruatur in praxi. Sic ille.

Ex quibus infertur eſſe reprobandam opinionem Parami *lib.* 3. *de orig. Inquiſit. quæſt.* 10. *num.*158. & 165. aſſerentis, ſufficere ad condemnationem huius criminis duarum feminarum teſtimonium; ſed aduerſus hanc ſententiam, & meritò, inſurgit Acugna *de Confeſſ.ſollicitant.quæſt.*23.*à num.*4. Peyrinus *de priuileg. Minim.tom.*2.*conſtit.*4. *Gregorij XV.* §. 8.*num.*23. Souſa *loco citato, num.* 12. qui docet quatuor teſtes non probare ſufficienter & plenè hoc deli-

delictum;ſed aduerſus Souſam tenet Acugna *quæſt.* 23. *num.*11. imò Ortiz *in ſumma cap.* 24. *num.* 11. ait dictum trium feminarum ſufficere; ſed ego puto hoc remittendum eſſe iudicio Inquiſitorum,vt alibi docui, & ipſemet doctus Souſa concedit, qui quidem omnia maturè conſiderabunt, quia cùm in hoc crimine proceditur vt in crimine hęreſis,vbi teſtes non publicantur, atque ideò plenus defenſionis ordo non conceditur, ſemper timeri poteſt ne innocens damnetur, quamuis quilibet teſtis ſingularis ſit probatiſſimus, ignotum tamen eſt Iudici, quid illi à reo obiici poteſt. Ita Souſa *num.* 7. vnde diligenter omnia perpendant ſacræ fidei Quæſitores in caſibus contingentibus.

TRACTATVS VI.

De tortura in ſancto Officio ſuſpectis vehementer de hæreſi inferenda.

MAteriam ſatis amplam explanare aggrediор,quam fusè pertractárunt docti Iuriſconſulti: ego autem, more meo, reſolutoriè, breuiter,& clarè tantùm quæſtiones attingam, quæ ad praxim maximè ſpectant, illas determinando, non ſolùm ex mente ſupradictorum, ſed, quod apud me plus ponderis eſt, ex doctrina Pegnæ, Simancæ, Roias, Albertini, Canteræ, aliorumque Doctorum noſtri ſacri Tribunalis; & ideò in primis quæro,

RESOLVTIO I. *An Inquiſitores debeant eſſe proniores ad torquendum reos?*

NEgatiuè videtur reſpondendum, per ea, quæ adducit Torreblanca *de Magia lib.*3. *cap.*19. *nu.* 3. *& ſeqq.*

Sed,pace viri docti, & de noſtro Tribunali benè merentis, contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quia crimen hæreſis eſt occultum, & difficilis probationis; ergo ad torturam Iudex debet eſſe promptior. & ita hanc ſententiam docet Seraphinus Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollicit. quæſt.*4. *num.*29. Delrius *in diſquiſ. magic. append.*2. *lib.*5. *q.*22. & iſtarum materiarum Magiſter Ioan.Roias *de hæreticis,part.*2. *nu.*295. *&* 296. vbi ſic ait: Quamuis Vlpianus egregiè affirmet *in l.* 1. §. *quæſtioni, ff. de quæſtionibus*, hoc verborum tenore, *Quæſtioni fides non ſemper habenda eſt, res enim fragilis & periculoſa eſt, & veritatem plerumque fallit.* ſunt enim aliqui timidi, qui potiùs mentiri, quàm tormenta pati velint, & falſa pro veris proferre. In crimine tamen hæreſeos Iudices ad torturam proniores eſſe oportet, & faciliùs ad quæſtionem veniendum eſt, quia eſt crimen ſuapte natura occultum, & facultas probationis deeſſe ſolet. Ita ille, & ante illum doctiſſimus Simanca *in enchirid. cap.*52. *num.*26. *& in cathol. inſtit. tit.*65. *num.* 51. qui aliam addit rationem, quia confeſſio rei in noſtro caſu non ſolùm Reipublicæ, ſed ipſimet hæretico plurimum eſt profutura.

Vnde ex his infertur quòd cùm DD. Inquiſitores, vt determinatur *in inſtruct. Toletana anno* 1561. *num.* 46. 47. 48. habeant tria remedia terminandi proceſſum, quando reus non eſt plenè conuictus, ſed tantùm indiciatus, vnum ſcilicet per purgationem, aliud per abiurationem, & tertium per torturam; hoc extremum videtur accommodatius ceteris ad eruendam veritatem,cùm purgatio & abiuratio inuentæ potiùs ſint ad ſuſpicionem & infamiam hæreſis excludendam, quàm ad veritatem indagandam, vt docet & obſeruat numquam ſatis laudatus Franciſcus Pegna *in director. Inquiſ. part.* 3. *comment.* 39. Ex quo non eſt audiendus Eymericus *in d. direct. vbi ſuprà num.* 51. docens, quòd ad torturam deueniendum non ſit, quando adſunt indicia ſufficientia ad abiurationem; ſed noſtra ſententia clarè determinatur *in ſupradicta inſtruct. Tolet. loc. cit.* ergo, &c.

Nota etiam ex his, quòd licet ſecundùm dictam inſtructionem, & Barboſam *in collect. tom.*2. *lib.*5. *tit.* 34. *cap.* 10. *num.*5. purgatio canonica poſsit indici ab Inquiſitoribus etiamſi adſint indicia ad torturam; tamen rectiùs & meliùs aſſerit Genuenſis *in praxi Archiepiſc. cap.* 32. non eſſe deueniendum ad purgationem canonicam, ſi adſunt indicia ad torturam,ſed reum eſſe torquendum,& cùm hic caſus accidiſſet in curia Archiepiſcopali Neapolitana, teſtatur Genuẽſis quòd maior pars Doctorum Congregationis dictæ Curiæ inclinauit, quòd ſi adeſſent indicia ſufficientia ad torturam, non indiceretur purgatio.

Notandũ eſt tamen hîc,quòd quando delictum probari poteſt alia via, nullo modo eſt adhibenda tortura,nam hæc iuxta communem ſententiam eſt vltimum remedium in defectum teſtium. Ita Eymericus à Rosbach *in pract. crim. tit.*5. *cap.*17. *num.*1. Portel *in dub. Regul. ver. tortura, nu.* 4. & alij communiter; tortura enim eſt remedium quoddam ſubſidiarium. ergo non eſt deueniendum ad eam, niſi deficientibus aliis probandi modis, vt rectè obſeruat Petrus Binsfeldius *in cõmen. de malef. leg.*7. *quæſt.* 2. *concl.*3. Michaël Zanardus *in director. Theol. part.* 3. *cap.*88. Ambroſinus *de proceſſu informatiuo, lib.*4. *cap.* 1. *nu.*8. Guazzinus *tom.*2. *lib.*1. *defenſ.*30. *cap.*2. *num.*3. & alij communiter.

RESOL. II. *Cum quibus indiciis debeant Inquiſitores reos torquere?*

MArtinus Antonius Delrius *in diſqu. mag. appen.* 2. *lib.*5. *q.*22. docet, quòd in cauſis fidei leuiora indicia ſufficiunt ad torturam;verùm leuiora indicia vocat, non ſecundùm ſe & abſolutè loquendo,ſed quæ comparatiuè, ſeu relatiuè reſpectu eorum, quæ in criminibus non exceptis requiruntur, leuia videantur, & idcircò comparatione iſtorum

ſunt

ſunt leuiora, quàm in his requiſita, non verò quæ ſunt leuiora, ſeu minùs ſufficientia, quàm vis aut natura criminis requirat: quæ autem indicia leuiora ſufficiant, reſpondet eſſe legitima & ſufficientia iuxta criminis naturam, & in genere indicíorum ad torturam; ſed quæ ſint ita indicia ſufficientia, reſpondet, quòd nihil certum in his dici poteſt, ideò totum hoc negotium remittitur arbitrio DD. Inquiſitorum. Itaque ſecundùm Delrium in crimine hæreſis ad torquendum leuiora, quàm in aliis criminibus ſufficiunt indicia, quod videtur etiam docere Inquiſitor Camillus Campegius *in addit. ad Zanchinum, tract. de hæret. cap. 9 littera E. in princ. ver. Rurſus obſerua*, & Ludouicus Carrerius *in tract. de hæret. num. 116. in fine. & num. 126.* & alij.

Verùm Sanctarellus *de hæreſi cap. 41. dub. 1. num. 1.* & Simanca *in Enchirid. tit. 52. numer. 5.* aſſerunt indicia pro tortura in crimine hæreſis debere eſſe magna, & vehementer vrgentia, ita vt ſola confeſſio rei videatur deeſſe; vt patet ex *lib. 1. in princ. ff. de quæſt.* ibi, *ita vt ſola ſeruorum confeſſio deeſſe videatur*, & ex *l. milites, §. oportet, & l. cùm cognitionaliter, C. eodem tit.* vt docet etiam Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 39. numer. 9.* Vide etiam Pegnam *in director. Inquiſ. part. 3. commen. 110.* quænam verò ſint talia indicia, docet Antonius Blancus *tract. de indiciis numer. 10.* & Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap. 4. numer. 3.* Sed ego puto quòd in materia torturæ non poteſt dari certa regula ad cognoſcenda indicia ſufficientia ad illam inferendam, ſed totum hoc negotium remittendum eſt arbitrio DD. Inquiſitorum, qui habita ratione qualitatis perſonæ, delicti, ſuſpicionum, aliarumque circumſtantiarum, iudicabunt ea ſufficientia, vel non, & ita docent communiter Doctores, quos ad ſatietatem adducit Petrus Caballus *in reſol. crim. cent. 3. cap. 251. num. 14.* quibus ex noſtris adde Rojas *de hæret. part. 2. numer. 291.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 6.* Mirandam *de ordine iudic. tom. 2. quæſt. 261. art. 4. concl. 6.* Souſam *in aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 39. numer. 6.* Pegnam *in director. part. 3. commen. 110.* Guazzinum *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap. 4. numer. 10.* Simancam *in Cathol. inſtitut. tit. 65. num. 22.*

Nota tamen quòd ſupradictum arbitrium, quod DD. Inquiſitoribus concedo, non debet eſſe abſolutum, ſed limitatum, & ſecundùm iuris diſpoſitionem, vt ex communi docet Ambroſinus *de proceſſ. inform. lib. 4. cap. 1. num. 15.* Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap. 4. num. 4.* Baiardus *in addit. ad Iulium Clarum quæſt. 64. numer. 56.* Ludouicus Peguera *in praxi cap. 12. §. 9. nu. 5.* & Zanardus *in director. Theol. part. 3. cap. 88.*

Vnde ex his infertur, quòd ſi reus torqueretur ſine legitimis indiciis præcedentibus, & crimen confiteatur, confeſſio talis non eſt efficax ad condemnationem, nec confitenti præiudicat, & etiamſi poſteà legitima indicia ſuperuenirent, non tamen confeſſio ea tortura antecedenti indicia indebitè extorta, valida redderetur, & legitimaretur, quia quod ab initio non valuit, ex poſtfacto conualeſcere nequit, & ita docent Doctores, quos citat & ſequitur Petrus Binsfeldius *in comment. de maleficiis & math. leg. 7. qu. 2. concl. 2. fol. mihi 551.* Miranda *in ord. Iudic. tom. 2. quæſt. 26. art. 17. concl. 1.* & probatur ex *lib. 1. §. D. Seuerus. ff. de quæſt.* Sed difficultas eſt, an ſi poſt confeſſionem in tortura extortam ſine indiciis legitimis ſuprauenìat nouum indicium confeſſionis extraiudicialis, per quam apparet reum hæreticum eſſe, an, inquam, in tali caſu valida erit confeſſio facta in tormento, non præcedentibus indiciis? & affirmatiuam ſententiam tenet Marſilius *in l. quæſtionis n. 63. de quæſt.* & Baiardus *in addit. ad Iulium Clarum q. 55. n. 40.* Verùm contrarium docet Antonius Queuedo *de indiciis & tortura. part. 2. cap. 4. nu. 11.* qui citat Farinacium *qu. 83. cap. 1. n. 5.* quibus ego libenter adhæreo ex ratione paulò ſuperiùs aſſignata.

Notandum eſt hîc, quòd etiam non præcedentibus indiciis legitimis, ſi Inquiſitores habeant vehementem opinionem contra reum, quamuis extra proceſſum, poſſunt eum verbaliter terrere, minando torturam, cùm hoc non ſit torquere, niſi reus ſit perſona timida. & ita docet Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 39. numer. 4.* & Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap. 5. numer. 3.* vbi etiam aſſerit, quòd quando adſunt indicia ad terrendum, vel leuiter torquendum, poſſe Iudicem ſpoliare reum in loco torturæ, vel funi alligare, vel in ſaltum eleuare. & Franciſcus Perſonalis *tract. de indic. numer. 78.* hoc exemplificat, quando Iudex haberet vnicum teſtem non integrum, contra reum, vel duos ſingulares teſtes deponentes de indiciis remotis, tunc poſſet quidem Iudex reum ad locum torturæ conducere, ſpoliare, & à terra aliquantulum eleuare, eumque eleuatum ſuſpenſumque interrogare, & per aliquod notabile temporis ſpatium in tortura retinere: & hæc omnia præter Perſonalem & Guazzinum, docet etiam Tuſchus *litter. T. concl. 325. numer. 9.* Clarus *quæſt. 64. num. 33.* & alij. Vnde Peregrinus *conſ. 2. num. 104.* docuit vnum indicium remotum ſufficere ad torturam leuem inferendam; ſed tu cogita, nam hæc doctrina in noſtro Tribunali non eſt in vſu.

Et tandem nota, quòd licet adſint pro fiſco ſufficientia indicia ad torturam, reus tamen torqueri non poteſt, ſi dicta indicia fuerunt eliſa per indicia inquiſiti. Ita Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap. 4. num. 23.* & communis Doctorum opinio. Imò ſecundùm Grammaticum *vot. 3. num. 20.* Rolandum *lib. 1. conſ. 7. num. 38.* Riminaldum iuniorem *lib. 6. conſ. 704. num. 37.* & Hondedeum *lib. 2. conſ. 93. num. 83.* vnum indicium pro reo tollit indicia fiſci, vt non poſſit torqueri; ſed tu cogita, nam hæc doctrina ita abſolutè prolata mihi non placet, ſicut etiam mihi non placet alia doctrina Baiardi *in addit. ad Iul. Clar. quæſt. 64. numer. 98.* & Ioan. Antonij de Nigris ſuper *cap. Regni, cap frequens, numer. 34.* aſſerentium, eſſe in arbitrio Iudicis, ſuper quale indicium reus debet torqueri. Sed dicendum eſt reum non poſſe ſuper quolibet indicio torqueri, ſed cumulatis omnibus indiciis torturæ ſubnciendus erit. Ita Caualcanus de

de brachio Regio,part.3.num.134. Grammaticus *conſ. 45.num.34.* Guazzinus *in defenſ.reor. tom.2.lib.1.defenſ.36. cap.25. numer.1.* Bertazzolus *volum. 1. conſil. 144.num.10.*

RESOL. III. *An dicta indicia debeant ſaltem per duos teſtes eſſe probata,vt poſſint Inquiſitores reos torquere?*

AFfirmatiuè reſpondeo cum Pegna *in director.part.3.com.110.numer.289.* Rojas *de hæret. part.2.num.289.* Souſa *in aphoriſ. Inquiſ.lib.2. appen. 25. num. 34.* Eymerico à Rosbach *in pract. crim.tit. 5.c.17.n.7.* Cantera *in qq.crimin. cap.2. de probat.per teſtes,quæſt.1.num.24.* Delrio *in diſquiſ.mag. lib.5 ſect. 3.* Locato *in praxi Inquiſit.quæſt.33.* Simanca *in enchir. cap.52.n.6.* Suarez de Paz *in praxi tom.1.part.5. cap.3. §.12.n.41.* Miranda *in ordin.iudiciario,to.2. quæſt. 26. art.4.concl.3.* Bernardino *in addit.ad Ambroſinum de proceſſ.infor.lib.4.cap.1.nu.16.* Caballo *in reſol.crimin. cent.2.caſ.193.n.1.* Bruno *tract.de indic.part.1.quæſt.1. n.7.* Guazzino *tom.2.lib.1.defenſ.30.cap.31.n.1.* Farinacio *quæſt.37.nu.14.* vbi *num.16.* probat,quòd hæc opinio eſt ita vera,vt vnus teſtis non probet indicium remotum, etiam quòd ſit omni exceptione maior, quod etiã confirmat Maſcardus *de probat. lib.1.conſl.462. num.18. & 19.* Vide etiam Iulium Clarum *in praxi lib. 5. §. final. quæſt. 22. num. 2.* vbi concordat duas gloſſas, nempe gloſſam *in l. final. ver.vel indiciis, C.ſam. herciſc.* afferentem indicia ad torturam per duos teſtes probanda eſſe, & gloſſam *in l.ſi quis,ver.conuictus,C.ad leg.Iul.maieſt.* vbi videtur velle, quòd per vnum teſtem reus dicatur conuictus,ſaltem ſemiplenè;concordat, inquam, Clarus has gloſſas hoc modo, quòd aut adeſt vnus teſtis de veritate deponens de ipſomet delicto,puta quia audiuit Sempronium blaſphemãtem, & tunc talis teſtis facit indicium ad torturam, vt *infrà* videbimus, & ita procedit gloſſa *in d.l.ſi quis.* aut verò teſtis deponit non de viſu ipſius maleficij,ſed de aliquo actu vel remoto, vel proximo ipſi maleficio, & tunc talis teſtis non facit indicium ad torturam,ſed requiruntur duo teſtes ad ipſum indicium probandum, & ita procedit gloſſa *in l.finali.* Ita Clarus, & ego. & hanc diſtinctionem eſſe canonizatam in iudiciis, & in ſcholis,tradit Alciatus *conſ.445.n.1.*

Nota tamen quòd ſupradicta doctrina, nempe quòd indicia ad torturam debent eſſe probata per duos teſtes,procedit,etiamſi teſtes non ſint idonei,vt familiares,infames, &c. dummodo ſint conteſtes.Ita Rojas *de hæret.vbi ſuprà part. 2. n.289.* Rolandus à Valle *lib.1.conſil.24.num.25.* Bertazzolus *vol.2.conſ.341. num. 10.* Brunus *tract. de indic.& tortura, part.1. quæſt.2. num. 7.* & DD.adducti per Hondedeum *conſ.87.num.137.vol.1.* & Hippolytus de Marſiliis *in pract. crimin. §. diligenter, num.8.* vbi ſic ait; Quando requiruntur duo teſtes ad probandum indicium remotum à maleficio, non requiritur quòd ſint omni exceptione maiores, & in tali caſu admittuntur etiam infames. Ita ille. licet Menochius *de præſ.lib.1.quæſt.91. nu.5.* Suarez de Paz *in praxi tom.1.part.5.cap.3.§.12.num.41.* Gomez *tom.3.var. cap.13. num.18.* Farinacius *quæſt.37. num.28.* Miranda *in ordine iud.tom.2. quæſt.26.art.4. concl.3.* Michaël Zanardus *in director.Theolog. part.3. cap. 88. fol. mihi 487.* Maſcardus *vol.1. concluſ.895. num.3.* Gratus *vol. 2. conſil. 59. num. 34.* contrarium mordicus teneant; ſed noſtram ſententiam præter Doctores citatos tenet etiam ex Regnicolis Antonius de Ballis *in tract.var.lib.1. quæſt.5. num.15. & 16.* qui citat Socinum, Baldum, Crauettam, & reſpondet ad argumenta Farinacij, nec aliter ſentiendum eſſe puto,quia ex teſtificatione ipſius delicti poteſt dari tortura; non eſt ergo mirum ſi teſtis vnicus, qui de illo deponit, neceſſe eſt vt ſit omni exceptione maior: at ex indiciis remotis quis non poteſt torqueri ex vno tantùm indicio, ſed ſaltem ex duobus, vnde erunt quatuor teſtes; non eſt ergo mirum,ſi non requiruntur omni exceptione maiores, & ideò quærendum eſt in ſequenti reſolutione.

RESOL. IV. *An ſi adſit tantùm vnicum indicium,probatum tamen per duos teſtes,poſſint Inquiſitores reum torquere?*

IVlius Clarus *in pract.lib.5.quæſt.64. num.14.* aſſerit quòd Doctores indiſtinctè dicunt, quòd de conſuetudine in practica ſeruatur, quòd per vnũ indicium proceditur ad torturam,& adducit plures auctores, quibus etiam videtur adhærere Petrus Caballus *in reſol.crim. cent. 2. caſ. 193. num.5.* & Doctores quos citat Guazzinus *tom.2. lib.1. defenſ. 30.cap.30. num.7.*

Verùm contrariam ſententiam tuentur Doctores, quos citat & ſequitur Farinacius *quæſt. 37. num.43.* quibus ego addo ex Doctoribus,qui materias S.Inquiſitionis tractarũt, Seraphinum Freitas *in addit.ad tract.de Confeſſ.ſollicit. quæſt.4. num.25.* vbi ex Bartolo, Menochio, & aliis, docet,vnicum indicium non ſufficere ad torquendum. & ita etiam docet Ludouicus Peguera *in praxi cap. 12.§. 9.n.8.* Vnde Miranda *de ordine iudic.tom.2. quæſt.26. art.4.concluſ.4.* & Guazzinus *tom.2. lib.1. defenſ. 30. cap.4.num. 11.* Iacobus Boſſius *in tit.de indiciis nu.71.* aſſerunt quòd ad torturam inferendam ſaltem duo indicia probata debent eſſe, & Bertazzolius *vol.1.conſil.213.num.8.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib.6. cap.3.dub.15. num.11.* Sylueſter *ver.Indicium, quæſt.2.* Tabiena *num.1.* Baiardus *in addit.ad Iul. Clar. quæſt. 64. num. 60.* putant duo indicia etiam leuia ſufficere ad torturam, quod Delrius *in appen. 2. lib. 5. quæſt.2.* concedit, etiamſi in iure non ſint expreſſa, dummodo ſint per duos teſtes probata, & ſint veriſimilia; quod eſt valdè notandum à Dominis Inquiſitoribus. Certum eſt igitur, vt dictum eſt, quòd ex vnico indicio remoto, non poſſunt reos torquere: ſecus autem ſi ſit proximum, & delictum maximè inferẽs, vt patet ex Carerio *in pract. crim.leg.obſeruare curabis,num.109.* Pegna *in director. part.3.comment.110.* & Marſilio *in pract.§. diligenter, n.177.* Miranda *in ordine iudic.tom.2.quæſt.26. art.6. concl.2.* & Peguera *in praxi cap.12.§.9.num.8.*

RE-

RESOL. V. *An ſi adſint plura indicia, probata tamen per teſtes ſingulares, poſſint Inquiſitores torturam adhibere?*

NEgatiuè videtur reſpondendum, per ea, quæ adducit Rojas *de hæretic. part. 2. num.* 286. Simancà *in cathol. inſtitut. tit.* 65. *num.* 14. & Pegna *in director. part.* 3. *comment.* 110. aſſerentes quòd indicia, ex quibus reus torqueri poteſt, probata eſſe debent, & ex neotericis tenet, licet cum formidine, hanc ſententiam Menochius *de probat. lib.* 1. *quæſt.* 91. *num.* 6. & illam abſolutè tenet Antonius Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 13. *nu.* 18. & Franciſcus Perſonalis de Mirandula *in tract. de indiciis & tortura num.* 63. *ver. nec obſtat*, cum Socino & Grammatico penes ipſum.

Sed his non obſtantibus, ego puto, quòd licet quodlibet indicium duobus teſtibus debeat probari, vt ſit ſufficiens ad torturam, vt *ſuprà* dictum eſt; attamen vbi plura eſſent indicia, licet probarentur teſtibus ſingularibus, ſufficerent ad torturam, & ita ex Fulgoſio, Socino & Bruno docet Vmbertus Locatus poſt *praxim Inquiſ. quæſt.* 35. quibus etiam ex noſtris ego addo Antonium Souſam *in aphor. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 39. *nu.* 19. Seraphinum Freytam *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollicit. quæſt.* 22. *num.* 20. & Albertinum *de agnoſcen. aſſer. cathol. quæſt.* 25. *num.* 20. vbi ſic ait: Licet indicium ad torturam debeat per duos teſtes probari, tamen negari nequit, quin vnus teſtis faciat aliquam præſumptionem, & ideò ſi plures teſtes ſint ſingulariter de ſingulis indiciis deponentes, dicentur plures facere præſumptiones, quæ faciunt vnum indicium ad torturam. Ita ille, & Layman *in Theol. moral. lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *nu.* 7. Franciſcus Brunus *tract. de indic. & tort. part.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 5. Antonius de Ballis *var. tract. lib.* 1. *quæſt.* 5. *nu.* 1. *& vlt.* & ego hanc ſententiam mordicus teneo, quando teſtes ſingulariter de indiciis ſingulis deponentes eſſent teſtes idonei, vt obſeruant Doctores, quos citat & ſequitur Giurba *conſil.* 87. *num.* 30. cui adde Guazzinum *tom.* 2. *lib.* 1. *defenſ.* 30. *cap.* 4. *nu.* 13. Souſam *loco citato* loquentem de indiciis proximis, & Queuedo *lib. de indic. & tort. cap.* 7. *num.* 1. *&* 2. licet doctus Criminaliſta Petrus Caballus cum multis Doctoribus probabiliter ſentiat *in reſolut. crimin. cent.* 2. *caſ.* 193. *nu.* 6. etiam indicia remota eſſe ſufficientia ad torturam, ſi probentur teſtibus ſingularibus minùs idoneis, & repulſatis, dummodo ſint plures numero duorum, quod etiam docet Bertazolius pater *vol.* 1. *conſil.* 214. *nu.* 8. & eius filius *in addit. lit. C.* Et tandem pro coronide huius reſolutionis apponam verba Antonij Souſæ *in aphor. loc. citat. nu.* 20. vbi ſic ait: Indicia remota requirunt, vt probent ad torturam conteſtationem duorum teſtium, aut plures ſingulares, qui deponunt de illis, quæ tendunt in eumdem finem. Ita ille. Vide etiam circa præſentem quæſtionem, quando caſus occurrerit, M. Ant. Delrium *in diſquiſ. Mag. appen.* 2. *lib.* 5. *q.* 10. *per totam*, & Guazzinum *tom.* 2. *lib.* 1. *defenſ.* 30. *cap.* 32.

RESOL. VI. *An ex dicto vnius teſtis immediatè deponentis de delicto, poſſint Inquiſitores reum torquere?*

REſpondeo affirmatiuè, ſi teſtis vnicus ſit omni exceptione maior. Ita Villadiego *in polit. cap.* 3. *num.* 367. Bernardinus *in addit. ad Ambroſinum de proceſſ. inform. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 16. Rojas *de hæret. part.* 2. *in direct. part.* 3. *quæſt.* 61. & *ibi* Pegna *comment.* 110. Zanchinus *de hæret. cap.* 9. & *ibi* Campegius *in addit. litt. E.* Cantera *in quæſt. crimin. cap.* 2. *de probat.* per teſtes *quæſt.* 1. *num.* 5. Ludouicus Peguera *in praxi cap.* 12. §. 9. *num.* 7. Suarez de Paz *in praxi tom.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. §. 12. *num.* 39. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.* 7. *num.* 126. Miranda *in ordine iudic. tom.* 2. *quæſt.* 26. *art.* 6. *concl.* 1. Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 39. *numer.* 17. & quis dicatur teſtis omni exceptione maior, gloſſa *ver. maiores, ca.* 1. *de affin. & conſanguin.* dicit, quòd ille dicitur teſtis omni exceptione maior, qui repelli non poteſt aliqua exceptione; id eſt, ſine vlla prorſus macula, & inuulnerabilis. Vnde Rolandus à Valle *vol.* 3. *conſil.* 2. *num.* 38. & Burſatus *lib.* 1. *conſil.* 37. aſſerunt, quòd omnis macula & minimus defectus impedit teſtem ne probet indicium, quod etiam docet ex multis Maceratenſis *var. reſolut. lib.* 3. *reſol.* 44. *caſ.* 4.

Sed quid ſi reus ſit bonæ famæ? Reſpondeo quòd tunc ad reum torquendum non ſufficit vnicus teſtis, etiamſi ſit omni exceptione maior. Ita Sanctarellus *de hæreſi cap.* 41. *dub.* 1. *num.* 1. Decianus *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 36. *numer.* 6. Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 3. Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 39. *numer.* 17. Pegna *in direct. Inquiſ. part.* 3. *comment.* 110. Michael Zanardus *in director. Theol. part.* 3. *cap.* 95. *fol.* 513. Ioſeph de Sancta Maria *in tribunal. Relig. tract.* 5. *cap.* 2. §. 5. & Simanca *in enchir. tit.* 52. *num.* 13. vbi ſic ait: Neceſſaria eſt ſaltem dimidiata, ſiue ſemiplena probatio ad torquendum hominem; reus ergo infamatus torqueri poterit vnius hominis fide digni teſtimonio de crimine ipſo teſtificante, quòd ſi reus ſit bonæ famę, alia præterea indicia neceſſaria ſunt. Ita ille. & ideò S. Ludouicus Rex Galliæ, teſte Boërio *deciſ.* 103. *num.* 2. & Aldrete *de diſcipl. tuen. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 11. ſtatuit nullum virum honeſtum, vel integræ famæ, quamuis pauper exiſteret, ad vnius teſtis depoſitionem poſſe torqueri, vide Grammaticum *conſil.* 47. *num.* 8. Non deſinam tamen hîc adnotare, contrariam docere Petrum Caballum *in reſol. crimin. cent.* 1. *caſ.* 84. *numer.* 15. vbi docet bonæ famæ probationem tollere indicium ad torturam prouenientem ex fama, ſecus ſi ex aliis indiciis, aliàs vix poſſet vnquam torqueri ex quibuſuis vrgentibus indiciis, cùm nullus ſit tam deprauatæ vitæ, qui non facilè hodiernis temporibus reperire poſſet teſtes eius bonam famam probantes. Sed DD. Inquiſitores facilè ſcire poſſunt, ſi reuerà reus ſit bonæ famæ, vitæque integræ.

Vnde è contra dicendum eſt, vt ego ſæpiùs in ſacro Tribunali votatus ſum, ſi reus ſit malæ vitæ, poſſe ex vnico teſte de viſu deuenire ad torturam, etiam quòd dictus teſtis non ſit omni

exceptione maior. Ita Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. quæſt.* 21. *num.* 15. & Carerius *in præxi crimin. leg. obſeruare curabis, num.* 110. quibus adde Menochium *de præſump. lib.* 1. *q.* 89. *num.* 6. & Farinacium *q.* 37. *num.* 65. qui hanc opinionem ſequitur, dummodo teſtis non ſit ipſo iure inhabilis, vel non patiatur plures defectus, & dummodo inquiſitus ſit malæ vitæ, quia puta aliàs criminoſus, & malæ famæ, non qui ſimpliciter vilis, vel pauper ſit. Ita ille, & ego.

RESOL. VII. *An ex ſolo dicto ſocij criminis poſſit reus ab Inquiſitoribus torqueri?*

AFfirmatiuè videtur reſpondendum, tam de conſuetudine, teſte Petro Caballo *cent.* 1. *caſ.* 84. *numer.* 7. quàm per ea, quæ adducit Antonius Gomez *var. reſ. tom.* 3. *cap.* 12. *numer.* 18. & Blanchus *in tract. de indiciis ad l. fin. de quæſt. n.* 378. *&* 379. Scotus *conſ.* 10. *num.* 28. *&* 31. *lib.* 2. Placa *de delictis, cap.* 13. *num.* 28. Guido de Suſaria *tract. de indictis, num.* 24. Butrius, Imola, Abbas *in cap.* 1. *de confeſſ.* & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 5. *num.* 29. vbi ſic ait: In criminibus exceptis admittitur ſocius criminis, vt teſtis idoneus, vt in hæreſi, atque huiuſmodi depoſitio non ſolùm erit ſufficiens indicium ad torturam, ſed etiam erit ſemiplena probatio, & accedente alio ſocio, qui idem deponat, erit plena probatio, & poterit reus condemnari. Ita ille. & poſt illum Pitigianus *in pract crimin part.* 2. *cap.* 1. §. *ſeptimò ſocius criminis. fol. mihi* 138.

Sed fallitur, & ideò vera reſponſio eſt negatiuà. Dico igitur quòd ſi cum dicto ſocij criminis non concurrit alia preſumptio, vel adminiculum, aut indicium, non facit indicium ad torturam; & ratio eſt clara, quia quis non poteſt torqueri, ſi non adſit ſaltem ſemiplena probatio, quam efficit dictum vnius teſtis omni exceptione maioris; ſed ſocius criminis, vt patet, non eſt teſtis omni exceptione maior. ergo, &c. & ita hanc ſententiam docet Didacus Cantera *in quæſt. crimin. cap.* 2. *de probat. per teſtes, quæſt.* 1. *num.* 57. Ioſeph Aldrete *de diſcipl. tuendæ lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 27. Becanus *in ſumm. tom.* 3. *part.* 2. *de iuſt. & iure, quæſt.* 67. D. Thom. *de iniuſtitia iudicis, quæſt.* 10. *concl.* 2. *num.* 10. Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 6 *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 7. Syluеſter *ver. Indicium, num.* 5. Armilla *num.* 6. Angelus *num.* 5. Tabiena *numer.* 4. Layman *in Theol. moral. lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *nu.* 7. Souſa *in aphor Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 39. *num* 51. Delrius *in diſquiſ. magic. append.* 2. *lib.* 5. *quæſt.* 1. Queuedo *de indic. & tort. part.* 2. *cap.* 5. *nu.* 16. Narbona *in recopil. part.* 2. *leg.* 2. *gloſſa* 4. *num.* 5. Ioſeph de ſancta Maria *in tribun Relig tract.* 5. *ca.* 2. §. 5. Boſſius *tit. de indic. ante torturam, num.* 160. Marſilius *conſil.* 28. *num.* 17.

Sed difficultas eſt, quænam ſint adminicula requiſita, vt cum dicto ſocij criminis faciat contra nominatum indicium ad torturam. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *caſ.* 474. *nu.* 47. Peguera *deciſ. crim.* 5. *num.* 33. & alij putant, ex quo non inueniatur in lege determinatum, qualia eſſe debeant ſupradicta indicia, arbitrio Inquiſitorum remittenda eſſe; ſed quia in facti contingentia adeſt ſcrupulus ad arbitranda hæc adminicula, ponam hîc caſus aliquos, quos affert Antonius Queuedo *lib. de indic. & tort. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. & doctiſſ. Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 24. in quibus cum ſocij criminis teſtimonio datur tortura. Primus, quando ſimul concurrunt teſtes de auditu. Secundus, quando concurrit fama. Tertius, quando concurrit fuga. Quartus, ſpecialis & ſtricta amicitia nominati cum tali ſocio. Quintus, ſi concurrit ſecreta allocutio, & conuerſatio inter nominatum & ſocium. Ita Souſa, qui citat Menochium, & Farinacium. Vnde ego olim in ſacro Tribunali conſului dictum vnius ſocij criminis cum adminiculo couerſationis ſtrictæ cum nominato, eſſe ſufficiens indicium ad torturam, & præter Souſam, & Farinacium *vbi ſuprà*, adduxi Grammaticum *vol.* 6. *num.* 3. & Antonium de Ballis *var. tract. lib.* 1. *quæſt.* 26. *num.* 9. per ea, quæ obſeruat Binsfeldius *in comment. de malef. & math. leg.* 9. *de indic.* §. 5.

Notandum eſt tamen hîc, quòd depoſitio duorum ſociorum criminis ſufficit ad torturam. Ita Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tractat.* 4. *diſput.* 8. *punct.* 15. §. 4. *numer.* 1. cui ego addo Martinum Becanum *in* 2. 2. *de iuſtit. quæſt.* 57. *de iniuſt. iud. quæſt.* 10. *numer.* 10. licet Michael Zanardus *in direct. Theolog. part.* 3. *cap.* 94. *fol. mihi* 516. aſſerat duos ſocios criminis facere indicium ad torturam, dummodo cum aliquibus indiciis deponant; ſed abſolutè dicendum eſt, depoſitionem duorum ſociorum criminis ſufficere, & ita etiam docet Pegna *in director. Inquiſit. part.* 3. *comment.* 110. *in append.* Menochius *de præſumpt. lib.* 1. *quæſt.* 91. *numer.* 5. Clarus *in pract. crimin.* § *fin. qu.* 21. Ioſeph Aldrete *de diſcipl. tuendæ lib.* 2. *cap.* 8. *numer.* 27. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.* 7. *num.* 37. Becanus *vbi ſuprà*, & Queuedo *de indic. cap.* 2. *num.* 20.

Sed difficultas eſt, an duo ſocij criminis non conteſtes, ſed ſingulares faciant indicium ad torturam? & affirmatiuam ſententiam docet Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 39. *numer.* 55. vbi ſic ait: Duo ſocij criminis, etiamſi ſint ſingulares, indicium faciunt ad torturam. Ita ille, qui citat Farinacium *quæſt.* 43 *numer.* 37. *&* 38. & Iul. Clarum *in praxi* §. *fin. quæſt.* 21.

Notandum eſt tamen hîc obiter: primò, quòd Maſcardus vir quidem doctus *de probat. concl.* 1318. *numer.* 43. docet, quòd dictum ſocij criminis tunc facit indicium contra nominatum, quando fuit interrogatus à Iudice, ſed non quando declarationem illam voluntariè fecit. Sed ex Farinacio Antonius Queuedo *de indiciis part.* 2. *cap.* 5. *numer.* 17. aſſerit: *Eſta opinion no es verdadera porque haze mas indicio, y tiene menos preſuncion de ſugeſtion, quando ſe haze voluntariamente, que quando ſe haze por la pregunta del Iuez.* Ita ille. Verùm quidquid ſit de hoc, etiam ſtando in opinione Maſcardi, dictum ſocij in noſtro ſacro Tribunali ſemper habetur ex interrogatorio Iudicis, & quando reus non vocatus ſe delatat, ex obligatione edicti, & ex metu cenſurarum, hoc efficere dicendum eſt. ergo doctrina Maſcardi non militat in caſu noſtro.

Notandum ſecundò, quòd ſi quis tortus fuerit,

&

& negatiuus ex dicto ſocij criminis adminiculato, ſi poſteà alij duo ſocij criminis contra illum deponant de tali delicto, poteſt reus iterùm torqueri. Ita Marius Giurba *in conſiliis criminalibus, conſ.*50.*num.*42. cum Muſcatello tenens hanc ſententiam,ſiue reus ſit malæ, vel bonæ famæ, & vitæ,licet alij in nomine bonæ famæ & vitæ id procedere negant.

Notandum tertiò, quòd tunc dictum ſocij criminis facit indicium ad torturam, quando, vt dicitur *in cap.in fidei fauorem,de hæret in* 6. ex veriſimilibus coniecturis, & numero teſtium, vel ex qualitate deponentium præſumitur falſum non dicere: & ita etiam obſeruat Delrius *in diſquiſ. mag.in append.*2 *lib.*5. *quæſt.*1.*concluſ. vlt.* Hippolytus de Marſilius *conſ.*74.*num.*13.& alij communiter *vbi infrà* citandi.

Et tandem nota quartò, quòd licet ſine vlla difficultate quis poſſit torqueri ex dicto trium ſociorum criminis, tamen hoc limitandum eſt, quando ſit tanta vis bonæ famæ propter magnam perſonarum inæqualitatem, vt, v. g. ait Delrius *in diſquiſ. mag. in appen.* 2. *lib.* 5. *quæſt.* 6. ſi Princeps denuntiaretur à ſuis ſubditis, tunc enim tot denuntiationes requirerentur, quot poſſint præponderare, & idem ego ſentio de aliquo qui in ciuitate publicè apud ſæculares haberetur pro Religioſo eximiæ ſanctitatis, plurimi enim facienda vitæ præcedentis merita, vt patet ex *l.* 3.§.*ſed ſi ex improuiſo,& l.non omnes,*§. *à barbaris ff. de re milit.*

RESOL. VIII. *An depoſitio ſocij criminis adminiculata ſufficiat ad torquendum, ſi Inquiſitores videant ipſum pati alios defectus?*

NEgatiuè reſpondendum eſt; igitur ſocius criminis,qui patitur plures defectus, vt qui eſt infamis, criminoſus, periurus, aut aliàs inhabilis, non facit indicium ad torturam.Ita Souſa *in aphor. Inquiſ lib* 2.*cap.*39 *num.* 53. *& cap.*25. *num.*25. Gigas *de crimin.læſæ Maieſt.lib.*2.*quæſt.*7.*num.*7. Menoch.*de arbitr.lib.*2.*caſ.* 474.*num.*54. Anton.de Ballis *tract. var.lib.*1.*quæſt.*26.*num.*25. Narbona *in recopilat. part.* 2.*leg.*2.*gloſſa* 4.*num.*10.*&* 11. Burſatus *vol.*1.*conſ.*275. *num.*19.Maſcardus *de probat.tom.*3.*concl.*1311. *nu.*13. *&* 42.Farinacius *q.*62.*num.*381.*& ſeq.* Boërius *deciſ.* 319.*num.*3.& ante omnes Ioan.Rojas *ſingul.*188. *n.* 5.vbi ſic ait:Licet in crimine hæreſis ſocius criminis in teſtem admittatur, id locum habet in ſocio criminis, aliàs non infamato ex aliis delictis. Ita ille,& ideò Delrius *in diſquiſ. mag. lib.* 5. *ſect.* 3. *fol. mihi* 711.ſic ait:Socius criminis vt faciat indicium ad torturam, requiritur vt non patiatur niſi hunc vnum defectum, nam ſi plures habeat, etiamſi tantùm duos,v.g.quòd non tantùm ſit infamis,& criminoſus, ſed etiam ſit vilis, abiectus, vel aliàs inhabilis, tunc ne in exceptis quidem faceret indicium ad inquiſitionem ſpecialem, nedum ad torturam,etiamſi in tortura ſuam nominationem confirmaſſet. Hæc Delrius. Vnde Ioſeph. Seſſe Conſultor S. Officij *tom.* 4. *deciſ. Regni Arag.* 477. *num.*32.ſic ait:Licet in crimine hæreſis admittatur ſocius criminis,hoc procedit, quando talis ſocius non ſit ex alio delicto infamatus,& ſic non datur contra eum duplex exceptio,& defectus. nam ſicut plura adminicula probant probationem, ſic plures defectus eam deſtruunt. Ita ille.& nouiſſimè Anton. Queuedo *de indiciis & tortura part.* 2. *cap.*5.*num.*18.vbi ita aſſerit: *En los caſos en que el dicho del ſocio haze indicio para tormento ha de ſer quando ſolamente padeçe exception de complice en aquel delicto, però no quando padeçe tachas y obiecciones por otro camino que por eſte.* Hæc ille, & etiam ante illum Auendanus *reſponſ.*31.*num.*7. vnde ex hoc principio ego olim reum à tortura liberaui, quod valdè tenendum eſt menti à DD. Inquiſitoribus, quia ſocij criminis in noſtro ſacro Tribunali ferè ſemper patiuntur alias exceptiones.

Non deſinam tamen hîc adnotare,Delrium ſibi contrarium *in appen.*2.*quæſt.*17.*dicti lib.*5. *fol.* 877. docere, ſocium criminis in caſu hæreſis admittendum eſſe,etiamſi alios defectus pateretur,quia lex criminoſos,& infames ad teſtimonium in criminibus exceptis ferendum admittens inter eos, qui vno, vel pluribus criminibus inuolutus, aut ratione criminum ſæpiùs infamis notatus, non diſtinguit; ergo nec nos diſtinguere debemus. Deinde, v. g. malefici plurimis, iiſque horrendis criminibus vtplurimum ſunt innodati, quòd ſi aliis criminibus maleficos teſtes carere eſſet neceſſe, nullus vnquam eſſet teſtis idoneus. Et ita hanc ſententiam putat Delrius tenendam eſſe, quia vtilior Reipublicæ,& iuſtitiæ; & pro illa citat Baiardum,Boſſium,& Ludouicum,ſed non eſt deſerenda communis opinio, ex qua infert Farinacius *q.*43.*n.*86.vnum notabile; quòd ſi reus primò examinatus negauerit delictũ, ac etiam complices, vel confeſſus de ſe delictum interrogatus de complicibus illos reticuerit, ſi poſteà iterum de hoc interrogatus,vel tortus ſponte,aut per torturam variando à prima depoſitione ſocios nominauerit,non vtique tunc faciet talis nominatio indicium ad torturam contra nominatos, ex defectu periurij,niſi forſan cum dicto ſocij criminis periuro concurrerent non ſolùm adminicula, ſed illa quidem etiam grauia.

RESOL. IX. *An dictum ſocij criminis adminiculatum ſufficiat, vt Inquiſitores poſſint torquere reum, ſi ſit bonæ conditionis & famæ?*

NEgatiuam ſententiam docet Grammaticus *conſil.* 70. *num.* 7. vbi loquitur etiam in dicto duorum ſociorum criminis. Idem docet Pariſius *lib.*4.*conſil.*151.*num.*13.Rolandus à Valle *vol.*1.*conſil.* 16.*n.*24 *& ſeq.*Bertazolius *lib.*1.*conſil.*61.*num.*19.Peguera *deciſ.crimin.*5. *nu.*31. Monticellus *in praxi crimin.reg.*4.*num.*46.vbi ſic ait:Requiritur, quòd inculpatus ſit malæ famæ,conditionis, malæque vitæ & conuerſationis, aliàs nominatio in ſocium criminis nihil ei præiudicabit; quoniam bona fama talem effectum operatur, vt per ipſam eliſum intelligatur illud indicium, quod ex dicto ſocij criminis reſultabit. Ita ille.qui citat Carreram, & Alexandrum.

Sed hoc (attendant DD. Inquisitores) ego puto remittendum esse eorum prudenti arbitrio, nam si cum dicto socij concurrerent tot adminicula, & præsumptiones, vt superarent bonam famam, esset omnino nominatus subiiciendus torturæ, & ita tenet Farinacius *quæst.37. n.188.*

Notandum est tamen hîc obiter, quòd non est à DD. Inquisitoribus admittenda opinio aliquorum Doctorum asserentium, quod non facit indicium ad torturam si socius criminis, nulla præcedente interrogatione, alios socios nominet, & ita contra hanc opinionem insurgit Farinacius *loco citato num.189.* Iul. Clarus *in pract. lib.5. quæst.21.* & alij, nec valet dicere quòd testis vltrò se offerens examini suspectus à iure reputatur; ergo pariter reputari debet suspecta nominatio socij criminis sponte facta, nam respondetur esse disparem rationem inter vtrumque casum, quia socius criminis in nostro casu non sponte se subiicit examini, sed coactus, vt patet, nec sponte dicitur deponere, quia cùm à Iudice ad dicendam veritatem super facto datur iuramentum, implicitè interrogatur de sociis si socij interuenerunt. ergo, &c. Sed de hoc *suprà* etiam dictum est.

RESOL. X. *An socius criminis, vt fidem faciant contra nominatos, sufficiat iurare, vel opus sit, vt à DD. Inquisitoribus torqueantur ad deponendum?*

SVfficere iuramentum & torturæ supradictos non esse subiiciendos, docet Ioan. Rojas *de hæret. part.2. asser.7. nu.155.* Simanc. *in cathol. institut. tit. 53. n.38.* & Auend. *resp.31. n.8.* & alij.

Verùm M. Anton. Genuensis *in praxi Archiepisc. cap.68. num.11.* sic asserit: Licet secundùm Simancam testi socio criminis sit adhibenda fides, etiam sine tormentis, praxis tamen se habet in contrarium, quòd torquetur aliquantulum ad validandam eius depositionem contra socium. Ita ille, & M. Anton. Delrius *in disquis. mag. lib.5. sect.3.* contra Simancam probat etiam, quòd vt fidem faciat socius criminis cõtra socium nominatum, debeat torqueri. Vide etiam Campegium in Zanchinum *de hæret. cap.9. lit.C.* Riccium *part.3. decis.298.* & Triuisanum *lib.2. decis 39. num.7.* Marsilium *consil. 22. num. 22. consil. 78. num.1.* &, quod maius est, Michaëlem Zanardum Consultorem S. Officij in Italia *in direct. Theol. part. 3. cap. 94. fol. mihi 516.* sic asserentem: Duo socij criminis faciunt indicium ad torturam, dummodo cum aliquibus indiciis deponant, & dictum suum in tormentis sustineant. Ita ille. & nouissimè Anton. Queuedo *de indiciis & tort. part. 2. cap.5. num.10* sic ait: *Es de aduertir que estos complices no deben ser creidos sin tormentos, sino que por este efeto deben ser preguntados con ellos, y esto se debe assi praticar, y si no se haze no es, porque no se deba hazer, si no por la ignorancia y floxedad de los Iuezes.* Sic ille. & Alphonsus Narbona *in recopil. part 2. lib. 8. tit. 12. leg.2. gloss.5. num.36. & 40.* acriter hanc sententiam defendit; quam etiam tenet Catharinus *de interrog reor. lib. 4. cap. 2. num.13.* & Caballus *cent.1 cas.32.*

Sed his non obstantibus, opinio Simancæ mihi placet, quæ seruatur in Tribunalibus nostræ Inquisitionis Hispanicæ, & illam tenet etiam Pegna *in director. Inquis. part.3. comment.113.* Dico igitur socium criminis absque tortura indicium facere modo, quo *suprà* explicatum est, & hanc sententiam solidè cõfirmat Seraph. Freitas *in addit. nouiss. ad tract. de Confess. sollic. quæst. 4. num.42. & seq.* & ita, teste Anton. de Ballis *tract. var. lib.1. quæst.26. nu.6.* hodie seruatur in magna Regia Curia huius Regni, vbi recipitur dictum socij criminis absque tortura, & Petrus Caballus licet *vbi suprà, & cas. 84. num.11. & seq.* teneat non valere dictum socij sine tortura, tamen asserit multis in locis hoc non obseruari de consuetudine.

Sed quia hæc difficultas oritur etiam circa depositiones aliorum testium inhabilium, ideò quærendum est absolutè vt in sequenti resolutione.

RESOL. XI. *An testes inhabiles vt fidem faciant sint ab Inquisitoribus torquendi?*

HIc casus in sacro Tribunali quotidie accidit, quia quamuis regulariter inhabiles, vt excommunicati, infames, &c. à testimonio repellantur, at in causis fidei propter Religionis fauorem, ne tam graue hæresis crimen impunitum remaneat, admittuntur, ex *cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6.* Sed difficultas est, an vt fidem faciant, debeant torqueri? & affirmatiuam sententiam docet Sanctarellus *de hæresi cap. 38. dub.vn. n.1.* & illam mordicus tenet, & defendit Antonius Delrius *in disquis. mag. lib.5. sect.3.* & Inquisitor Campegius *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap.9. lit.C. in ver. Inquisitor, ver. adsunt insuper.*

Verùm hæc sententia dura nimis & aspera videtur, & ideò crederem hos testes inhabiles indicium facere siue maius, siue minus, spectatis personarum qualitatibus aliisque circumstantiis, etiamsi sponte & sine tormento testimonium dederint; & certè si testes inhabiles non admitterentur, in nostro sacro Tribunali ad testimoniũ dicendum, sine tortura, facilè auerterentur à ferendo testimonio in causa fidei; non tamen nego, quandoque posse, & debere torqueri, quod quãdo fieri debeat, DD. Inquisitorum arbitrio relinquo, spectata testium infamium malitia, improbitate & varietate, & hæc omnia docet Pegna *in director. Inquis. p.3 quæst.46. comm.113.* & Simanca *tit.64. num.37.* Rojas *de hæret. part. 2. num.153.* Sousa *in aphor. Inquis. lib.2. cap.13. num.15.* cum Antonio Gomez *var. resol. lib.3. cap.12. num.16.* & Sigismundo Scaccia *tom.1. lib.1. cap.82. nu.2.* & ita in praxi obseruatur in nostro Tribunali Inquis. Hispan. vbi dicti testes ordinariè non torquentur, & ita seruari in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur doctus Aloysius Riccius *part.2. decis. 268.* vbi admittuntur testes inhabiles ad probandum sine tortura.

Notandum est tamen hîc obiter primò quòd testes inhabiles admittuntur ad probandum aliquem esse hæreticum; econtra verò non admittuntur in fauorem illius, secundùm Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 477. num. 35.* Malleum Maleficarum

tom.

tom.1.part.3.quæſt.4. Gundiſſaluum *de hæret.quæſt.13. nu.14.* Repert.Inquiſ.*ver. an illi teſtes inhabiles.* Zecchium *in ſumm.tom. 1.tit. de hæret. cap.11. num.14.* & Ioan.Rojas *ſingul.118.numer.10.* vbi ſic ait: Ad defenſionem hæreticorum teſtes inhabiles, & minùs idonei non admittuntur, & id annuere videtur textus *in cap.in fauorem fidei*, de qua concluſione eſt caſus expreſſus *in c. filij, vel heredes,in fine, de hæret.in 6.* ibi, *non tamen per vxores, filios,familiares, vel de ſuis aliquos, ſed per teſtes alios fide dignos*, & expreſsè habetur *in director. part.3. cap.70.* & hunc intellectum ad prædicta iura tenuit Boſſius *in pract.crimin.tit.de hæret.numer.3.* Hæc omnia Rojas *loco citato.*

Verùm contraria ſententia hodie ſeruatur in praxi, & ita docet Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.2. cap. 13.numer.8.* vbi ſic ait: Teſtes inhabiles admittuntur ad defenſionem rei in crimine hæreſis, dummodo inde non ſequatur pœna parti accuſanti, & admiſſi etiam non plenè probant. Ita ille. qui citat Farinacium *q.62.limit. 5.* licet ſibi ſit contrarius,nam *q.188.n.82.* docet hos teſtes minimè admittendos eſſe: hinc à fortiori dicendum eſt admittendos eſſe familiares conſanguineos & domeſticos,ſi pro reo adducantur,non tamen tamquam integros teſtes,ſed vt teſtes diminutæ veritatis, licet hoc non procedat ſecundùm Simanc. *in Enchir. tit. 35.num.24.* quando conſanguinei admittuntur ad probandas exceptiones contra teſtes promotoris fiſcalis, tunc enim cõſanguineos intra quartum gradum aſſerit non eſſe admittendos,nec ad probandas defenſiones obliquas, ſiue indirectas.Ita ille.

Nota ſecundò,quòd Repertorium Inquiſ. *ver. teſtes, ver. nota diſtinctionem*, & gloſſa *in cap. in fidei fauorem,ver. Inquiſ.* Ioan. Andreas *ibi num.3.* Geminianus *num.7.* Francus *num. 3.* Farinacius *de hæreſi q.188. num. 78.* & alij aſſerunt teſtes inhabiles per *dict.cap.* in fidei fauorem admittendos eſſe, quando per viam Inquiſitionis proceditur; ſed ego puto in crimine hæreſis teſtes inhabiles admittendos eſſe,etiam quando proceditur per viam accuſationis.Ita Souſa *in aphoriſ.Inquiſ.lib.2.cap.13. nu.6.* Rojas *ſingul.188.num.6. & ſingul. 191. num.3.* Gundiſſaluus *de hæret.q.13.num.17.* Carrera *tract.de hæret.num. 120.* & ratio eſt, quia in vtroque caſu eſt eadem ratio in fidei fauorem,& idem tenet Farinacius ſibi contrarius *q.62.num.86.*

Nota tertiò quòd licet teſtes inhabiles admittantur modo, quo ſuprà in fauorem fidei,hoc intelligendum eſt ad ſolam probationem delicti, non autem ad illius circumſtantias non ſubſtantiales; & ideò aſſerit Souſa *in aphor.Inquiſ.lib. 2.cap. 13.nu.7.* teſtes inhabiles non probant adminicula, adminicula,inquam,non ſubſtantialia. Ita ille. Vnde infertur hos teſtes admitti ad probandam,v.g. familiaritatem cum hæreticis, conuenticula ſecreta, & alia huiuſmodi, quia hæc demonſtrant delictum, & ſunt de illius intrinſeca ſubſtantia, non autem, v. g. ad probandum Baptiſmum inquiſiti, &c. licet Boſſius *tit. de crimine læſæ maieſt. num.114.* & Gigas *eodem tit. quæſt. 5. per totam*, cum aliis doceant, teſtes admiſſos ad probandum aliquod delictum, admitti debere ad probandum ea omnia, ſine quibus delictum eſſe non poteſt; verùm noſtram ſententiam tenet Farinacius *qu. 56.de teſtibus à num. 78.* illamque confirmat doctus Narbona *in recopilat.part.2.leg.2.gloſ.7. nu.6. & ſeq.* adi illum,& non pigebit.

Nota quartò quòd licet huiuſmodi teſtes non ſufficiant ad plenam probationem,ſed ad pœnam extraordinariam,vel ad torturam,vt docet Rojas *ſingul.191.num. 3.* & alij penes ipſum; non eſt tamen negandum quòd ſi magnus ſit eorum numerus, & adſint coniecturæ ſufficientes, ſuppletur eorum defectus, & poteſt imponi pœna ordinaria.Ita Souſa *in aphor.Inquiſ. lib.2. cap.13. num.13.* Pegna *in direct.part.3.comment. 113.* Ioſeph Seſſe *to. 4.deciſ.Regn.Aragon.477.num.28.* & alij. Vnde non grauabor hîc apponere verba Caſtri Palai *in opere morali tom.1.tract.4.diſp.8.punct.15.§.4.num.1.* vbi ſic ait;De teſtibus inhabilibus, vt ſunt excommunicati,criminoſi, ſocij criminis, Iudæi, & hæretici, communis & recepta ſententia eſt non integrè delictum probare,quia licet fauore fidei ad teſtificandum admittantur,admittuntur tamen vt periculo falſitatis dicendæ ſubiecti, neque enim hoc periculum,quod eſt intrinſecum,purgari poteſt admiſſione, ex quo fit duplici teſte conteſte ſociis criminis, aut aliàs inhabilibus non poſſe reum ad pœnam ordinariam condemnari,etiamſi indicia & circumſtantiæ concurrant, quibus præſumi poteſt veritatem deponere, quia huiuſmodi indicia & circumſtantiæ expoſtulantur, vt eorum dictum admitti poſſit, non autem expoſtulantur vt integrè probent, vt legenti textum *in cap.in fidei fauorem,de hæret.in 6.* patebit; quocirca depoſitio vnius teſtis inhabilis rarò ad torturam ſufficit, niſi aliis adminiculis, & præſumptionibus grauibus adiuuetur;depoſitio duorum ſufficiet ad torturam, vel ad condemnandum reum pœna extraordinaria; trium, vel quatuor depoſitio ad condemnationem ordinariam ſufficiet, quia multitudine deponentium inhabilitas illorum reparatur.Ita Palaus. Sed ego, pace viri docti, numquam condemnarem hæreticum pœna ordinaria ex teſtimonio trium teſtium inhabilium,quia hodie vtplurimùm non damnatur hæreticus ad pœnam ordinariam, niſi aduerſus illum adſint tres teſtes conteſtes omni exceptione maiores; quomodo igitur damnandus erit ex teſtimonio trium teſtium inhabilium? imò neque cum quatuor, plures itaque requiruntur; & in tali caſu numerus teſtium, vt obſeruat Rojas *ſingul.188.num.3.* ſupplet eorum defectus etiam ad effectum, vt dicantur omni exceptione maiores, & etiamſi omnes patiantur aliquas exceptiones. Ita Gregor. XV. *in deciſ. 351. numer.4. & 5.* & Cæſar de Graſſis *deciſ.175.numer.9.* licet, vt verum fatear, quoad hoc vltimum diſſentiat Cacheranus *conſil. 64. num.30.* & Burſatus *lib.3. conſil.231. num.31.*

Nota quintò,hos teſtes inhabiles, criminoſos, infames, &c. admittendos eſſe non ſolùm in defectum aliarum probationum, ſed etiam in caſu, quo aliter veritas haberi poſſit, & ita contra

Delrium *in diſquiſit. mag. lib.5. ſect.5.§.poſſunt in hac cauſa.fol. mihi* 728. & Eymericium *in direct. part.3. quæſt.69.*docent Simanca *in cathol.inſtit. tit.35. num.* 17. Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. ver. excommunicati,num.*4.Repertorium Inquiſ.*ver.teſtes,verſ. eſt tamen.*Scaccia *de iudic.&c.tom.*1.*lib.*1. *cap.* 82. *nu.* 2.Farinacius *de hæreſi quæſt.*188.§.5.*num.* 74. & alij, & patet ex textu *in cap.in fidei fauorem, de hæret.in* 6. ibi,*præſertim in defectum aliarum probationum,* dictio enim illa,*præſertim,* eſt ampliatiua, & demonſtrat in omni caſu admittendos eſſe, maximè in illo. hinc aſſerunt DD. quos ad ſatietatem adducit amicus noſter doctus Auguſtinus Barboſa *in tract. de dictionibus vſu frequentibus, dict.* 277. *num.*4. quòd hæc dictio.*præſertim,* exprimit caſum minùs dubitabilem,& implicat,& ſupponit magis dubitabilem.

Et tandem nota ſextò quòd ſupradicti teſtes admittuntur contra reos,quando,vt habetur *in d. cap.*in fidei fauorem ex veriſimilibus coniecturis, & ex numero teſtium,aut perſonarum,tam deponentium, quàm eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumſtantiis ſic teſtificantur, vt falſa dicere non præſumantur. & ita etiam obſeruat Delrius *in diſquiſ.Mag.append.*2. *lib.*5. *quæſt.*1. Hippolytus de Marſiliis *conſ.*74. *n.*13. Menochius *de arbitr.lib.*2.*caſ.*474.*num.*58. Maſcardus *de probat. lib.*1.*concluſ.*158.*num.*3.& alij,qui loquuntur de depoſitione ſocij criminis.

RESOL. XII. *An confeßio extraiudicialis ſufficiat, vt Inquiſitores poßint torquere reum?*

REſpondeo affirmatiuè cum Pegna *in director. part.* 3. *comment.* 110.*lit. M.* Simanca *in enchir. tit.*56.*num.*14.Ioſeph Aldrete *de diſcipl. tuenda lib.*2. *cap.*8.*num.*3.Sanchez *in opuſc.tom.*2. *lib.*6. *cap.*3. *dub.* 15.*num.*8.Syluestro *ver.Indicium,quæſt.*2. Angelo *nu.* 2.Tabiena *num.*1.Gomez *tom.*3. *variar. cap.*13.*num.* 8.Petro Binsfeldio *in comment.de malef.& math.leg.* 9.*de indiciis,*§.9.Miranda *in ordine iudic.tom.*2.*quæſt.* 26.*art.*7.*concluſ.*1.MichaëleZanardo *in direct.Theol. part.*3. *cap.*95. *fol.*515. Souſa *in aphoriſm.Inquiſ. lib.*2. *cap.*39. *num.* 91. Ioſeph de S. Maria *in Tribun.Relig. tract.*5.*cap.*2.§.8. Iulio Claro *quæſt.*21. *nu.*31. Farinacio *quæſt.*37.*num.*47. Carerio *in pract. leg. obſeruare, num.*121.Hippolyto de Marſiliis *in pract.* §. *diligenter,n.*76.Rodriquez *in ſumm.tom.*2. *cap.*162.*num.*2. & aliis penes ipſos, quia non eſt credendum aliquem ſibi falsò crimen imponere.

Sed notandum eſt quòd Follerius *in pract. in* 2. *parte,numer.*204. adducit decem & ſeptem requiſita, vt confeſſio extraiudicialis ſit indicium ad torturam: verùm, vt obſeruat Baiardus *in addit. ad Iul.Clar.quæſt.*21.*num.*112.& Menochius *de præſumption.lib.*1.*quæſt.*89.*num.*16. *& ſeq.* quatuor tantùm ſunt neceſſaria. Primum quòd confeſſio iſta debet eſſe veriſimilis,atque ita debet habere cauſam præexiſtentem, nam ſi nulla ſubeſſet cauſa, qua ita factum dici poſſet, indicium ſumi non poſſet. Secundum, quòd hæc confeſſio facta fuerit ſeriò, non autem iocosè, item facta eſſe non debeat calore iracundiæ. Tertium, quòd ſit confeſſio ſpecialis, non autem generalis, & quo loco,& quo tempore fuerit facta. Quartum quòd hæc confeſſio ſit probata teſtimonio duorum, & licet hoc requiſitum ſit commune cum aliis indiciis remotis, habet tamen neſcio quid plus, cùm maiori quadam diligentia ij teſtificari debeant. Hæc omnia Menochius ex Follerio; & hoc vltimum docet etiam Villadiego *in politic. cap.* 3. *numer.*311. aſſerens duos teſtes de confeſſione extraiudiciali ſufficere ad torturam, cum Ioſeph de ſancta Maria *in Tribun.Relig.tract.*5.*cap.*2.§.8.Giurba *conſil.*87.*num.*20.

Aduerte id,quod aſſerit Menochius,confeſſionem extraiudicialem debere eſſe cum loco & tempore, vt faciat indicium ad torturam, docere etiam Brunum *de indiciis quæſt.*3.*num.*16.Carerium *in praxi,leg.obſeruare num.* 121. Farinacium *quæſt.*82. *num.*29. Antonium Queuedo *lib.de indic. & tort. cap.*7.*num.*3.& Maſcardum *lib.*1.*concl.*350.*numer.*1. Sed aduerſus illos inſurgit Antonius de Ballis *in tract.var.lib.*1.*quæſt.*13. *numer.*3. quia non videtur ei poſſibile, nec veriſimile extra iudicium quemquam velle narrare integrum factum cum circumſtantiis,quod etiam aduertit Boſſius *in tit. de Conſeſſ.num.*45. ſed de hoc *infrà* etiam redibit ſermo in fine huius reſolutionis.

Notandum eſt tamen hìc primò quòd Menochius *loco cit.num.*25.Carerius *in praxi leg. obſeruare, num.* 121. Marſilius *ſingul.* 310. Cacheranus *in deciſ. Pedem.*79.*num.*25. Bertazolius *lib.*2.*conſil.* 166. *num.* 22.& alij aſſerunt, quòd ſi reus reuocauit confeſſionem extraiudicialem,non eſt torquendus,cùm ſit confeſſio nudi facti; verùm aduerſus hanc ſententiam inſurgit, & meritò, Iul. Clar. *vbi ſuprà.* & nouiſſimè doctus Petrus Caballus *reſol. crimin. cent.*1.*caſ.* 81.*numer.* 4. vbi cum multis aliis probat, quòd ſi error non probetur,ſemper talis confeſſio facit indicium ad torturam,& ita teſtatur de praxi. Atque hanc ſententiam docet etiamFarinacius *quæſt.*82.*num.*28.Boſſius *tit.de Conſeſſ.num.*55. Binsfeldius *in comment.de malef.leg.*9.*de indiciis,* §.9. Miranda *in ordine iudic.tom.*2.*quæſt.* 26.*art.* 7. *concluſ.*1. Vnde cautè legendus eſt à noſtris DD. Inquiſitoribus in hac quæſtione Albertinus *de agnoſcen. quæſt.*25.*num.*22.& Sanchez *in opuſc.tom.*2.*lib.* 6.*cap.* 3.*dub.*15.*num.*8.

Nota ſecundò quòd licet aliqui Doctores magni nominis, quos citat & ſequitur Alphonſus Villagut *in praxi lib.* 7. *cap.* 14. *concl.* 3. Maſcardus *de probat.lib.*1.*concl.*353.*numer.*24.doceant confeſſionem extraiudicialem ita valere ad torturam, vt ſi reus in tortura idem confiteatur, poſſit condemnari, etiamſi poſteà non ratificet confeſſionem; tamen hoc non eſt tenendum, ſi de condemnatione ad pœnam ordinariam criminis intelligatur, quia confeſſio in tormentis, præcedentibus indiciis facta, ſemper requirit perſeuerantiam & ratificationem, alioqui eſt nullius momenti, cùm vi tormentorum cenſeatur expreſſa. Ita Martinus Becanus *in* 2. 2. *D. Thom.de iuſt.quæſt.*67.*de iniuſt.iudicis,quæſt.*10,*concluſ.* 2.*num.*9.Pegna *in direct.part.*3.*comment.* 110. & Petrus Caballus *vbi ſuprà num.* 6. & alij penes ipſum.

qui-

quibus adde Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. num. 26.* Gomez *tom. 3. variar. cap. 13. n. 8.* Carthagenam *de interrogat. teor. lib. 4. cap. 1. num. 153.* Bizardum *in addit. ad Iul. Clar. quæst. 64. num. 136.* Guazzinum *tom. 2. lib. 1. defens. 30. dub. 35. nu. 6.* & ex noſtris Simancam *in Cathol. inſtit. tit. 65. num. 70.* & Mirandam *in ordine iudic. tom. 2. q. 26. art. 7. concluſ. 1.* qui *concluſ. 2.* cum multis DD. probat confeſſionem emanatam coram Iudice incompetente ſemiplenè probare, & indicium facere ad torturã, modò ſit ſpontanea, & libera. vide Pegnam *in director. Inquiſit. part. 3. comment. 118. in append.* & Genuenſem *in praxi Archiepiſcop. cap. 8. num. 3.*

Et tandem nota tertiò; quòd licet Farinacius *quæſt. 82. num. 45 & quæſt. 64. nu. 145.* cum aliis aſſerat, quòd confeſſio extraiudicialis non probetur per teſtes ſingulares, tamen noſter Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 21. n. 10.* in crimine hæreſis contrarium docet, ſic enim ait: Confeſſio extraiudicialis ſufficienter probatur teſtibus ſingularibus, quorum ſingularitas eſt adminiculatiua, præſertim in crimine hæreſis. Ita ille, vbi citat Maſcardum, & hanc ſententiam etiam docet Albertinus *de agnoſcen. quæſt. 25. nu. 20.* vbi ita aſſerit: Si darentur plures extraiudiciales confeſſiones rei, & vnus teſtis deponeret de vna confeſſione, & alter de altera, & ſic quòd teſtes eſſent ſingulares, licet vnuſquiſque per ſe non faceret indicium, tamen hæ atteſtationes ſimul iunctæ indicium facerent ad torturam. Ita ille, qui reſpondet ad contraria, & hanc ſententiam probant ea, quæ *ſuprà* dicta ſunt *in reſol. 7.* & tandem, illam etiam tenet Caſtrus Palaus *in opere morali tract. 4. diſp. 8. punct. 9. nu. 3. & 4.* quidquid in contrarium aſſerat Farinacius, Menochius & alij.

RESOL. XIII. *An fama præbeat indicium, vt Inquiſitores reum torturæ ſubiicere poſſint?*

QVidquid aliqui aſſerant, ſola fama de ſe non eſt ſufficiens indicium ad torturam; igitur ſecundùm Simancam *titul. 65. numer. 37.* vt propter famam quiſpiam torqueri queat, hæc omnia ſimul requiruntur, quòd reus vilis & infamatus ſit, quòd fama ſit orta non à maleuolis, aut leuibus hominibus, ſed ab honeſtis, & fide dignis, & poſtremò quòd per teſtes idoneos probata ſit, nec ſat eſt, quòd teſtes dicant hanc eſſe publicam famam, niſi etiam rationem addant, qua id neceſſariò concludant. Ita ille, & poſt illum Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. n. 19.* Syluester etiam *ver. Indicium, q. 4.* Angelus *num. 4.* Armilla *num. 5.* Tabiena *num. 3.* Miranda *de ordine indic. tom. 2. q. 26. art. 5. concl. 1. & 2.* Pegna *in direct. Inquiſ. part. 3. commen. 110.* & Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 39. numer. 59.* Queuedo *lib. de indiciis & tortura cap. 6. num. 3.* Menochius *de præſumpt. lib. 1. q. 89. num. 51.* qui *num. 52.* declarat hanc ſententiam locum non habere, quando fama eſſet vehemens, nam tunc ipſa ſola ſine aliis adminiculis eſſet ſufficiens ad torturam; quæ autem dicatur fama vehemens, hoc relinquit arbitrio Iudicis. Sed Petrus Binsfeldius *in commen. de malef. & Math. leg. 9. de indiciis. §. 6.* Petrus Caballus *in reſol. crim. cent. 1. caſ. 84. num. 14.* putant famam vehementem de ſe ſola non ſufficere ad torturam; verùm communis ſententia Doctorum eſt in contrarium, quos affert Farinacius *quæſt. 47. num. 28.* ſentiens famam vehementem ſufficere. quod etiam docet Miranda *de ordine iudic. tom. 2. quæſt. 26. art. 5. concl. 1.* Menochius *conſil. 788. numer. 27.* Peguera *deciſ. 17. num. 16.* Aldouinus *conſil. 26. num. 2.* & ex noſtris Pegna *in director. par. 3. commen. 110.* Sed vt ſit vehemens, aduertit Farinacius quòd Iudex aliquas regulas debet animaduertere, id eſt, quòd fama non dicitur vehemens, quando illa ortum habuit à perſonis inhoneſtis, & non fide dignis, & numerus teſtium minimè ſupplet illorum inhabilitatem in probatione famæ. Deinde attendenda eſt cauſa originis ipſius famæ, non autem numerus perſonarum, & ideò ſi fama ortum habuerit à mille perſonis, & nulla appareat cauſa, vnde talis fama orta ſit, non eſt habenda in conſideratione, & ideò non facit indicium ad torturam. Sed ſtantibus prædictis conſiderationibus, tantum eſt dicere famam vehementem facere indicium ad torturam, quantum dicere famam adminiculatam facere indicium ad torturam; ergo cùm non poſſit fama vehemens dici, niſi ſit adminiculata, ſequitur has ſententias inter ſe non pugnare. Concludendum igitur eſt dictam famam cum aliis indiciis & coniecturis modo, quo *ſuprà* explicat Simanca, eſſe ſufficiens indicium ad torturam, & in caſu contingenti DD. Inquiſitores ne deſerant videre Inquiſitorem Canteram *in qq crim. cap. 2. de probat. per. teſtes. quæſt. 1. num. 8.* & Pegnam *vbi ſuprà*, & Bertazolium *vol. 1. conſil. 213. num. 3.* cum Pitigiano *in pract. crim. part. 3. cap. 7. in addit. lit. B.* & Michaele Zanardo *in direct. Inquiſ. part. 3. cap. 95. fol. 514.*

Notandum eſt tamen hîc primò, quòd multi aſſerunt famam habentem ortum ab aliqua veriſimili cauſa & coniectura ſufficere, etiamſi teſtes non ſint ita honeſti, & fide digni; ſed hanc ſententiam meritò reprobat Farinacius *quæſt. 47. num. 159.* Vnde dicendum eſt teſtes deponentes de fama, ad minus duos eſſe debere, & hos ſpectatæ vitæ, & omni exceptione maiores, vt ex multis probat Miranda *de ordin. iudic. tom. 2. quæſt. 26. art. 5. concl. 2.*

Nota ſecundò quòd aliqui aſſerunt ſufficere in noſtro caſu, ſi teſtis dicat ſe ita publicè dici audiuiſſe, vel ita eſſe publicam vocem & famam. Ita Peguera *deciſ. 17. num. 25.* Paulus Granatus *theor. 22. num. 6.* Burſatus *lib. 1. concl. 90. num. 6.* & alij, quos adducit Maſcardus *de probat. lib. 1. concl. 496. nu. 19. & lib. 2 concl. 740 num. 4. & 5.* Sed ego contrariam ſententiam tenendam eſſe puto cum Bartolo *in l. de minore §. plurium, n. 12.* & *ibi* etiam Marſilius *nu. 54. in fine, ff. de quæſt.* Nauarrus *in tract. de fama & infamia, cap. non ſunt audiendi 2. quæſt. 3. numer. 13. & 14.* & alij innumeri; & ad ſummum prima opinio tunc admittenda eſt, quando teſtes adducerent cauſas & coniecturas veriſimiles, ex quibus orta fuit fama, nam aliter famam non probarent, etiamſi dicerent ſe ita publicè dici audiuiſſe, vel

ſic

sic esse publicam vocem, & famam, & ideò dixit Simanca *vbi suprà*, non satis esse, quòd testes dicant ita esse publicam famam, nisi etiam ratione reddant, qua id necessariò concludant; igitur requiritur vt testes deponentes super famam, reddant rationem eorum dicti, etiam non interrogati, & sic debent exprimere causas, indicia, & coniecturas, quibus orta est fama, aliter non probant, & ita inter alios docet Miranda *de ordine iudic. to. 2. q. 26 art. 5. concl. 2.* Mascardus *de probat. lib. 2. concl. 149. num. 11. 12. & 13. & lib. 3. concl. 1369. num. 8.* Alia verò requisita ad probationem famæ ne omittas videre apud Farinacium *quæst. 37. vsque ad n. 277.*

RESOL. XIV. *An fuga sit indicium sufficiens vt Inquisitores possint torquere reum?*

AD hoc dubium ita respondet Simanca *in Cathol. instit. tit. 65 nu. 28.* Is, qui post commissum crimen fugit, antequam accusetur, poterit ob eam causam torqueri; quia, vt plerique putant, fuga illa semiplenam probationem facit. Aliud esse aiunt, cùm reus accusatus fugit, tunc enim fuga non probat semiplenè. Ita ille, & post illum Eymericus à Rosbach *in tract. crim. tit. 5. cap. 9. num. 2. & 5.* Ioseph de S. Maria *in Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 9.* & Ludouicus Miranda *in ord. iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 8.* qui postquam docuisset fugam adminiculatam facere indicium ad torturam, sic subdit: Intelligenda est hæc conclusio de eo, qui post commissum delictum aufugit, antequam accusetur, nam non ab re contra ipsum præsumitur, quòd illud commiserit, estque vehemens, & vrgentissimum indicium, ad torturam proinde sufficiens; secus est de illo, qui accusatus fugit, nam eiusmodi fuga non est vehemens, & sufficiens indicium ad torturam, nec vim habet semiplenæ probationis, cùm ex alia causa possit procedere. Ita ille. Sed in casu occurrenti ne prætermittas videre Farinacium *q. 48. nu. 1. & seq.* Gomez *tom. 3. var. c. 13. n. 10.* Iul. Clarum *in pract. §. fin. q. 21. num. 18.* Mascardum *de prob. lib. 2. concl. 819. n. 4. & concl. 831. n. 9.* & alios penes ipsos.

Non desinam tamen hîc adnotare, aliquos docere ex fuga è carcere etiam attentata, oriri contra fugientem indicium de delicto, pro quo detinebatur, sufficiensque ad torturam, dummodo animo reuertendi non effugerit. & ita docet ex nostris Anton. Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 26. nu. 34.* & ante illum Farinacius *quæst. 30. num. 85.* cum aliis penes ipsum.

RESOL. XV. *An variatio, mendacium, & vacillatio rei præbeant Inquisitoribus indicium ad torquendum?*

RESpondeo ex se, sola negatiuè. Dico igitur quòd vt variatio rei faciat contra ipsum indicium ad torturam, debet esse adminiculata aliqua alia coniectura, indicio, seu præsumptione; secus autem, vt dixi, si sit sola nuda, & non adminiculata; & ita hanc sententiam tenet Zanardus *in director. Theolog. part. 3. cap. 93. fol. 512.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 17. num. 164.* Bonacinus *in 2. 2. D. Thom. de iust. q. 67. de iniustitia iudicis, quæst. 10. nu. 13.* Ciazzius *in defens. reorum discept. 35. num. 8.* Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. num. 80.* Ludouicus Carerius *in pract. crim. leg. obseruare, nu. 119.* Iul. Clarus *in pract. §. fin. quæst. 21.* Cacheran. *decis. Pedemon. 79. num. 17.* & alij quos citat & sequitur Petrus Caballus *ref. crim. cent. 2. cas. 200. n. 136.* vbi sic ait: Variatio circa circumstantias & qualitates delicti nullo modo facit indicium ad torturam, nec etiã si sit circa ipsum delictum, nisi iunctis aliis indiciis, secundùm communem opinionem Doctorum. Ita ille. Et idem dicendum est de mendacio, vt ex multis Doctoribus obseruat Miranda *in ordin. iudic. tom. 2. quæst. 26 art. 12. concl. 1.* & de vacillatione. nam sine alio indicio, coniectura, aut præsumptione non faciunt indicium ad torturam. Vnde etiam non desinam hîc apponere verba doctissimi Inquisitoris Didaci Cantera *in qq. crimin. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 20.* vbi sic asserit: Iudices non benè faciunt qui captum aliquem propter delictum sine aliquo indicio propter vacillationem solùm, vel trepidationem, ponunt ad torturam, & ex hoc vidi quendam Iudicem puniri, & condemnari in Cancellaria Granatensi. In causa autem hæresis ex sola vacillatione numquã reus poneretur ad torturam, nisi essent alia indicia de delicto. Ita Cantera.

His tamen non obstantibus, non desinam hîc adnotare, multos Doctores asserere, mendacium super facto principali per se solum indicium esse ad torturam, & ita tenent Doctores quos ad satietatem adducit Giurba *in consiliis criminal. consil. 87. n. 27.* qui etiam cum multis aliis *in n. 26.* docuerat, quòd quando plura adsunt mendacia, vnum ab alio adminiculatur ad torturam.

Notandum est etiam hîc obiter cum Menochio *de præsumpt. lib. 1. quæst. 89. num. 71.* quòd sola titubatio, vultusque mutatio rei non facit contra illum indicium ad torturam, nisi cum ea titubatione, & trepidatione concurrant aliqua adminicula, quod priùs docuerant Marsilius *in pract. crim. §. diligenter, num. 74.* & Carerius etiam *in praxi crimin. leg. obseruare, num. 120.* & nouissimè Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. num. 81.*

RESOL. XVI. *An reus tortus, & negatiuus, si superueniant noua indicia, possit iterùm ab Inquisitoribus torqueri? & quænam indicia esse debeant.*

POsse reum torqueri, si noua superueniant indicia, docet Simanca *in Cathol. instit. tit. 65. num. 75.* Villadiego *in polit. cap. 3. numer. 321.* Bertazolius *vol. 2. consil. 274. numer. 21.* & alij communiter. Sed difficultas est, an ista indicia debeant differre à primis specie, & substantia? & aliqui affirmatiuam sententiam tenent, aduersus quos nouissimè insurgit Queuedo *lib. de indic. & tort. part. 2. cap. 7. numer. 6.* vbi sic ait: *Se pueden repetir los tormentos quando despues que el reo nego en el primero tormento sobreuenieron nuevos indicios, ò por la boca del reo, ò por testigos, que no son aquellos, que se causaron en el primero juizio, sino de diuersos generos, y mas euidentes, y que difierẽ de los primeros en la especie, y en la substãcia, como*

como ſi los primeros indicios fueſſen de mala fama ò de enemiſtad, y los ſegundos fueſſen de viſta vn teſtigo, &c. *porque aunque aya teſtigos de los primeros indicios, no ſe dira que ay mas indicios ſino mas probança dellos, ſegun Farinacio. Yo no tengo por cierta eſta doctrina, porque ſi lo fuera, della ſe pudiera inferir, que ſupueſto que los indicios ſobreuinientes han de diferir de los primeros no ſolo en la ſuſtancia, ſino en la eſpecie, que ſi los primeros fueron remotos, no baſtarã otros remotos, y ſi propinquos no baſtaran otros propinquos, y lo miſmo de los proximos y indubitables, y eſto no es cierto y fuera abſurdo el entenderlo aſsi, antes digo que baſtaran indicios de la miſma eſpecie, con que difieran en la identidad, como ſi el reo fueſſe atormentado por enemiſtad, podra ſerlo por la fama, ò por otro indicio, aunque conuengan en la eſpecie con ſer remotos en los caſos que baſtan para tormento, lo miſmo de los propinquos y de los demas, como difieran en la identidad, aunque ſe conformen en la eſpecie, porque no hallo razon para lo contrario, ni Farinacio la da, y aſsi digo, que en eſtos caſos ſe podra repetir a los reos el tormento.* Ita ille, qui pro hac ſententia adducit Antonium Gomez *tom. 3. var. cap. 13. num. 7. & 8.*

Verùm, his non obſtantibus, ſententiam affirmatiuam tuentur Doctores noſtri ſacri Tribunalis, & inter illos doctiſſimus Pegna *in direct. Inquiſ. part. 3. comm. 39. n. 156.* vbi ſic aſſerit: Obſeruanda eſt doctrina de non iterandis tormentis, niſi noua indicia ſuperueniant: noua autem indicia voco, quæ à primis differunt ſpecie, & ſubſtantia. Ita ille. qui citat Alexandrum & Caſonum, quibus addo Vmbertum Locatum Inquiſitorem *in ſua praxi, ver. tortura. §. & nota ſecundùm Felinum*; vbi ita ait: Si reo legitimè torto, ſed non cõfeſſo, noua ſuperueniant indicia (noua voco, ſcilicet à primis differentia ſpecie, & ſubſtantia, non tamen ſi eadem coadiuuarentur teſtibus) iterùm poterit torqueri. Hæc ille, & ex Criminaliſtis Boſſius *tit. de tort. num.* 42. & alij.

Sed ego puto, quòd ſenſus ſupradictorum DD. in illis verbis quòd indicia noua debeant differre ſpecie, & ſubſtantia, ſit, quòd indicia noua non ſint eadem, licet coadiuuentur aliis teſtibus, vt ſi, v. g. & eſt exemplum Iul. Clari *in pract. §. final. quæſt.* 64. *num.* 46. aliquis tortus ſit ex indicio famæ, & deinde ſuperueniſſent alij teſtes probantes famam, vtique in tali caſu non debet reus torqueri, quod vtique faciendum erit, ſi alia noua indicia remota ſuperuenirent præter famam, & hunc eſſe ſenſum ſupradictorum verborum, patet ex verbis Locati *ſuprà* adductis, & ita intelligendi ſunt Caſonus *de indiciis tit. de tortura cap.* 14. *num.* 8. Ludouicus Bologninus *in addit. ad tract. Guid. de Suzar. de indic. & tort. num.* 61. Brunus *in tract. de indic. & tort. part. 2. quæſt. 5. num.* 63 Damhauderus *in praxi cap.* 38. *num.* 5. Petrus Caballus *in reſol. crimin. cent. 2. caſ. 93. num.* 43. aſſerentes reum poſſe iterum torqueri ex nouis indiciis ſuperuenientibus, ſi tamen à prioribus differant ſpecie, vel ſubſtantia. Aduertit tamen Vincentius de Franchis *part. 4. deciſ.* 577. & Guazzinus *tom. 2. lib. 1. differ.* 30. *cap. 23. num.* 8. & 4. indicia ſuperuenientia, vt reus torqueatur, debere eſſe talia per ſe, vt ſufficiant ad torturam. Item debere eſſe indicia propinqua, & non remota, quod etiam docet Natta *vol. 2. conſil.* 407. *num.* 12. & alij penes ipſum Guazzinum, ſed ex indiciis remotis pluribus poſſe torturam leuiter tantùm repeti, tenet Caballus *cent. 2. caſ. 193. num.* 5. Verùm Queuedo *vbi ſuprà*, & alij, abſolutè docent ex indiciis remotis ſufficientibus repetendam eſſe torturam.

Notandum eſt etiam hìc obiter quòd in ſupradicto caſu quando tortura repetenda eſt ex nouis indiciis, tunc danda erit reo copia indiciorum, & audiendus quemadmodum ante primam torturam factum eſt, nam in vtroque caſu militat eadem ratio, & ita docet Pegna *in director. Inquiſ. part. 3. commen.* 54. & poſt illum Cartharius *de interrogat. reorum. lib. 4. cap. 1. num.* 198. & 199. Et hæc vt magis occurrentia & practicabilia, ſatisdicta ſint circa materiam indiciorum in ordine ad torturam; nunc verò deueniendum eſt ad alias quæſtiones. & ideò quæro,

RESOL. XVII. *An Inquiſitores poſſint inferre torturam ſine Epiſcopo, & alios ad hoc ſubdelegare?*

REſpondeo negatiuè, ex *Clem. 1. §. propter, de hæret.* Vnde ſi Inquiſitores ſine Epiſcopo hæreticum torquerent, omnia eſſent ipſo iure nulla, & ideò ſi reus ita tortus confeſſus fuerit, dicta confeſſio reo confitenti minimè nocebit, etiamſi fuerit ratificata, & hæc omnia latè probant DD. quos citat & ſequitur Farinacius *de hæret. quæſt.* 186. *num.* 67. *& ſeq.* quibus ego addo Michaëlem Zanardum *in director. Theol. part. 2. cap. 6. quæſt.* 41. & Vmbertum Locatum *in praxi Inquiſ. ver. tortura*, 7. 8. *& 9.*

Vnde in ſacro Tribunali Inquiſitionis Hiſpanicæ ita ſupradicta obſeruantur, vt non ſolùm Inquiſitores cum Epiſcopo ſimul ſententiam torturæ proferant, ſed quando reus actu torquetur, adſunt præſentes ſimul cum Epiſcopo, vel eius procuratore, & rarò aliis, vt torturæ aſſiſtant, committunt. & ideò *in inſtruct. Hiſpal. anno* 1484. ſic habetur: *En la queſtion de tormento, quando ſe huuiere de dar, deben eſtar preſentes los Inquiſidores, y Ordinario, ò alguno dellos, y ſi bien viſto le fuere cometer el dicho articulo à otra perſona, porque ellos quiſa no lo ſabran bien hazer, ò ſeran impedidos, deben mirar que la tal perſona, à quien lo ſuſo dicho ſe cometiere ſea hombre entendido y fiel, y de buena fama y conſcientia.* Sic ibi. & ad ornatum ſupradictorum verborum vide Pegnam *in director. Inquiſ. part. 3. commen. 39. num.* 151. *littera B.* vbi ſic habet: Non modò ad pronuntiandam tormenti ſententiam interuenire debent Epiſcopus, & Inquiſitores, verùm etiam ad executionem eius, niſi per infirmitatem, aut aliam iuſtam cauſam alter excuſaretur, quod vbique videtur obſeruandum. Ita ille.

Et ideò quod *ſuprà* determinatum eſt in ſupradicta inſtructione Hiſpalenſi, poſteà etiam determinatum fuit in inſtructione Toletana *ann.* 1561. *numer.* 48. vbi ita ſtatuitur: *Al pronunciar de la ſentencia de tormento, ſe hallen preſentes todos los Inquiſidores, y Ordinario, y aſsi miſmo à la execution del, por los caſos, que pueden ſuceder en ella, en que puede ſer meneſter en el parecer, y voto de todos ſin embargo, que en*

las

las instruciones de Seuilla del anno 1484. se permita, que la execucion del tormento se pueda subdelegar, porque esto que aqui se ordena parece cosa conueniente, quando alguno de los dichos Iuezes no se excusasse por enfermedad bastante. Sic ibi. Quod autem dicitur de infirmitate, dicendum est etiam de alia iusta causa, vt tenet Pegna *loco cit.* Et tandem hîc non desinam adnotare ea, quæ dixit circa præsentem quæstionem Simanca *in enchir. cap. 52. n. 28.* vbi ita ait: Inquisitor ipse adesse debet quæstioni, quia plurimum in excutienda veritate etiam vox ipsa affert, nam ex sermone, & ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt; nemo autem præsens debet esse quæstioni præter Iudices, tabelliones, atque tortores. Sic Simanca. Et hoc vltimum determinatur etiam *in d. instruct. Toletana, num. 55.* vbi sic habetur: *Al tormento no se deue hallar presente persona alguna mas de los Iuezes y el Notario, y ministros del tormento.* Sic ibi. Quod etiam ex multis probat Suarez de Paz *in praxi tom. 1. c. 3. part. 5. §. 12. num. 84.* & Villadiego *in polit. cap. 3. num. 325.*

RESOL. XVIII. *An sit in arbitrio DD. Inquisitorum, quando delictum est vehementer indiciatum, procedere ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam?*

ALiqui viri docti ex collegis in hoc sacro Tribunali sæpiùs affirmatiuam sententiam docuere; ego verò negatiuæ semper adhæsi, & modò adhæreo, ex sententia Baldi, quem referunt & sequuntur duo præstantissimi Doctores Hispani, Greg. Lopez & Anton. Gomez, hic *tom. 3. var. cap. 12. n. 26.* ille verò *in part. 7. tit. 1. l. 26. ver. duda,* quorum sententiam amplectendam esse docet nouissimè Thom. Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 3. c. vnic. dub. 12. n. 4.* vbi sic ait: Quando Iudex habet indicia vrgentia contra aliquem in criminalibus, & ipse reus negat delictum, non est in arbitrio Iudicis procedere ad torturam, vel ad pœnam aliquam extraordinariam; sed si reus est persona, quæ potest torqueri, de iure tenetur Iudex procedere ad torturam, vt comperta veritate possit Iudex pœna ordinaria damnare reum, vel absoluere, quia hoc medium iure statutum est ad extorquendam veritatem, *l. edictum. ff. de quæst.* & intelligitur conclusio, seruatis omnibus requisitis ad torturam. Ita ille, & ego. quæ quidem opinio magis amplectenda videtur in nostro sacro Tribunali, in quo non solùm intenditur pœna reorum, sed etiam emendatio, & veritatis ad eorum salutem indagatio, quæ sola tortura haberi potest: ergo ad eruendam veritatem, necessariò danda erit, ita vt rei confitendo errores, conuertantur, & viuant, vt benè docet Simanca *in enchirid. c. 52. nu. 4.*

Non desinam tamen hîc adnotare, Menochium, virum quidem doctissimum, *de præsumpt. lib. 1. q. 92. num. 3.* existimare hoc totum Iudicis arbitrio relinqui, vt pro ipsorum indiciorum, & præsumptionum qualitate, ac pro conditione personæ arbitretur, an damnari, aut torturę subiici debeat reus. vide etiam Canteram *in qq. crimin. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 31. in fine.*

RESOL. XIX. *Quomodo Inquisitores debeant interrogare reos in tortura?*

AD hunc casum ita respondet Ioan. Rojas *de hæret. part. 2. num. 295.* Inquisitores fidei cautè in tortura reos interrogent, ne occasio mentiendi contra se, & alios detur; ideò generaliter, & non particulariter, vel nominatim sunt interrogandi, videlicet vt veritatem dicant de omnibus, de quibus sunt accusati, & fuerunt, & nullo pacto falsum contra se, vel alios proferant. nam si particulariter interrogantur de re aliqua, vel persona, esset potiùs ad falsum incitare, & suggerere, quàm inquirere. Ita ille, cui adde Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. num. 92.* Mirandam *in ordine iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 15. concl. 7.* Simancam *in Cathol. instit. tit. 65. numer. 17. & seq.* & ideò sapienter in nostra instruct. Toletana *anno 1561. numer. 49.* sic statuitur: *Al tiempo que la sentencia de tormento se pronunciare, el reo sea aduertido particularmente de las cosas, sobre que es puesto à question de tormento, pero despues de pronunciada la sentencia no se le deue particularizar cosa alguna, ni nombrarsele persona de los que parecieren culpados, ò indiciados por su proceso, y en especial, porque la esperiencia enseña, que los reos en aquella agonia dizen qualquier cosa, que les apunten, de que se sigue por juicio de terceros, y ocasion para que reboquen sus confesiones, y otros inconuenientes.* Ita ibi sapienter, vt dixi, & sanctè.

RESOL. XX. *An Inquisitores debeant admittere appellationem rei à sententia torturæ?*

REspondeo affirmatiuè ex *l. 2. C. de appellat. recipien. & l. penult. C. quorum appellat. non recipiuntur,* nisi appellatio esset friuola & calumniosa, nam in tali casu possunt illam reiicere, & ea non obstante ad vlteriora procedere absque attentatorum vitio, vt in facti contingentia, me consulente cum DD. Collegis in sacro Tribunali, anno præterito factum fuit, reiiciendo appellationem cuiusdam rei tamquam friuolam; quando verò dicatur appellatio friuola, remittitur arbitrio Inquisitorum, per ea, quæ adducit Sousa *in aphorism. lib. 2. cap. 35. nu. 6.* Simanca *in enchirid. tit. 52. nu. 11. & in instit. Cathol. tit. 65. n. 2.* Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. num. 81.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. n. 4.* Miranda *in ordine iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 15. concl. 2.* Queuedo *lib. de indiciis & tort. cap. 13. num. 6.* Villadiego *in polit. cap. 3. num. 324.* Sebastianus Grazzinus *in defens. reorum tom. 2. lib. 1. defen. 30. cap. 2. num. 11.* Menochius *de arbitr. lib. 2. cas. 197. num. 2.* & Farinacius *quæst. 38. num. 27.* qui optimè *num. 28.* aduertit, quòd tunc appellationem friuolam, & calumniosam Iudex arbitrabitur, quando videbit in processu apparere legitima ad torquendum indicia, & ea non fuisse purgata in termino concesso ad defendendum; quæ tamen omnia procedunt, quando constat clarè de calumnia appellationis: secus autem quando sumus in dubio tam iuris, quàm facti, nam tunc Domini Inquisitores debent supersedere in tortura, & expectare quid

quid ſuper appellatione pronũtiet Iudex ad quem, vt optimè obſeruat Carauita *in ritu mag. Cur.* 259. *n.*10. cum Farinacio *loco citato*, quibus adde Guazzinum *loco citato*. Scacciam *de iudic. tom.*1. *lib.*1. *c.*97. *num.*85. vbi explicat, quando appellatio à ſententia torturæ dicatur friuola; & ita omnia ſupradicta determinantur *in noſtra inſtruct. Toletan. anno* 1561. *num.*50. vbi ſic habetur: *Deben los Inquiſidores mirar mucho la ſentencia del tormento ſea juſtificada, y procedendo legitimos indicios, y en caſo que deſto tengan eſcrupulo ò duda por ſer el prejuycio irreparable, pues en las cauſas de heregia ha lugar apelacion de las interlocutorias otorgaren la apelacion à la parte que apelare, Però en caſo, que eſten ſatisfechos de los legitimos indicios que del proceſſo reſultan eſta juſtificada la ſentencia del tormento, pues la apelacion en tal caſo ſe reputa friuola deben los Inquiſidores proceder à la execucion del tormento ſin dilacion alguna, y aduertir que en duda han de otorgar la apelacion.* Sic ibi, quæ vbique, ait Pegna *in direct. Inquiſit. part.*3. *comment.*31. *n.*121. obſeruari vellem, quoniam tutiſſima ſunt, & æquiſſima.

Nota tamen hîc cum dicto Pegna, quòd appellatio ab interlocutoria, ſiue à grauamine, quo reus ſe grauari dicit, duo præcipuè continere debet, primum eſt grauamen, à quo appellatur, ex *cap. cùm ſit Romana, extrà de appellat.* alterum eſt cauſa grauaminis, & non ſufficeret illa in genere, ſed ſpecificè erit explicanda, aliter appellatio non valeret.

Nota ſecundò, quòd ſi poſt appellationem aliud crimen deferatur, ipſa appellatione non obſtante poſſunt Inquiſitores circa illud cõtra appellantem procedere; ſi tamen cauſa grauiſſima non ſit, tutius eſt non procedere, & Superioris reſponſum expectare. Ita Souſa *vbi ſuprà num.* 11. qui citat Pegnam, quibus ego addo Caſtrum Palaum *in opere morali, tom.*1. *tract.*4. *diſp.*8. *punct.*7. *num.*7. vbi rectè excipit, niſi cauſa appellationis fuerit ſuſpicio Iudicis, tunc enim quia æqualiter in omnibus cauſis procedit, non poterit Iudex reum ad reſpondendum compellere, niſi fortè fuerit delictum adeò graue, & manifeſtum, vt ipſamet grauitate, & manifeſtatione reus condemnatus exiſtat.

Et tandem nota tertiò, quòd in caſu, quo Inquiſitores admittunt appellationem, tranſmittendus eſt reus cum proceſſu, & idoneis cuſtodibus ne fugiat, vel potiùs mittenda eſt ſummaria informatio ad Sum. Pontificem. Ita Paramus *de orig. Inquiſ. lib.*3. *quæſt.*4. *n.*100. & Souſa *vbi ſuprà n.*9. Verùm in noſtra Inquiſitione Hiſpanica in tali caſu obſeruatur id, quod ſtatuitur in inſtructione Toletana *cit. n.*51. vbi ſic habetur: *Si en alguno caſo parecieſſe à los Inquiſidores, que deben otorgar la apelacion en las cauſas criminales de los reos, que eſtan preſos, deben embiar los proceſos al Conſejo ſin dar noticia dello à las partes, y ſin que perſona de fuera de la carcel lo entienda porque ſi al Conſejo pareciere otra coſa en alguna cauſa particular lo podran mandar, y proueer.* Sic ibi.

RESOL. XXI. *An Inquiſitores poſſint torquere Confeſſarium ſollicitantem ex delatione vnius feminæ bonæ famæ?*

AFfirmatiuè ad hunc caſum reſpondet Michaël Zanardus *in director. Theolog. part.*3. *cap.*88. *fol. mihi* 490. vbi ſic ait: Item ſi mulier ſit bonæ famæ & opinionis, ſi à Confeſſario in actu confeſſionis compulſa contra aliquem aliàs ſuum Confeſſarium depoſuerit, quòd eam in confeſſione ſacramentali ſollicitauerit (niſi mulier ſit de mendacio ſuſpecta ex exceptionibus, & talis Confeſſor ſit cognitus probatæ vitæ) poterit torqueri ſuper dicto vnius optimæ mulieris, non patientis tamen aliquam exceptionem ex voluntariis, cùm ſimus in crimine occulto, & nullus præſumatur ſuæ ſalutis immemor, vnde coacta à Confeſſario, vt Confeſſarium ſollicitantem reuelet, & inter hos nulla ſit inimicitia, vt teſtis probans de proprio auditu (qui in tali delicto æquiualet ei, qui aliquid deponit de proprio viſu) vt teſtis integer habebitur. Hæc Zanardus.

Sed hæc quæſtio non deſeruiet pro Inquiſitione Hiſpanica, in qua numquam Confeſſarij ſollicitantes torquentur: verùm loquendo ſtante praxi Inquiſitionis Romanæ, vbi ſupradicti torquentur, adhuc puto ſentẽtiam Zanardi non eſſe admittendam. nam ſi, vt optimè obſeruat contra Canteram Anton. Souſa *de Confeſſ. ſollic. tract.*2. *c.*21. *n.*6. Confeſſarium minimè detrudendum eſſe in carcerem ex vnius feminæ, quantumuis honeſtæ, delatione, quantò magis dicendum eſt, ex tali delatione, minimè torquendum eſſe, nam mulier numquam eſt teſtis omni exceptione maior; ſed vnicus teſtis non ſufficit ad torquendum, niſi ſit omni exceptione maior: ergo, &c. Dicendum eſt igitur, quòd numerus teſtium in tali caſu ſufficiens ad reum torquendum remittitur arbitrio Inquiſitorum, qui inſpectis circumſtantiis, qualitate reorum & teſtium, hoc negotium prudenter determinabunt. In noſtro verò Tribunali Inquiſitionis Hiſpanicæ reus in tali caſu, neque recluditur in carcerẽ quouſque duobus teſtibus, vel tribus fuerit teſtificatus, vt obſeruat Anton. Souſa *vbi ſuprà n.*7. & Caſtrus Palaus *in opere morali tom.*1. *tract.*4. *diſp.*9. *punct.*11. *n.*1. & alij. & ſi eſt Religioſus, in carcerem ſecretum non detruditur ſine conſilio ſupremi Senatus.

RESOL. XXII. *Quomodo, & quo tempore Inquiſitores debeant facere, vt reus ratificet confeſſionem in tormentis factam?*

POſt inflictum tormentum, & confeſſionem in eo extortam, vt virtute eius reus poſſit condemnari, neceſſarium eſt, vt eam ratificet extra locum torturæ, vt patet per gloſſam *in l.*2. *ver. aliquid. C. quarum appellat. non recip.* & per gloſſam *in l. ſeruos, C. ad leg. Iul. de vi public.* & docet Simanca *in Cathol. inſtit. tit.*65. *n.*67. Suarez de Paz *in praxi tom.*1. *part.*5. *cap.*3. §.12. *num.* 23. *&* 24. & alij; quantum autem tempus tranſire debeat in hac cauſa, nullo communi iure præfinitum eſt. Bartolus & alij *in l.* 1. §. *Diuus Seuerus ff. de quæſt.* in arbitrio Iudicis hoc eſſe poſitum, videtur ſentire. Ceterùm Anton. Gomez *to.*3. *var. cap.*13. *num.*24. rectè admonet id ſpatium eſſe debere vnius diei naturalis. & hæc omnia obſeruat Pegna *in director. part.*3. *comment.* 39. *num.* 158. qui addit, benignius eſſe, vt hæc ratihabitio fiat poſt duos, vel tres dies, poſtquam inflicta fuit tortura, ne adhuc tormentorum dolor, & vehemens animi perturbatio durare videatur, quod etiam aſ-

ſerit Souſa *in aphoriſm. Inquiſ.lib.2.cap.39.num.43.*

Sed praxis noſtræ Inquiſitionis Hiſpanicæ ſequitur opinionem communem Antonij Gomez, & aliorum, & ideò dicta ratificatio recipitur poſt tranſactas 24.horas. Vnde in inſtr. Tolet. *anno* 1561. *n.*53. ſic ſtatuitur: *Paſſadas 24.horas deſpues del tormento ſe ha de ratificar el reo en ſus confeßiones, y en caſo, que las reuoque vſar ſe ha de los remedios del derecho. Y al tiempo que el tormento ſe da, el notario debe aſſentar la hora, y aſsi miſmo à la ratification, porque ſi ſe hiziere en el dia ſiguiente, no venga en duda ſi es deſpues de las veynte y quatro horas, ò antes, y ratificandoſe el reo en ſus confeſsiones, y ſatisfechos los Inquiſidores de ſu buena confeſsion podranle admitir a reconciliacion ſin embargo de que aya confeſſado en el tormento.* Sic *ibi.* licet Simanca *in Cathol. inſtit. tit.65.nu.71.* & Miranda *in ordine iudiciario tom.2. quæſt.26.art.17.concluſ.* 3. aſſerant, quòd Inquiſitores ſolent in tertium diem rei ratificationem differre, quod illis etiam permittit inſtructio Hiſpalen. *anno* 1484. *num.* 15. Verùm hodie ex dicta inſtructione Toletana, vt obſeruat Didacus Cantera *vbi infrà*, poſt tranſactas 24.horas à reo ratificationem regulariter expoſcunt.

Modum verò habendi hanc ratificationem ponit Farinacius *de hæreſi quæſt.*185.§. 8.*nu.* 150. vbi ſic ait: Cautius eſt, prout hodie ſeruatur, quòd ad effugiendam ſuggeſtionem non lecta ſibi confeſſione moneatur ad repetendum in ſubſtantia, quid in ſua confeſſione in tormentis emanata pro veritate dixerit, & ſic per ipſum repetita dicta confeſſione in ſubſtantia poſteà legatur cõfeſſio per extenſum, & perquiratur ab eo, an ea quæ ſibi lecta fuerint, ſint illa eadem, quæ confeſſus fuerit poſt torturam, & an tamquam vera confirmare, & ratificare intendat. Ita Farinacius; & licet alij ponant aliam formã habendæ dictæ ratificationis, non eſt recedendum à ſupradicta tamquam magis perfecta, & recepta in praxi, vt teſtatur Farinacius.

Notandum eſt tamen id, quod obſeruat Inquiſitor Cantera *in quæſt. crimin. cap.2. de probat. per teſtes, quæſt.1.nu.67.* vbi ſic ait: Vnum tene mente, quòd ſi aliquis tortus confeſſus fuit in tortura, & poſteà ad bancum Iudicis reuocauerit, & poſt reuocationem ſponte fuit iterùm confeſſus, dicendo, quòd illud, quod dixit in tortura, verum erat, certè tunc valebit confeſſio facta in tortura, cùm ſit corroborata eum confeſſione ſpontanea poſteà facta. Iſtum caſum habui in praxi, & ſic fuit determinatum per Conſilium ſupremum Inquiſitionis. Ita Cantera.

Notandum eſt tamen hîc obiter quòd licet, vt dictum eſt, confeſſio facta in tormentis non nocet, niſi poſteà ratificetur, quòd idem dicendum eſt, ſi confiteatur ex realis tormenti comminatione propinqua, tamen verbalis terrefactio remota ratificatione non indiget. & ita docet Pegna *in director. part.3.comment.39.numer.* 150. & poſt illum Souſa *in aphoriſm. Inquiſ.lib.2.cap.39.n.42.*

Notandum eſt etiam, quòd dicta ratificatio cõfeſſionis in tormentis factæ, ſi reus eſt minor, facienda eſt coram curatore, vt obſeruat Villadiego *in polit.cap.3 num.*330. & ideò Paulus Garſias *in ordine proceſſandi in S.Offic. fol.*30. *pag.* 2. ſic ait: *Si el reo fuere menor de veynte y cinco años, ſe ha de ratificar con aſsiſtencia de ſu Curador, y firmar ambos.* Ita ille.

Et tandem nota; quòd confeſſio in tortura facta, & poſteà extra tormentum ex interuallo legitimè ratificata; his tamen non obſtantibus, ex erroris allegatione & eius probationis oblatione reuocari poteſt. & ita tenet Caballus *in reſol. crim.cent.2. caſ.*186.*n.* 4. qui citat Boſſium & Clarum, licet aliqui aſſerant hoc non procedere, quando vrgentia indicia torturam præceſſerunt, vt confeſſio extraiudicialis, &c. ſed contrarium errore probato dicendum eſt, & ſi error non probetur, non eſt deueniendum ad torturam, ſed ad condemnationem definitiuam.

RESOL. XXIII. *An Inquiſitores debeant torquere reum, qui poſtquam in tormentis confeſſus eſt, ſequenti die confeſsionem factam negat?*

VIdetur quòd non, ex verbis *inſtruct. Hiſpal. anno* 1484.*nu.*15. vbi ſic habetur: *Si el delicto pareciendo ſemiplenamente probado, los dichos Inquiſidores con el ordinario juntamente deliberaren de poner al acuſado à queſtion de tormento confeſſare el dicho delicto, y deſpues de quitado el dicho tormento ex interuallo conuiene a ſaber el dia ſiguiente, ò a tercero dia reuocare la dicha confeſsion y ſe deſdeziere (como quier que el delicto no quede ni ſea complidamente probado) deben los Inquiſidores mandar por razon de la infamia y preſuncion que del proceſſo reſulta contra el dicho acuſado, que abjure publicamente el dicho error y denle alguna penitencia arbitraria.* Sic ibi.

Sed his non obſtantibus, vt obſeruat Didacus Cantera *in quæſt.crimin.cap.2.de probat.per teſtes, quæſt.1.num.67.* id non ſeruatur in praxi in ſacro Tribunali, quod etiam teſtatur Simanca *in inſtit. cathol. tit.65.num.* 80. qui etiam notat dictam inſtructionem contrarium non prohibere. Dicendum eſt igitur cum Simanca *in cathol inſtit.cap.63.nu.*43. Peguera *in praxi cap.*12.§.12.*nu.* 9. Boſſio *tit.de tortura, num.*34. Suarez de Paz *in praxi tom.1.part.5. cap.* 3.§. 12.*num.*17. Villagut *in pract.lib.7.cap.7.concluſ.*3. Aldrete *de diſcipl.tuend lib.1.cap.*17.*num.*26. Binsfeldio *in comment.de malefic.& math. leg.7. quæſt.* 1. *concluſ.* 14. Miranda *in ordin. iudic. tom.* 2. *quæſt.* 26. *art.* 18. *concluſ.*1. Michaële Zanardo *in director. Theol. part.3. cap.*88. Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib.2.cap.* 39 *num.*39. Queuedo *lib.de indiciis & tort.part.* 2.*cap.*7.*numer.*2. Villadiego *in politica cap.3.numer.*331. Ambroſino *de proceſſ.inform.lib.4.cap.* 5. *numer.* 12. Guazzino *tom.2. lib.1.defenſ.*30.*cap.* 36. *num.* 4. Inquiſitores poſſe in tali caſu torquere reos; & ratio eſt clara, quia ex illa reuocatione videtur reſultare nouum indicium propter variationem torti, vacillauit enim, & propria confeſſione roborauit præcedentem probationem, & nouum indicium ore ſuo addidit, & ita ex Theologis docet Leſſius *lib.2.cap.29.dub.* 17. *nu.* 168. & Becanus *in* 2.2. *D. Thom.de iuſtit.quæſt.* 67. *de iniuſtitia Iudicis, quæſt.*10.*n.*18.

RESOL. XXIV. *An ſi reus bis tortus bis confitetur, & reuocat confeſsionem, ſit tertiò ab Inquiſitoribus torquendus?*

PVgnantes acriter circa præſentem quæſtionem ſententias inuenio, & ideò affirmatiuam docent Doctores, quos citat & ſequitur Petrus Binsfeldius

Feldius *in comment. de malefic. & math. leg. 7. quæſt. 1. concluſ.* 14. quibus ego addo Caſtrum Palaum *in opere morali tom. 1. tract. 4. diſp. 8. punct. 9. num.* 17. Ludouicum Pegueram *in practic. crimin. cap.* 12. §. 12. *numer.* 9. Clarum *in praxi* §. *fin. quæſt.* 21. *num.* 36. Ciſuentes *in leg.* 79. *Tauri, ver. item quibus vicibus.* Antonium Queuedo *lib. de indic. & tortur. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 13. *num.* 8. Ambroſinum *de proceſſu inform. lib.* 4. *cap.* 5. *numer.* 14. Suarez de Paz *in praxi crimin. tom.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. §. 12. *numer.* 19. & Mirandam *in ordine iudic. tom.* 2. *quæſt.* 26. *art.* 18. *concluſ.* 1.

Sed negatiuam ſententiam tenent ex noſtris Doctoribus Didacus Cantera *in quæſt. crimin. cap.* 2. *de probat. per teſtes, quæſt.* 1. *num* 67. Pegna *in direct. Inquiſ. part.* 3. *comment.* 39. Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſ. ver tortura.* §. *ſed pone, reus poſitus ad torturam.* Simanca *in Cathol. inſtit. tit.* 65. *nu.* 81. Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib.* 2. *cap.* 39 *num.* 39. Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 14. quibus adde ex Criminaliſtis Farinacium *quæſt.* 38. *numer.* 106. & Carthaſium *de interrogatione reorum lib.* 4. *cap.* 1. *numer.* 132. & 161. & Damhauderum *in praxi crimin. cap.* 38. *numer.* 12. Ratio eſt, quia indicia prioris confeſſionis per pœnam ſecundæ torturæ ſatis purgata ſunt; & licet Ioan. Baptiſta Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. quæſt.* 21. *num.* 140. aſſerat hoc relinquendum eſſe arbitrio Iudicis, qui conſiderabit grauitatem delicti, qualitatem rei, & qualia præceſſerint indicia, quæ poſſunt adeò eſſe vrgentia, vt Iudex rectè poſſit arbitrari reum etiam tertiò eſſe torquendum. Verùm ego abſolutè negatiuam ſententiam noſtrorum Doctorum tenendam eſſe puto, quam piam ſatis eſſe fatentur ipſimet aduerſarij, vt Miranda *loco citato*, & in vno tantùm caſu conſulerem DD. Inquiſitoribus reum tertiò torquendum eſſe, quando, vt rectè obſeruant Simanca, Souſa, & Pegna *vbi ſuprà*, bis leuiſſimè fuerit tortus, & in poſteriori illa confeſſione alia noua ſigna priori confeſſioni addiderit. Vide etiam Guazzinum *tom.* 2. *lib.* 1. *defenſ.* 30. *ca.* 14. *num.* 6.

RESOL. XXV. *An Inquiſitores poſſint torquere reum ex dicto vnius teſtis minoris* 20. *annis, & quid ſi adſit teſtimonium duorum?*

DE hoc caſu olim interrogatus fui ab Illuſtriſſimo Inquiſitore Llames, qui pro parte affirmatiua adducebat Bartolum *in l. de minoribus, de qu. in prin.*

Verùm ego tunc negatiuè reſpondi. nam vnus teſtis tunc facit indicium ad torturam, quando eſt integer, & omni exceptione maior; ſed minor 20. annis non eſt integer teſtis, cùm non habeat ætatem requiſitam *in l. in teſtimonium*, iuncta ſua gloſſa, *ff. de teſtibus.* ergo, &c. & ita hanc ſententiam docet Didacus Cantera *in qq. crimin. cap.* 2. *de probat. per teſtes, quæſt.* 1. *numer.* 31. vbi etiam adducit practicam notabilem à DD. Inquiſitoribus mente tenendam, & ideò hîc eius verba apponam, ſic enim aſſerit: Vnum vidi practicari in Conſilio ſupremę Inquiſitionis, quòd etiam ex dicto vnius teſtis minoris viginti annis (imò nec habebat decem & octo annos) fuerunt capti duo homines pro hæreſi, quod certè durum mihi viſum fuit, præcipuè quia vltra hoc quòd ille teſtis non habebat ætatem, erat mulier; licet verum ſit, quòd illi delinquentes erant ex genere Maurorum, & ceremoniæ ex quibus teſtificabat, erant Mahometanæ, & ſic contra eos erat præſumptio, cùm eſſent ex illo genere, nam ex malis parentibus præſumitur contra filios, vt habetur *in cap. quia veriſimile, de præſumpt.* Ita Cantera.

Notandum eſt tamen, quòd licet, vt dictum eſt, vnus teſtis minorennis non ſufficiat ad torturam, ſufficerent tamen ſi eſſent duo, & ita docet M. Anton. Delrius *in diſquiſ. mag. appen.* 2. *lib.* 5. *quæſt.* 15. *lit.* F. quia teſtimonium vnius ſi accedat aliud indicium, valet ad torturam. Sed accedens ſecundi minorennis teſtimonium, nouum eſt indicium: ergo, &c.

RESOL. XXVI. *Quis prior ex complicibus debeat ab Inquiſitoribus torqueri?*

HIc caſus frequenter ſolet accidere, quia in ſortilegiis, maleficiis, fuga ad terras infidelium, &c. ſæpè adſunt plures complices; igitur ad propoſitam quæſtionem reſpondet Simanca *in Cathol. Inſtit. tit.* 65. *num.* 66. vbi ſic aſſerit: Si plures eiuſdem criminis ſocij, & participes torquendi ſunt, Iudex à ſuſpectiſſimo debet procedere, & à quo facilliмè poſſe ſcire verum, veriſimilius fuerit, id eſt, ab eo, qui timidior, debilior, & deterior ſit. Ita ille. & hoc etiam docet Peguera *in praxi crimin. cap.* 12. §. 11. *num.* 5. Suarez de Paz *in praxi tom* 1. *part.* 5 *cap.* 3. §. 12. *num.* 85. Villagut *in praxi lib.* 7. *cap.* 9. *concl. vnica.* Petrus Binsfeldius *in comment. de malef. & math. lib.* 7. *quæſt.* 1. *concl.* 9. Paulinus Betti *in praxi crim. tit.* 22. *cap.* 1. *num.* 1. Michaël Zanardus *in direct. Theol. part.* 3. *cap.* 91. Damhauderus *in praxi cap.* 37 *num.* 14. Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſ. ver. tortura*, §. *& nota etiam.* Villadiego *in polit. cap.* 3. *numer.* 326. vbi ſic ait: *Si el tormento ha ſe de dar à muchos ſobre el miſmo delito, ha de començar por el mas viejo, ò mas delicado, ò menor de edad, y ſi ay padre, y hijo ha de començar por el hijo, ò por muger ſi la hay, no hauiendo nada deſtos por el mas indiciado.* Sic ille, quod etiam docet Ambroſin. *de proceſſ. inform. lib.* 4. *cap.* 7. *numer.* 1. Carthaſius *de interr. reorum, lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 208. Iul. Clar. *in pract. lib.* 5. §. *final. quæſt.* 64. *numer.* 29. Madius *tractat. de ſacris Ordin. cap.* 36. *numer.* 12. & alij penes ipſos, quorum opinio procedit, quando etiam torquendi ſunt teſtes, vt obſeruat Marſilius *in pract. crim.* §. *expedita, num.* 49.

Non deſinam tamen hîc adnotare Baiardum *in addit. ad Iul. Clarum vbi ſuprà, q.* 64. *nu.* 93. ex Afflicto concludere, quòd à quibus complicibus tortura ſit incipienda, remittitur arbitrio Iudicis; verùm hoc arbitrium debet eſſe regulatum à recta ratione. Hæc Baiardi opinio coincidit cum opinione Simancę, aliorumque, modo, quo ſuprà dictum eſt. Sed omnia ſupradicta aduertit Guazzinus *tom.* 2. *lib.* 1. *defenſ.* 30. *cap.* 19 *num.* 4. procedere, quando inter plures torquendos vigerent æqualia indicia; ſecus ſi contra vnum vigerent maiora, & plura indicia, quia ab illo tortura erit inchoanda; verùm hęc opinio apud me non caret difficultate.

RESOL. XXVII. *An Inquiſitores poſſint torquere reum confeſſum ad extorquendum complices?*

NEgatiuam ſententiam videtur docere Inſtructio Toletana *anno* 1561. *numer.* 45. vbi ſic ait: *Si el reo eſtuuiere negatiuo dado caſo que aya de ſer relaxado,podra ſer pueſto à queſtion de tormento* in caput alienum,ex quibus verbis, vt obſeruat Didacus Cantera *cap.2.de probat.per teſtes,q.1.num.52.* videtur colligi à contrario ſenſu,quòd ſi reus eſt confeſſus, & non negatiuus, non poſſit poni ad torturam in caput alienum. & ita hanc ſententiam docuit Rojas *de hæret. part. 2. num.* 243. vbi ex dicta inſtructione firmat, quòd qui de ſe confeſſus eſt, in caput alienum non torquetur.

Sed his non obſtantibus, meritò hanc ſententiã temperat Seraph. Freitas *in addit.ad tract. de Confeſſ. ſollic. quæſt.22.nu.28.* vbi determinat, quòd arbitrio DD. Inquiſitorum remittendum eſt, quando hæreticus de ſe confeſſus ſit,ex circumſtantiis torturę ſubiiciendus pro complicibus extorquendis,& abſolutè ſententiam, quam docet Rojas, reprobat Cantera *loco citato*; vbi poſtquam verba dictæ inſtructionis adduxiſſet, ſic aſſerit: Gloſſa cum textu *in l.non ideò minus, C. de accuſat.* probat, quòd confeſſus de ſe crimen poteſt compelli ad dicendum de alio, ſi ſint indicia ſufficientia, nec video differentiam inter mandatorem & ſocium, vel alium delinquentem,de quo ſcit ipſe tortus, & hoc vidi practicari in crimine hæreſis, de quo loquitur ipſa inſtructio in ſupremo Conſilio Inquiſitionis, & benè.Ita Cantera, qui cùm teſtetur de praxi ſupremi Conſilij,non eſt curandum de opinione Rojas; aduerſus quem etiam inſurgit Farinacius *de hæreſi quæſt.*185.*numer.*135. vbi ſic ait:Verius dicendum eſt, quòd quando adſunt indicia contra hæreticum, quòd habeat ſocios,tunc vt illos reuelet, torqueri poteſt,ſiue de ſeipſo neget, ſiue confiteatur, cùm multi reperiantur, qui magis curant complices tegere,quàm ſeipſos,vt patet ex his, quæ dixi *qu.*196. *n.*17. *& ſequent.* Ita Farinacius. Vnde pro hac ſententia habetur decretum Pij V. *die* 28.*Iulij ann.*1569. vbi ſic ſtatuitur: Pontifex inhærendo decretis factis per felicem recordationem Pauli Papæ IV. Sanctiſſ. Dominus noſter Pius V. decreuit omnes, & quoſcumque reos conuictos, & confeſſos de hæreſi pro vlteriori veritate habenda, & ſuper complicibus fore torquendos arbitrio Iudicum. Sic *ibi.*

Notandum eſt tamen, quòd Doctores aſſerunt non eſſe torquendos hæreticos pro complicibus, niſi cum ſemiplena probatione, quòd ſocios criminis habeant. & ita docet Leſſius *vbi infrà.*Ludouicus Peguera *in praxi cap.*12.§.5.*n.*19. iuncto *nu.*25. Villagut *in practic.lib.7.cap.7.concluſ.*4.Pitigianus *in practic.part.*3.*cap.*3.§. *alter eſt.fol.* 275. Binsfeldius *in comment.de malefic. leg.*7. *quæſt.* 1. *concluſ.*13. Simanca *in Cathol.inſtit.tit.*65. *numer.* 60. *& in enchirid. tit.* 52. *numer.*31.Cantera *loco cit.*& alij,quos citat & ſequitur Farinacius *de hæreſi quæſt.*185. *numer.* 183. & innuit Inſtructio Tolet.*anno* 1561.*num.* 45. ibi,*y eſta teſtificado de ſi, y de otros complices, &c.* ſed quia ſupradictum decretum Pij V. loquitur ſine præfata limitatione, ideò in praxi Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis etiam ſine vllo indicio complicum infertur tortura ſuper complicibus, quia,vt obſeruat Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſitorum,ver.hæreticus,*§.*hæreticus conuictus,* hæreſis eſt delictum tale quod communiter ſine ſociis & complicibus cõmitti non conſueuit.

Nota etiam quòd Farinacius *q.*43.*num.* 138. docet,depoſitionem ſocij criminis factam in tortura ratificandam eſſe extra illam, non ſecus ac factam in tortura ſuper delicto contra ſeipſum, & hanc opinionẽ ſequendam eſſe,& obſeruandam, ſaltem ad cautelam, tenet etiam Sigiſmundus Scaccia *de indiciis, &c. lib.* 1.*cap.*81.*num.* 9. *ver. quintò dubitatur.* Sed contrariam ſententiam mordicus ſuſtinet Petrus Caballus *in reſol.crimin.centur.* 1.*caſ.*32.*numer.*3. *&* 7. aſſerens ſupradictam Farinacij opinionem non eſſe veram,neque obſeruari.

Notandum eſt tamen hîc, quòd tortura in caput alienum debet eſſe moderata pro ratione cauſæ & indiciorũ, & ita ex Iulio Claro docet Leſſius *lib.*2.*c.*29.*dub.*16.*num.* 152. & Becanus *in* 2. 2.*part.*2. *tom.*3.*de iuſt.& iure,quæſt.*67. *de iniuſtitia Iudicis quæſt.* 10.*num.*5. Vnde Maurus Burgius *tract.de modo procedendi ex abrupto,cent.*1.*quæſt.*42. *nu.*19. aſſerit quòd ſi tortura ſuper complicibus non ſit moderata, ſed exceſſiua,dicitur purgare indicia negotij principalis.Vide etiam Mirandam *in ordine iudic.tom.* 2. *qu.* 27.*art.*20.*in fine.* & ideò Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib.*2.*cap.*16.*num.*5. ſic ait:Tortura in caput alienum data,moderata eſſe debet,maior tamen,vel minor pro qualitate indiciorum. Ita ille. Et omnia ſupradicta docet etiam Sebaſtianus Guazzinus *tom.*2. *lib.*1.*defenſ.*30.*cap.*9.*num.*3. *&* 6. qui cum Franciſco Perſonali *tract.de indic.num.*9.10.101. docet, quòd in tali caſu tutius erit minùs torqueri, quàm plus, quod etiam tenet Tuſchus *lit.T.concluſ.* 234.*num.*2. licet, vt ipſe Guazzinus obſeruat, tortura per mediam horam illata in tali caſu diceretur moderatè illata. vide etiam circa hoc Farinacium *quæſt.* 40. *n.*27.& Iulium Clarum *q.*64.

RESOL. XXVIII. *An Inquiſitores poſſint torquere reos ſine data eis copia indiciorum & nominibus teſtium?*

QVoad primum reſpondeo, quòd ita torquebat reos quidam Inquiſitor, vt teſtatur Nauarrus *tom.*2.*lib.*5.*conſil.tit.de accuſ.conſil.* 8. ſed malè, per ea, quæ ego fusè adduxi *in addit.p.quintæ,editionis Lugdunenſis meorum operum,reſolut.*29. & docet in ſpecie Miranda *in ordine iudic.tom.*2.*q.*26.*art.*14 *concluſ.*1.& Iulius Clarus *in praxi* §.*final.q.* 49. & Delrius *in diſquiſit.magic.append.*2.*lib.*5.*quæſt.*37.& Villadiego *in politic.cap.*3.*num.*312.

Vnde ait Simanca *in enchir.tit.*52.*num.* 8. Copia indiciorum reo danda eſt cum dilatione ad ea diluenda. & M.Anton. Genuenſ. *in praxi Archiepiſc. cap.*68.*nu.*5. idem aſſerit:quod etiam docet ex noſtris Souſa *in aphor.Inquiſit.lib.*2 *cap.*39.*numer.*22. & ideó in noſtra Inquiſitione Hiſpanica, vt patet ex *inſtr. Toletana anno* 1561. *numer.* 32. & obſeruat Paramus *de origin.Inquiſit.lib.*3.*quæſt.*4.*num.* 53. Inquiſitores ipſi propria manu teſtium publicationes ſcribunt, ac reo tradunt; nomina verò teſtium non dantur, & licet *in cap. qualiter, & quando, extrà de accuſat.*

accuſat. ſtatuatur quòd non ſolùm dicta, ſed etiam nomina teſtium reo publicanda ſint, tamen in cauſa hæreſis hoc non procedit, vt obſeruat ex Simanca Iul. Clar. *in praxi quæſt.* 49. & habetur *in cap. fin. de hæret. in 6.* & Miranda *in ordin. iudic. tom. 2. quæſt. 26. art. 14. concl. 1.*

Verùm circa præſentem quæſtionem magnam difficultatem infert ſuprà dictus textus, nam ibi circumſcripta potẽtia rei inquiſiti, ac ceſſante periculo teſtium examinatorum, contrarium videtur iure cautum, nam verba textus ſic habent: Iubemus tamen, quòd ſi accuſatoribus, vel teſtibus in cauſa hæreſis interuenientibus, ſeu deponẽtibus propter potentiam perſonarum, contra quas inquiritur, videant Epiſcopi, vel Inquiſitores graue periculum imminere, ſi contingat fieri publicatio nominum eorum, ipſorum nomina non publicè, ſed ſecretò, omiſſis aliis, exprimantur, ſicq; non obſtante, quòd illis, contra quos huiuſmodi depoſuerunt, nomina ipſorum non fuerint publicata, adhibeatur ad cognitionem Iudicis inſtruendam plena fides depoſitionibus teſtium eorumdem. Ita textus *ibi.*

Ex quo Franc. Perſonal. *in tract. de indiciis & tortur. poſt num.* 19. nititur probare contra Simancam non valere conſuetudinẽ celandi nomina teſtium in omnibus caſibus, cuius ſententia magis videtur comprobari ex Bulla Pauli III. vbi poſtquam mandauit in copiis indiciorum reis ante torturam tradendis, nomina teſtium fore exprimenda, ſubdit poſteà hæc verba, *præterquàm in crimine hæreſis*, iuxta iuris diſpoſitionem, ſed circumſcripta potentia Inquiſiti, & periculo ipſorum teſtium eius mandat, vt patet *d. cap. fin.* etiam in crimine hæreſis publicari nomina teſtium; ergò ceſſante periculo publicanda erunt.

His tamen minimè ſuffragantibus, non eſt recedendum à communi & accepta praxi, per quam abſolutè omnibus reis in ſacro Tribunali non dantur nomina teſtium, & ita determinauit Congregatio Cardinalium *die* 14. *Maij* 1566. per hæc verba: Illuſtriſſimi Cardinal. Inquiſitores Generales in Congregatione ordinaria decreuerunt dari nuda teſtium dicta prout eouſque obſeruatum fuit abſque nominum publicatione, aliarumque circumſtantiarum, propter quas poſſet deueniri ad ipſorum teſtium notitiã; & quoad reſpõſiones teſtium ſuper rei interrogatoriis pariter decreuerunt non eſſe dandas, ſi ex illarum publicatione deueniretur in notitiam, quinam fuerint teſtes ipſi. Sic *ibi.* & ideò *in inſtruct. Toletana anno* 1561. *nu.* 39. ſic habetur: *Si pidiere el preſo tranſlado, y publicacion de las defenſas no ſe le ha de dar, porque por el podria venir en conocimiento de los teſtigos que contra el depuſieron.* & ita hanc ſententiam docet Moſcouius *de maieſtate militantis Eccleſiæ lib. 1. part. 1. c. 11.* Hornobonus *de ſtatibus part. 1. cap. 6.* Scaccia *de iudiciis lib. 1. cap. 87. num.* 18. Delrius *in diſquiſit. magic. lib. 5. ſect. 15.* Zecchius *in ſumma to. 1. tit. de fide, cap. 11. num.* 14. Rojas *ſingul.* 207. Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 64. num. 26.* Gundiſſaluus *de hæret. q. 10. num. 4.* Zanchinus *de hæret. cap. 9. n. 6.* Decianus *lib. 5. cap. 35. num. 16.* & latiſſimè Barboſa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 20. num. 6. & ſequent.* & Queuedo *lib. de indiciis & tort. cap. 10. num. 15.*

Quod verò de non publicandis teſtium, ſeu accuſantium nominibus dictum eſt, idem locum habet in quibuſdam aliis circumſtantiis, ex quibus poſſet reus deuenire in cognitionem teſtium, vel accuſatorum, & ita obſeruat Pegna *in adnotat. ad Lucernam Inquiſit. ver. nomina accuſatorum.* Genuenſis *in praxi cap. 68. num. 5.* & alij. vnde *in inſtruct. Hiſpalenſ. anno* 1484. *num.* 16. ſic ſtatuitur, *quando la probanca fuerà hecha, y los teſtigos repreguntados, deben hazer publicacion de los dichos, y depoſiciones callando los nombres, y circumſtancias por las quales el reo accuſado podria venir en conocimiento de las perſonas de los teſtigos.* & *in inſtructione Toletana anno* 1561. *num.* 31. *Ratificado los teſtigos, ſaqueſe en la publicacion à la letra todo lo que tocare al delitto, como los teſtigos deponen quitando dello ſolamente lo que le podria traer en conocimiento de los teſtigos.* Ex quibus verbis, vt optimè obſeruat Pegna *in director. Inquiſit. part. 3. comment.* 124. videtur arbitrio Inquiſitorum relinqui, quales circumſtantiæ publicari poſſint, quales verò taceri. nam ex quo dicta inſtructio eas non præſcripſit, iudicio Inquiſitorum reliquiſſe videtur.

RESOL. XXIX. *An minores 14. annorum ſint ab Inquiſitoribus torquendi, & de prægnantibus, ſenibus, laborantibus quartana, morbo Gallico,* &c.

AFfirmatiuam ſententiam docet Ioſeph Seſſe Conſultor S. Officij, vir quidem doctus, *in deciſ. Regni Aragon. tom. 4. deciſ. 476. n. 20.* vbi ſic ait: Minor 14. annorum, licet de iure non torqueatur, fallit in læſa maieſtate diuina, & humana, nec pœna in eo minoratur in his criminibus. Ita ille, & nouiſſimè Caſtrus Palaus *in opere morali tom. 1. tract. 4. diſp. 8. punct 9. n. 14.* & Villadiego *in polit. c. 3. n. 322. &* 323. vbi ſic ait: *No ſe puede dar tormento à las perſonas priuilegiadas, como ſon el menor de 14. años y el viejo de 60. &c. ſi no es en delito de heregia, que en tal caſo no ay perſona priuilegiada, que no pueda ſer atormentada.* Ita ille. & pro hac ſententia faciunt Doctores, quos citat & ſequitur Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap. 9.* aſſerentes minores 14. annis in crimine læſæ maieſtatis torqueri, quod etiam docet Eymericus à Roſbach *in tract. crim. tit. 5. c. 21. n. 10.*

Sed contrariam ſententiam tenet Mar. Anton. Delrius *in diſquiſ. magicis lib. 5. ſect. 9. §. quoad perſonas.* vbi ſic aſſerit: Quoad eos qui ſunt excepti ratione ætatis, puto ſi ſint minores ætate annorum 14. tantùm eſſe terrendos etiam terrore reali, vt nudando, ligando, & ad eculeum adducendo, non tamen imponendo; ſi minores tamen 25. annis ingreſſi ſaltem 14. torquendi, ſed mitiùs, quàm maiores. Hæc Delrius. & ante illum Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 65. num. 45.* & Pegna *in direct. Inquiſit. part. 3. comment. 110. §. minores verò 20. annis*, non benè pro ſua ſentẽtia citati à Caſtro Palao, cùm apertè aſſerant minores 14. annorum torqueri non poſſe, ſed terreri, vt cum Simanca obſeruat etiam Miranda *in ordine iudiciar. tom. 2. q. 26. art. 13. concl. 7.* His tamen non obſtantibus, aliqui non diſcedunt à prima ſententia, quando ſine periculo & moderatè dicti minores 14. annorum torquerentur, & ita tenent DD. quos citat Farinacius *q. 42. n. 102. &* 133. & Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. c. 18. n. 4.*

Illud verò, quod asserit Sesse *vbi suprà*, quòd pœna ratione ætatis in minoribus non minoratur, mihi non placet, & ideò Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 3. cap. 32. num. 18.* sic ait: Minores 25. annis regulariter puniuntur mitiùs, etiam facti maiores, quia non tempus punitionis, sed delicti attenditur. & *numer. 21.* ait, In crimine hæresis si minor rectè pœniteat, mitiùs punitur; & citat Simancam, Decianum & alios.

Dicendum est igitur cum Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. n. 50.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 12.* Miranda *in ordine iudic. tom. 2. q. 26. art. 13. concl. 6.* Narbona *in recopil. part. 1. leg. 61. glossa 1. num. 14.* Rojas *singul. 208. n. 5.* Guazzino *vbi suprà.* Cantera *in qq. crimin. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 71.* & Doctoribus citatis in Tribunali S. Inquisitionis, omnes personas priuilegiatas posse torqueri, exceptis minoribus annis 14. senibus; & prægnantibus, imò prægnantes neque terreri possunt, vt obseruat Pegna *part. 3. commen. 39.* Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 2. c. 39. n. 32.* Binsfeldius *in commen. de malef. leg. 7. quæst. 2. concl. 7.* quidquid in contrarium doceat Michaël Zanardus *in director. Theolog. part. 3. cap. 38. fol. 499.* vbi tenet, prægnantes posse terreri; sed malè. Possunt tamen senes decrepiti, & minores 14. annis terreri, vt docet Miranda *loco citato*, & alij, non tamen possunt etiam leuiter torqueri; quidquid in contrarium dicat Queuedo *lib. de indic. & tort. c. 12. n. 9.*

Notandum est etiam pro praxi, mulierem post partum non posse torqueri nisi post 40. dies. Ita Cantera *in quæst. crim. quæst. 10. de reo, n. 1.* Queuedo *loco citato.* Paulus Ghirlandus *de quæstion. lib. 4. quæst. 6. n. 7.* Brunus *de indiciis part. 2. quæst. 4. n. 2.* Tuschus *lit. T. concl. 328. n. 21.* & alij, ita vt si infra 40. dies torqueretur, & fateretur delictum, confessio esset nulla, vt ex multis obseruat Eymericus à Rosbach *in praxi crim tit. 5. cap. 21. num. 6.* & Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. quæst. 64. num 67.* licet Anton. Gomez *tom. 3. var cap. 13. n. 3. in fine* dicat, esse relinquendum arbitrio Iudicis, quando mulier post editum partum possit torqueri.

Nota etiam Anton. Queuedo *de indic. & tort. part. 2. c. 12. n. 11.* docere senem, quem *suprà* diximus non esse torquendum, esse senem 70. annorum, & etiam 60. si sit infirmæ salutis, debilisque complexionis. Imò Villagut *in pract. crim. lib. 7. cap. 4. concl. 4.* absolutè docet senem sexagenarium non esse torquendum. Sed ego puto in casu contingenti, quando senectus excusset à tortura, remittendum esse arbitrio DD. Inquisitorum, attenta valetudine, robore, & qualitate delinquentis, & delicti; & ita tenent Doctores, quos citat & sequitur Eymericus à Rosbach *in pract. crim. tit. 5. cap. 21. num. 12.* & Sebastianus Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 12. n. 2.* Verùm difficultas est, an supradicti senes, quando non possunt torqueri, possint terreri ducendo eos sub equuleo tantùm, absque ligatura; & affirmatiuè respondet Caualcanus *de brachio Regio part. 3. num. 126. ver. est tamen.* & à fortiori hoc etiam concederet Gomez *tom. 3 var. cap. 13. num. 3. & seq.* Franciscus Personalis *tract. de indiciis sub num. 15.* Paulus Ghirlandus *de quæst. & torm. cap. 6. num. 8. & sequent.* dictamque sententiam Caualcani; licet cum verbo *forsan*, admittit etiam Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 12. num. 3.*

Et tandem pro coronide huius resolutionis nota quòd Franciscus Marcus *decis. 790.* Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. quæst. 64. num. 73.* Caualcanus *de brachio Regio part. 3. num. 117.* docet laborantem febre quartana leuiter torqueri posse sine squassata, seu strappata, & non in die febris, & ita etiam docet Anton. Queuedo *lib. de indiciis part. 2. c. 12. n. 23.* vbi sic ait: *Tampoco podra ser atormentado el que esta enfermo de quartana si no es leuemente el dia que le dexa.* Ita ille. Sed in casu contingenti ego consulo DD. Inquisitoribus adhibere Medicorum iudicium. Non tamen erunt torquendi laborantes morbo Gallico, brachio debilitato, patientes crudationem venæ, vel difficultatem anhelitus. de quibus omnibus loquitur Laderchius *consil. 184.* Grammaticus *consil. 40.* Decianus *respons. 93.* & Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defens. 30. c. 16. n. 1.*

Aduertant hic obiter DD. Inquisitores, Delrium *in appen. 2. lib. 5. quæst. 23.* docere nobiles esse in S. Officio leniùs torquendos; sed Farinacius *de hæresi quæst. 185. n. 125.* asserit hanc opinionem apud se difficultate non carere; verùm apud me nullam habet difficultatem, vnde Simanca *in Cathol. instit. tit. 65. n. 62.* & Pegna *in direct. part. 3. comment. 110.* docent in Tribunali S. Officij torquendos esse tam nobiles, quàm ignobiles; hi tamen duriùs, illi clementiùs; & ideò Carthagius *de interrogat. reorum, lib. 4. c. 1. n. 112.* admonet Iudices vt minùs torqueant nobiles, quàm plebeios.

RESOL. XXX. *An DD. Inquisitores in crimine sagarum ex sola denuntiatione complicum absque vllo alio indiciis possint torquere personas denuntiatas, bonæ alioquin famæ?*

HIc casus solet torquere DD. Inquisitores, eorumque Consultores, nam M. Ant. Delrius *in disquis. mag. lib. 5. sect. 3. & in append. 2. eiusd. libri quæst. 1.* fusè affirmatiuam sententiam docet. Idem etiam docet Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 13. punct. 4. §. 2. & 3.* Idem à fortiori sentiunt illi, qui etiam vnius complicis denuntiationem in exceptis criminibus ad torturam sufficere asserunt, quales penes Delrium citantur Cynus, Imola, Abbas, Gomez, & alij.

Sed mihi contraria sententia longè probabilior videtur, quam nouissimè aduersus Delrium ex eadem Societate tenet Adamus Tannerus *in Theol. schol. tom. 3. disp. 4. quæst. 5. dub. 2. per totum*, vbi probat, numquam ob plurium sagarum, siue strigum vel ut complicum denuntiationes sine indiciis aliisque adminiculis cõtra personam alioquin bonæ famæ esse procedendum ad torturam; & ideò Farinacius *de hæresi quæst. 185. §. 8. n. 151 in fine*, sic ait: Aduerte tamen quod vera non est, nec in sancto & generali vrbis, vniuersalique Reipubl. Christianæ Inquisitionis Tribunali seruatur propositio Delrij; dum concludit indicium ad torturam duarum sagarum, seu lamiarum dicentium vidisse inquisitam, vel inquisitum in conuentu & congregatione aliarum sagarum; cùm enim multoties non corporaliter, sed per illusionem dæmonis in hoc conuentu se

esse

esse opinentur, & sic eorum assertio de visu possit esse falsa, absurdum est dicere, quòd lamiæ prædictæ indicium faciant ad torturam, cùm, vt suo loco dixi, indicia ad torturam esse debeant non dubia, sed certa. Ita ille. Vnde in facti contingentia antequam in simili casu ad consultationem, an supradicti debeant torqueri, deueniant DD. Inquisitores, videant omnino Adamum Tannerum *loco citato*; nam licet *suprà* dictum sit quòd duo socij criminis in causis fidei faciunt indicium ad torturam, vt docet Pegna *in director. part. 3. comment. 110 in append.* tamen in nominationibus sagarum adest particularis difficultas, & ideò, vt dixi, consule, quando casus occurrerit, citatum Tannerum & Paulum Layman *in Theolog moral. lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 15. numer. 8. in fine.* Vide etiam circa præsentem quæstionem Binsfeldium *de confessione sagarum membr. 2. conclus. 6 fol. mihi* 246.

Nec desinam etiam hîc apponere verba Antonij de Queuedo *lib. de indiciis & tort. part. 2. c. 5. n. 91.* sic asserentis: *Aunque es verdad, que en fauor de la fe esta introducido, que el socio en el delito haga bastante indicio para atormentar al que nombrare por consocio con la calidad, que diremos mas abaxo, però en el delito de Brujas no aprouecha solo su declaracion para este efeto, porque como los Brujos por ilusion del demonio andan de ordinario engañados, pensando que es verdadero lo que les representa es mi, y pusible sean acusados hombres santos, y justos, en cuyos cuerpos se pudo transformar.* Ita ille. Vnde, vt dixi, in casu contingenti videant DD. Inquisitores quid faciant, &, vt dixi, citatum Tannerum consulant; & ideò meritò Inquisitor san Vincente *in suis manuscriptis cap. 13. §. 2. & 7.* & doctus Castrus Palaus *in opere morali tom. 1. tractat. 4. disput. 8. punct. 16. §. 5. num. 2.* obseruant in nostro Tribunali Hispanico ex depositione præcisa complicum in hoc delicto reum minimè capi, sed actus exteriores comprobatos requiri.

RESOL. XXXI. *An Inquisitores possint torquere reum minorem, non dato ei curatore, & si debeat esse præsens in tortura?*

REspondeo quoad primum negatiuè, & ita docet Monticellus *in praxi crimin. regul. 10. num. 17.* vbi sic ait: Si reus minor sit, Iudex debet ei dare curatorem, aliàs processus nullus est, & si minor confiteretur, etiam sponte, sine curatore, talis cõfessio ei non noceret. Imò plus, si diceret sine curatore Iudici, Non me torqueatis, quia omnia confiteor, & iuro non venire contrà, talis confessio hoc modo facta etiam cum tali iuramento non præiudicabit ipsi minori. Ita ille, & alij penes ipsum, quibus ego addo Rojas *de hæret. part. 2. n. 318.* Pegnam *in direct. part. 3. comment. 28.* & Vmbertum Locatum *in praxi Inquisit. ver. curator.* Guazzinum *tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 4. numer. 21.* Placam *in epit. delict. lib. 1. cap. 32. num. 12.* licet in aliquibus locis consuetudo sit in contrarium, quam non improbat Eymericus à Rosbach *in pract. crimin. tit. 5. c. 21. num. 3.* Sed quidquid sit de iustitia talis consuetudinis, certum est non adesse in Tribunali Inquisitionis Hispanicæ, vnde *in instructione Toletana anno 1561. numer. 25.* sic habetur: *Si el reo fuere menor de 25. años procureerse has de curador en forma antes, que responda a la acusacion, y con su auctoridad se ratificara en las confessiones, que huuiere hecho, y se hara todo el proceso, y el curador no sea oficial del santo oficio, y puede ser el abogado, ò otra persona de qualidad, confiança y buena conciencia.* Sic ibi. ex quibus verbis apparet, non benè dixisse Didacum Canteram *in qq. crim. quæst. 6. de reo, num. 3.* quod in iudicio S. Inquisitionis potest Iudex compellere minorem, vt nominet curatorem de officialibus Inquisitoris, nam, vt apertè apparet in verbis *suprà* citatæ instruct. curator in tali casu non potest esse ex officialibus Inquisitionis; non est igitur admittenda contraria praxis, de qua testatur Cantera *vbi sup.* quia, vt dictum est, de directo est contra determinationem instructionis Toletanæ.

Notandum est tamen hîc cum Paulo Garsia *in ordine processandi S. Officij fol. mihi 29. Que si el reo fuere menor de edad, ha de estar presente el Curador à la pronunciacion de la sentencia, para que pueda apelar si quisiere, però no se ha de hallar a la diligencia del tormento.* Sic ille. Sed hæc vltima verba non carent difficultate, quia ex *l. clarum, C. de auctor. præst.* & ex Rolando *lib. 1. consil. 3. num. 8.* & aliis, tortura minorum debet esse cum præsentia curatoris, & si aliter efficiatur, asserunt, minorem posse petere restitutionem in integrum, & tentare nullitatem; sed consuetudo in nostro sacro Tribunali est in contrarium, quia in tortura non est necessaria auctoritas curatoris, cum adsit præsentia Iudicis, ad quem pertinet officium torquendi; idcircò id, quod *suprà* dixit Paulus Garzia, & obseruatur in nostro Tribunali, docuerat anteà Anton. Gomez, quem citat & sequitur Ant. de Ballis *in tract. variar. lib. 2. q. 13. num. 17.* probans, quòd nullatenus in tortura requiritur curator, sed tantùm in decisione articuli, si debet torqueri, vel ne; & ideò Villadiego *in polit. c. 3. num. 325.* sic ait: *El Iuez se encierra en la camera del tormento con el escriuano, y delinquente, sin que aya otra persona; ni el Curador si es menor.* Vnde patet, quòd rectè hæc opinio obseruatur in praxi in nostro sacro Tribunali, quam etiam tuetur Cartharius *de interr. reorum, l. 4. cap. 1. num. 49.*

Nota etiam hîc obiter primò contra Anton. Gomez *lib. 3. variar. cap. 1. nu. 64.* patrem non esse constituendum à DD. Inquisitoribus in curatorem filiorum, & ita obseruatur; benè tamen obseruat dictus Gomez, curatorem non esse conueniens præsentem esse, quando reus interrogatus de delicto respondet, quia ex propria scientia, & non ab aliis subministrata debet reus respondere.

RESOL. XXXII. *Quando reus est conuictus, & datur tortura super intentione & complicibus, an danda sit ab Inquisitoribus cum clausula,* citra præiudicium probatorum?

REspondeo affirmatiuè, & aliter si tortus persistat in negatiua, imò etiam si cum dicta clausula reus interrogetur super delicto principali, per torturã purgabit omnes probationes, nã tunc protestatio nihil operaretur, secus autẽ si Inquisitores in sententia torturæ apponant clausulam, vt debet apponi, *citra præiudicium probatorum*, & in tortura nihil de probato delicto interrogent; tunc enim

reum tortum etiam,quòd negando perſtiterit, eſſe damnandum ad ordinariam pœnam, communiter docent Doctores, quia per illam proteſtationẽ redditur fiſco ius ſuum ſaluũ,vt expreſsè inter alios docet Boërius *deciſ.* 163. *nu.* 13. Villagut *in pract.lib. 7.cap.* 2. *concluſ.*4. Boſſius *tit. de indic. ante torturam, num.*130.Burſatus *conſil.*346.*nu.* 20. Decianus *conſil. 92.nu.*20 *vol.*2.Pitigianus *in pract.crim.part.*3. *cap.* 6. *in addit.lit.* B *fol.*280.Petrus Binsfeld *in comment. de malef.& math.leg.*7.*quæſt.* 1.*concluſ.*3.*fol. mihi* 553.Michaël Zanardus *in direct.Theol.part.*3.*ca.*89. Souſa *in aphor.Inquiſ.lib.*2.*cap.*39.*nu.* 44. & 45. Queuedo *lib. de indiciis & tort.cap.*1.*num.*8.Carthar.*de interrog.reor. lib.*4.*cap.*1.*nu.*96 & Delrius *in diſquiſ.mag.lib.* 5. *ſect.* 9.§.*ceterùm ſi reus,fol. mihi* 738. vbi obſeruat eſſe caſus aliquos, quibus tortura reum conuictum non eriperet punitioni ordinariæ. Primus,ſi non detur ſuper delicto, de quo quis fuit confeſſus, vel conuictus, ſed ad notitiam aliorum delictorum. Secundus, quando datur tantùm pro habenda vlteriori veritate qualitatem aggrauantium. Tertius, quando irrogatur ad habendos cõplices, fautores, receptatores,alioſque participes;& Quartus, vt eſt in caſu noſtro,ſi Iudex decernit eam cum proteſtatione id ſe facere ſine præiudicio probatorũ,& reuerà hęc proteſtatio non appareat contraria facto, vt appareret ſi reus interrogaretur ſuper principali delicto,etiam oretenus, & non ſcribente Notario.

Et ideò non obſtante tortura,quia data fuit cum proteſtatione,M.Ant.Genuenſis *in praxi Archiepiſc. cap.*68.*nu.*8. docuit,quòd ſuſpectus de hæreſi vehementer torquetur ſuper intentione, & cõplicibus, & ſi neget,adhuc cõpellitur abiurare de vehementi, & pro facto hæreticali ſolent condemnari ad triremes, quod etiam docet Pegna *in direct. Inquiſ. part.*3.*commen.* 67.Zanard.*in direct.Inquiſ.part.*3.*cap.* 64. Delrius *in diſquiſ.mag. lib.*5.*ſect.* 15. §. *dico tertiò.* Sed difficultas eſt, an quando reus torquetur non ſolùm ſuper intentione,& complicibus, ſed etiam ſuper facto, an ſi negatiuus perſiſtat in tortura, ſit adhuc aliqua pœna extraordinaria puniendus? ſed ad hoc reſpondebimus in ſeq.reſolutione.

Non deſinam tamen hîc adnotare quòd ſecundùm Gomez *tom.*3.*var.cap.*13.*nu.*20. Couarr. *pract. qq.cap.*23.*num.*5.Suarez de Paz *in praxi tom.*1.*part.*5. *cap.*3 §.12.*num.*10.& alios, ſi reus torqueretur ſtantibus legitimis probationibus,negetque delictum, & Iudex priùs proteſtationem non fecerit, adhuc probationes legitimæ non eliduntur; ſed communis opinio, vt diximus, eſt in contrarium, & ideò ſemper in tali caſu apponitur clauſula,*citra præiudicium probatorum.*

RESOL. XXXIII. *An tortus & negatiuus poſsit puniri ab Inquiſitoribus aliqua pœna extraordinaria?*

HIc caſus frequenter accidit, & affirmatiuè videtur reſpondere doctus Inquiſitor Didacus Cantera *in qq.crimin.cap.*2.*de probat. per teſtes,quæſt.*1. *nu.*65.vbi ſic ait:Aut per torturam fuerunt purgata indicia, quia ſecundùm qualitatem delicti & indiciorum fuit tortus, & tunc credo, quòd debeat abſolui; aut tortura non fuit ſufficiens ad purganda omnia indicia ſecundùm qualitatem delicti, & indiciorum ipſius perſonæ tortæ,& tunc non purgabit in totum,ſed aliqua pœna arbitraria puniendus ſecundùm arbitriũ Iudicis; & ita ſeruatur propter qualitatem criminis in crimine hæreſis, nam qui ſemel eſt infamatus de delicto, & eſt aliqua probatio de eo,numquam ſatis purgatur ad torturam,& ſic imponitur aliqua pœnitentia arbitraria. Hæc Cantera; ſed infrà illum explicabimus.

Verùm circa præſens difficillimum dubium adeſt determinatio noſtræ Inſtruct. Toletanæ *anno* 1561. vbi *numer.*54. ſic habetur: *Si el Reo venciere el tormento,deuen los Inquiſidores arbitrar la calidad de los indicios,y la calidad,y forma del tormento, y la edad y diſpoſicion del atormentado, y quando todo conſiderado pareciere, que ha purgado ſuficientemente los indicios abſoluerle han de la inſtancia aunque quando por alguna razon les pareſca no fue el tormento en el deuido rigor,conſideradas las dichas calidades podranle imponer abjuracion de leui, & de vehementi,ò alguna pena pecuniaria, aunque eſto no ſe deue hazer ſino con grande conſideracion,y quando los indicios no ſe tengan por ſuficientemente purgados.* Sic *ibi.* Et ideò quando indicia fuerunt grauia, & valdè vrgentia, non purgantur per torturam quoad pœnam extraordinariam, vt probat Aloyſius Riccius *part.*1.*deciſ.*73.*num.*8. Petrus Binsfeldius *de malef.leg.*7.*q.*1.*conel.*16.Boſſius *tit.de Inquiſ.num.*30.& Iul.Clar.*q.*64.*num.* 38. vbi ſic ait: Apud nos autem quandoque etiam poſt grauem torturam,& perſeuerantiam rei in negatione, vbi indicia ſunt valdè vrgentia,ſolet Senatus reos condemnare,non quidem ad pœnam ordinariam, ſed extraordinariam, puta triremium ad tempus. Ita ille. quorum doctrina maximè procedere debet in crimine hæreſis,propter eius enormitatem.

Sed ego,quidquid ſit in aliis criminibus,quando adſum in ſacro Tribunali,in aliquo caſu occurrenti,ſi reus fuit tortus cum pluſquam ſemiplena probatione, ſemper ſum huius voti,vt non abſoluatur ſimpliciter ab inſtantia, ſed aliqua pœna arbitraria puniatur,niſi acris tortura cẽſeretur euacuaſſe etiã omnia indicia; & in hoc caſu amplector opinionẽ Canteræ, nec ipſe *in loco ſuprà allegato* aliter docere voluit,vt patet penes ipſum *in q.*22.*de reo, numer.*12. vbi aſſerit, quòd quando reus torquetur cũ ſemiplena probatione tantùm,tunc ſi ſit negatiuus,abſoluendus eſt;ſi verò fuit tortus cum pluſquam ſemiplena probatione, tunc ſi tortus vincit torturam, purgantur indicia vſque ad ſemiplenam probationem; pro reliquo verò poteſt imponi aliqua pœna extraordinaria, & teſtatur *ibi* ipſe Cantera hanc opinionem communiter obſeruari in officio S.Inquiſit.Hiſpan.& ita intelligenda eſſe putat verba ſupracitatæ inſtructionis Toletanæ, quod eſt valdè notandum à DD.Inquiſitoribus, penes quos plus auctoritatis debet habere vnus Cantera, quàm decem alij Doctores Criminaliſtæ, maximè cùm teſtetur de praxi Tribunalis.

Ex his omnino refellendus eſt Paramus *de orig. Inquiſit.lib.*3. *quæſt.* 4. *numer.* 6. vbi abſolutè docet, quòd ſi delatus exponitur tormentis, & ſuſtinens illa nihil confitetur, abſoluendus eſt ab inſtantia; non, inquam, hæc opinio eſt admittenda ſimpliciter & abſolutè, nam eſt contra dictã inſtructionem

nem Toletanam, & in tali caſu obſeruanda ſunt ea, quæ prudenter dicta inſtructio conſiderat. Vnde Menochius, quem citat & ſequitur Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. quæſt. 64. nu. 115.* aſſerit, quòd quando indicia purgantur per torturam, remittitur arbitrio Iudicis; non benè igitur dixit Paramus abſolutè, quòd tortus negatiuus purgat indicia. Scio Simancam *in Cathol. inſtit. tit. 65. numer. 74.* docere, quòd ſi reus in quæſtionibus pernegauerit, purgat omnia præcedentia indicia, ſed interpretandus eſt ſano modo, nempe ſi indicia arbitrio Inquiſitorũ erant talia, vt per torturam cenſeantur purgata, aliter eius opinio eſſet contra Inſtructionem Toletanam. Vnde Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. num. 22.* ex Barthol. Cifuentes, & Gomezio concedit poſſe Iudicem ratione indiciorũ, vel præſumptionum damnare reum tortum & negatiuum aliqua pœna arbitraria.

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd Marſilius *in pract. crimin. §. quoniam, nu. 26.* aſſerit, quòd quando tortus fuit negatiuus, & euacuauit indicia, ſi poſt torturam fuit iterùm interrogatus extra tormentum de delicto, & inuentus varius, quòd ex illa variatione poterit iterùm torqueri; ſed hæc opinio non eſt tenenda, quia indicia ſuperuenientia debent eſſe maiora & validiora, & illa ſola variatio non eſt talis, & alia indicia, quæ præcedebant, fuerunt purgata per torturam, deinde purgatis indiciis ampliùs reus non eſt interrogandus. ergo, &c. & ita docet Anton. de Ballis *in tract. var. lib. 2. quæſt. 17. n. 12. & ſequent.*

RESOL. XXXIV. *An Inquiſitores poſſint torquere reum, qui non vult reſpondere interrogationibus?*

AFfirmatiuè reſpõdeo, vnde in tali caſu de rigore iuris Inquiſitores poſſunt ponere illum ad torturam, & cogere vt reſpondeat affirmatiuè, vel negatiuè, & ita tenet Baldus *in l. accuſationem, poſt nu. 11. C. qui accuſare non poſſ.* &, vt dicit *ibi* Baldus, talis tortura non datur reo ad eruendam veritatem, quia ad hoc neceſſe eſſet, vt precederent indicia ad torturam ſufficientia, ſed datur ad extorquendam reſponſionem; quam Baldi opinionem in contingentia facti approbauit Concilium Neapolit. vt teſtatur Capycius *deciſ. 145.* & hæc omnia docet Brunus *tract. de indic. quæſt. 5. nu. 4.* Carauita *ritu 259. num. 14.* Miranda *in ordine iudic. tom. 2. q. 26. art. 4. concluſ. 5.* Gomez *tom. 3. variar. cap. 12. numer. 5.* Clarus *lib. 5. §. final. quæſt. 45. num 6.* Maſcardus *de probat. lib. 3. concl. 1385. nu 15.* & Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib. 2. cap. 39. n. 48.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. ver. Tortura. §. & ſcias etiam.* Cartharius *de interrog. reor. lib. 3. cap. 2. num. 3.* Ludouicus Peguera *in praxi cap. 12. §. 5. nu. 26.* licet ipſe aſſerat ſe non vidiſſe in praxi hanc opinionem à Iudicibus admitti, ſi tamen in aliquo loco adſit, putat eſſe optimam & laudabilem; vnde in hoc caſu Inquiſitor ſequatur praxim ſuæ Inquiſitionis.

RESOL. XXXV. *Quem modum torquendi debeant* DD. *Inquiſitores adhibere cum reis, & quomodo, & de tormento ignis ad pedes adhibito.*

NOn debent recedere, ſaltem in hoc Regno Siciliæ, à tormento funis, videtur enim approbatum à conſuetudine & iure communi, vt *in l. nullus, ibi, fidicularum tormenta, & ibi* gloſſa & Salicetus, *C. ad l. Iul. maieſt.* Sed quomodo tale tormentum dandum ſit, docet Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 65. n. 62.* ſic enim ait: Conſiderare Iudices debent qualitatem perſonarum, criminum, & indiciorum, aliter enim torquendi ſunt ſerui quàm liberi, fortes quàm timidi, iuuenes quàm ſenes, robuſti quàm debiles, humiles quàm honeſti, nobiles quàm ignobiles, hi enim clementiùs, illi duriùs torqueri debent. Sic ille. & poſt illum Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. numer. 65.* & Villagut *in pract. can. lib. 7. cap. 3. concluſ. 1. & 2.* & nouiſſimè Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. numer. 2.* vide etiam Gomez *tom. 3. var. cap. 13. numer. 5.* & Mirandam *in ordin. iudic. tom. 2. quæſt. 26. art 15. concluſ. 3.* Souſam *in aphoriſm. Inquiſit. lib. 2. cap. 39. num. 30. iuncto num. 25.* vbi ſic ait: Non ſunt omnes rei æqualiter torquendi, ſed magis, vel minùs, ſecundùm qualitatem perſonarum, delicti, & indiciorum, nec in modo torquendi, & in tempore immoderatè debet reum torquere, niſi per horam ad ſummum, nec regulariter fiant plures quaſſationes, ſeu ictus, quàm tres, ita Souſa. vide etiam Deltrium *in diſquiſ. magic. append. 2. lib. 5. quæſt. 24.* & Guazzinum *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap 20. per totum.* Sed in praxi viſum eſt quòd ex multis reis ita tortis nemo confitebatur, ideò in tali caſu regulariter ampliùs hoc tormentum in magna Regia Curia non adhibetur. Hinc etiam factum eſt multis ab hinc annis, vt in ſacro Tribunali huius Regni etiam DD. Inquiſitores ampliùs hoc tormento non vtantur, ſed quando rei ex aliquo impedimento non poſſunt torqueri, illos puniunt pœna extraordinaria, cum abiuratione, prout delicti qualitas & probationes expoſcunt.

RESOL. XXXVI. *An Inquiſitores debeant torturam inferre Clericis non infamatis, tantùm indiciatis?*

NEgatiua ſententia ſuadetur per ea, quæ adducit Didacus Cantera *in quæſt. crim. quæſt 11. de reo. nu. 1.* Bernardus Diaz *in pract. crimin. c. 125.* Damhauderus *in pract. crimin. cap. 37. numer. 25.* Maceratenſis *variar. reſolut. lib. 3 reſolut. 44. caſ. 4. nu. 4.* Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap. 1. numer. 7.* Eugerius *conſil. 76. num. 103.* Decianus *vol. 4 reſponſ. 124. numer. 38.* Marſilius *in pract. crimin. §. nunc videndum, numer. 51. & §. ex prædictr, numer. 40. & ſingul. 55.* Boſſius *tit. de indiciis, numer. 15.* Ioan. Gratianus *in regulis & fallentiis, reg. 226. numer. 91.* Caſſaneus *in conſuet. Burgun. rubr. 1. §. 5. nu. 6.* & alij aſſerentes, quòd ſi etiam mille eſſent indicia contra Clericum, ſed non eſſet de crimine diffamatus, non poſſet torqueri, & quidem hæc opinio eſt probabilis, & ſatis pia, & multùm fauens ſtatui clericali, quam nouiſſimè docet etiam Eymericus à Rosbach *in pract. crimin. tit. 5. cap. 22. nu. 2.*

Sed his non obſtantibus, affirmatiuam ſententiam tenendam eſſe puto in caſu hæreſis maximè, & illam tuetur ex noſtris Pegna *in direct. Inquiſit. p. 3. comment. 110. lit. F.* Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 65. numer. 48.* & Ludouicus Miranda *in ordine iudiciario tom. 2. quæſt. 26. art. 2. concluſ. 2.* Ignatius Salzedus *in practic. crimin. Bernardi Diaz vbi ſuprà lit. A.*

Petrus

Petrus Caballus *centur.2.cas.84.num.20.* & Michaël Zanardus *in direct. Inquisit part.3 c.95.fol.513.* vbi sic ait: Etsi Clericus non possit torqueri nisi sit de crimine diffamatus, vt *suprà* diximus, tamen in hoc crimine hæresis ad eum torquendum sufficient legitima indicia,quia crimen est exceptum,& sumus in maiori periculo in Clerico & Doctore,qui magis possunt alios lædere, labeque hæreticali inficere,quàm laici, qui prauitatem hanc propter eorum ignorantiam ita de facili non possunt aliis damnum inferre. Ita ille.quod etiam confirmatur; nam dato, quòd infamia ad Clericú torquendum sit necessaria,hæc sanè sufficiens oritur ex semiplena probatione, aliisque indiciis, quæ eum suspectum,& infamatum reddunt: ergo,&c.

Verùm licet hæc opinio vera sit: aduertant tamen Dom. Inquisitores, quòd in casu occurrenti mitiùs torquendi sunt Clerici,quàm laici,& ita tenet Pegna,Maceratensis,Miranda,& Salzedus *locis citatis*,quod intelligendum est,ceteris paribus,stante eadem qualitate delicti, & indiciorum,vt rectè obseruat Michaël Zanardus *in direct. Theol. part.3. cap.94.fol.510.* & ideò dixit Sousa *in aphor.Inquisit. lib.2. cap.39. num.32.* quòd Ecclesiastici, nisi delicti enormitas id postulauerit,mitiùs torquentur; non desunt tamen, vt obseruat Caballus *centur.1. cas.84. num.18.* Doctores contrarium tenentes, & ita tenet nouissimè Ant. Queuedo *lib. de indic. part.1. cap.12. num.17.* sed tu ne discedas à prima opinione.

Nota etiam quòd secundùm aliquos Doctores, quando datur tortura Ecclesiasticis, non laici, sed Clerici debent illos torquere; sed hoc non obseruatur in nostro Tribunali,& ideò Didacus Cantera *in quæst. criminal. quæst.11. de reo, n.1.in fine*, sic ait: Vnum solet seruari, quòd quando datur tortura Clerico, non solet dari per laicum, sed per alium Clericum; ego tamen contrarium vidi practicari tam in iudicio S.Inquisitionis,quàm in iudiciis aliis Ecclesiasticis.Ita ille.

Et tandem nota quòd Clericus non debeat admitti ad canonicam purgationem,quando est grauatus indiciis ad torturam, sed debet torqueri. Ita Guazzinus *tom.2 lib.1. defens.30.c.10.n.6.* & alij; est tamen verum,quòd indicia ad torquendum Clericum non debent esse indicia ordinaria, quæ sufficiunt contra laicum,sed requiruntur grauiora,& vrgentiora,propter illam præsumptionem bonitatis,quam habent Religiosi & Clerici; & ita obseruat Guazzinus *loco citato,nu.3.* Farinacius *quæst.41. n.9.* & alij penes ipsos; quibus ego addo Mirandam *in ordine iudic.to.2.quæst.26.art.13. concl.2.*

RESOL.XXXVII. *Quid facere debeant Inquisitores cum reis, si timeant veritatem in tortura non fateri ex incantationibus & maleficiis?*

FRanc.Pegna *in direct. Inquisit.part.3. comment.39. lit F.* sic asserit: Aduersus has fraudes, & incantamenta,quæ remedia opem ferant,nondum sum expertus,iuuabit fortasse cunctas vestes detrahere cùm quæstionibus admouentur huiusmodi homines,quibus sæpè figuras scriptas occultant. Sic ille. Verùm in tali casu non solùm vestes detrahendas, sed etiam omnes pilos abradendos esse, rectè docuit Petrus Binsfeldius *in comment. malef. & math. leg.7.quæst.1.concl.15.* vbi sic ait:Quando suspicio oritur,maleficam penes se habere aliquid maleficij ad inducendam taciturnitatem,solent curare Iudices, vt propriis vestibus exuatur, ne aliquod maleficium insutum habeat,eandem ob causam pilos vndique iubent abradi.Ita ille.Sed quàm circumspecti in tali casu esse debeant DD.Inquisitores, patebit ex quodam facto memorabili adducto à Iodoco Damhaudero *in sua practic.crimin.cap.37.n.21.* sic asserente: Ipse vidi cùm in ciuitate Burgensi essem à consiliis in muliercula admodum anu, quæ tum habitu,tum victu,tum incessu,tum moribus,& fucata sanctimoniæ specie ab omnibus venerabatur, veluti vera Christi Apostola,quòd multarum matronarum filias ac filios quasi miraculosè curaret, gibbos liberaret,crura, tibiasque confractas illicò restitueret,idque non arte,aut externo medicamine aliquo adhibito, verùm,vt olim Apostoli pietatis aliquo exercitamento, nempe vt vno, duobus, vel tribus diebus ieiunarent in pane & aqua,vel vt ter legerent orationem Dominicam,aut inuiserent aliquas Ecclesias,vel vt Sacrum vnum,aut alterum religiosè audirent, aut aliquas preculas persoluerent ægri. His rebus iniunctis ritè expletis, illicò, aut certè intra pauculos dies morbis liberabantur, & firmæ valetudini restituebãtur. Cùm istius mulierculæ ea facta in vulgus latiùs spargerentur, à Senatoribus intempesta nocte iussa fuit ex lecto comprehendi,& carcere mancipari.Postridie cùm ab iisdem Senatoribus perquireretur, quomodo, quibus mediis, quo fœdere, quaque fiducia freta suas curas perageret, intrepidè semper respondit, se piè cuncta exercuisse, & bonis piisque rationibus, atque ideò sese nõ debuisse tam ignominiosè comprehendi.His non obstantibus,ex certis indiciis per Senatum adiudicabatur torturæ, ad quam cùm veniret, & verbis persuasoriis examinaretur, constanti vultu & animo semper perdurauit in ea sententia,se nihil eorum quæ fecerat,dæmonis ope peregisse, sed omnia pio, & licito modo. Interim ob constantem negationem torturæ tradita est; illa autem non lamentationes,aut clamores edidit,sed horum loco subridere cœpit, & quamuis ligata, digitorum tamen complosionibus Iudicibus ipsis insultabat,& posita super scamno aut risit,aut dormiuit; hinc factum vt è scamno & tortura relaxaretur, & iterùm in carcerem reciperetur. posteà noua indicia habita,torturæ iterùm tertiò adiudicatur.Verùm priusquàm scamno imponeretur,totius corporis pilos, & crines abradi curauimus, posteà scamno imponitur, acerrimè torquetur,nihil tamen fateri voluit. Tandem quibusdam adstantibus succurrit,eam non esse tonsam in pudendis, tam retro & antè,& sub axillis,vbi per tontrices illi quoque crines abrasi fuerunt,& inter radendum reperta fuit pergamena in pudendis retro & antè inserta, cui inscripta fuerunt aliquot peregrina vocabula dæmonum crucibus aliquot inter se distincta.hæc pergamena Senatoribus exhibita occasionem præbuit, vt rursus scamno traderetur torquenda, vbi facta plenè passibilis, omnia nudè

fateba-

fatebatur quæcumque prioribus informationibus fuerunt propoſita; cùm autem rogaretur cur priùs fateri noluit, Niſi à me, inquit, omnes crines, atque etiam hanc ſchedulã abſtuliſſetis, numquam à me perquirere quidquam potuiſſetis, vt quæ per illa facta eram impaſſibilis. quod haud dubium veriſſimum erat. Hæc omnia Damhauderus *vbi ſuprà.* & factum ſimile accidiſſe in vrbe Neapolitana teſtatur Ambroſinus *de proceſſ. informatiuo lib. 4. cap. 7. num.* 13. vbi vult in tali caſu os, foramina narium, & aurium, anum, vel vuluam, & ſi qua plaga, vel cauterium, aut inciſio in corpore adſit, diligenter inquirenda eſſe, & plura alia, quæ in tali caſu facienda eſſe adducit etiam Cartharius *de interrogatione reorum, lib. 4. cap. 1. n.* 220. *& ſequent.* cum Marſilio *in practic. crimin. §. nunc videndum, num.* 52. Ex quibus, vt dixi, apparet in ſimilibus caſibus ſummam diligentiam adhibendam eſſe à DD. Inquiſitoribus, qui etiam quando caſus occurrerit, poſſunt hæc etiam remedia Eccleſiaſtica adhibere, quæ ponit Delrius *in diſquiſ. magic. append. 2. lib. 5. quæſt.* 25. vbi ſic ait: Præmittenda eſt exorcizatio Sylueſtri *in lib. de ſtrigimag. admir.* non quòd poſſeſſas à dæmone ſagas ſentiat, ſed quia præſertim eius obfirmatæ ſunt, vtile quoque ſi torquendi collo appendãtur ſacræ reliquiæ, vel agni cerei effigies conſecrata, item ſi aqua benedicta in os effundatur, & ea corpus aſpergatur, & cùm vtuntur tormento in ſomnis, cerei benedicti inſtillatio inopinata. Ita ille, qui etiã *quæſt.* 29. docet loquens de ſagis, poſſe in tali caſu Iudicem deſiſtere à tortura, & poſt alios dies repetere, quia dæmon non ſemper ſtrigibus aſſiſtit, ſed aliquando deſerit, vel ſponte ſua, vel Dei iuſſu. Et tandem poſt hæc ſcripta inueni Antonium Queuedo de hac materia diſſerentem *in lib. de indic. & tortura, part. 2. cap. 6. per totum*, adi illum, & non pigebit; ſicuti etiam Malleum maleficarum *tom. 1. part. 3. quæſt. 15. per totam*; & iterùm M. Antonium Delrium *vbi ſuprà lib. 5. ſect. 9. §. quoad tertium dubium, fol. mihi* 739. *& ſequent.* vbi ponit vndecim remedia.

RESOL. XXXVIII. *An Inquiſitores ſi torquerent reum ex opinione probabili, relicta probabiliori, debeant puniri à ſuis Viſitatoribus?*

HIc caſus poteſt faciliter accidere, & ad illum negatiuè reſpondet Mart. Antonius Delrius, in terminis terminãtibus, vt dici ſolet, *in diſquiſition. magicis append. 2. lib. 5. quæſt. 1.* vbi in caſu de non danda tortura ex ſolo dicto ſocij criminis ſine aliquo alio adminiculo ſic aſſerit: Hæc ſententia communis cùm ſit iuri & rationi magis conſentanea, meo iudicio, Iudici ſequenda eſt in vtroque foro. Si quis tamen illam contrariam Cyni, & aliorum Doctorum ſecutus eſſet, putarem eum ſyndicatui non ſubiacere, facit enim tot Doctorum quos ſecutus eſt, vt dici nequeat ex capite ſuo, vel temerè feciſſe, aut proceſſiſſe, qui grauium Doctorum, & quorumdam Iudicum praxim, doctrinamque amplexus fuit, licet minùs probabilem, vel tutam. Ita Delrius. & hanc opinionem docet etiam Ioannes Sancius *in ſelectis diſp. 44. n. 72. in fine*, vbi ſic ait: Animaduertant quoque Iuriſperiti, non ob id ſubiici ſyndicatui, quod iuxta opinionem probabilem ſententiam ferant, relicta probabiliori, & cõmuniori. Nam prudenter agit, qui iuxta opinionem probabilem operatur; ſyndicare autem Iudicem eò quòd iuxta probabilem opinionem ſententiam tulerit, eſſet eum punire abſque culpa, quod hercle iniquũ eſt; & oppoſitum rectæ rationi; quapropter Doctores oppoſitum ſentientes reiiciendi ſunt, velut punctum veritatis minimè attingentes, certè namque in principiis moralibus minùs fidendum eſt de Iuriſperitis, quàm de Theologis. Hæc Sancius.

TRACTATVS VII.

De pœnis delictorum pertinentium ad Tribunal Sacræ Inquiſitionis.

RESOLVTIO I. *Quædam præambula ad ea, quæ inferiùs tractanda ſunt.*



CTVRVS de pœnis criminum ad ſacrum Tribunal ſpectantium, aliqua præmittenda eſſe duxi: igitur

Quæro primò, an DD. Inquiſitores poſſint condemnare ad pœnam triremium, fuſtigationis, &c. reos abiurantes tantùm de leui? Reſpondet negatiuè Michaël Zanardus ex Illuſtri Dominicanorum familia, qui fuit Conſultor S. Officij in multis Inquiſitionibus Italiæ; ſic enim aſſerit *in direct. Theolog. part. 3. cap.* 134. *fol. mihi* 737. Qui de leui abiurant, grauibus pœnis non affliguntur, ſed pœnis pecuniariis, vel carceris per aliquot menſes, vel alterius publicæ pœnitentiæ non multùm grauis; ſed qui de vehementi abiurant, fuſtigari poſſunt, trium ictuum funis pœna puniri, per annos ad carcerem & ad triremes, iuxta qualitatem perſonæ ac delicti, damnari. Ita ille, & hanc ſententiam etiam docet Genuenſis *in praxi Archiepiſc. cap. 68. nu. 8.* vbi aſſerit: Leuiter ſuſpectis imponi poteſt pœnitentia ſalutaris, & vehementer ſuſpectis pœna triremium. Verùm praxis noſtræ Inquiſitionis Hiſpan. eſt in contrarium, & ſic inferiùs dicemus, quòd ducẽtes duas vxores abiurant de leui, & tamẽ fuſtigantur, & damnantur ad triremes; & ſollicitantes in confeſſione abiurant de leui, & tamen aliquando damnantur ad triremes; ſic etiam blaſphemi, &c. Vnde Caſtrus Palaus *in ſumm. tom. 1. tract. 4. diſp. 7. punct. 1. n. 9.* ſic aſſerit: Infertur pro crimine inducente leuem ſuſpicionem, condemnari reum poſſe ad aliquam pœnitẽtiam, vel pecuniariam, vel recluſionis pro aliquo tempore, vel fuſtigationis, vel triremis arbitrio Inquiſitorum, penſata qualitate perſonæ,

&

& grauitate delicti & malitiæ. Ita ille. quibus etiam pœnis, ſed acriùs in noſtro Tribunali Hiſpanico puniuntur etiam vehementer ſuſpecti de hæreſi, vt tradit ipſemet Palaus *diſp. 6. punct. 2. num. 1.* & Rojas *de hæret. part. 2. n. 301.*

Quæritur ſecundò, an quando ex aliquo delicto oritur vehemẽs ſuſpicio, debeant Inquiſitores ſemper imponere abiurationem de vehementi? Videtur affirmatiuè reſpondendum, ex doctrina quam adducit Ricciullus *tract. de iure perſonar. & c. lib. 5. cap. 11. num. 30.* Torreblanca *de Magia lib. 3. cap. 20. num. 1.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſ. ver. ſuſpicio, §. ſuſpectus.* Similiter & alij communiter, adducentes regulam generalem, videlicet quòd quando quis committit delictum, quod inducit vehementem ſuſpicionem, debet de vehementi abiurare: ſi autem inducit leuem ſuſpicionem, de leui emittat abiurationem. Sed in caſibus particularibus, & in praxi contingentibus, circa hoc DD. Inquiſitores eorumque Conſultores aduertant id quod prudenter, & ſolidè obſeruat Pegna *in director. Inquiſ. part. 2. comment. 85. in fine*, vbi ſic ait: Vnum præ ceteris habeant Inquiſitores ante oculos, ne facilè credant hunc, vel illum eſſe vehementer ſuſpectũ, quia in hoc, vel illo auctore reperiant ex tali, vel tali cauſa oriri vehementem ſuſpicionem, nam plurimum ſemper ſunt & perſonarum & cauſarum circumſtantiæ conſiderandæ, ex quibus interdum vehemens ſuſpicio, interdum leuis, interdum verò nulla oritur. Sic ille. Vnde Michaël Zanardus *in direct. Theolog. part. 2. pr. 1. cap. 1. §. 25.* docet, quòd ex conſideratione perſonarum, & circumſtantiarum, quandoque vehementes ſuſpiciones conuertuntur in leues, ſicut è contra ſuſpiciones leues conuertuntur in vehementes.

Obſerua etiam hîc obiter id quod docet Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib. 2. cap. 40. numer. 15.* proceſſum minorum in cauſa fidei quando de hæreſi formali non conſtat, non terminari regulariter per maiorem abiurationem, quàm de leui, cùm præmatura ætas in dicta cauſa fidei delicto plurimũ detrahat. Ita ille, qui citat Pegnam, quod eſt valdè notandũ.

Quæro tertiò, quænam ſint pœnæ hæreticis à iure impoſitæ? Reſpondeo pœnæ contra hæreticos à iure ſtatutæ hæ ſunt. Prima eſt ſententia excommunicationis maioris, quæ ſpiritualis eſt, quæ decernitur *in cap. ad abolendam, & cap. excommunicamus 1. & 2. tit. de hæret. in Decretal. & in 6.* & tandem arctiori vinculo *in Bull. Cœn.*

Secunda pœna partim ſpiritualis, & partim temporalis, eſt priuatio omnis Eccleſiaſticæ dignitatis, officij, & beneficij, & inhabilitas ad ipſa, & habetur *in cap. didicimus. cap. pudenda 24. quæſt. 1. c. præter, 32. diſt. cap. quo iure, diſt. 6. cap. ad abolendam, ca. excommunicamus 1. de hæret. cap. vt commiſſi, eodem tit. in 6.*

Tertia pœna temporalis eſt, videlicet publicatio bonorum omnium quibus priuantur hæretici à die commiſſi criminis, & habetur *in l. Manichæos, l. cognoſcimus, l. Arriani, C. de hæret. in Authen. Gazaros, & Authen idem eſt C. eodem tit. in cap. Iudæi, 1. quæſt. 4. cap. vergentis, de hæret. cap. cùm ſecundùm leges, eodem tit. in 6.* Huic pœnæ annectitur alia ſimilis, quæ eſt priuatio omnis dominij temporalis, iuriſdictionis & omnis debiti quod ex fidelitate quocumque titulo illis debebatur, *in cap. vlt. de hæret.* Pœna priuationis bonorum extenditur etiam ad filios hæreticorum, ſic enim bona ab eis auferuntur, vt filij & heredes maneant perpetuò ſpoliati, quod antiquo iure non fiebat, ſed bona parentum hæreticorum filiis Catholicis tradebantur, vt patet ex *l. Manichæos, l. cognouimus, C. de hæret. Authent. idem eſt, eodem Cod. cap Iudæi 1. q. 4.* Sed iure nouo fiſco applicantur, vt patet ex *Auth Gazaros, & l. vlt. C. de bonis proſcriptorum, & cap. vergentis, de hæret. & cap. ſecundùm leges, eod. tit. in 6.*

Quarta pœna etiam temporalis eſt. Quinta, perpetua infamia, *in Authen. Gazaros, C. de hæret. cap. infamis, 6. q. 1. cap. alieni, 2. q. 7. cap. infamibus, de reg. iuris. cap. excommunicamus 1. de hæret. & c. 2. §. hæretici, eodem tit. in 6.* huic pœnæ annexa eſt inhabilitas ad omnẽ honorem, dignitatem, officium & actionem ciuilem, vt hæreticus, nec Iudex, nec teſtis, nec actor, nec tabellio, neque aliud ſimile eſſe poſſit, quoniam hæc omnia infamibus prohibita ſunt, vt habetur *in cap. infamibus, de reg. iuris in 6. & in l. 2. C. de dignitatibus*, & nominatim etiam hæc hæreticis interdicuntur *in l. quoniam, C. de hæret. l. ſi pupilli. §. videamus, de negot. geſt. cap. excommunicamus 1. de hæret. ca. quicumque, cap. cùm ſecundùm leges, eodem tit. in 6.* quæ quidem pœna infamiæ extenditur ad filios & nepotes vſque ad ſecundam generationem, ex *l. quiſquis, C. ad leg. Iuliam maieſtatis*, & ex *cap. quicumque, & cap. ſtatutum, de hæret. in 6.* quo pacto verò & quouſque hæc pœna eos comprehendat, explicat Simanca *tit. 29.* & Couarr. *var. l. 2. c. 8.*

Et vltima tandem pœna eſt ſupplicium mortis, quo tandem plectuntur impœnitentes & incorrigibiles, quæ cõſtituta eſt legibus ciu. *in l. Manichæos, l. Arriani, l. quicumque, C. de hæret.* & iure Canon *in c. ad abolendam, e ſicut ait, cap. excommunicamus 1. de hæret. & in c. ſuper eo, & c. vt commiſſi, eodem tit. in 6.*

His igitur ſuppoſitis, deueniendum eſt ad abiurationes & pœnas extraordinarias cuilibet particulari delicto in hoc ſacro Tribunali imponendas, quas ego, ſcit Deus cum quanta diligentia, collegi ex probatiſſimis auctoribus ad ſubleuandum laborem DD. Inquiſitorum, quibus hæc omnia & à me ſcripta & ſcribenda humiliter & ex corde ſubmitto.

RESOL. II. *De Iudæis, Mauris & aliis infidelibus aliqua crimina perpetrantibus.*

NOnnulli ſunt caſus, in quibus Inquiſitores poſſunt procedere cõtra Iudæos & infideles non baptizatos, contenti in Bulla Greg. XIII. edita *ann.* 1581. in qua Summ. Pontifex decernit *in §. 2.* vt puniantur ab Inquiſitoribus Iudæi & infideles negãtes quæ habent cõmunia circa fidem cũ Chriſtianis, vt Deum vnum, æternũ, omnipotentem, creatorẽ omnium eſſe, aut id alicui etiam priuatim inſinuantes; vel §. 3. dæmones inuocantes, conſulentes, eis immolantes, vel thus & fumigationem offerentes; aut §. 4. verbo, facto, exemplo alióue modo nefaria huiuſmodi docẽtes Chriſtianos, vel ad ea perducere tentãtes; vel §. 5. Chriſtum purũ hominem, aut peccatorem, Deíue matrem non Virginem, ſimileſue blaſphemias hæreticales proferentes, vel

vel §. 6. auxilio, consilio, opere, fauore Christianum à fide ad impias sectas, superstitiones, aut hæresim sollicitantes; vel §.7. aliquem à fidei, vel Baptismi post eius declaratam nutu, verbo, facto, aut alio quocumque modo voluntatē retrahentes, dehortantes, impedientes quouis modo; aut §.8. Hæreticos Apostatásve scienter receptantes, alentes, commeatu iuuantes, associantes, deducentes, vel deducendos & associandos curantes, defendentes, & quomodolibet auxilium, consilium, fauorem deferentes, vel facientes ne ab eis perpetrata inuestigari queant; vel §.9. prohibitos libros deferentes, retinentes, aut diuulgantes, vel ad eam rem operam suam conferentes; vel §.10. derisioni habentes Christianos, sacram hostiam, Crucem, Christum Dominum conspuentes, vel facientes quid simile, ouem, agnum, aut aliud quid Cruci affigentes, aut appendentes; vel §.11. Christianas nutrices tenentes, vel cogentes quando communicant vno, aut pluribus diebus effundere lac in cloacas, aut latrinas. In omnibus his casibus, vt diximus, Pontifex præbet auctoritatem Inquisitoribus procedendi aduersus Iudæos, & alios quoscumque infideles, vt obseruat etiam Ricciullus *tract. de iure person. &c. lib.1. cap.52. num.7.* Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.1. cap.37. à num.18. vsque ad 27.* Scortia *in Bull. Pontif. theor.347.* & alij penes ipsos. Vide etiam circa præsentem quæstionem Azorium *tom.1.lib.8.cap.22.quæst.12.* Campegium *in addit. ad Zanchinum cap.36. lit.B.* Simancam *tit.35. per totum*, Canteram *in qq.crimin c.1. de hæret.n.72.*

Sed deueniendo ad nostrum institutum, quibus pœnis plectendi sint supradicti Iudæi, & infideles talia delicta perpetrantes, tradit Pegna *in direct. Inquis.part.2.comment.69.* vbi quatuor pœnas numerat, priuationem communionis cum Christianis, pecuniariam, carcerem & verbera, neque ab his putat recedendum. Addit verò quòd si atrox sit scelus à Iudæo, vel alio infideli contra fidem patratum, acrior pœna eis imponi poterit, ac etiam relinqui poterunt Curiæ sæculari. nam quoties pœna relinquitur arbitrio iudicantis, si crimen sit ingens, Iudex arbitrium potest extendere vsque ad mortem. Ita Pegna, & post illum Castrus Palaus *in summa tom.1.tr.4.disp.8.punct.16.§.6. n.1.* & Farinacius *de hæresi q.178. n.146.* & ante illos Calderinus *tract.de hæret.cap.36 nu.4.* Repertor.Inquis. *ver. Iudæus, §. Sed circa prædicta.* Zanchinus *de hæret.c.36. n.4.* & *ibi* Campegius.

Sed audiamus Sousam *in aphorism. Inquisit lib.1. cap.37.num.29.* sic asserentem: Pœna quæ prædictis infidelibus imponi debet, est arbitraria, maior, vel minor, pro qualitate delicti, videlicet pœna priuationis communicationis cum Christianis, pecuniaria, carceris, verberum, remigandi etiam in perpetuum; tradi prætereà possunt Curiæ sæculari, vltimo supplicio puniendi ex constit. Greg. XIII. Hæc Sousa. Vnde ego olim *an.1633. die 27. Augusti*, consului quemdā Maurum ad triremes per triennium damnandum esse, ex quo pertinaciter in Tribunali S. Officij falsum deposuit ad excusandum alium Maurum iam Christianum factum, qui à dicto Mauro adiutus fugam arripuerat in Africam animo apostatandi; licet ex pietate DD. Inquisitorum non ad triremes, sed ad verbera fuerit condemnatus. Quòd autem Inquisitores possint specialiter contra Turcas procedere, quando adiuuant, vel consulunt Christianis ad apostatandum, docet Eymiricius *in director. Inquisit. part.2.quæst.45. n.3.* & Zecchius *in summa tom.1.cap.11.de hæret.n.13.* & apertè patet ex Bulla Gregorij XI. quam per extensum ponit Eymiricius *loco cit.* & commentariis illustrat Scortia *in Bull. Pontif. epitom. 27. theor.73. 74.& 75.*

Igitur cùm Iudæi delinquunt in iis, quæ sunt nostræ & suæ fidei communia, certum est Inquisitores posse illos punire. Difficultas est, an vltra pœnas, de quibus *suprà* dictum est, sit in hoc casu illis aliqua abiuratio indicenda? Affirmatiuè respondeo cum Pegna *in director.part.2. comment.* in hac forma:

Ego N. sacrosancta Dei lege posita coram me, & meis manibus tacta, iuro me credere corde, & ore profiteor, illam veritatem ac fidem, quam lex Dei sacrosancta docet, ac inprimis Deum esse inuocandum, solumque adorandum, & per consequens detestor eum errorem qui dicit, dæmones esse aduocandos, eisque diuinos honores tribuendos, aut similia, iuxta qualitatem errorum quos aduersus fidem admisit. non enim in tali casu iurat super Euangelia, quibus non credit, nec abiurat hæresim quæ in ipsum non cadit.

Et ita in facti contingentia accidit Barcinone *anno* 1371. vbi Episcopus & Inquisitor in die Circumcisionis Dominicæ fecerunt publicè abiurare, & sententialiter perpetuo carceri manciparunt quemdam Iudæum conuictum & cōfessum, quòd dæmones inuocauerat & sacrificauerat: vt obseruat Vmbertus Locatus *in praxi Inquis. ver. Inuocare, § vlt.* & ante illum Eymiricius *in director. Inquisit. part.2.quæst.46.n.16.* qui tunc erat in Aragonia Inquisitor, & dictum Iudæum, prout *suprà*, ipsemet condemnauit.

Sed ex dictis oritur pulchra quæstio, an Iudæi transeuntes ad Saracenos, seu ad alios infideles, possint puniri ab Inquisitoribus? Negatiuè respondet Sousa *in aphor. Inquis. lib.1.cap.37.n 27.* Farinacius *de hæresi q.178. n.132.* Decianus *lib.5. cap.10. n.34.* & alij. Sed ego contrariam sententiam tenendam esse existimo, quam tuetur doctus Inquisitor Camillus Campegius *in addit. ad Zanchin. de hæret. c.36.lit.B. in fine*, vbi sic asserit: Tandem circa hanc tractationem de Iudæorum delictis per Ecclesiam puniendis, vide adducta per Romanū *in sing.687.* vbi quærit, an Iudæus conuertens se ad ritum Saracenorum, veniat aliqua pœna puniendus? & probat quòd non sit puniendus. Tu verò tene doctrinam directorij *part.2. q.46.* quæ securior esse videtur. Constat autem quòd quamplurima in lege Saracenorum continentur quæ veritati Scripturæ aduersantur, quæ & Iudæis & nobis communia existunt. Ideò ex hoc potissimùm puniri possunt, quia non licet ab eis discedere; sicut enim puniri debent Iudæi colentes idola, vel sacrificia illis offerentes, aut dæmones inuocantes, ita credo eos puniendos esse si ad aliam sectam transeant, in cuius

ritu contineantur contraria his,quæ ipſi Iudæi nobiſcum tenent,vt iam dictum eſt. Ita Campegius: vnde contrariam ſententiam non poſſe ſuſtineri poſt conſtitutionem citatam Gregor.XIII.manifeſtum eſt. Nam in §.2.tribuitur Inquiſitoribus poteſtas contra Iudæos negantes, quæ habent communia circa fidem cum Chriſtianis. Sed Iudæi tranſeuntes ad ſectam Saracenorum,neceſſe eſt vt negent multa,quæ habent communia circa fidem cum Chriſtianis: ergo, &c. Ex quo valdè miror Souſam alioquin virum doctiſſimum,& de noſtro ſacro Tribunali benè merentem, negatiuam ſententiam docuiſſe. De Farinacio verò non miror, quia non ita diligenter omnia dubia diſcutit. Decianus eſt venia dignus, quia ante conſtitutionem Gregor.ſcripſit.

Nota etiam Souſam pro ſua ſententia citare Pegnam *in director.part.2.comment.69.*ſed *ibi* Pegna refert tantùm Oldradum,& aſſerit eius dicta ob breuitatem non velle expendere,in quibus verbis minimè demonſtrat talem ſententiam ipſum tenere.

RESOL.III. *De Apoſtatis & his,qui vulgò dicuntur* Renegati.

POſſe contra ſupradictos procedere Inquiſitores,tradit Filliucius *tom.2.tr.12.cap.5. n.145.* vbi ſic ait: Inquiſitores habent ius inquirendi in eos, qui è Chriſtianis tranſeunt ad Saracenos, ex *c.contra Chriſtianos,de hæret.in 6.* eſt enim eadē ratio,quæ de tranſeuntibus ad Iudæos. Ita ille,& ante illum noſter Rojas *de hæret.part.1. num.124.* vbi ita ait: Quamuis *in cap. contra Chriſtianos,de hæret.in 6.* ſolummodò dicatur de tranſeunte ad ritus Iudæorum;idem dicendum eſt de tranſeunte ad ritus Saracenorum, quia ex identitate rationis etiam in pœnalibus fauore fidei fit extenſio.& ita etiam docent Sanctarellus *de hæreſi,c.2.dub.vnic.n.1.* ait enim, Apoſtatæ à fide dicuntur ij, qui à tota fide Chriſtiana recedentes ad alias Religiones, ſeu ſectas ſe transferunt, vt ad ſectas Turcarum, Paganorum, vel Iudæorum.Vide etiam Riccium *in praxi tom.1. reſol.423. ver. Renegati.* Zecchium *in ſum. tom.1.tit.de hæret.c.11.n.13.*Peirinum *in priuil.Minim.to.2.conſtit.9. Pauli V.§.2.n.15.* Carrerium *de hæret.n.87.* Vallenſem *in partit.ad Decretal.lib.5.tit.9.n.2.*

Ad pœnas igitur deueniendo quoad abiurationem ſic aſſerit Genuenſis *in praxi Archiep.c.68.n.12.* qui abnegarunt fidem Catholicam apud infideles, ſi ſponte reuerſi petunt reconciliationē Eccleſiæ, tamquam Apoſtatæ formales abiurant, ſi fateantur ſe verè abnegaſſe fidem; ſi verò aſſerunt non habuiſſe intentionē abnegandi fidem,ſi pueri ſunt, ſolent abiurare de leui; ſi maiores, de vehementi; & hoc procedit,vt dictum eſt,ſi ſponte veniant ad Tribunal S.Inquiſitionis.Ita Genuenſ.& poſt illum Aloyſius Bariola *in aphor.litt.P. ver.pueri, §.2.* Sed magis amplè loquitur Pegna *in direct.Inquiſ.part.2. comment.59.* vbi ſic ait: In his recipiendis & reconciliandis vſu ſacri & ſupremi Tribunalis hęc praxis recepta ſummo iudicio eſſe videtur,ſi committentes talia facta ſponte compareant,& dicant ſe non credidiſſe ita faciendum eſſe, ſed fidem in corde retinuiſſe,tunc abiurant vt vehementer ſuſpecti,& aliæ pœnitentiæ ſalutares ipſis imponuntur; quòd ſi dicant & feciſſe & ita faciendum credidiſſe,abiurant tunc vt formales hæretici, vel Apoſtatæ, & grauiùs puniuntur,maximè ſi ſponte,aut nullo inducto metu,aut leui metu inculſo hæreticalia, vel apoſtatica facta commiſerunt; quòd ſi non compareant ſponte, & confitentur facta hæreticalia, vel apoſtatica,prauam autem intentionem negant; tunc ſuper intētione torquentur, vt intelligatur an reuerà ita crediderint, nécne, & ſi poſt torturam legitimè adhibitam in negatiua perſiſtunt, dicentes ſe non habuiſſe prauam intentionem, tunc ſimiliter abiurant vt vehementer ſuſpecti, & veriſimile eſt eos non habuiſſe prauam intentionem qui per grauem metum talia commiſerunt.Si verò intentionem prauam confitentur, tunc tamquam formales hæretici, vel Apoſtatæ abiurare compelluntur, & graues item pœnitentiæ imponuntur. Ceterùm vt grauiùs, vel mitiùs puniantur, conſideranda eſt qualitas metus illati,& perſonæ delinquentis,an iuuenis,vel vir;an doctus,vel imperitus; an laicus, vel Clericus & Religioſus,& ſimiles circumſtantiæ,quæ delicta ſolent minuere & augere. Sanè illi qui cùm non ſponte venerint cōfeſſi fuerint prauam intentionem & mentis errorem,ſi reuerti voluerint poſtquàm hæreſim,vel apoſtaſiam abiurauerint, de iure ad perpetuum carcerem ſunt damnandi,*cap.excommunicamus il 2.§.ſi qui autem,de hæret.in 6.* Ita Pegna *loco citato*, & poſt illum Ioſeph Seſſe *in deciſ.Aragon. tom.4. deciſ.444. num.9.* Extra verò abiurationem puniuntur ſupradicti aliis pœnis arbitrariis DD. Inquiſitoribus, videlicet pecuniæ,triremium, fuſtigationum,&c. vt optimè obſeruat Caſtrus Palaus *in ſumm tom.1. tract.4. diſp.7. punct.1.n.10.* quæ omnia, ait ipſe, obſeruata vidi in publicis actibus fidei,in quibus vehementer ſuſpecti ob aliquos ritus Iudaicos publicè errores abiurarunt,& pœna pecuniaria S.Officij ſumptibus applicanda cōdemnati ſunt,alij verò ad exilium.Neque illis fuit impoſitus ſaccus pœnitentialis crucibus integrè ſignatis, ſed ſolùm dimidiatis, qui tamen ſaccus facta abiuratione illis ſublatus fuit. Ita Caſtrus,quod vltimum eſt valdè notandum.

Non deſinam tamen hîc adnotare ea, quæ docet Rojas *de hæret.part.1.n.108.* vbi ita ait:Si captus à Sarracenis (vt quotidie videmus) metu mortis, vel tormentorum fidem Chriſtianam compellitur abnegare, & ad eorum ritus tranſire, ſed corde & animo fidem Catholicam tenet,is neque eſt hæreticus,neque reconciliandus, ſed in loco religioſo per aliquod tempus reponendus,& in fide orthodoxa inſtruendus;præſertim ſi in illo tempore minor ætate erat, quando captus à Sarracenis fuit. Nam maiores, vt mihi relatum fuit ab ipſis Sarracenis,ad id non compelluntur.Hæc Rojas.

Sed quia,vt ex dictis apparet,poteſt ſæpiùs contingere ſupradictos reos adducere ſe apoſtataſſe propter metum, vltra ſæpiùs dicta afferam hîc ea, quæ optimè aduertit Ricciullus *in tr.de iure perſon. &c.lib.6.c.5.n.7.& ſeq.* ſic enim ait: Quoniā animus intus latet,& Eccleſia non iudicat de occultis,meritò in foro exteriori aſſerens ſe Chriſtum negaſſe per vim,ſiue metum, redditur ſuſpectus de vehementi,

menti, vel leui, perpensis coniecturis personarum & negotiorum. Erit quidem de vehementi suspectus, si vi, vel metu cessante, nihilominùs in negatione fidei perseuerauit, quia diuturna continuatio demonstrat actum ex corde processisse. Item si persona sit grauis, veluti Prælatus, Monachus, Theologus, aut alius vir grauis & prudens, & vis vel metus non fuerit mortis, vel tormentorum, sed famæ, vel exilij, fustigationis, carceris, famis, vel alterius generis non cadentis in constantem virum; in his casibus suspicio est ita vehemens, vt meritò iudici eis possit abiuratio, & similiter si metus fuerit reuerentialis. De leui verò erit suspectus, si negatio fuerit facta à personis non benè fidei causam callentibus, & qui verisimiliter scire non poterant, quàm graue delictum sit negare fidem, cuiusmodi sunt pueri, feminæ, rustici & alij, quos minor metus auertit. Diluet autem omnem suspicionē apostasiæ, si statim, vi, vel metu cessante, doluerit, & pœnitentiam egerit. Ira Ricciullus, & ante illum Pegna *in director. Inquis. part. 1. comment. 24.*

Neque aduersus supradicta facit Eymericius *in direct. part. 2. q. 41.* vbi docet, quòd metus mortis non excusat ab apostasia in foro exteriori; nam, vt optimè obseruat Pegna *ibi comment. 66. lit. C.* hæc Eymericij sententia videtur vera de iuris, vt aiunt, rigore, nonnullis concurrentibus, videlicet vt qui fidem metu mortis abnegat, probè causam fidei intelligat, & peritus sit, vt Theologus, Monachus, vel Episcopus, similesque personæ conspicuæ, quibus eam prædicare quasi ex officio incumbat. Rursus vt eam abnegent, vbi facilè periculum euadere poterant, aut vbi maximè eam profiteri tenebantur, diutiusque in tali apostasia perduraut, nec statim nacta opportunitate reuertuntur, & Ecclesiæ reconciliari deposcunt; siue quando non ipsi seipsos prodiderunt, sed aliorum testimonio legitimè conuincuntur, nec metum probant, nec alia, quæ ad sui excusationem adducunt. Sic Pegna. Ex quibus apparet, quòd licet in aliquibus casibus metus excuset, tamen vt hoc efficiat, est in iudicio probandum, & ideò ego olim consului quemdam Græcum apostatam, qui delatus ab aliis ad S. Officiū, negabat ex animo apostatasse, sed metu mortis causa; quod cùm plenè non probaret, consului, inquam, torquendum esse, & si negaret intentionem, abiurare debere de vehementi, & ad triremes damnari, vt posteà factum fuit.

Et tandem ponam praxim quæ in sacro Tribunali huius Regni practicatur regulariter cū Mauris factis Christianis, qui posteà cum aliis Mauris ad terras Turcarum fugam arripiunt. nam si in itinere capiuntur, cùm ex dicta fuga & aliis circūstantiis, quæ quasi semper concurrunt in dicto casu, habent contra se violentam præsumptionem apostasiæ; ideò torquentur super intentione, & si posteà negent, abiurant adhuc de vehementi, & ad triremes per triennium damnantur.

Nota tandem, quòd si veri apostatæ abiurant de formali, confiscantur eorum bona, & damnantur ad carcerem perpetuum, & subiacent iisdem pœnis, quibus subduntur hæretici, de quibus *infrà* vt docet Innoc. *in cap. 1. de apostas. n. 2.* & *ibi* Hostiensis *n. 2.* Io. Andr. *n. 4.* Butrius *num. 7.* Vnde Lorca *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 12. art. 1. disp. 50. num. 3.* asserit apostatam quoad pœnas & omnem processum iudicialem, tractandum esse vt hæreticum, & idem tenet Sanctarellus *de hæresi cap. 2. dub. vnic. n. 6.*

Sed in fine huius resolutionis discutiam breuiter duas quæstiunculas.

Quæro igitur primò, an apostatæ à Religione sint puniendi à DD. Inquisitoribus? Negatiuè respondet Duardus *in Bull. Cœnæ. lib. 2. can. 1. q. 17. n. 32.* & Pegna *in direct. Inquis. part. 2. comment. 4.* vbi obseruat sacrum Tribunal Inquisitionis Romanæ nō solere contra hos inquirere, & ita etiam obseruatur in Inquisitione Hispanica, & ideò Aloysius Bariola *in aphor. lit. A. ver. Apostata. §. 3.* sic ait: Apostatæ à Religione non puniuntur ab Inquisitoribus ex sola apostasia, nisi habeant aliquid adiunctum, & ita est praxis sacræ Inquisitionis de Vrbe. Sic ille. Verùm Michaël Zanardus *in director. Theol. part. 2. præc. 1. cap. 5. §. 19.* ait hos esse de vehementi suspectos de fide in tribus casibus. Primò, si à Religione transeant ad partes hæreticorum cum eis communicantes, eorum conciones audientes, vel aliquo modo eorum impietates auctorizantes. Secundò, si habitum lacerent, pedibusque conculcent, & blasphemias contra Religiones euomant, nam similia facere & effutire, mali animi indicium est. Tertiò, si aliquid faciunt contra determinationes Ecclesiæ, vt si vxores ducant, vel celebrent, quando nominaliter excommunicati sunt, vel similia alia fecerint quæ magni contemptus signa sunt. Ita Zanardus.

Sed in multis ex supradictis casibus non vt Apostatas à Religione, sed ex aliis capitibus aduersus illos procedunt Inquisitores: sicut procedunt aduersus sæculares cum hæreticis communicantes, eorum conciones audientes, binas nuptias contrahentes, &c.

Vnde etiam non desunt DD. asserentes posse Inquisitores procedere contra Apostatas à Religione, si per annum in excommunicatione perstiterint negligentes ad Religionem redire, & ita docet Antonius Sanctarellus *de hæresi cap. 41. dub 3.* & Laurentius de Peirinis *in priual. Minim. to. 2. constit. 2. Pauli V. §. 2 num 13.*

Quæro secundò, an Inquisitores sine Episcopo possint reconciliare eos, qui vulgò dicuntur *Renegati*, si sponte ad ipsos venerint, & pœnitentiam postulent? Affirmatiuè videtur respondendum ex Molina *de iust. tom. 5. tract. 5. disp. 28 nu. 16.* vbi sic ait: Vidi ego in Lusitania cùm Christianus quidam captus à Sarracenis fuisset, atque vt seruitutem fugeret, sectam Mahometanā fuisset inter illos professus, ad nostram propria sponte aufugisset, reconciliatum fuisse secretò in Tribunali Inquisitionis, ibique abiurasse solis Inquisitoribus, & aliis ministris eius Tribunalis, ac me, qui illū fui comitatus, præsentibus, neque Ordinarium, aut alium loco illius interfuisse, fortè in simili euentu, in quo nullum dubium interuenire potest, necessaria nō erit præsentia Episcopi. Ita Molina; aduersus quem insurgit nouissimè Castrus Palaus *tr. 4. disput. 8. punct. 13. numer. 17.* Verùm non solùm in casu supradicto,

ſed etiam abſolutè docet Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 5. eſſe vſu magis receptum Inquiſitores indicare abiurationem & purgationem, ſine Epiſcopo. Vnde ego, vbi adeſt talis conſuetudo legitimè præſcripta, illam non damnarem; & hæc opinio erit quidem multùm plauſibilis DD. Inquiſitoribus.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis nota, quòd licet *in l. hi qui ſanctam, C. de apoſt.* denegatum ſit illis reconciliari, tamen ille textus fuit poſteà correctus à iure Canonico *in d. c. contra Chriſtianos & cap. plerique de conſecrat. diſt.* 4. *& cap. quidam, de apoſt.* quidquid aſſerat Arelatanus *de hæret. notab.* 44. & Matthæus de Afflictis apud Rojas *de hæret. p.* 1. *n.* 291. & ideò Lorca *in* 2. 2. *D. Thom. quæſt.* 12. *art.* 2. Cañus *lib.* 2. *cap.* 9. Caſtrus *lib.* 2. *cap.* 23. & Pegna *in annotat. ad Lucern. Inquiſit. ver. Apoſtata*, & Simanca *tit.* 7. *n.* 3. Barboſa *in l. Titia* 35. *ff. ſoluto matrim. nu.* 55. *tom.* 2. Freytas *in nouis addit. de Conſeſſ. ſollic. q.* 5. *n.* 90. aſſerunt apoſtatam pœnitẽtem recipiendum eſſe, quod etiam tradit nouiſſimè Gabriel Pereira *part.* 2. *de manu Regia, cap.* 74. *n.* 1. qui tamen, licet alioqui vir doctus, cautè legendus eſt, nam in dicto libro multa aſſerit contra immunitatem Eccleſiaſticam, & præcipuè *in cap cit.* docet, Iudicem laicum poſſe cognoſcere de apoſtaſia quando agitur de quæſtione facti, quod anteà *in part.* 1. *in concord. Ioannis* 1. *art.* 1. *n.* 175. dixerat etiam de hæreſi. Sed hæc omnia ſunt falſa, & contra communem ſententiam Doctorum, ita explicantium textum *in cap. vt. Inquiſitionis, §. prohibemus, de hæret. in* 6.

RESOL. IV. *De contrahentibus binas nuptias.*

HOc delictum Inquiſitores cognoſcere priuatiuè quoad Iudices laicos, probat Sigiſmundus Scaccia *de iudic. cauſar. &c. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 55. Vnde Antonius Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 35. *nu.* 18. ſic ait: Stando in iure communi, culpa contrahentium binas nuptias ad vtrumque Iudicem, Eccleſiaſticum ſcilicet & ſæcularem ſpectabat, nunc autem ad ſolos Inquiſitores, & extat declaratio Sum. Pontif. ad Inquiſitorem Luſitaniæ. Ita ille.

Verùm M. Anton. Genuenſis *in praxi Archiepiſc. cap.* 68. *n.* 13. ſic aſſerit: Si bigamus eſt præuentus à Curia ſæculari, debet remitti ad Curiam Eccleſiaſticam (Inquiſitorem videlicet) vt rectè notat Farinacius *vbi infrà.* quæ torquet ipſum ſuper intentione, & abiurare facit, deinde tenetur illum remittere ad Curiam ſæcularem, quæ ipſum punit pro bigamia; quando verò eſt præuentus à Curia Eccleſiaſtica, in totum punitur ab ipſa, & non poteſt ampliùs Curia ſæcularis ſe intromittere, vt habetur ex litteris Congregat. S. Officij, quæ conſeruantur in Curia. Hæc Genuenſis. Ex quibus appareret cautè legendum eſſe Simancam *tit.* 40. *n.* 3. *&* 4. vbi putat Inquiſitores tunc poſſe procedere aduerſus tales bigamos, quando ſunt ex genere Mahumetano, & quando palàm duas duxerint vxores. Sed aduerſus illum, & meritò, inſurgit Seraphinus Freyta *in addit. ad Acugnam, cap.* 2. *num* 32. & Farinacius *de hæreſi. quæſt* 178. *numer.* 71. vide etiam Homobonum *in exam Eccleſ. p. art.* 2. *tract.* 11. *cap.* 7. *quæſ.* 18. Rojas *ſingul.* 98. *numer.* 4. Guttierrez *in qq. Canon. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 3. & alios, quos citant & ſequuntur Bobadilla *in pol. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 152. *in gloſſ. lit. A.* & Barboſa *de poteſtate Epiſc. part.* 2. *alleg.* 40. *n.* 44. vnde non eſt audiendus Simanca.

Igitur cùm Inquiſitores abſolutè & indiſtinctè procedant aduerſus binas nuptias contrahentes, difficultas eſt an dicti ſint de vehementi, vel tantùm leuiter ſuſpecti de fide? Eſſe de fide vehementer ſuſpectos, tradit Piaſecius *in praxi part.* 2. *cap.* 4. *art.* 6. *numer.* 9. & Genuenſis *cap.* 18. *n.* 11. & alij. Verùm aſſerunt hos eſſe tantùm de fide leuiter ſuſpectos, Simanca *tit.* 40. *n.* 6. & alij. Vnde ex diuerſitate harum opinionum orta eſt differentia inter ſtylum Inquiſitionis Romanæ & Hiſpanicæ; nam in Romana Inquiſitione ſupradicti rei tamquam ſuſpecti vehementer de hæreſi torquentur, & abiurant de vehementi, vt teſtatur Naldus *in ſum. ver. vxor, n.* 2. Riccius *in addit. ad inſtit. Canon. lib.* 4. *tit.* 2. Farinacius *quæſt.* 178. *n.* 68. Ricciullus *de iure perſon. &c. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 19. *iuncto nu.* 30. Genuenſ. *in praxi cap.* 68. *n.* 13. Pegna *in direct. part.* 2. *commen.* 81.

Hinc Aloyſius Bariola *in aphor. lit. V. ver. vxor. §.* 2. ſic aſſeruit: Si quis aliquam ducat vxorem priore viuente, hoc ſpectat ad S. Officium, & ex decreto Vrbis cõfeſſi, vel conuicti præmiſſa tortura in forma abiurant de vehementi coram Congregatione, & ad remum tranſmittuntur per quinquennium, vel per ſeptennium pœnitentiis ſalutaribus iniunctis Inquiſitorum arbitrio. Ita ille.

In noſtra verò Inquiſitione Hiſpanica hi abiurant tantùm de leui, vt obſeruat Suarez *de fide diſp.* 24. *ſect.* 2. *n.* 4. Emanuel Moura *de incant. opuſc.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 3. *num.* 8. Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib.* 1. *cap.* 35. *nu.* 20 & non torquentur, vt obſeruat idem Souſa *de Conſeſſ. ſollicit. tract.* 2. *cap.* 13. *concl.* 3. *nu.* 11. Et ratio eſt, quia tales vtplurimùm præſumuntur contrahere binas nuptias ex luxuria, vel cupiditate lucrandæ dotis; ſecus autem ſi rei eſſent ex prouincia infecta hæreſi Caluiniana & Lutherana; nam in tali caſu abiurarent de vehementi, & ego illos torquerem, nam ex natione infecta oritur contra illos vehemens ſuſpicio de hæreſi. Vide Emanuelem Moura *de enſal. ſect.* 3. *cap.* 3. *num.* 9. In ſupradictis verò vnuſquiſque ſequatur praxim Inquiſitionis ſuæ.

Quibus verò aliis pœnis ſupradicti plectantur in noſtro Tribunali Hiſpanico, teſtatur Salzedo *in addit. ad pract. crimin. Diaz cap.* 8. *lit. B.* vbi ſic ait: Ab Inquiſitoribus hoc crimen perpetrantes fuſtibus cædi ſolent, cum relegatione ad tempus, vt teſtatur Simanca *in Cathol. inſtit.* in Enchiridio tamen aſſerit quòd plebeij flagellis cæſi ad triremes condemnantur; ſi verò nobiles fuerint, aliæ iuſtæ pœnæ imponuntur; & quod ad triremes faciendà ſit condemnatio, decretum fuit à ſupremis ſacræ Inquiſit. Senatoribus. Ita Salzedo, & Humada *in leg.* 60. *tit.* 6. *part.* 1. *ad text. num.* 3. qui non aſſignant tempus triremium, neque pœnas imponendas nobilibus, & etiam mulieribus, ſed hoc facit Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 20. ſic aſſerens: Regulariter perſonæ viles fuſtigantur, & ad triremes per quinquennium mittuntur. Honeſtiores verò & mulieres per idem tempus relegantur, aliis autem

autem pœnitentiis ſpiritualibus impoſitis. Simanca etiam *tit.40.n.6.* docet plebeios per quinquennium damnandos eſſe ad triremes; & Caſtrus *vbi infrà*,hoc etiam docet, addens nobiles præter exilium pœna pecuniaria damnari poſſe.

Non deſinam tamen hîc adnotare, quòd ſi adſit aliqua præſumptio in fauorem rei, nempe quia propter longam abſentiam vnius coniugis dicebant defunctam eſſe, loco fuſtigationis & triremium damnandus eſt ad exilium & pœnam pecuniariam.

Notandum eſt etiam hîc,ſupradictas pœnas incurrere conſulentem alicui vt binas nuptias contrahat, & ita obſeruat Emanuel Moura *de incant. opuſc.1 ſect.3 c.6.n.11.* ſe vidiſſe in praxi,eadem pœna damnatam matrem conſulentem filiæ,vt ſecundò nuberet, ac ipſam filiam ; quia non minor contra matrem ita concurrentem ſuſpicio non benè ſentiendi de matrimonio inſurgebat,quàm contra filiam. Ita ille,quod perpetuò tene mente.

Nota etiam ſupradictos non eſſe ita puniendos ſi antequam teſtificati ſint, ſeipſos Inquiſitoribus detulerunt, ſed quibus pœnis in tali caſu ſint plectendi, docet Caſtrus Palaus *in ſum. tom.1. tract.4. diſp.8.punct.16.§.8.n.2.* Putarem primò, ait, in carceribus ſecretis recludendos non eſſe dum eius cauſa agitur , ſed in aliqua particulari domo , vt Compoſtellæ obſeruatum vidi.Secundò exiſtimarem, etiamſi plebeius ſit, flagellis non debere cædi,ſed exilio, aliquáve pœna pecuniaria condemnari,& idem eſt dicendum de eo qui aliqua apparenti ratione ductus de morte prioris coniugis probat ſecundum matrimonium contraxiſſe. Sic Caſtrus,& ego.

Sed hîc obiter inquirendum erit, an ſit denuntiandus,& ſubiiciatur ſupradictis pœnis,ſi quis habens viuam vxorem, deueniat ad actum proximum contrahendi cum alia, v.g. faciendo contractum dotis,denuntiationis in Eccleſia,&c. Et negatiuè videtur reſpondendum , per ea, quæ docet Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.1. cap.35. num.6.* vbi tenet, contrahentem matrimonium cum prima,& ſponſalia cum ſecunda,non eſſe ſuſpectum de fide, nec poſſe puniri ab Inquiſitoribns , ſed ab Epiſcopo. Verùm Romæ in Sacra Congregatione ſancti Officij,ſupradicti, qui deuenerunt ad actum proximum contrahendi ſecundum matrimonium , abiurant de leui,& puniuntur exilio, vel carceribus, ſeu aliis pœnis arbitrariis, & priùs torquentur ſuper intentione.

Quod quidem in Inquiſitione Romana poteſt procedere , quia ibi polygami abiurant , vt viſum eſt,de vehementi , vnde pro attentantibus tantùm polygamiam remanet abiuratio de leui; in Inquiſitione autem Hiſpanica hoc haberet difficultatem,nam cùm ibi polygami abiurent de leui,ſi attentantes tantùm polygamiam de leui etiam abiurarent, puniretur delictum attentatum , vt delictum conſummatum ; & ideò in caſu occurrenti neſcio quid in praxi obſeruandum: vnde optimum eſſet,ſi noſtri Inquiſitores determinationem huius caſus à ſupremo Hiſpaniarum Inquiſitore expoſcerent.

Notandum eſt tamen hîc obiter cum Souſa *loco cit.num.5.* ſcienter contrahentem binas nuptias eſſe ſuſpectum de fide,quamuis nullam vxorem carnaliter cognoſcat ; quod etiam docet Albertinus *de agnoſcen.quæſt.23.n.49.55.& ſeq.num.* etiam 60.& 66. & Farinacius *de delictis carnis,q.140. part.1. num.24.* & 30. Secus autem ſi contraheret ſponſalia cum duabus, quamuis eas carnaliter cognoſcat,nam in tali caſu non erit de fide ſuſpectus , cùm non contrahat matrimonium.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis,

Nota primò , quòd antequam in hoc crimine procedatur ad capturam , præcedere debet plena probatio,vt conſtet, reum vno eodemque tempore duas vxores habere,& licet reus ſeipſum detulerit,nihilominùs per legitimos teſtes delictum probandum eſt , aut teſtimonium authenticum de libro Parochi, vbi adſcribi ſolet; teſtes autem ſatis eſt vt dicant , mulierem habitam fuiſſe pro vxore rei,illumque eam tractaſſe, vt communiter ſolent aliæ vxores tractari; ſcilicet vidiſſe, illos euntes ad Eccleſiam , & inde venientes , in vna domo ſimul viuere vt coniuges,&c.

Nota ſecundò, quòd coniugati,qui ſine vxoris licentia in ſæculo degentes ſuſcipiunt Ordines ſacros, ſunt ſupradictis pœnis mulctandi, & habenda eſt ratio, qualis nationis ſit, nam ſi eſſet illius, apud quem hæreſis Lutheri viget, maxima præſumeretur malitia,& vehemens ſuſpicio,vnde ei imponenda eſſet abiuratio de vehementi , & etiam tortura adhibenda,vt detegeret intentionem. Vide Canteram *c.1.de hæret.n.71.*& Farinacium *q.183. n.71.& cap.76.*

RESOL. V. *De Clericis ſacris Ordinibus initiatis, & de Religioſis matrimonium incuntibus.*

TAles non ſolùm committere ſacrilegium, ſed eſſe de hæreſi ſuſpectos , tradit Emanuel de Moura *de incant.opuſc.1.ſect.3.cap.3. n.9.* Ioſeph Seſſe *tom.4.deciſ.449. num.3.& 9.* Souſa *in aphor.Inquiſit. lib.1.cap.8.num.16.*Peirinus *in priuileg.Minim.tom.2. conſtit.9.Pauli V.§.2.num.20.* Leone *de poteſt.Conſeſſ. part.1.recoll.22. num.15. caſ.24.* Rodriquez *in qq.Regular.tom.3.quæſt.1. art.1.* Director.Inquiſit. *part.2. quæſt.49.* & *ibi* Pegna *commen.74.* Paramus *de orig. Inquiſ.lib.3.quæſt.10. num.75.* Hieronymus Rodriquez *in compend.qq.Regular.reſolut.93. num.1.* & alij penes ipſos.

Sed difficultas eſt, qua pœna puniendi ſint? Didacus Cantera Inquiſitor Murciæ,vir doctiſſimus, & numquam ſatis laudatus,*in qq.crimin.c.1.de hæret. num.71.* ſic ait: Certè propter ſuſpicionem credo, quòd fieret inſtantia , & poneretur ad torturam, & ſi vinceret & remaneret probatio aliqua, abiuraret de leui,& deportaretur ad arbitrium Iudicis, & ſi colligeretur maxima malitia & ſuſpicio in fide , abiuraret de vehementi, & ita practicarem. Hæc Cantera. cuius doctrinam confirmat opinio Simancæ *in Enchir.tit.12.num.1.* aſſerentis,Religioſum contrahentem binas nuptias eſſe vehementer ſuſpectum de hæreſi.

Verùm hodie ſtylus noſtræ Inquiſit.Hiſpanicæ communiter ſupradictos non torquet, ſed,vt obſeruat

ſeruat Caſtrus Palaus *in ſumm. tom.1. tract.4. diſp.8. punct.16.§.8.n.4.* illos punit eadem pœna, qua puniuntur contrahentes binas nuptias,& grauiori ob ſuſpicionem Lutheranæ hæreſis. Ordinariè igitur imponerem abiurationem de leui, & ad triremes ad minus per quinquennium damnarem, niſi talis qualitas perſonæ & circumſtantiæ concurrerent, vt etiam neceſſe fuerit reum torquere, & abiurationem de vehementi imponere,& augere pœnam ad triremes: vt ſi,v.g.Clericus,ſeu Monachus eſſet de prouincia infecta Lutheranâ hæreſi. & in hoc caſu puto ſequendam eſſe opinionem Canteræ & Simancæ *vbi ſuprà*. nam perſona redditur ſuſpecta reſpectu ſuæ regionis, vt optimè obſeruat Seſſe *in deciſ.regni Arag.tom.4.deciſ.452.n.4.*& alij.

Notandum eſt etiam hîc obiter, contrahentem matrimonium cum hæretica eſſe ſuſpectum de fide, & contra illum Inquiſitores poſſe procedere. Ita Sanctarellus *tr.de hæreſi c.41.dub.3.n.1.*& Cantera *in qq.crimin.cap.1.de hæret.n.1.*& gloſſa *in cap.decreuit, de hæret.in 6.*& *ibi* Io.Andreas *n.1.*Geminianus *n.2.* & Francus *n.1.*

Notandum etiam, ſicut profeſſi alienam Religionem, ſic eos qui in Societate Ieſu vota biennij emiſerunt, ſi matrimonium poſteà contraherent, præterquàm quòd matrimonium eſt irritum, ſubiiciuntur ſupradictis pœnis & abiurant.

RESOL. VI. *De retinentibus & legentibus libros hæreticorum,necromanticorum pentacula,*&c.

REtinentes hæreticorum libros, & legentes, puniendos eſſe tamquam hæreticos, docet Carrerus *tract.de hæret.num.*125.& alij Iuriſconſulti, quos refert,& rectè improbat Torreblanca *de Magia lib.3.cap.*15.*n.*31.Simanca *tit.*38.*n.*23. & Lorca *in* 2.2.D.*Thom.quæſt.*11.*art.*4.*diſp.*48.*num.*4. cum aliis communiter.Dicendum eſt igitur,ſupradictos eſſe tantùm ſuſpectos de hæreſi leuiter, vel vehementer,ſeu violenter, iuxta perſonarum & facti qualitatem,vt rectè obſeruat Merolla *in diſp.Theol.tom.*1. *diſp.*1.*cap.*2.*diffic.*6.*num.*373. Souſa *in Bulla Cœn.cap.*2. *diſp.*16.*num.*4. Azorius *tom.*1. *lib.*8.*cap.*16. *quæſ.*10. Zecchius *in ſumm.tom.*1. *tract.de hæreſi,cap.*11. *num.*5. Paramus *lib.*3.*quæſt.*9.*n.*147.Zanchinus *de hæret.c.*7. *num.*7.*& ſeq.* Burſatus *lib.*1.*conſ.*90.*n.*10. Delrius *in diſquiſ.mag.lib.*5.*ſect.*17.Souſa *in aphor.Inquiſ.lib.*1.*c.*21. *n.*37.& alij penes ipſos.

Sed audiamus doctum Canteram *in qq.crimin. cap.*1 *de hæret.n.*64. ſic aſſerentem: An libri inuenti penes aliquem, probent illum eſſe hæreticum, & puniatur tamquam hæreticus:Diſtinguo,aut libri ſunt compoſiti ab illo,in cuius poteſtate inueniuntur,vel eſt obnoxius illis libris,quia tenet quod illi tenent,& tunc videtur, quòd puniatur pœna hæreticorum, quia talis liber probat eos eſſe hæreticos. Sed in hoc etiam credo, quòd debeat conſtare quòd tenet quod libri tenent,vel aliquam hæreſim illorum librorum;& ſic non ſolùm ex eo quòd talis liber inueniatur penes eum, eſt iudicandus hæreticus: aut libri non ſunt compoſiti ab illo,penes quem inueniuntur, nec conſtat illum eſſe obnoxium in illis libris, & tunc diſtingue quòd aut ille,penes quem inueniuntur, eſt homo bonæ famæ, & non punitur, quia non eſt ſuſpicio contra eum; aut eſt malæ opinionis, & ex qualitate ipſius perſonæ, & librorum procederetur acriùs,vel mitiùs,& poſſet etiam eſſe vehemens ſuſpicio contra eum, vel minor. Ita ille. & ante illum Albertin. *quæſt.*28.*n.*25. *&* 26. & Simanca *tit.*28.*num.*24. vbi licet aſſerat probabilem eſſe opinionem illorum, qui aiunt ſuſpectos eſſe de fide illos,qui libros hæretieorum habent, tamen ipſe plurimùm arbitrio Iudicum tribuendum cenſet, nam ex perſonarum, & librorum qualitate, aliiſque circumſtantiis cauſa cognita, in vnaquaque ſpecie, meliùs ſtatuere poterunt.

Verùm deueniendo ad pœnas, non deſinam hîc apponere verba Pegnæ *in direct.Inquiſit part.*2. *comm.*3. ſic aſſerentis : Falchodius & Archidiaconus purgationem talibus inducendam admonent, quam interdum ex cauſa imponi poſſe non ambigerem,hoc ſit certum,pœnitentiam eſſe imponendam,nunc acriorem, aliàs verò leuiorem pro qualitate,& modo delicti,& delinquentium. Nos aliquando poſt abiurationem ieiunia, orationes, & peregrinationes imponi vidimus. Ita Pegna, qui non aſſerit quam abiurationem fuiſſe, ſed puto abiurationem de leui, & ita eſſe in vſu deductum, docet Suarez *tract. de fide diſp.*24. *ſect.*2.*n.*4. Videmus enim,ait,fieri abiurationem de leui,ſi quis legit librum hæreticum. Sic ille. Verùm Merolla *vbi ſuprà*,& Farinacius *de hæreſi q.*180.*num.*9.*in fine*,aſſerunt ſupradictos reos abiurare de vehementi, & pro ſola retentione hos de leui abiurare teſtatur Genuenſis *in praxi Archiepiſc.cap.*68.*n.*12. vbi ſic ait: Seruatur in Curia,quòd ſi apud aliquem reperiuntur libri hæreticorum, necromanticorum pentacula, & ſimiles ſcripturæ continentes hæreſim, vel apoſtaſiam, & tortus ſuper intentione & complicibus,neget intentionem & vſum, ſolet pro retentione tantùm abiurare de leui, & ei iniungi pœnitentia ſalutaris,& ſi ſint exteri,expelluntur ex diœceſi arbitrio Curiæ. Ita Genuenſ. *in cap.*18.*num.*14. idem docuerat, vt patet in his verbis. Anno 1599. fuit reſcriptum à ſacr.Generali Inquiſitione vrbis, quòd torqueretur ſuper intentione,ſiue credulitate,& vſu quidam Doctor bonæ famæ,qui ſcienter penes ſe retinuerat pentaculum,& cùm fuiſſet tortus,& non confeſſus, abiurauit de leui pro retentione. Sic ille.

Nota tamen,quòd in aliquo caſu raro & peculiari ex circumſtantiis delicti, & qualitate perſonæ poteſt oriri tam vehemens ſuſpicio de hæreſi in legentibus, & retinentibus libros hæreticorum, vt ſint damnandi ad abiurationem de vehementi, & grauioribus pœnis quàm ſupradicti plectendi. Sed, vt dixi, regulariter hi abiurant de leui in Tribunali Hiſpanico.

Notandum eſt etiam, quòd Iudæi, & alij infideles commorantes in terris Chriſtianorum, qui retinere,habere,legere,ſcribere,vel exemplare,adnehere,donare,commutare, aut aliàs quomodolibet diſtrahere, vel alienare auſi fuerint libros & codices Talmudicos, Cabaliſticos, & alios nefarios,&c. puniendi ſunt arbitrio Inquiſitorum pœna amiſſionis librorum, publicationis omnium bono-

bonorum, quæ fiſco applicanda ſunt, ac etiam aliis grauioribus & corporis afflictiuis. Ita ex conſtit. Clem. VIII. docet Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 21. n. 52.* qui citat Farinacium, Pegnam, & Azorium, addens idem dicendum eſſe de Typographis & Bibliopolis, ſeu mercatoribus.

Non deſinam etiam hîc adnotare, quòd legentes & tenentes libros Aſtrologiæ iudiciariæ, qui de futuris contingentibus fortuitiſve caſibus & libris tractant, ab Inquiſitoribus puniuntur, & vide nouiſſimè conſtitutionem Vrbani VIII. ſub die 1. *Aprilis* 1631. Item legentes libros prohibitos ab Inquiſitoribus, etiamſi non ſint libri hæreticorum, poſſunt ab ipſis Inquiſitoribus puniri. Ita Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib. 1. c. 31. num. 54. & 46.* Seſſe *tom. 4. deciſ. 464. num. 24.*

RESOL. VII. *De Confeſſariis ſollicitantibus.*

POſſe Inquiſitores ſupradictos punire, patet ex conſtitutionibus Pauli IV. *die 16. Aprilis* 1561. Pij IV. *die 6. April.* 1564. Clem. VIII. *die 3. Decemb.* 1592. & Greg. XV. *die 30. Auguſti* 1622. Imò hanc facultatem competere Inquiſitoribus de iure communi, tenet Sanctarellus *tract. de hæreſi cap. 44. dub. vnic. n. 2. in fine.* Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt, vt diximus, Inquiſitores ex dictis Bullis Pontificiis, poſſe in Confeſſarios ſollicitantes animaduertere, nam ita facientes ſunt ſuſpecti de fide, vt probat Peirinus *in priuileg. Minim. tom. 2. conſtit. 4. Greg. XV. §. 3. n. 6.* & DD. communiter.

Difficultas verò eſt, an dicti Confeſſarij ſint ſuſpecti de hæreſi vehementer, vel tantùm leuiter: eſſe ſuſpectos vehementer, tenet Pegna *in direct. Inquiſ. part. 2. comment. 81.* Piaſecius *in praxi part. 2. c. 4. art. 6. num. 10.* Aloyſius Bariola poſt Flores Inquiſit. *tract. de Confeſſ. ſollicit.* Genuenſis *in praxi Archiepiſc. cap. 66. num. 2.* Madius *de ſacr. Ordin cap. 27. num. 6.* & alij. Eſſe ſuſpectos tantùm leuiter, tenet Ioſeph Seſſe *tom. 4. deciſ. 449. num. 3. & deciſ. 450. num. 9. & deciſ. 454 num. 6.* Souſa *de Confeſſ. ſollicit. tract. 1. cap. 5. n. 6.* Rodericus Acugna *tract. de Confeſſ ſollicit. quæſt. 2. num. 20.* Caſtrus Palaus *in ſum. tom. 1. tract. 4. diſp. 9. punct. 6. num. 1.* & alij. Vnde ex hac varietate opinionum, vt *ſuprà* dictum eſt de bigamis, orta eſt diuerſitas inter praxim Inquiſitionis Romanæ, & Hiſpanicæ; nam Inquiſitio Romana, quia putat Confeſſarios ſollicitantes eſſe vehementer ſuſpectos de hæreſi, illos torquet, vt patet apud Peirinum *in priuileg. Minim. tom. 2. conſtit. 4. Gregor. XV. §. 3. n. 5.* Molfeſium *in ſumma tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 40. & 42.* Michaëlem Zanardum *in director. Inquiſit. part. 3. cap. 78. fol. mihi* 490. Genuenſem *in praxi c. 66. num. 1.* Modium *de ſacr. Ordin. cap. 27. num. 6.* & alios. Inquiſitio verò Hiſpanica, quia putat ſupradictos eſſe tantùm ſuſpectos leuiter, illos non torquet, vt obſeruat Souſa *de Confeſſ. ſollicit. tract. 2. cap. 13. concl. 3. num. 11. & in aphoriſm. Inquiſit. lib. 1. cap. 39. num. 64. & 65.* Caſtrus Palaus *in ſum. tom. 1. tract. 4. diſp. 9. punct. 11. num. 4.* Acugna *tract. de Confeſſ. ſollicit. quæſt. 3. num. 14.* & alij. Deinde ex eadem ratione Inquiſitio Romana facit dictos reos, tamquam ſuſpectos de hæreſi vehementer, abiurare de vehementi, vt teſtatur Aloyſius Bariola poſt Flores Inquiſit. *tract. de Confeſſ. ſollicit.* & *infrà* ponam eius verba. Sed in noſtra Inquiſitione Hiſpanica, tamquam leuiter ſuſpecti, abiurant tantùm de leui, vt *infrà* patebit, & docet Seſſe *tom. 5. deciſ. 454. num. 5.* & Souſa *de Confeſſ. ſollicit. tract. 1. cap. 5. nu. 6.* vnde vnuſquiſque ſequatur praxim Inquiſitionis ſuæ. Alias verò pœnas, quibus ſupradicti plectuntur, determinat nouiſſimè Gregor. XV. & ſunt, ſuſpenſio ab executione Ordinis, priuatio beneficiorum & Officiorum quorumcumque, ac perpetua inhabilitas ad illa, priuatio vocis actiuæ & paſſiuæ: ſi ſollicitator religioſus ſit, exilium, damnatio ad triremes, carceratio etiam in perpetuum, & aliæ pœnæ ſecundùm qualitatem delicti, etiam traditio Curiæ ſæculari. Ita Pontifex *in ſua conſtit.* & hanc vltimam pœnam relaxationis in hoc delicto adhibendam eſſe tradit etiam Michaël Rauſſel *in hiſtor. Pontific. iuriſd. lib. 4. c. 13. n. 14.* Sed audiamus partem epiſtolæ ſupremi Senatus Inquiſit. Hiſpan. editæ 1. *Iulij anno* 1580. & directæ Inquiſitoribus huius Regni Hædo, Pegna, & Correonero, ſic habentis: *Las penas que à los tales delinquentes ſe acoſtumbra imponer ſuelen ſer arbitrarias conforme à la qualidad de los delitos, grauidad y frequencia dellos, y otras circunſtancias que puedan mouer ad vſar de rigor, ò moderacion; aduertiendo que en qualquier euento los tales reos han de abiurar de leui, y ſer priuados perpetuamente de la adminiſtracion del ſacramento de la Penitencia à lo menos à mugeres, y quanto à los demas Sacramentos, y predicas ſerà arbitrario, y tambien el deſtierro ò recluſion que ſe les deuiere imponer de los lugares donde cometieron los delitos con algunas leguas alderedor. A los Religioſos ſe les podran dar diſciplinas en los Capitulos de ſus Monaſterios tornandoles à leer en ellos ſus ſentencias por vn Notario del Secreto en preſencia del Conuento, y tan graue podria ſer la culpa que ſe les dieſſe tambien diſciplina en la ſala del Tribunal, quando en ella ſe pronuncia la ſentencia en preſencia de los Religioſos, y Clerigos que alli aſsiſtieren, condenandolos en otras penitencias como ſon recluſion de donde delinquieron, y ſuſpencion, ò priuacion de ſus Ordenes, y de voz actiua y paſsiua, y que ſean vltimos en el Coro y Refetorio. A los Clerigos ſe podran poner de mas de las penas generales arriba dichas de priuacion y deſtierro, otras de recluſion, ò priuacion, ò ſuſpencion de beneficio ò officio, ò penas pecuniarias, ò diſciplinas ſecretas, ayunos, y oraciones.* Sic ibi.

Vnde ex his, vt obſeruat Seraphinus Freitas *in addit. ad Acugnam quæſt. 24. num. 50.* dum caſus ſollicitationis Pintiæ contingeret, Confeſſor qui per multos annos ſollicitarat, priuatus fuit audiendi confeſſiones facultate, in carcerem detruſus per decennium in Conuentu ſui Ordinis à Superiore Prouinciæ deſignando, dummodò non eſſet domus illa, in qua confeſſiones & ſollicitationes exercebat, & ante carcerationem, vt fuſtibus ab omnibus Conuentus Religioſis per coronam caſtigetur, præſente Sacræ Inquiſitionis Notario, cum aliquibus ieiuniis, & Euchariſtiæ abſtinentia, certis temporibus. Ita Freitas, & de his pœnis loquens Souſa *de Confeſſ. ſollicitat. tractat. 2. cap. 15. num. 13.* ſic ait: Pœna quæ Confeſſariis de ſollicitatione conuictis, vel confeſſis imponitur, eſt, quòd ab officio Confeſſarij ſimpliciter ſuſpendantur, & locum vbi delictum

commiſerunt, in perpetuum, vel ad tempus non ingrediantur. Imponitur etiam exilij pœna, carceris, recluſionis in aliquod monaſterium: priuantur item Inquiſitorum arbitrio adminiſtratione aliorum Sacramentorum, & Prædicatoris officio. Sic ille. Et tandem non grauabor etiam hîc apponere verba Caſtri Palai *in ſum. to. 1. tract. 4. diſp. 9. punct. 11. n. 2.* vbi ſic ait: Cauſa concluſa vocantur conſultores Eccleſiaſtici, & ex eorum conſilio, Inquiſitor & Ordinarius proferunt ſententiam, illamque reo denuntiant, quæ ſententia legitur ei poſteà in ſecreto Tribunali præſentibus duobus cuiuſuis Ordinis Religioſis Confeſſariis, ibique grauiter reprehenſus abiurat de leui, & ab audiendis confeſſionibus & prædicatione verbi Dei perpetuò priuatur, ſi caſus grauis ſit, hoc eſt, ſi plures ſollicitauit, & ſollicitationis effectum eſt conſecutus. Si autem caſus ita grauis non eſt, aliquibus annis priuatur ab excipiendis virorum confeſſionibus, & in perpetuum mulierum, & vno, vel duobus annis in aliquod Monaſterium detruditur; quòd ſi Religioſus ſit, præcipitur vt in choro vel refectorio, aliiſque locis communibus vltimam ſedem habeat, voce actiua, & paſſiua interim priuatus; & aliquoties hæc ſententia iterum per Secretarium in ſuo Conuentu, præſentibus omnibus Religioſis, legitur; quòd ſi ſollicitatio ad plures perſonas ſe extendit, & cum illis turpitudines graues commiſit, ab omnibus Religioſis poſt lectam ſententiam flagellatur. Ita Caſtrus. Vide etiam Paramum *lib. 3. quæſt. 10. n. 166.* Sed antequam finem huic reſolutioni imponam, duo dubia ſunt diſcutienda.

Primò, an ab Inquiſitoribus debeant ſollicitantes ad Venerem damnari ad triremes? Negatiuam ſententiam mordicus tenet Seraphin. Freytas *in addit. ad Acugnam, quæſt. 24. num. 43. & 44.* quia ex hac damnatione & publicis pœnitentiis oriretur publicum ſcandalum, quod in hoc caſu maximè euitari debet. Adde quòd indecens eſt viros Deo dicatos triremibus inter peſſimorum ſentinam mancipare. Sed contrariam ſententiam omnino veram eſſe puto, maximè poſt Bullam Greg. XV. & ita tenet Cantera *in qq. crim. cap. 1. de hæret. n. 65.* Ortiz *in ſumm. cap. 24. n. 11.* & Caſtrus Palaus *vbi ſuprà* teſtatur, ſe vidiſſe aliquos ob hoc crimen triremibus addictos, maximè cùm virorum ſollicitatio fuit. & in Regno Siciliæ hoc etiam ſeruatur in praxi, quando Confeſſarius plures perſonas ſollicitauit, & maximè ſi ſollicitatio habet effectum. Vnde, me conſulente, fuit quidam Religioſus ad triremes per ſeptennium damnatus, & hoc generaliter ſeruari in praxi Inquiſitionis Romanæ teſtatur Aloyſius Bariola *in tract. de Confeſſ. ſollic.* poſt Flores Inquiſit. vbi ſic ait: Hodie tales Confeſſarij, de ſtylo vrbis, ſunt ſuſpecti vehementer, hinc compelluntur ad abiurationem de vehementi, & tranſmittuntur ad remum per quinquennium, aut ſeptennium. Ita ille. Et ita hanc ſententiam poſt conſtitutionem Gregor. XV. docet Freytas in editione nouiſſima *vbi ſuprà num. 115.* vbi teſtatur Pintiæ quemdam Confeſſarium ſollicitantem fuiſſe ad triremes damnatum.

Secundò quæritur, an Inquiſitores poſſint ad tempus tantùm priuare dictos Cõfeſſarios ad turpia ſollicitãtes, ne audiant mulierum confeſſiones? Et affirmatiuè videtur reſpondendum, per ea, quæ adducit Riccius *part. 3. collect. 549.* vbi notat, Neapoli Parochum ſollicitantem ſuſpenſum fuiſſe per annum à cura animarum, & Homobonus de Bonis *in exam. Eccleſ. part. 1. tract. 5. c. 16. quæſt. 99.* aſſerit, ex Tribunali S. Inquiſitionis communi praxi ſupradictos Confeſſarios ad tempus arbitrio Inquiſitorum ab audiendis confeſſionibus ſuſpendi.

Sed in noſtro Tribunali S. Inquiſitionis Hiſpan. contrarium obſeruatur in praxi, & ita in quadam epiſtola ſupremi Senatus *anno* 1600. directa ad Inquiſitores ſic habetur: *Y ha parecido aduertir os, que ſiempre que algun ſolicitante en el atto de la Confeſſion fuere condenado en priuacion de no confeſſar mugeres no lo ſea por tiempo limitado ſino perpetuamente.* & ſic etiam habetur in alia epiſtola ſupremi Senatus ſuperiùs adducta, & docet Caſtrus, & Paramus *loco cit.* Imò Didacus Cantera *in quæſt. crim. c. 1. de hæret. num. 65.* aſſerit abſolutè Confeſſarium ſollicitantem ab omnium confeſſionibus priuandum eſſe in perpetuum; ſed hanc opinionem Caſtrus Palaus *in ſum. vbi ſuprà tom. 1. tract. 4. diſp. 9. punct. 11. n. 2.* tunc admittit, quando caſus grauis eſſet, videlicet ſi plures ſollicitaſſet, tunc non ſolùm à confeſſionibus mulierum in perpetuum, ſed etiam virorum dictum Confeſſarium priuaret: ſecus autem ſi caſus grauis non ſit, quoad confeſſionem tamen virorum, & ita etiam videtur ſentire Paramus *lib. 3. quæſt. 10. n. 166.* ibi, *Debent Confeſſarij ſic delinquentes priuari confeſſionibus ſaltem mulierum*, &c. Vide etiam Acugnam *tract. de Confeſſ. ſollic. quæſt. 24. n. 10.*

His tamen non obſtantibus, in hoc ſacro Tribunali Regni Siciliæ obſeruatur in praxi, vt Confeſſarij ad turpia ſollicitantes in omni caſu priuentur in perpetuum, non ſolùm à confeſſionibus mulierum, ſed etiam virorum, & hanc opinionem hodie vbique ſeruandam eſſe puto, ſtante nouiſſima conſtitutione Gregorij XV. extendentis pœnas illius Bullæ etiam ad Confeſſarios ſollicitantes pueros. Et ita etiam docet Antonius Souſa *de Confeſſ. ſollicit. tract. 8. cap. 15. n. 13.* vbi docet Confeſſarium ſollicitantem eſſe ſuſpendendum ab officio Confeſſarij ſimpliciter.

Et tandem quæro hîc, an hodie in omnibus caſibus expreſſis in dicta Bulla Gregor. XV. debeant Confeſſarij abiurare de leui. Negatiuam ſententiam docet Antonius Souſa *in aphor. Inquiſit. lib. 1. c. 34. n. 68.* vbi ſic aſſerit: Abiurant Confeſſarij ſollicitantes in ſacramentali confeſſione, aut in actu proximo antecedente, vel cõſequente, aut quando prætextu confeſſionis, aut occaſione illius ſollicitant; non tamen abiurant quando ſollicitatio fit ſolùm in cõfeſſionario, aut in loco vbi audiũtur confeſſiones, aut ad ipſas audiendas deputato. Ita ille.

Verùm an probabiliter, iudicent alij. nam ſupradicti caſus, in quibus Souſa aſſerit Confeſſarios non debere abiurare de leui, comprehenduntur & includuntur à Greg. XV. *in ſua conſtit.* vt patet clarè in illis verbis, *ſiue extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque vbi confeſſiones ſacramentales audiuntur*, &c. Vnde aliqui putant in

omni-

omnibus casibus expressis à Gregorio XV. in sua Bulla debere Confessarios abiurare secundùm vsum nostræ Inquisitionis Hispanicæ de leui, & subiectos esse omnibus pœnis *suprà* expressis pro qualitate personarum, & circumstantiarũ delicti.

Nota etiam hîc quòd Confessarius, qui non declarat fœminæ sollicitatę obligationem denuntiandi, aut qui eidem dicit ad talem denuntiationem faciendam non teneri, ab Inquisitoribus pro qualitate culpæ potest puniri, vt habetur *in dicta cònstit. Greg. XV.* & notat Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 1. c. 34. num. 73.* & Freytas *in nouis addit. ad tract. de Confessar. sollicit. quæst. 21. num. 77.*

Non desinam tamen hîc adnotare, posse Inquisitores animaduertere in sollicitationem præteritam præiudicatam ab Episcopo, ita aduersus Acugnam *quæst. 3. n. 11.* tenet Emanuel Moura *opusc. 1. de Incant. sect. 3. cap. 3. n. 16.* sed Freytas *vbi suprà quæst. 3. n. 46.* tenet contrarium, & meritò.

Nota etiam quòd Confessarius sollicitator qui non iudicatur suspectus, non est remittendus ad suum Ordinarium, sed potest ab Inquisitoribus puniri, vt alibi probatum est *in tract. de Confessar. sollicitant. resol. 56.* quot verò testes sufficiant in hoc crimine ad damnandum reum, duos putat Paramus *lib. 3. quæst. 10. n. 158.* tres verò Ortiz *in summa ca. 24. n. 11.* quatuor exposcit Acugna *de Confess. sollic. quæst. 23. n. 11.* ego tamen puto hoc remittendum esse arbitrio DD. Inquisitorum. An verò femina sollicitata denuntiationem omittens, vt fautrix sit ab Inquisitoribus punienda, disputat Sousa *de Confess. sollic. tr. 2. c. 19.* & Freytas *vbi suprà quæst. 20. n. 28.*

RESOL. VIII. *De blasphemis hæreticaliter.*

LIcet Castrus *de iusta hæret. punit. lib. 1. cap. 12.* & Corduba *lib. 1. qq. quæst. 12. §. 15. notab. 4. ver. in cuius examinatione*, asserant de blasphemis hæreticalibus cognoscere Inquisitores cumulatiuè cum Iudice Ecclesiastico & laico, ita vt detur inter illos locus præuentioni; tamen cùm hoc falsum sit, dico contra blasphemos hæreticaliter, solùm Inquisitores animaduertere. & ita docet Lorca *in 2. 2. D. Tho. quæst. 13. art. 2 disp. 51. nu. 10.* Sanchez *in summa. tom. 1. lib. 2. cap. 32. n. 36.* Villalobos *in summa tom. 2. tract. 2. diffic. 15. num. 7.* Zanardus *in direct. Theol. part. 1. præc. 1. cap. 11. §. 10.* Turrianus *tom. 2. in 2. 2. D. Thom. disp. 58. dub. 3.* Direct. Inquis. *part. 2. quæst. 41. & ibi* Pegna *comment. 66.* Albertinus *quæst. 9 num. 24. & 25.* cum aliis *vbi infrà.* Imò Sanctarellus *tract. de blasphemia cap. 8. dub. 1. n. 1.* ex quadam Bulla Iulij III. putat Inquisitores esse Iudices contra omnes blasphemos.

Igitur quoad abiurationem supradictorum, aliqui, & inter illos Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 450. nu. 9.* asserunt blasphemum sæpiùs reincidentem, esse solùm suspectum leuiter de hæresi, & ideò de leui debere abiurare; & pro hac opinione videtur Rojas *de hæretic. part. 2. num. 176.* & Salzedo *in addit. ad pract. crimin. Diaz cap. 110.* vbi asserunt, sine vlla distinctione, quòd blasphemus hæreticalis debet abiurare de leui. Sed hæc opinio ita absolutè prolata aliquibus displicet. Vnde apponam hîc ipsa verba Doctorum. Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 1. c. 19. nu. 18.* sic ait: Blasphemi qui inueniuntur frequenter, & quasi per consuetudinem in ludo, vel extra ludum ad leuem turbationis motum in hæreticales blasphemias prorupisse, abiurare debent vehementem hæresis suspicionem, attenta vita & conditione personæ, alias leuem tantùm abiurant suspicionem. Sed audiamus Michaëlem Zanardum *in direct. Theol. part. 2. præc. 1. cap. 11. num. 10.* vbi ita asserit: Blasphemi in ira semel, bis, & ter, si ira magna fuit, & ex causa iusta, non solent abiurare; consuetudinarij verò in ira abiurant de leui, & consuetudinarij in ira, & extra iram de vehementi. Sic ille. & ita etiam docet Lazarius *in tract. de blasphemia, quæst. 6. num. 17.* & doctus Inquisitor Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. Blasphemi, §. 5. & 6.* Eymericus *in director. Inquis. part. 2. quæst. 41. n. 5. & 6.* Lælius Zecchius *in summ. tom. 1. cap. 15. nu. 3.* & Genuens. *in praxi cap. 68. n. 8.*

Nota tamen cum Sousa *in aphor. inquis. lib. 1. c. 19. num. 19.* quòd vt quis dicatur habere in consuetudine blasphemare, requiruntur plures reiterationes, quàm tres. His tamen non obstantibus, testatur Inquisitor San Vincente *in manuscriptis c. 1. §. 3.* reincidentes sæpiùs in blasphemias abiurare tantùm de leui: vnde apparet in Inquisitione Hispanica hos blasphemos haberi leuiter suspectos de hæresi, vt tenet Sesse *vbi suprà*, & ideò abiurant tantùm de leui, vt vult Rojas, & Salzedo *locis citat.* In Inquisitione autem Romana, quia hi habentur vehementer suspecti de hæresi, ideò imponitur eis abiuratio de vehementi, ve testantur Doctores citati; & ideò in casibus contingentibus sequendus est stylus Inquisitionis, in qua quis inuenitur. Et sic in Inquisitione Regni Aragonum testatur Sesse *tom. 4. decis. 470. numer. 24.* enomentem hanc blasphemiam, *Renego de Dios y de la Virgen*, abiurasse de leui. Verùm hæc omnia intelligenda sunt, regulariter loquendo, nam aliquando ex qualitate blasphemantis & blasphemiarum, etiam in Tribunalibus Hispaniæ, erit imponenda reo abiuratio de vehementi, & sic in actu publico huius Regni hoc anno 1633. die 16. Octobris duo blasphemi, me consulente, de vehementi abiurarunt.

Verùm quoad alias pœnas, sic asserit Salzedo *in addit. ad pract. crimin. Bernard. Diaz cap. 110. lit. A.* Pœna autem quæ imponi solet à DD. Inquisitoribus pro blasphemis, in quibus cognitionem habent, ea quidem est, quod si blasphemus in fine conditionis fuerit, flagellis cæditur cum publica pœnitentia, in publicoque spectaculo, lingua ferro, vel ligno comprehensa, ad triremes regias pro grani blasphemia condemnatur. Si verò nobilis, pœna pecuniaria mulctatur, & ad tempus in monasterium detruditur. In aliis autem blasphemiis leuioribus Inquisitores solent condemnare blasphemum vt aliquo die festo in Ecclesia, dum diuina celebrantur, stet nudo capite sine chlamyde, nudis pedibus, sine veste succinctus, dextera proferens ardentem facem, & Sacris peractis legitur publicè sententia contra ipsum lata, indicuntur etiam ieiunia, precationes, & pecuniaria mulcta solet imponi. Ita Salzedus, & ante illum iisdem verbis Simanca *tit. 8. nu. 10. & 11.* vbi asserit quòd post flagella in exilium mittitur. Sed magis frequens est

in noſtro ſacro Tribunali pœna trĩremium. Vide etiam Rojas *de hæret.part.2.n.176.* Pegnam *in direct. Inquiſ.part.2.comment.66.* & Lazarium *de blaſphemia quæſt.6.num.20.*

Non deſinam tamen hîc adnotare,quod ex Caſtro obſeruat & docet Comitolus *in reſponſ. moral. lib.4.quæſt.9.c.3.* & Lazarius *vbi ſuprà nu.16.* nempe eum puniri non debere ab Inquiſitoribus,qui non ex credulitate hæretica, ſed ex vehementi perturbatione protulit blaſphemiam;ſed in foro externo turbatio, & commotio minuit delictum, ſed non excuſat penitus. Et ideò Genuenſis *in praxi Epiſcop. c.68.n.13.* ſic ait: Item illis, qui ſemel dicunt aliqua verba hæreticalia,vel ſcandaloſa, ex ira ſolet imponi pœnitentia ſalutaris,& aliquando publica,vt, v. g. teneant candelam accenſam in Eccleſia tempore Miſſæ ſolemnis ſine aliqua abiuratione. Ita ille, & hoc à fortiori procedit ſi ſigna doloris poſt blaſphemias oſtenderit; vnde Zanardus *in direct.Theol. part.3.cap.134.fol.mihi 742.* ſic aſſerit: Qui in ira magna, vel in alia vehementi paſſione bis & ter blaſphemauerit, & ſedata paſſione dolorem de ſuo crimine oſtenderit, pœnitentiis ſalutaribus punitus ſine abiuratione relinquetur. Vnde non aſſentior Comitolo aſſerenti blaſphemantem ex paſſione vehementi remittendum eſſe, nam puto in tali caſu plectendum ſalutaribus pœnitentiis, habita ratione blaſphemiæ, loci, & perſonæ, ſine tamen abiuratione.nam,vt aſſerit Albertinus *quæſt.27.n.6.* & Rojas *de hæret.* calor iracundiæ probatus non excuſat blaſphemum à tota pœna,nec aduerſus hanc ſententiam faciunt verba Inſtructionis Hiſpalenſis *anno 1550.c.4.* ibi, *En blaſphemias dichas con enojo no ſe entrometan los Inquiſidores.* nam, vt optimè notat Rojas *vbi ſuprà*,iſta inſtructio loquitur de Blaſphemiis non hæreticalibus. Sed *in tract.de officio & poteſt.Inquiſ.* ſupradicta verba fuſiùs explanata ſunt.

Notandum eſt hîc, quòd aliquando blaſphemi abiurant ſecretò in domo S. Officij, & ſic Seſſe *in deciſ.Regni Aragonum tom.4.deciſ.470.n.24.* ita aſſerit: Quidam blaſphemus vna & alia vice fuit condemnatus ad abiurandum de leui in audientia Tribunalis,& ad exilium 4.annorum.

Nota etiam quòd blaſphemus ſufficienter etiam punitus à Iudice laico,poteſt iterùm propter ſuſpicionem hæreſis ab Inquiſitoribus examinari; plenè verò à Iudice Eccleſiaſtico examinatus, iterùm examinari ab Inquiſitoribus non poteſt, cùm crimen ſit mixti fori. Ita Souſa *in aphor.Inquiſ.lib.1.cap.19.n.24.* qui citat Albertinum.

Sed ponam hîc obiter pulchram quæſtionem,an Inquiſitores poſſint punire euomentem hanc blaſphemiam, videlicet *al diſpetto di Dio.* de hoc caſu olim interrogatus fui ab Illuſtriſſimo Inquiſitore Llanes; & videtur negatiuè reſpondendum, nam hæc blaſphemia nõ eſt hæreticalis,vt docet P. Suarez *de Relig.tom.1.lib.1.c.5.n.8.* quia per dicta verba non ſignificatur aliquid fieri poſſe contra efficacem Dei voluntatem, ſed vel ſignificatur voluntas faciendi aliquid, etiamſi Deo diſpliceat, eodem modo quo diſplicere poteſt per antecedentem voluntatem, aut ſigni, vel certè profertur etiam per modum imprecationis, optando Deo diſplicentiam,vel tædium de tali re. Ita Suarez. Vnde Ioan. Rojas *de hæret.part.2.num.170.* ſic ait: Aliæ blaſphemiæ,videlicet *peſe à Dios,voto à Dios,o deſpecho de Dios,* non ſunt hæreticales, quia fidei confeſſioni non opponuntur,& harum punitio ad Iudices ordinarios pertinet.Hæc Rojas. Vide etiam Capeauillam *de caſib.reſeru.c.19. quæſt.2.* & Sanchez *in ſum. tom.1. lib.2.cap.32.n.36.* hanc etiam ſententiam docentes. Vnde ſecundùm hanc opinionem, tales blaſphemantes non ſunt denuntiandi Inquiſitoribus.

Sed aduerſus Suarez ſupradictam ſententiam tenentẽ inſurgit Floronus *de caſ.reſeru. part.2.caſ.3. n.8.* Naldus *in ſum.ver.Blaſphemia,n.1.* Igitur, vt notat etiam Sanctarellus *tract.de blaſph.c.2. dub.1.nu.3.* Filliucius *de caſ.reſeru.caſ.3.n.2.* ſenſus talis blaſphemiæ eſt quòd omnino debeat fieri, quod blaſphemans profert, etiamſi Deus ſua omnipotentia id nolit, quo modo loquendi derogatur diuinæ potentię.Itaque ſecundùm hanc poſteriorem ſententiam,cui tamquam probabiliori adhæreo, dicendum eſt poſſe Inquiſitores contra blaſphemantes *al diſpetto di Dio,* inquirere,& illos punire,cùm talis blaſphemia ſit hæreticalis, & per conſequens ſic blaſphemantes ſunt Inquiſitoribus denuntiandi, & ideò Lazarius *vbi ſuprà n.39.* ex inſtruct. S. Officij teſtatur hanc blaſphemiam eſſe hæreticalem; vnde ex his à fortiori apparet, quàm falsò dixerit Baldus *lib.3.conſ.476.* Angel. *in l.his verbis,ff. de hered. inſtit.* Alexand. ad Bartol. *in l.apud Labeonem, §. ait prætor,de iniur.* Felin. *in proœm. Decret.numer.11.* & alij, huiuſmodi verba,videlicet *al diſpetto di Dio,* non eſſe blaſphema, & talia verba proferentem non eſſe blaſphemum, aduerſus quos videndi ſunt Gyptius *tract.de caſ.reſer.c.9.caſ.3.n.12.* Boërius *deciſ.301. nu.1.* Grammat. *deciſ.30.* Decian. *in tract.crim.tom.2.lib.6. cap.2.n.4.* Menoch. *de arbitr.lib.2.cent.4.caſ.275.nu.4.* Azorius *tom.1.lib.11.cap.3.q.2.* Maſcard. *de probat.l.1. concl.194.n.3 & ſeq.* & alij.

Notandum eſt etiam hîc,quòd idem dicendum eſt de illis verbis,*Rinnego Dio.* nam contra talem blaſphemantem procedunt Inquiſitores, cùm dicta blaſphemia ſit hæreticalis, vt tradit Rojas & Suarez *loc.cit.* & alij communiter.Sed difficultas eſt, ſi aliquis dicat,*Rinnego Maria Vergine,ſan Pietro,* &c. & ad hoc dubium negatiuè reſpondet Sanchez *in ſum.to.1.lib.2.c.32.n.36.* vbi ſic ait: Quando autem de Sanctis renegatur, nil inueni apud DD. an ſint blaſphemiæ hæreticales huiuſmodi verba renegationis; ſed exiſtimo non eſſe, nec de illis cognoſcere Inquiſitores,vt ab ipſiſmet accepi. Ita Sanch.

Sed quia ſæpiùs dictum eſt Inquiſitores ſolùm poſſe inquirere cõtra blaſphemos hæreticales,breuiter dicam,quænam ſint blaſphemiæ hæreticales, quæ non.Dico igitur quòd Blaſphemia hæreticalis dicitur, quæ hæreſim, ſeu falſitatem contra fidem formaliter, ſeu virtualiter continet, & ſignificat. Huiuſmodi eſt omnis blaſphemia enuntiatiua,ſiue affirmando, ſiue negando aliquid de Deo, quod fides docet,vel etiam tribuendo creaturæ id,quod ſecundùm fidem ſoli Deo conuenit, vel de his etiam dubitationem aliquam oſtendendo.Item ad blaſphemiam hæreticalem pertinent nomina quędam conuitij Deo attributa; vt ſi quis eum nomi-

net

net iniuſtum, &c. nam licet expreſsè id non affirmetur enuntiando & componendo, ſed ſimpliciter ita nominando, nihilominùs virtute ſatis affirmatur quod ita profertur.

Blaſphemia autem non hæreticalis dicitur omnis illa, quæ non formaliter, nec virtute continet falſitatem quaſi ſpeculatiuam contra fidei veritatem, vt ſunt omnes blaſphemiæ, quæ proferuntur per modum optandi, imperandi, aut imprecandi. Item quæ fiunt nominando aliquid quod in Deo verè reperitur, tamen per modum contumeliæ & irriſionis: quæ omnia valdè notanda ſunt à DD. Inquiſitoribus & Qualificatoribus, vt in facti contingentia poſſint determinare, quænam ſint blaſphemiæ hæreticales, quæ verò pertinentes, vel non pertinentes ad cognitionem & punitionem Tribunalis S. Officij.

Notandum eſt tamen hîc obiter contra Decianum *in tract. crim. lib. 5. cap. 37. num.* 8. & alios, poſſe non ſolùm Ordinarios, ſed etiam Inquiſitores infligere extraordinariam pœnam, quãdo quis ioco, vel lubrico linguæ verba ſapientia hæreſim protulit, & ita docet Pegna *in direct. part. 3. comment.* 17. Farinacius *de hæreſi q.* 179. §. 4. *nu.* 78. & ad blaſphemos pertinet probare ſe ioci cauſa ea verba protuliſſe. Ita DD. citati, & *ſuprà* hoc etiam ſatis probauimus. Vide etiam quando talis caſus occurrerit, Rojas *ſingul.* 103. Simancam *in Cathol. inſtitut. tit.* 17. *n.* 23. *& ſeq.* Arelatanum *tr. de hæret. notab.* 28. Gundiſſaluum *tr. de hæret. q.* 1. *n.* 7. *q.* 8. *nu.* 6. Zanchinum *de hæret. cap.* 7. *n.* 6. & alios penes ipſos.

RESOL. IX. *De conſpurcantibus & percutientibus ſacras imagines.*

HOc non eſſe factum hæreticale, & per conſequens non poſſe pertinere ad Inquiſitores, licet grauiſſimum ſit peccatum, docet nouiſſimè Torreblanca *in epitome delictorum, ſiue de magia, lib. 3. cap. 8. n.* 17. & ante illum Ghirlandus *de ſortil. q.* 10. *n.* 12. Sed ſummopere mihi diſplicet virum quidem doctum hæc dixiſſe, & ideò hanc ſententiam reprobat Farinacius *q.* 20. *n.* 68. Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *D. Thom. q.* 96. *art.* 4. *diſp.* 2. vbi inter alia ſortilegia, ſapientia hæreſim manifeſtam ponit, hoc videlicet, quando aliqui crucem ac imagines Sanctorum conculcant, etiamſi conculcatio, direptio, aut inhonoratio fiat ex iracundia, ſapit enim hoc hæreſim Lutheranam de imaginibus explodendis. Ita etiam docet Bellochius *in praxi Theolog. moral. part.* 2. *q.* 1. *n.* 73. Riccius *in praxi tom.* 1. *reſol.* 423. Ioſeph Seſſe *tom.* 4. *deciſ.* 448. *n.* 19. Zecchius *in ſumma tom.* 1. *cap.* 11. *n.* 5. Carerus *tract. de hæret. num.* 49. Delrius *in diſquiſ. magic. lib.* 5. *ſect.* 6. §. *Sacerdotes qui cauſa*, & alij *vbi infrà*. Et hoc factum ita eſſe hæreticum contra Torreblancam patet, vt eius cognitio pertineat tantùm ad Inquiſitores, tenet Genuenſis *in praxi Archiep. c.* 18. *n.* 12. & Lazarius *tract. de blaſphemia quæſt.* 6. *n.* 14. teſtantes ita determinatum fuiſſe in ſupremo Regio Conſilio Hiſpaniarum.

Verùm quomodo ſupradicti puniendi ſint, quoad abiurationem, Michaël Zanardus *in direct. Theol. part.* 3. *cap.* 64. *fol. mihi* 360. ſic ait: Quamuis aliqui tenuerint hos non debere abiurare, quia Maieſtatem confitentur, & tantùm ex odio & malo animo offendunt, tamen quia ab indiciis malæ credulitatis non longè recedunt, cùm malè videantur de omnipotentia, iudicio, & iuſtitia Dei ſentire, & id faciunt, quod facere ſolêt hoſtes fidei noſtræ, ideò eis indicitur abiuratio de leui, vel de vehementi, ſed non de formali, ſi Catholici ſint. Ita ille.

Quoad alias pœnas apponam hîc verba Simancæ *tit.* 27. *nu.* 20. *&* 21. ſic aſſerentis: Iudices Eccleſiaſtici punire iſtos debent interdum dura & vltrice ſententia, quemadmodum Gregor. X. *in Concil. Lugdun.* conſtituit: ſæpè etiam pœnitentia publica, vel ieiuniis, eleemoſynis & orationibus, vel mulcta pecuniaria, vel ictibus fuſtium. Iiſdem quoque pœnis Inquiſitores vti poſſunt; ſed hoc amplius ad eorum Officium pertinet, vt ſcire laborent, ſi fortè intellectus errore pertinaci facinora iſta perpetrata ſunt: quòd ſi repererint, aut ſuſpicati fuerint, non ſecus aduerſus iſtos procedent, atque aduerſus alios quoſlibet hæreticos, vel ſuſpectos. Poterunt igitur Inquiſitores tormentis, abiuratione, purgatione canonica & aliis arbitrariis pœnis, vti pertinaces, atque impœnitentes, curiæ ſæculari relinquere. Ita ille. & Genuenſis *in praxi cap.* 18. *nu.* 12. vbi ſic ait: Percutientes, abradentes, aut deturpantes imagines Sanctorum, per Inquiſitores puniendi ſunt, neque obſtat quòd pœna mortis non puniantur, prout per Iudices ſæculares punirentur, quia ſatis eſt quòd ſufficienter puniantur aliis pœnis, nempe fuſtigationis, triremium, carcerum, infamiæ, exilij, & aliis, quas ius Canonicum admittit. Ita Genuenſ.

Sed nota, Souſam *in aphor. Inquiſ. lib.* 1. *c.* 42. *nu.* 16. docere quòd ſi factum ſit publicum, perpetrantem hoc horrendum delictum, ſiue hæreticalem animum fateatur, ſiue non, tradendum eſſe Curiæ ſæculari vltimo ſupplicio plectendum, ob facti qualitatem: & ſi animum hæreticalem fateatur, & miſericordiam petat, poſt reconciliationem ad Eccleſiæ vnionẽ, hoc non obſtante, docet idem Souſa Curiæ ſæculari tradendum eſſe; quoniam tantum ſcelus non poteſt manere impunitum, & ſemper poteſt timeri quòd conuerſio ſit ficta. addit etiam idem Souſa in tali caſu torquendum eſſe ſuper complicibus.

RESOL. X. *De Sortilegis, Diuinatoribus, Magis,* &c.

LIcet de iure antiquo Inquiſitores nõ habebant iuriſdictionem niſi ſuper ſortilegia, quæ ſaperent hæreſim manifeſtè; attamen hodie de iure nouo Bullæ Sixti V. cognoſcunt contra omnes ſortilegos & maleficos, vt notant Scortia *in Bull. Pont. epitom.* 58. *theor.* 158. Ioſeph Seſſe *tom.* 4. *deciſ.* 464. *n.* 8. 18. *& ſeq. & deciſ.* 466. *n.* 4. *&* 17. Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *q.* 4. Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 92. Torreblanca *de magia lib.* 3. *c.* 9. *poſt num.* 48. Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *D. Tho. q.* 96. *art.* 4. Zanardus *in direct. Theol. part.* 3. *c.* 64. Naldus *in annot. pract. ſuper c. in tabulis de ſortileg.* Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tr.* 11. *ca.* 7. *n.* 145. & iterùm Ioſeph Seſſe *tom.* 4. *deciſ.* 466. *nu.* 16. *&* 17. vbi ſic ait: Si non apparet quòd illa quæ admiſcentur in ſortilegiis, ſapiant hæreſim, manifeſtè, ſed eſt dubium an talia ſapiant hæreſim, veluti ſi ad

ortum

ortum se conuertant, vel proferant verba inusitata & inintelligibilia & similia, non se intromittet Inquisitor de iure. Sed hodie per Motum proprium Sixti V. dicti sortilegi subsunt Inquisitoribus. Ita ille. & Seraphin. Freitas *in addit. ad Acugnam q.5.n.35.* sic asserit: Hodie Inquisitores ex constitutionibus Pontificiis cognoscunt contra omnes sortilegos & maleficos; adhuc tamen puto quòd si sortilegia, diuinationes, & maleficia hæresim non sapiant, locus erit præuentioni inter laicos Inquisitores, iurisdictioque Inquisitorum accumulatiuè censeatur. Verùm Sigismundus Scaccia *de iudiciis causarum*, &c. *lib.1.c.12.n.53.* docet, quòd hodie cognitio sortilegiorum priuatiuè spectat ad Inquisitores quoad Iudices laicos, vnde non sunt mixti fori, attenta dicta Sixti V. constitutione, suspicatur tamen Emanuel Moura *de incant. opusc. 1.sect.3.cap.1. num.9.* dictam constitutionem Sixti V. non esse vsu receptam saltem in Lusitania, & Azorius *to.1.lib.9. cap.26.q.4.* dubitat quoque an sit vbique vsu recepta; verùm citati DD. loquuntur de dicta constitutione quasi vbique sit vsu recepta. Sed an Inquisitores in dubio, sapiatne sortilegium hæresim, manifestè possint se intromittere, ex iure nouo constit. Sixti V. clarum est posse. Difficultas est de iure antiquo per *c. accusatus, §. sanè*, quæ obseruante Syluestro *ver. hæresis, n.4* non potest intelligi de dubio an factum sit perpetratum, nécne, sed in dubio an talia sapiant hæresim. Sed contrarium, inte, ratione, & vsu comprobatum est, vt testatur Simanca *tit.30. num.21.* Pegna *in direct. part.2.comment.63.* & doctus Acugna *de Confess sollicit.q.5.n.13.* quia Iudex etiam delegatus cognoscit an sua sit iurisdictio; & si contraria opinio esset sequenda, Inquisitorum cognitio facilè subuerti posset, asserente quolibet sortilegia, vel diuinationem non sapere hæresim manifestè. His suppositis deueniamus ad pœnas supradictorum delictorum.

Ideò dico quoad abiurationem, quòd si sortilegia sapiant hæresim manifestè, quia tales significant se credere illas res sacras adhibitas in suis sortilegiis, vim habere ad maleficiorum operationem. Ideò de hac credulitate debent diligenter examinari, & si negent, debent torqueri, & si non fateantur, vt vehementer suspecti, per consequens debent abiurare de vehementi. Ita Raphaël de la Torre *in 2.2.D.Thom.q.96.art.4 disp.2.* Zanardus *in direct. Theol. part.3.c.64.* Delrius *in disquis. mag. lib.5. sect.15.§. Dico tertiò.* Scaccia *de iudiciis lib.1.c.12.n.34.* Ioseph Sesse *tom.4. decis.466. num.9.* & Emanuel Moura *opusc.1. de incant. sect.3. c.5.n.32.* & ante omnes Pegna *in direct. Inquis. part.2. comm.67.* & nouissimè Genuensis *in praxi Archiepisc. cap.68.n.8.* vbi sic ait: Si aliquis est suspectus vehementer, vt quia admiscuit sacramentalia in sortilegiis, tunc torquetur pro vlteriori veritate super intentione, & si neget, adhuc compellitur abiurare de vehementi. Sic ille. & nouissimè Emanuel Moura *de incant. opusc.1.sect.3.c.5. n.32.* sic asserens: Miscentes in sortilegiis quælibet Sacramenta, sacramentalia, res, orationes, vel verba sacra, tamquam hæreticales subiiciuntur Inquisitoribus puniendi pœna condigna, & si negent se credere prædicta Sacra habere vim ad cogendum arbitrium, aut ad alios turpes effectus, aut alium errorem, debent tamen abiurare de vehementi. Ita ille.

Verùm quoad alias pœnas supradictis reis imponendas, ita asserit Pegna *in direct. Inquisit. part.2. comment.67.* coërceri possunt anathemate, dignitatum suspensione, verberibus, exilio, carcere, monasteriis, aliisque suppliciis, spectata personarum qualitate infami indutos mitra in publicum producuntur, aut scalis alligatos, cum vituperatione prope Ecclesiæ fores constituuntur. Ita ille. & ante illum Simanca *tit.21.n.23.* & nouissimè Sesse *tom.4. decis.466.n.13.* Sed hodie vtplurimùm laici ignobiles traduntur triremibus, vt docet ex stylo Inquis. Rom. Genuens. *in praxi Archiep.c.68.n.8.* vide etiam Scortiam *in Bull. Pontif. epitome 58. theorem. 158.* & in casu occurrenti ne deferas consulere Delrium *in disquis. mag. lib.5. sect. 16.* & Sousam *in aphor. Inquisit. lib.1.c.58. à num. 10. vsque ad 17.* vbi inter alios casus obseruat quòd Sacerdos, qui celebrat Missam super rebus aptis ad sortilegia peragenda, videlicet super pasta, super calamita (vt accidit his diebus) & his similibus simplicibus, aut mixtis, aut qui vasis, aut vestibus sacris & his similibus in sortilegiis abutitur, aut qui in celebratione Sacrorum nefandas & turpes preces porrigit, deponitur, priuatur beneficiis, & in perpetuum carcerem detruditur; & nota etiam cum eodem, quòd si Sacerdos Missas defunctorum celebrat pro viuentibus vt moriantur, à sacerdotio priuatur, & perpetuo exilio relegatur vnà cum eo, qui hoc consuluit, vel fieri mandauit.

Nota verò, quòd si quicumque sortilegus, etiam hæreticus, & Ecclesiasticus, fateatur in sortilegiis feciſſe homicidium (vt his diebus factum fuit) & pœniteat, paratusque sit corripi, non posse eum Inquisitores tradere Curiæ sæculari, sed debere eum admittere ad reconciliationem, præter Sousam tradit Farinac. *q.20.num.105. & seq.* vide etiam Menoch *lit.1.cent.4.cas.388.*

Sed notandum est nouissimè Greg. XV. *in Bulla edita 20. Martij 1623.* mandasse vt constito quòd aliquis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apostatando maleficiis, siue sortilegiis vnam, seu plures personas ita læserit, vt ex maleficio, vel sortilegio mors secuta sit, etiam pro primo lapsu Curiæ sæculari tradatur debitis pœnis puniendus; qui verò similiter apostatando pactum cum diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo licet mors secuta non sit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, siue animalibus frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, siue carceribus in S. Officio Inquisitionis, vbi illud extitit, fabricandis mancipari debeat. Ita Pontifex *in d. Bulla.*

Sed oritur hìc pulchrum dubium, an sit sortilegium sapiens hæresim inuocare dæmonem ad tẽtandam mulierem: Negatiuam sententiam docent Pegna *in director. Inquis. part.2. comm.68.* Scaccia *de iudic. lib.1.c.12. n.39.* Ghirlandus *de sortil. cap.10.* Ioseph Sesse *tom.4.decis.463. num.11.* Riccius *in praxi tom.1.resol.424. n.11.* Bellochius *in praxi Theol. mor. part.2. q.9. num.64.* Binsfeldius *de malef. leg.4.q.2. concl.*

concl. 3. Oldrad. *conſ.* 210. Afflict. *in conſtitut. Regni, part.* 1. *rubr.* 1. *num.* 17. Lucerna Inquiſit. *ver. dæmones inuocare, nu.* 2. Torreblanca *de Magia lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 13. Genuenſis *in praxi Archiep. cap.* 18. *num.* 11. Locatus *in praxi Inquiſ. ver. Apoſtata, n.* 13. & DD. communiter. Vnde ſecundùm illos dicendum eſt ſimplicem inuocationem dæmonis ſine cultu, ſeu honore, aut mixtura rerum, vel verborum ſacrorum, non eſſe ſortilegium hæreticale, maximè ſi efficiatur verbis imperatiuis, & non deprecatiuis, ad ſciendum & obtinendum ea, quæ demon viribus naturalibus poteſt ſcire & præbere; vt tentare pudicitiam mulieris, ad inueniendum theſaurum, ad ſciendum an partus futurus (in vtero tamen formatus) ſit naſciturus maſculus, vel femina, ad ſciendum dictum, vel factum præteritum, ad impediendum ne ignis filum, vel aliam rem proiectam comburat, ad tranſportandum hominem, vel aliam rem de loco ad locum, ad ligandos ſponſos, ad inferendas ægritudines, ad faciendum apparere corpus mortuum viuum per aliquod tempus, ad illuminandum cæcum, non à natura, ſed ab impedimento, quod ipſe poſſit ſubtrahere, ad habendam ſcientiam per purgationem phantaſmatum, & facilitatem ſenſuum, ad inducendas nebulas, tempeſtates, & ſimilia, quæ inuenies apud Torreblancam *de Magia lib.* 3. *cap.* 8. *per totum.*

His tamen non obſtantibus (attendas quæſo, amice Lector, nec te terreat turba Doctorum) ego contrariam ſententiam teneo, & ratio eſt, quoniam ridicula eſt illa diſtinctio quam communiter afferunt aduerſarij, nempe per modum deprecationis inuocationem dæmonis eſſe ſortilegium hæreticale; ſecus autem ſi efficiatur per modum imperij. nam tu quis es, qui potes imperatiuè inuocare illum, de quo loquendo Spiritus ſanctus apud Iob aſſeruit non eſſe poteſtatem in terra quæ comparetur ei? deinde cùm tibi ſit interdictum omne cum dæmone commercium, vt notat Delrius *in diſquiſ. mag. lib.* 5. *ſect.* 15. §. *Dico* 5. quomodo igitur potes eum inuocare etiam imperatiuè? & ideò Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *D. Thom. quæſt.* 95. *art.* 4. *diſp.* 1. *aſſer.* 4. docet pertinere ad ſocietatem dæmoniacam exigere à dæmone ſponte occurrente conſilium, fauorem, aut quoduis officij genus, ſiue exactio fiat deprecando, ſiue imperando.

Clarè igitur apparet, noſtram ſententiam omnino tenendam eſſe, quæ ſicut rationibus fulcita, ita Doctorum auctoritate non caret, & ideò eorum verba per extenſum apponam. Simanca *tit.* 30. *n.* 17. Beatus Auguſtinus erroneum, ineptum & ridiculum eſſe cenſet inuocare dæmones per modum imperij, aut eis comminando præcipere, non enim eſt poteſtas ſuper terram, ſicut Iob dicit, quæ comparetur ei. Ceterùm dæmones vt fatuos irrideant atque decipiant, fingunt ſe cogi atque timere, ſicuti multis Pariſienſium decretis declaratum eſt. & *tit.* 21. *num.* 13. ſic ait: Sunt qui dicunt non fore hæreticum eum, qui dæmonem inuocaret ad tentandam pudicitiam alicuius mulieris, vel ad aliud faciendum, non alienum à poteſtate dæmonis. nam, vt aiunt, ſi ſe dæmoni non ſubiiciat, nec hæreſim miſceat, cùm non habeat errorem in intellectu, non erit hæreticus. Sed quāuis hæc ita ſint, tamen aduerſus illum inquiri poterit tamquam contra vehementer ſuſpectum, ea enim ad apoſtaſiam & infidelitatem pertinent. Hęc Simanca. Sed audiamus Homobonum de Bonis, virum quidem doctum, *in exam. Eccleſ. p.* 1. *tract.* 7. *c.* 3. *q.* 16. *ſic* aientem: Si amantes ſtimulis libidinis agitati dæmones inuocant vt illi flectant animum illius, quam amant, in turpem amorem, licet communis videatur circumferri opinio, talem inuocationem non ſapere hæreſim manifeſtam, præſertim ſi per modum imperij fiat; verius tamen dicendum videtur hoc ſcelus ad hæreſim magnopere præſumendam pertinere, cùm ridiculum ſit dicere quòd dæmones per modum imperij inuocentur, ex quo non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei. Sic ille. & Farinacius *tract. de hæreſi q.* 181. §. 3. *n.* 88. retractans tacitè quæ dixerat *qu.* 20. *num.* 80. ita ait: Ex his infertur non eſſe veram concluſionem, licet à DD. communiter receptam, quòd hæreticale non ſit à dæmone per modum imperij petere, vt alienam tentet pudicitiam, cùm huiuſmodi inſtantia fieri non poſſit per modum imperij; prout DD. contrarij requirunt ad hoc vt ceſſet hæreticalis qualitas. Et tandem ante omnes hanc ſententiam mordicus ſuſtinuit inſignis Theologus Bartholomæus Spina *Apolog.* 4. *contra Ponzinibium*, in qua ex multis aliis rationibus Theologicis probat acerrimè noſtram ſententiam. Quam etiam confirmat opinio Michaëlis Zanardi, viri quidem docti, & Conſultoris S. Officij *in direct. Theol. part.* 3. *cap* 64. *fol. mihi* 366 aſſerentis (nota Lector) contra ſortilegos non hæreticantes poſſe Inquiſitores procedere tamquam contra ſuſpectos de leui ex amicitia cum pacto implicito ſaltem cum dæmone. nam ſicut ſubditus contrahens amicitiam cum hoſte ſui Principis redditur de infidelitate ſuſpectus, ita & qui cum diabolo fœdus, pactum, vel amicitiam contrahit, etiam quoad ea, quæ ſunt illi propria, vel ad quæ ſe poteſt extendere eius virtus.

Remanet ergo difficultas, an hi ſaltem de leui abiurare debent, vel non? Ex vna parte videtur quòd non, quia vbi non eſt error cum pertinacia, ibi nulla poteſt eſſe hæreſis; ſed in intellectu iſtorum non eſt error, quia ſolùm credunt quod credere poſſunt, ſcilicet dæmonem poſſe facere quæ ei propria ſunt, & ad quæ facienda habet naturalem poteſtatem. ergo hi abiurare non debent, ſed tantùm ratione delicti, ſcilicet pacti, vel amicitiæ factæ cum dæmone, erunt aliqua pœna extraordinaria puniendi. Ex altera parte videtur quòd ſint ſaltem de leui ſuſpecti, quia factum ipſum, ſcilicet amicitia & recurſus ad hoſtem humani generis ſaltem ſuſpicionem leuem inducit.

Huic difficultati (ſaluo ſemper Matris meæ S. R. E. iudicio) dicerem quòd quidem hi ex facto ſe reddunt aliqualiter de fide ſuſpectos: at hanc ſuſpicionem in tortura purgare poterunt, ita vt expurgata non ſint abiurandi. Hæc omnia Zanardus *loco citato*. Cuius quidem vltima verba procedunt

cedunt ſecundùm ſtylum Inquiſitionis Romanæ, in qua ſuſpecti leuiter de fide torquentur & torti abiurant. In noſtra verò Inquiſitione Hiſpanica, quia non torquentur, dicendum eſt ſupradictos ſortilegos non hæreticantes debere ſaltem abiurare de leui, & eis ſalutaris pœnitentia iniungi, ſed ad aliud non minùs curioſum dubium deueniamus.

Quæro igitur an Inquiſitores poſſint punire ſortilegum qui in ſortilegio miſcuit hoſtiam non conſecratam, dummodo ſuper eam ſit celebrata Miſſa? Negatiuè reſpondet Chirlandus *de ſortil. q. 10. num. 16. & 17.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſ.* & ex recentioribus Torreblanca *de Magia lib. 3. cap. 8. num. 18.* Farinacius *q. 20. n. 83.* Raphaël de la Torre *in 2.2 D. Thom. tom. 2. q. 96. art. 4. diſp 2. tit. de qualificatione ſuperſtitionum.* & adducunt rationem, quia tale ſortilegium non eſt hæreticale.

Verùm M. Antonius Delrius circa præſentem quæſtionem *in diſquiſ. mag. lib. 5. ſect. 15 §. dico quintò* vtitur diſtinctione, & ait, quòd ſi talis benè ſentiat de præſentia corporis Dominici, & tranſubſtantiatione, & non præbuit hanc hoſtiam populo adorandam, ſed verè aliam, quam eleuauit, & conſecrauit, hanc verò acceſſoriè tantùm ſuper Altare ad magicos effectus poſuit, erit tantùm ſuſpectus de hæreſi; ſi verò illa alia credidit, tunc apertè foret hæreticus; ſi verò reuerà non credidit, iſta vim aliquam habere ad effectum magicum, non erit ſuſpectus de hæreſi, ſed extra ordinem puniendus. Hæc ita, ſi de hac eius intentione conſtat. nam quamdiu non conſtat, mihi quidem videtur de hæreſi maximè ſuſpectus. Ita Delrius.

Sed ego puto abſolutè (& miror viros doctos aliter ſenſiſſe) dictum ſortilegium eſſe hæreticale, & ita hanc ſententiam docet Scaccia *de iudic. &c. lib. 1. cap. 12. numer. 34.* & ratio eſt, aic ille, quia in dicto maleficio ſortilegus miſcuit rem ſacram, ſcilicet celebrationem Miſſæ ſuper hoſtiam, licet non conſecratam; igitur erit hoc ſortilegium hæreticale, non propter hoſtiam minimè conſecratam, ſed propter Miſſam ſuper ea celebratam. Sed audiamus virum doctum Antonium Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib. 1 cap. 57. numer. 11.* ſic aſſerentem: Cenſeo ſortilegium in quo ponitur, aut quod fit cum hoſtia conſecrata, aut cum aliqua re ſuper quam Sacerdos Miſſam celebrat, hæreſim ſapere manifeſtè, tum ex parte operis, tum quia ſacrificium Miſſæ ordinat ad ſacrilegium, licet mediatè; tum etiam præſumitur quòd hoc faciens credit illud vim habere ad maleficium operandum, & hoc ipſum in facto oſtenditur. ergo, &c. & tandem ex Doctoribus noſtræ Inquiſitionis Hiſpanicæ præter Souſam docet hanc ſententiam Emanuel Moura *de Incant. opuſc. 1. ſect. 3 cap. 5. nu. 29.* vbi refellens Farinacium, *vbi ſuprà* ſic ait: Eſt ſacrilegium ſapiens hæreſim manifeſtè, Sacerdotem celebrare Miſſam ſuper hoſtia non conſecrata ad effectum ſortilegum, qui dæmonis potentiam non excedat, quia abuſum ſacrificij Miſſæ continet, abuſum etiam Euchariſtiæ. Ex quibus apparet ſupradictum ſortilegum, quidquid aſſerant Doctores contrarij; eſſe puniendum pœnis, de quibus ſuprà, cum abiuratione de vehementi.

Et tandem pro fine huius reſolutionis notá quòd qui fuit vſus ſanctiſſ. ſacramento Euchariſtiæ in ſortilegiis, traditur curiæ ſeculari ex ordinatione S. Officij poſita in fine operis iudicialis Inquiſitorum, & tradunt Genuenſis *in praxi Archiep. c. 68. num. 10.* Emanuel Moura *de incant. opuſc. 1. ſect. 3. c. 5. n. 29.* & alij. Quæ autem ſuperiùs dicta ſunt de ſortilegis, dicendum eſt de Magis, nam ſi iſti inueniuntur habere errorem in intellectu, ſicut & ſortilegi, puniuntur vt hæretici formales; ſecus autem abiurant de vehementi, & puniuntur ſeueriter ſupradictis pœnis pro qualitate perſonarum, & circumſtantiis delictorum.

Reſol. XI. *De laicis, ſeu Eccleſiaſticis non Sacerdotibus audientibus confeſſionem.*

POſſe aduerſus ſupradictos, Inquiſitores procedere, patet ex conſtitutionibus Pauli IV. Gregor. XIII. Sixti V. & Clem. VIII. quas affert, & explanat Scortia *in Bulla Pontif epit. 162. theorem. 403.* Zipæus *in iure Pontificio lib. 5. tit. de Clerico non ordinato celebrante.* Franciſc. Leo *in theſaur ſori Eccleſ. part. 3. cap. 4. numer. 58* Emanuel de Moura *de incant opuſc. 1. ſect. 3. cap. 3. num. 9.* Sanctarellus *de hæreſi cap 42. dub. vnic. numer. 5.* Homobonus *in conſult. part. 1. reſponſ. 150 vol. 1.* Aldrete *de relig diſcipl. lib. 2. cap. 20. num. 14.* Barboſa *de poteſt. Epiſc part. 3. alleg. 110. nu. 18.* & Souſa *opuſc. de ſollicit. tract. 1. cap. 9. num. 1.* & ita confeſſiones audientes non reconciliantur, etiamſi ſint verè pœnitentes, ſed traduntur curiæ ſæculari, vt patet ex dictis Bullis.

Verùm in Inquiſitione Hiſpanica hæc pœna non eſt hactenus in vſu, ſed, vt obſeruat idem Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 33. iuncto cap. 32. numer. 13.* ſi fictus Sacerdos fuerit laicus, & vilis perſona, fuſtibus cæditur, & ad triremes mittitur, & aliquæ ſpirituales pœnæ ei adduntur; ſi verò fuerit perſona honeſta & religioſa, damnatur ad triremes; quòd ſi talis ſit qualitatis vt ad triremes mitti non debeat, in exilium mittatur, & ſi fuerit in aliquo Ordine, ab eo ſuſpendatur toto exilij tempore. quòd ſi delictum aliquas circumſtantias habuerit aggrauantes, adduntur aliæ pœnæ ſecundùm eam qualitatem. Ita Souſa, qui etiam addit, quòd rei huius criminis debent abiurare de leui, & ſupradicta quaſi omnia confirmat Caſtrus Palaus *in ſumm. tom. 1. tractat. 4. diſp. 8. punct. 16. §. 9. num. 2.* Vbi poſtquam teſtatus fuit traditionem curiæ ſæculari non eſſe in Hiſpania vſu receptam, ſic aſſerit: Horum pœna arbitraria regulariter eſt in actu publico abiurare de leui, flagellis cædi, & triremibus addici, & ab Ordinibus perpetuò priuari. Aliquando hæc pœna minuitur, & in exilium & pecuniam conuertitur, tum ſi delinquens nobilis ſit, neque in actu ſpecialis fuit malitia, tum ſi ſit ita ruſticus, vt non tam ex malitia, quàm ex aliquali ignorantia proceſſiſſe videatur. & ita vidi quemdam adoleſcentem ſimplicem, qui annali recluſione & pœna pecuniaria damnatus fuit, eò quòd fingens

ſe

ſe Sacerdotem alterius confeſſionem excepit, vt poſteà illum irrideret. Hæc Caſtrus *loco cit.* quæ omnia deſumpſit à San Vincente *in manuſcriptis c.19.§.1.& ſeq.* At malitia verè huius criminis conſiſtit in abuſu Sacramenti, & qui hoc facit, eſt de fide ſuſpectus, quia facto approbat quod hæretici huius temporis falsò aſſeuerant, id eſt, miniſtros huius Sacramenti non eſſe ſolos Sacerdotes, vt definiuit Concil. Florentin. *in litteris vnionis.* & Trid. *ſeſſ.14 c.6.* ſed etiam alios, & laicos, vt impiè ſenſit Wiclefus, teſte Waldenſe *tom.2.cap.135. & 145.* & Martinus Lutherus apud Roſſenſem *art.13.* Vide Cherubinum *tom. 2. conſtit. 21. Gregor.XIII. ſchol.1.* Vnde ex ſupradictis die 7. Octobris 1633. me conſulente Inquiſitores huius Regni Religioſum Subdiaconum, qui pluries confeſſiones excepit, damnarunt ad triremes per ſeptennium cum abiuratione de leui, ſtante praxi Inquiſitionis Hiſpanicæ, in qua, vt dictum eſt, ſupradicti rei abiurant tantùm de leui. Nota tamen, quòd his in vno caſu abiurationem de vehementi imponerem, & illos torquerem, quando v.g. eſſent de prouincia infecta hæreſi Lutheri, qui aſſerebat omnes eſſe miniſtros ſacramenti Pœnitentiæ, perſona enim dicitur ſuſpecta etiam reſpectu regionis ſuæ, vt optimè obſeruat Seſſe *tom.4. deciſ.152. num.4.* nouiſſimè prodit Bulla Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. in qua ſtatuitur etiam minores 25. annis, ſi eiuſmodi delictum committant, tradi debere Curiæ ſæculari.

Notandum eſt tamen hîc, quòd ſimplex Sacerdos, vel etiam approbatus, ſuſpenſus tamen ab audiendis confeſſionibus, non comprehenditur in ſupradictis decretis, quamuis confeſſionem audiat, & abſolutionem impendat. Ita Souſa *opuſc. de ſollic. tract.1.c.9.n.5.& in aphor.Inquiſ.lib.1.c.33.n.6.* & Sanctarellus *de hæreſi cap.42.dub.vnic.num.5. in fine*, cum Acugna *de confeſſ.ſollic.quæſt.13.n.15.*

Sed difficultas oritur hîc, an ſi laicus, vel Eccleſiaſticus non Sacerdos audiat confeſſiones, & non abſoluat, ſubdatur pœnis Pontificiis latis in ſupradictis Bullis? Negatiuam ſententiam *in part.1. tract.4. reſol.16.* ego ipſe adnotaui docere Rodriquez & Sancium, quibus nunc addo Sanctarellum *de hæreſi cap.42.dub.vnic.num.5.* & Acugnam *tract.de Confeſſ.ſollicit.q.13.num.14.* Verùm non reticebo, affirmatiuam ſententiam docere Freytas *in editione nouiſſima de Confeſſ. ſollic. quæſt.13. num.36.* & Antonium Souſam *in aphor.Inquiſ.lib.1.cap.33.num.3. & in opuſc.de ſollic.tract.1.cap.9. num.3.4.& 7.* vbi probat ad violationem dictorum decretorum ſufficere audire confeſſionem, quamuis abſolutio, ſiue ex indiſpoſitione pœnitentis, ſiue alia de cauſa non impendatur; & addit etiam non Sacerdotem, qui ſolùm confeſſionem generalem audit, non tamen ſpecialem peccatorum, ſubiici iudicio Inquiſitorum, licet mitiùs puniri debeat; vult etiam quòd qui ſemel confeſſionem audiat, aut vnum tantùm peccatum, pœna ordinaria puniri debeat. Nota tamen quòd ſupradicti rei ſi ſint Religioſi vel ſacris Ordinibus initiati, non fuſtigantur, quod generaliter dictum eſſe volo pro omnibus aliis delictis.

RESOL. XII. *De laicis & Eccleſiaſticis non Sacerdotibus Miſſam celebrantibus.*

ADuerſus tale immane facinus perpetrantes poſſe Inquiſitores animaduertere tradunt Pontifices Greg.XIII. Clem.VIII. *in Bullis de hac re editis*, hic *anno* 1601. ille verò *anno* 1574. Difficultas eſt quoad noſtrum inſtitutum de pœnis. Scortia *de ſacrificio Miſſæ lib.2.cap.6.num.10.* reſpondet cum Rodriquez *tom.2.quæſt.28.art.2.* in iure id non fuiſſe cautum, quòd veteres Patres non exiſtimauerint quemquam tantum facinus tentaturum; ſed ex ſupradictis Bullis aſſerit Pontifices decreuiſſe quòd huiuſmodi criminis rei ab Inquiſitoribus, Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habent, degradati, tamquam Eccleſiæ miſericordia indigni Curiæ ſæculari tradantur. & ita etiam docet Peirinus *in priuil.eg.Minim.tom.2.concl.9.Pauli V.§.2.n.22.* Sanctarellus *de hæreſi c.42.dub.vn.n.5.* Vallenſ. *in pract.iur.canon. lib.5.tit.28.num.2.*

Verùm quoad traditionem Curiæ ſæculari dictas Bullas non eſſe in Inquiſitione Hiſpanica vſu receptas, teſtatur Caſtrus Palaus *in ſumm. tom.1. tract.4. diſp.8. punct.16. num.2.* Emanuel de Moura *de incant.opuſc.1.ſect.4.cap.3.n.9.* & Souſa *in aphoriſm. Inquiſ.lib.1.c.32.n.12.* vbi obſeruat hanc pœnam traditionis Curiæ ſæculari imponendam ſupradictis, præcepiſſe etiam D.N. Vrbanum VIII. per epiſtolam Eminentiſſ. Cardin. Mellini ad Inquiſit. Generalem Luſitaniæ *die 5.Martij anno 1622.* addit tamen ipſe Souſa, poſt declarationem iſtam hoc practicari nō vidi. Igitur in noſtra Inquiſitione Hiſpanica huius criminis rei abiurant de leui, & puniuntur iiſdem pœnis, quibus diximus puniendos eſſe in ſuperiori reſolutione laicos, vel Eccleſiaſticos non Sacerdotes audiendo confeſſiones. Ita Souſa, & Caſtrus Palaus *loc.cit.* Vnde Acugna *tract.de Confeſſ.ſollicit.quæſt.13. num.10.* ait, Conimbriæ in actu publico *anno* 1610. vidiſſe quemdam de leui abiuraſſe, qui ad Diaconatum tantùm promotus preſbyteratum exercebat. & Seraphinus Freitas eius additionator *ibidem, num.30.* teſtatur quòd Pinciæ *anno* 1615. laicus, qui Miſſas celebrare ſolebat, poſt per plateas fuſtigationem ad triremes condemnatus fuit. & Emanuel Moura *opuſc.1.de enſalm.ſect.3. cap.3.num.9.* docet ſupradictos reos mittendos eſſe ad triremes, vel perpetuos carceres, vel ſaltem per plurimos annos, ſi nempe circumſtantia aliqua interueniat, quæ delicti grauitatem ſi non à toto, ſaltem à tanto, iuſtè alleuiet & excuſet. Sic ille. Nouiſſimè, vt in ſuperiori reſolutione dictum eſt, prodiit Bulla Vrbani VIII. in qua ſtatuitur dictos delinquentes tradendos eſſe Curiæ ſæculari.

Nota tamen quòd ad violationem prædictarum Bullarum ſufficit ſemel vnam Miſſam celebrare, non verò ſi ſacerdotalibus veſtibus quis induatur celebrare intendens, ſi poſteà tamen non celebret, quia de celebrantibus tantùm mentionem faciunt. Igitur perfectè hoc crimen committit, qui ſacerdotalibus veſtibus indutus Miſſam celebrare incipit, quamuis non perficiat, nec verba conſecrationis proferat. Ita Souſa *in*

aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 32. n. ... & ſeq. vbi etiam notat hoc delictum non eſſe commiſſum Inquiſitoribus priuatiuè ad Epiſcopos, ſed cumulatiuè.

Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd ſi Sacerdos non conſecret panem, aut vinum, eò quòd ſit in peccato mortali, & ideò habens antè ſe hoſtiam conſecrandam, extrahit è tabernaculo particulam conſecratam, & verba conſecrationis profert, non ſuper hoſtiam, quam eleuando oſtendit populo, ſed ſuper eamdem particulam conſecratam, poteſt per Inquiſitores contra illum procedi. Et ita determinauit Congregatio ſancti Officij Mediolanenſis 30. *Aprilis* 1627. vt teſtatur, & docet Aloyſius Bariola *in aphoriſm. littera S. ver. Sacerdos*, §. 12. vide etiam Lucernam Inquiſitorum *ver. Sacerdos*, & *ibi* Pegnam *in annotat.*

RESOL. XIII. *De impedientibus Officium ſacræ Inquiſitionis.*

ADuerſus tales procedere Inquiſitores, patet ex multis Bullis Pontificiis Clem. & Vrbani IV. & ex *cap. ſtatutum, de hæretic. in 6.* & tradit Pegna *in direct. Inquiſit. part. 2. comm. 79. & part. 3. comm. 83. & 85.* & Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib. 1. c. 5. num. 7.* & circa hoc maximam præbet Inquiſitoribus auctoritatem Pius V. *in Bulla, Si de protegendis, edita anno* 1569. in qua Pontifex §. 2. 3. & 4. quoſcumque & cuiuſcumque ſint ſæcularis dignitatis & gradus, qui aliquem ex Inquiſitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, teſtibus, accuſatoribus, denuntiatoribus, aliiſve miniſtris S. Inquiſitionis Officij offenderint, vel offendere tentarint, tenuerint, deiecerint, perterrefecerint, eorumque fautores, & complices, aut Eccleſias, ædes, carceres, aliáſve res, ſiue publicas ſiue priuatas S. Officij, aut miniſtrorum inuaſerint, incenderint, expilauerint libros, litteras, exempla, ſcripturas, aliaque inſtrumenta diripuerint, aut alio quocumque modo exportauerint, ſuppreſſerint, vel etiam inermes fuerint cauſa vt hæc fierent, vel res, aut perſonas ſeruari, defendíve prohibuerint, vinctum extraxerint, emiſerint, capi vetuerint, fugiendi facultatem dederint, receptauerint, occultauerint, aut eadem cauſa cœtum concurſumque fecerint, etiamſi effectus ſecutus non ſit, excommunicat ipſo facto, reſeruata Papæ abſolutione declarat reos læſæ maieſtatis, priuatos perpetuò dominiis, feudis, honore, dignitate, tradendos ſæculari Iudicio puniendos, bonis rebuſque omnibus fiſci iuribus applicatis, vt de reis læſæ maieſtatis, & hæreticis conſtitutum eſt. Illud idem de omnibus Eccleſiaſticis decernit. & hanc conſtitutionem nouiſſimè Vrbanus VIII. renouauit.

Sed difficultas eſt, an ſupradictas pœnas Inquiſitores poſſint inferre in omnes perſonas? Farinacius *de hæreſi quæſt.* 182. *num.* 80. pœnas dictæ Bullæ putat valere contra eos, qui contenta in Bulla admittunt in contemptum & odium S. Inquiſitionis Officij; ſecus ſi in alia cauſa, ex qua per claras probationes ſe feciſſe doceret, & hoc probat ex verbis ipſius Bullæ, ibi, *Nemo autem expurgationem habere*, &c. & etiam hanc ſententiam docet nouiſſimè Antonius Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib. 1. cap. 28. num. 9.*

Verùm contrariam ſententiam tenendam eſſe putat aduerſus Farinacium, Ioan. Baptiſta Scortia *in Bull. Pontific. epit.* 106. *theor.* 278. quia textus Bullæ ſic habet: Nemo autem expurgationem habere, aut cauſam vllam proponere, vel prætendere poſſit, qui tantum nefas in contemptum & odium S. Inquiſitionis Officij admiſerit, niſi contrarium per claras probationes docuerit ſe feciſſe. In quibus verbis Pontifex non vult eximere ab his pœnis, qui tantum facinus ſua natura in maximum contemptum Inquiſitionis vergens docuerit ſe id alia cauſa, quàm contemptus & odij prædicti Tribunalis feciſſe, ſed ſolum ſi doceret ſe contrarium præſtitiſſe; quare probata quidem actio contraria violationi Inquiſitionis eximit à pœnis, ſed non diuerſitas intentionis, vtpote ſi aliquis hæc commiſiſſet, rogatus precibus conſanguinei, non formaliter in contemptum S. Officij Inquiſitionis. Ita Scortia *loco cit.* qui etiam notat quòd Inquiſitores ſunt Iudices in iniuriis contentis *in dicta Bulla Pij V.* factis contra ipſos, & eorum miniſtros, per ea, quæ adducit Simanca *tit.* 34 *n.* 29. Zanchinus *de hæret. cap.* 32. *num.* 1. & alij. Et aduertant etiam DD. Inquiſitores, quod dicta Bulla Pij V. condita fuit ob publicam vtilitatem, vnde latè eſt interpretanda & extendenda, vt benè docet Aloyſius Riccius *in deciſ. Arch. tom. 1. deciſ. 74. num.* 4.

Non deſinam etiam hîc adnotare, quod in dicta conſtitutione habetur, quòd perterrefacientes miniſtros S. Inquiſitionis, denuntiatores, teſtes, &c. ſubdantur etiam illis pœnis in ea taxatis, ſed hæc terrefactio, ſaluo ſemper meliori iudicio, ait Michaël Zanardus *in direct. Theolog. part. 2. præc. 1. cap. 5. §. 23.* primò debet eſſe formalis, id eſt, in actu S. Officij, & circa ea, quæ ad ipſum ſpectant, & non ſi propter alias priuatas cauſas inducatur. Secundò, vt talis perterrefactio ſit de re graui, quæ poſſit inducere timorem etiam cadentem in conſtantem virum, nam de minimis non curat prætor. Tertiò debet eſſe ab homine valente, & parato verba & minas ad facta deducere. nam multi minantur, etiam viles & infirmi; ſed horum minæ à familia armata Inquiſitorum paruipenduntur. Ita Zanardus, qui etiam notat ad infligendas pœnas poſitas in dicta Bulla, conſulendum eſſe Senatum Cardinalium ſuper negotiis fidei deputatorum. Et Caſtrus Palaus *in ſumma tom. 1. tract. 4. diſput. 8. punct. 16. § 7. num.* 3. fatetur pœnam mortis latam in dicta Bulla numquam præcisè imponi, niſi in aliquo caſu raro & extraordinario, in quo ſimul cum defenſione hæretici occiſio, ſeu grauis alicuius miniſtri Inquiſitionis vulneratio coniungeretur, tunc enim ſic delinquens curiæ ſæculari relaxatur, eſto ſe fateatur hæreticum eſſe, & pœnitentiam expoſtulet, & ad reconciliationem admittatur, & hæc dicta ſint in terminis Bullæ Pij V. *Si de protegendis.* Nunc in genere loquendo aſſero quod impedientes Officium S. Inquiſitionis ſunt de fide ſuſpecti, vt probat Campegius *in addit. ad Zanchinum.*

num. de hæret. cap. 20. *litt. A. ver. ſuſpicio.* Locatus *in praxi Inquiſ. ver. ſuſpicio, num.* 11. Pegna *in direct. Inquiſ. part.* 2. *comment.* 79. & alij communiter. Sed oritur difficultas, an ſint de fide ſuſpecti ſi impediunt Officium S. Inquiſitionis, non ex eius odio, ſed ex conſanguinitate cum hæreticis, amicitia, pretio, &c. Negatiuam ſententiam tenet Sanctarellus *tract. de hæreſi cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 5. *in fine*, vbi ſic ait: Sunt ſuſpecti de hæreſi, qui impediunt Officium S. Inquiſitionis, non tamen ſunt ſuſpecti ſi id faciant ex amicitia, vel conſanguinitate, vel pretio; nam licet tunc poſſet procedi contra eos, non tamen tamquam ſuſpectos, ſed tamquam perturbantes iuriſdictionem Officij S. Inquiſitionis. Ita Sanctarellus, qui citat Bonifacium de Vitalinis, & Zabarellam, quibus ego addo Duardum *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *quæſt.* 33. *numer.* 28. & Bariolam *in aphor. littera I. ver. Impeditores ſancti Officij.*

Sed ego contrariæ ſententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam in terminis tuetur Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 28. *numer.* 17. vbi ſic ait: Impedientes Officium S. Inquiſit. non in odium fidei, ſed propter alias cauſas, probabile eſt non dici fautores hæreticorum; oppoſitum tamen probabilius eſt. Sic ille. Sed ſupradictos eſſe mitiùs puniendos puto, vt dicemus *infrà* de fautoribus hæreticorum.

Verùm his omnibus ſuppoſitis, reſtat inquirere quo pacto impedientes Officium S. Inquiſit. debeant abiurare, & quibus pœnis puniendi ſint? Quoad abiurationem eſt magna difficultas, & ita magna vt Zanardus *in director. Theol. part.* 2. *pr.* 1. *c.* 5. §. 23. nihil de hoc voluit definire; tamen ego puto ſupradictos debere abiurare in genere impedimentum & fautoriam, pro qualitate ſuſpicionis, vt notat Souſa *in aphor. lib.* 1. *cap* 28. *numer.* 19. eo tamen modo, quo explicat Pegna *in direct. Inquiſ. p.* 2. *comment.* 79. *litt.* C. & Duardus *in Bull. Cœn lib.* 2. *can.* 1. *quæſt.* 33. *numer.* 34. Verùm Caſtrus Palaus *to.* 1. *tract.* 4 *diſp* 8 *punct.* 6. §. 7. *n.* 1. putat hanc abiurationem eſſe debere tantùm de leui, alias verò pœnas putat eſſe debere ſecundùm arbitrium Iudicis pro qualitate criminis, ſcilicet pecuniæ, triremis, fuſtigationis, & ſimilium, à quibus pœnis liberat qui tale delictum commiſerunt ex conſanguinitate, vel amicitia. Sed hoc ego non approbo, puto tamen ſupradictos eſſe mitiùs puniendos, & ideò *in l.* 2. *ff. de receptatorib.* receptans conſanguineum, non liberatur à pœnis, ſed mitiùs punitur.

Resol. XIV. *De non implentibus pœnitentias.*

EX tali delicto oriri non leuem ſuſpicionem de hæreſi, quaſi conuerſio antecedens fuerit ficta, concedunt omnes, & ideò contra tales rectè procedere poſſunt Inquiſitores, vt inter alios notat Simanca *in enchir. tit.* 61. *numer.* 7. Difficultas eſt, quibus pœnis ſubiiciantur? Zanchinus *de hæret. c.* 10. *numer.* 4. & *ibi* eius additionator Camillus Campegius *lit.* C. putant ſupradictos puniendos eſſe tamquam relapſos, & hoc etiam aſſeruit (quod nullus auctor, quem viderim, notauit) Ioan. Rojas *ſingul.* 122. *numer.* 3. vbi ſic ait: Dicitur relapſus & pœna relapſorum puniendus qui non adimplet pœnitentiam ſibi iniunctam per Inquiſitores. Sic ille. qui citat Calderinum & Squillantem, quibus tu adde Doctores, quos inuenies apud Menochium *lib.* 1. *conſ.* 82. *numer.* 102. Riminaldum *lib.* 2. *conſ.* 150. & vide etiam Burſatum *conſil.* 7. *n.* 34. & 32. cum Tretiſano *lib.* 2. *deciſ.* 36.

Sed, his non obſtantibus, negatiuam ſententiam tenendam eſſe docet Simanca *tit.* 47. *numer.* 77. & *tit.* 48. *numer.* 29. Iulius Clarus *lib.* 5. *ver. Hæreſis, numer.* 10. & eius additionator *lit.* F. vbi citat Riminaldum *loco citato* defendentem mulierem de pœna relapſi, cui Inquiſitores iniunxerant, ne de domo quam ſibi pro carcere præfixerant, exiret, & exiuit ſine licentia; & hanc opinionem tenent etiam duo viri doctiſſimi, Pegna & Canterus, hic *in qq. crimin. cap.* 1. *de hæret. numer.* 60. ille *in direct. Inquiſ. part.* 3. *comment.* 146. & idem etiam docuit Rojas ſibi contrarius *de hæret. part.* 2. *numer.* 235. & nouiſſimè Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 26. *numer.* 38. & alij. & hoc verum etiam eſſe puto, ſi reus promiſerit cum iuramento iniunctam pœnitentiam ſeruare ſub pœna relapſi, vt docet Hippolytus Riminaldus *dicto conſil.* 150. *n.* 6. 7. & 35. & Menochius *loc. cit.* & alij.

Dicendum eſt igitur, quòd eum qui pœnitentiam non adimpleuit, non tamquam relapſum, ſed tamquam impœnitentem condemnandum eſſe pœna arbitraria, vt ieiunij, fuſtigationis, vel dupliciter pœna ordinaria, ait Cantera *loco citato.* Hinc ait Souſa *in aphor. lib.* 3. *cap.* 29. *numer.* 5. quòd ſi damnatus ad carcerem perpetuum fugiat, etiamſi non ſponte veniat, ſed comprehenſus, reconciliandus eſt, ſed maiori pœnitentia profuga afficiendus, quidquid in contrarium aſſerat Burſatus *li.* 1. *conſ.* 7. *numer.* 4. Arelatanus *notab.* 6. Rojas *ſingul.* 23. *num.* 5. Vide Pacianum *conſ.* 19. *num.* 64. Zecchium *tom.* 1. *tit. de hæret. cap.* 11. *numer.* 18. & alios. & ego ſupradictos regulariter damnarem ad triremes per tres, vel quatuor annos.

Notandum eſt tamen, quòd hanc poſteriorem ſententiam aliqui limitant, niſi pœnitentia impoſita de directo contra hæreſim deteſtatam tendat, vt contra ipſam prædicare, cum hæreticis non conuerſari, &c. Nam in tali caſu putant, condemnandum eſſe reum tamquam relapſum. Ita Riminaldus *lib.* 2. *conſ.* 156. *numer.* 13. Menochius *lib.* 1. *conſ.* 82. *numer.* 107. Treuiſanus *lib.* 2. *deciſ.* 36. *numer.* 2. & alij. Verùm Iacobus Simanca *tit.* 47. *numer.* 77. putat etiam in tali caſu quòd non adimplens pœnitentiam non habetur pro relapſo, ſed condemnandum arbitrio Inquiſitorum denuò ad maiorem aliam pœnitentiam. Sed ego teneo opinionem affirmatiuam cum Riminaldo, & aliis, quibus adde Canteram *vbi ſuprà*, & Souſam *in aphor. Inquiſ. lib.* 3. *cap.* 29. *numer.* 9. Nam non facere ſupradictas pœnitentias, eſt ſignum vehemens à iure ſtatutum, approbationis erroris. Ergo contra Simancam, vt relapſus erit talis puniendus; & ita etiam hanc ſententiam tenet doctus Inquiſitor Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. ver. pœnitentia.*

Nota etiam hîc, quòd qui iniunctas pœnitentias non modò non adimplet, ſed animo obdurato adimplere recuſat, velut impœnitens eſt iudicandus; & ſi nolit reſipiſcere, tradendus eſt Curiæ ſæculari. Idem dicendum eſt ſi pœnitentiam impoſitam propter hæreſim probatam recipere renuit. Ita Pegna *part.3.comm.146.* Souſa *loc. cit. nu.7.* & alij. Vnde hîc infertur deciſio illius dubij, nempe quid facere debeant Inquiſitores contra nolentes abiurare? Reſpondeo, quòd abiurare recuſans habetur pro conuicto, & Curiæ ſæculari tradendus eſt, ex conſtit. Martini V. ſed tunc ſtatim Curiæ ſæculari tradendus eſt, quando aut confeſſus, aut conuictus, aut in hæreſi manifeſtè deprehenſus abiurare renuit; ſi autem non fuerit confeſſus, vel conuictus, tunc non ſtatim Curiæ ſæculari tradatur, ſed anteà excommunicabitur, & in excommunicatione ſi per annum ſteterit, tamquã hæreticus condemnabitur. & ita docet Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. ver. ſuſpicio, n.8.* Hippolytus Riminaldus *lib.4. conſ.395.n.64.* Eymericius *in director. Inquiſ. part.2. quæſt.55.* & *ibi* Pegna *comment. 80.* Delrius *in diſquiſ. mag. lib.5. ſect. 12.* & ideò Souſa *in aphor. lib.2.cap.40.n.16.* ſic ait: Refutans abiurare de leui, non ſtatim eſt Curiæ ſæculari tradendus, ſed priùs excommunicetur, & ſi per annum pertinaciter in excommunicatione perſiſtat, Curiæ ſæculari traditur. Sic ille.

Reſol. XV. *De frangentibus carceres, vel inde fugientibus dum eorum cauſa agitur.*

CArceratum pro hæreſi ſi fugiat, pro conuicto habendum, & tamquam hæreticum damnandum, tradidit Zanchinus *de hæret. cap. 10. numer.4.* &, quod magis mirum eſt, *ibi* Additionator Campegius, vir quidem doctus, *in addit. lit. B.* vide etiam Maſcardum *de probat. tom.2. concl.820.*

Sed meritò aduerſus Campegium ſurrexit Simanca *in annot. ad tr. Zanchini cap. 8. & in Cathol. inſtit. tit.16. numer.13.* Ioan. Rojas *de hæret. part.2. aſſer. 15.* Pegna *in direct. part.3. commen. 35.* & nouiſſimè Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.2.cap. 26. numer. 37.* & Ioſeph Aldrete *de diſciplina tuenda lib. 2. cap. 8. numer. 25.* Ratio eſt, quia in tali caſu præſumendum eſt reum fugiſſe carceris tædio, aut metu falſorum teſtium, vel ob timorem tormentorum, & non quia haberet errorem in intellectu; non debet tamen ob dictam fugam impunitus euadere, & ideò ait Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 2.cap. 26. numer. 32.* quòd arbitraria pœna debet puniri, ſed non deſcendit ad aliquod particulare, quod fecit Pegna *loc. cit.* vbi ſic aſſerit: Qui dum cuſtodiretur pro hæreſi, è carceribus effugit, conſuetudine potiùs, quàm lege aliqua receptum eſt, præſertim in Hiſpania, vt ſi honeſtior ſit is qui fugit, vt ſi Nobilis, Doctor, Religioſus, aut aliàs honorabilis ciuis, cuſtodiatur arctiùs, & duriùs puniatur; quòd ſi vilis ſit, publicè verberibus flagellandus, & cauſa hæreſis in ſuo ſtatu permanens tractatur, quamquam & aliis pœnis arbitrariis puniri poſſunt. In quo mitiùs eſt cum illis agendum, qui cuſtodis negligentia euaſerunt. Ita Pegna, & poſt illum Paramus *lib.3. quæſt.4. num.72. & ſeq.* & Seſſe *tom. 4. deciſ.471. numer.6.*

Notandum eſt tamen hîc cum Souſa *numer. 37.* Rojas *nu.185.* Pegna, & aliis quòd licet, vt dictum eſt, detentus in carcere pro crimine hæreſis, ſi aufugiat, neque pro confeſſo, neque pro conuicto habetur; tamen reſultat contra ipſum non ſolùm, vt ait Souſa, indicium ad torturam, ſed ſi non compareat ex tali indicio cum aliis adiuncto, poteſt citari ad comparendum, & ſi non compareat, poteſt condemnari. Vide etiam Seſſe *n.8.*

Reſol. XVI. *De falſis teſtibus.*

ESſe ſupradictos pœna talionis condemnandos, tenent viri doctiſſimi, vt Ioan. Rojas *de hæreſi part.2. num.156.* Antonius Gomez *in leg. Tauri 83. n.8.* Zechius *in ſum. tom.1. & de hæreſi c.11. num.14.* & alij, & patet ex conſtit. Leonis X. qua decretum eſt, teſtem falſum qui innocentem opprimere, tamquam hæreticum voluit, Curiæ ſæculari tradendum eſſe, & quidem vrget maior ratio in hoc crimine, quàm in aliis, vt pœna talionis imponatur, nam in hoc crimine nomina teſtium non publicantur, vnde datur maior anſa ferendi falſum teſtimonium.

Verùm, his non obſtantibus, regulariter contrarium ſeruatur in praxi, tam in Romana, quàm in Hiſpanica Inquiſitione. Vnde rectè Sanctarellus *de hæreſi cap.39. dub.3. numer.17.* aſſeruit, quòd in Tribunali S. Inquiſitionis falſi teſtes non puniuntur pœna talionis, & citat Farinacium, Zanchinum, Campegium, & alios: dixi *regulariter*, quia primam ſententiam admittit Souſa *in aphor. lib.2.cap.8. numer.26.* Caſtrus Palaus *in ſumm. tom. 1. tractat.4. diſp. 8. punct. 15. §.6. num.6.* & Simanca *tit.64. numer.90. & 91.* quando ex falſa teſtificatione, reus fuerit combuſtus; tunc enim putant falſum teſtem puniendum eſſe pœna talionis, & ſic practicatum fuiſſe in Inquiſitione Lagronenſi teſtatur, quod factum approbo, quia certè teneo illos Inquiſitores, vt moris eſt, conſuluiſſe ſupremum Inquiſitorem Hiſpaniæ; nam illo inconſulto hoc facere minimè Inquiſitores debent, & ideò Salzedus *in addit. ad pract. crimin. Diaz. cap.93. lit. B.* ſic ait: In Romana Curia ſupremus & Generalis Inquiſitionis Senatus, minimè conſueuit teſtes falſos ſæculari Curiæ tradere, ſed aliis pœnis eos punit; ex quo quando talis caſus euenerit, inferiores Inquiſitores inconſulto ſupremo Inquiſitionis Senatu, non debent teſtes falſidicos, qui grauiter nocuerint, Curiæ ſæculari puniendos relinquere. Itaque ſi teſtes falſi de vera & formali hæreſi contra aliquem depoſuerunt, qui vt hæreticus negatiuus combuſtus fuit, & eius bona fuerunt publicata, ſi Inquiſitores pro tam graui crimine exiſtimauerint ad condignam punitionem teſtes ſæculari Curiæ tradendos, oportet vt conſulant generalem Senatum Inquiſitionis; quia tam grauis pœna abſque expreſſa lege Canonica, prætextu cuiuſlibet opinionis huius, vel illius Doctoris facilè imponenda

nenda non eſt; quia decretum illud Leonis X. non eſt vbique receptum, nec voluit vt lex vniuerſalis obſeruetur; quòd ſi ipſi propria auctoritate eos punire decreuerint, pœna perpetui carceris, aut condemnatio ad triremes erit imponenda productis priùs tanti criminis reis in publicum ſpectaculum. Ita Salzedo.

Sed audiamus Souſam *in aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 8. numer. 27.* ſic aſſerentem: Teſtis falſus in crimine hæreſis grauiùs, quàm in aliis criminibus puniendus eſt; regulariter tamen Curiæ ſæculari non traditur, ſed producitur in publicum ſpectaculum ligatis manibus & pedibus, diſcooperto capite in camiſia, fuſtigatur, ad triremes mittitur, aliiſque pœnis plectitur, vt mitra infami, exilio, & carcere, etiam perpetuo. Hæc Souſa. Vnde Aloyſius Bariola *in aphor. lit. T. ver. Teſtes. §. 8.* aſſeruit, quòd ex inueterata conſuetudine teſtes falſi in S. Officio damnantur ad remum. Vide etiam Pegnam *in direct. Inquiſ. part. 3. commen. 122.* & Simancam *tit. 64. numer. 91.* de pœnis ſupradictorum differentes. Et nota, quòd in omnibus caſibus, ceu rei Curiæ ſæculari tradantur, ſiue aliis pœnis, vt *ſuprà*, plectantur, minimè abiurabunt, quia in his caſibus non cadit abiuratio. Sed quid ſi teſtis, pro defenſione inquiſiti falſum depoſuit coram Inquiſitoribus, negando hæreſim, quam ſibi conſtat commiſiſſe? Reſpondeo quòd in tali caſu teſtis falſus debet abiurare fautoriam pro qualitate ſuſpicionis, tamquam fautor hæreticorum, & vtplurimùm puniendus eſt pœna extraordinaria fuſtigationis, v. g. & triremium, vel vtraque ſimul. Ita Caſtrus Palaus *in ſum. tom. 1. tractat. 4. diſp. 8. punct. 15. §. 6. numer. 9. & 10.* & ante illum Simanca *tit. 64. numer. 90.* vbi ſic ait: Inquiſitores teſtem qui falſum teſtimonium dixit in probatione obiectorum, aduerſus alios teſtes, punire non debent pœna talionis, ſed extraordinaria aliqua coërtione, quemadmodum quibuſdam epiſtolis Senatus S. Inquiſitionis pleniùs continetur. Sic ille.

Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd filij & nepotes teſtis falſi in aliquo atrociori caſu forſitan combuſti, propter pœnam talionis, non eiſdem pœnis afficiuntur, quibus filij & nepotes hæreticorum, vt ex pluribus docet Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 27. n. 25.* & Simanca *loco citato nu. 92.* Souſa *n. 31.* & alij.

Reſtat modò diſcutere an Inquiſitores poſſint punire, & quibus pœnis eum, qui prece, minis, aut pretio teſtem corrupit, vt falsò in ſacro Tribunali contra aliquem deponeret? Reſpondeo quòd nemo, quem legerim, aduertit, Bertazolium virum doctiſſimum *vol. 1. conſil. 62. per totum*, docere Inquiſitores in hoc caſu non habere iuriſdictionem puniendi, mandantes & corrumpentes teſtes, vt falsò coram ipſis deponant, & contrarium aſſerere, ait ipſe, eſſe ab omni veritate alienum. Sed fallitur vir doctus. affirmatiuam ſententiam determinat Leo X. in Bulla edita *die 14. Decembr. anno 1518.* ibi, *aut alium ad falſum deponendum*, &c. & hanc ſententiam etiam docet Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib. 2. cap. 8. numer. 28.* Iacobus Simanca *tit. 64. numer. 96.* Pegna *in director. part. 3. comment. 122.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. in caſibus Placentiæ diſcuſſis, caſ. 5.* & alij communiter. Ratio eſt clara, quia plus delinquit is, qui teſti mandat, vel perſuadet vt falſum teſtimonium dicat, quàm teſtis ipſe, quia nocendi animum prior habet, & alium ad id facinus impellit. Quibus verò pœnis coërcendi ſint in tali caſu mandantes, & corrumpentes teſtes, vt falsò deponant, aſſero plectendos eſſe iiſdem pœnis, quibus ipſimet falſi teſtes plectuntur, & ideò Souſa *in aphoriſm. lib. 2. cap. 8. numer. 27.* poſtquam enumerauit pœnas imponendas falſis teſtibus, de quibus *ſuprà* dictum eſt, ſtatim *in numer. 28.* ita ſubiungit: Eadem digni ſunt pœna, qui teſtes pretio, aut minis corrumpunt, & qui hoc fieri mandant. Ita ille. & Simanca *loco citato* & ideò in Concilio Bituricenſi *cap. 26.* ſic habetur: *Et ſi fortè deierauerint, aut induxerint alios ad deierandum partem in ſuperiori parte duarum Crucum (quas portare habent in pectore & inter ſpatulas) brachium tranſuerſale vnius, vel circa.* Hæc ibi. in quibus verbis clarè apparet iiſdem pœnis plecti teſtes falſum deponentes, & inducentes eos ad falſum deponendum. Vnde in hoc ſacro Tribunali Regni Siciliæ damnauimus Regularem falſum teſtem, & qui alios ad teſtificandum falſum corruperat, damnauimus, inquam, ad triremes per decennium cum aliis pœnis, & reum innocentem, ſi vellet, diximus ducendum eſſe in publico ſpectaculo cum honore ferentem ramum palmæ in manu; vt factum eſt etiam olim, in Inquiſitione Conquenſi: complices verò ſupradicti rei, quia erant feminæ, damnauimus ad fuſtigationem & ad exilium per ſex annos, vt in caſu ſimili factum fuit in Inquiſitione Galletiæ. *Sin Embargo*, ait Inquiſitor San Vincente *in manuſcript. cap. 23. §. 3. que en las primeras audiencias, confieſſaſen qui en les hauia inducido.*

Reſol. XVII. *De Aſtrologis iudiciariis?*

Poſſe contra Aſtrologos iudiciarios Inquiſitores animaduertere, patet ex conſtit. Sixti V. & docet Peirinus *in priuil. Minim. tom. 2. conſtit. 9. Pauli V. §. 2. numer. 23.* Alphonſus de Leone *in tract. de offic. & poteſt. Confeſſ. part. 1. recollect. 22. numer. 15. cap. 30.* Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 48. numer. 15.* & Scortia *in Bull. Pontif. epit. 140. theor. 361.* quia eorum modus pronuntiandi futura eſt Reipublicæ valde periculoſus, & expoſitus multis ſuperſtitionibus, & præſumitur ex occulta ſocietate cum dæmone pendere, nec tales Aſtrologi excuſantur, licet proteſtentur ſe id non affirmare certò, id enim videntur facere ad fraudes tegendas & ſtatutas pœnas vitandas. Vnde non deſinam hîc apponere verba Leonardi Leſſij, viri doctiſſimi, *de iuſt. & iure lib. 2. c. 43. dub. 6. n. 42.* ſic aſſerentis: Si aliquid particulare prædicunt abſolutè, v. g. hunc tali morte, hoc tempore, vel loco periturum, hunc futurum Epiſcopum, furem, & ſimilia, grauiter peccant, & ſunt puniendi, etiamſi poſtea dicant ſe non certò affirmare voluiſſe, quia alioquin

omnes facilè ſe excuſarent, & contra Iudices defendetent. Secundò ſi prædicunt aliquid, maximè in particulari; cum circumſtantiis, quarum non poſſunt reddere rationem niſi ex regulis Aſtrologiæ iudiciariæ, v. g. quia hora natiuitatis erat talis cæli cataſtaſis, non ſunt excuſandi, etiamſi ſolùm dixerint eſſe probabile, aut veriſimile, quia cùm reuerà nihil tale ex aſtris colligi poſſit, omnis talis prædictio referenda eſt ad diſciplinam malignorum ſpirituum, & occultam eorum ſocietatem; & ſanè pernicioſum eſt putare regulas illas eſſe probabiles, cùm eadem ferè incommoda ſequantur, & ipſi Aſtrologi, quos Eccleſia damnat, ſæpè non plus dicant, fatentur enim ſuas prædictiones non eſſe ſemper certas, & poſſe interdum aliter euenire; nihilominus meritò reiiciuntur tamquam impoſtores, & occulta commercia cum diabolo habentes. Si verò ſolùm in genere pronuntient, ita vt probabilis ratio reddi poſſit ex ætate, diſpoſitione corporis, temperamento, conſuetudine vitæ, aut aëris affectione, quæ ex ſiderum concurſu, vel aſpectu proueniat, non ſunt condemnandi. Hæc omnia Leſſius, & alij communiter.

Quibus verò pœnis ſupradicti rei ſint plectendi, Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 48. numer.* 15. ſic ait: Aſtrologus iudiciarius de futuris contingentibus à libera hominum voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmans, etiamſi id non certò affirmare aſſerat, ab Inquiſitoribus puniri poteſt Canonicis pœnis, ac etiam aliis ſecundùm eorum arbitrium, ex conſtit. Sixti V. Vnde in Inquiſitione Hiſpanica quidam Clericus qui prædixit tempus, genus & modum mortis Regis Francorum, vt poſteà euenit, abiurauit de leui, ſuſpenſus fuit ab Ordinibus, & beneficiis priuatus, & à tota Hiſpania exulatus; & alius Clericus etiam eodem tempore abiurauit de leui, & fuit recluſus per annum in quodam Monaſterio, inflicta ei etiam pœna pecuniaria. Igitur ſupradicti ſi frequenter iudiciariam exercent, & maximè cum damno aliorum, merentur in actum publicum exire vbi abiurent de leui, & in exilium & pœnam pecuniariam condemnentur.

Non omittam tamen hîc adnotare quod Michaël Zanardus *in director. Inquiſit. part. 1. præc. 1. cap. 5. q. 16.* aſſerit, Aſtrologus iudiciarius, ſi tantùm affirmet ſe credidiſſe, poſſe aſtra nos inclinare, ſed non cogere, quamuis ſubdatur iudicio Inquiſitorum quoad inueſtigationem credulitatis, quia ex facto ſe reddidit ſuſpectum, non tamen debet abiurare, quia rem indifferentem geſſit. Ita ille. Sed in hoc DD. Inquiſitores accuratè animaduertant, nam cùm tales in Tribunali non torqueantur, interrogati ab Inquiſitoribus omnes equidem ad pœnas effugiendas reſponderent ſe non credere quòd aſtra cogere poſſint. Ideò in caſu contingenti remitto me arbitrio DD. Inquiſitorum. Nouiſſimè prodiit Bulla Vrbani VIII. quæ omnino videnda eſt.

Resol. XVIII. *De inſordeſcentibus per annum in excommunicatione.*

POſſe cum ſupradictis Inquiſitores procedere clarum eſt, quia tales ſunt de hæreſi ſuſpecti, vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 3.* & docet Rojas *ſingul. 60. num. 2.* Simanca *tit. 27. num. 4.* Fuſcus *de viſitat. lib. 1. cap. 29. num. 2.* Azeuedus *lib. 8. tit. 5. leg. 1. num. 213.* Sayrus *de cenſ. lib. 2. cap. 10. num. 10.* Gutierrez *in can. qq. lib. 1. cap. 12. num. 20.* & alij, quos citat & ſequitur Barboſa *in collect. Doct. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 15. num. 12.* & Sanctarellus *de hæreſi cap. 4. dub. 4. num. 4.* Vnde cùm ſupradicti cenſeantur malè ſentire de fide, ex poteſtate Eccleſiæ interrogandi ſunt quid ſentiant. Et hanc ſententiam veram etiam exiſtimat Caſtrus Palaus *in ſumm. tom. 1. tr. 4. diſp. 4. punct. 2. numer. 5.* cum Farinacio & Menochio, etiam quando dicti inſordeſcentes in excommunicatione fuerint excommunicati ex cauſa ciuili, quia contumacia vniformis eſt, imò maior videtur in cauſa ciuili, vtpote leuiori, & quæ regulariter minùs retardare poſſit excommunicatum à comparendo.

Sed ego contra Caſtrum contrariam ſententiam teneo cum Barboſa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 6. num. 6.* vbi ſic ait: Contumax in excommunicatione per annum inſordeſcens ſuſpectus habetur de hæreſi, beneficiiſque priuatur quando eſſet excommunicatus pro crimine, ſecus pro cauſa ciuili. Ita ille. Cui addo DD. quos affert Sanctarellus *tractat. de hæreſi cap. 4. dub. 4. num. 5.* & Sayrus *de cenſ. lib. 2. cap. 10. numer. 4.* Vide etiam Gonzalez *in regul. 8. Cancell. gloſſ. 15. numer. 106.* vbi aſſerit ita deciſum fuiſſe à Romana Rota *in vna Segobienſi inſordeſcentiæ 5. Iunij* 1598. coram Seraphino, vbi reiicitur Menochius & Salzedo, quos pro ſe Caſtrus citauit.

Verùm notandum eſt, quòd licet poſſint, vt dictum eſt, tamen ex conſuetudine Inquiſitores non ſolent procedere contra excommunicatos pro aliis delictis extra hæreſim, etiamſi inſorduerint in excommunicatione, & ita obſeruat Michaël Zanardus *in director. Theol. part. 2. præc. 1. cap. 5. §. 18. in fine.* Graffius *in deciſ. part. 1. lib. 4 cap. 14. numer. 4.* Sigiſmundus Scaccia *de iudiciis, &c. lib. 1. cap. 98. num. 36.* Zecchius *in ſum. tom. 1. tit. de fide c. 11. numer. 13.* Pegna *in direct. part. 2. comment. 72.* Acugna *de Confeſſ. ſollic. quæſt. 24. numer. 65.* & Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 27. numer. 6.* vbi ſic ait: Perſeuerans per annum in excommunicatione non ex cauſa fidei, non hæreticus reputatur, ſed ſolùm leuiter ſuſpectus; ex conſuetudine tamen Romana non procedunt Inquiſitores contra huiuſmodi excommunicatos. Ita ille. Non deſinam tamen hîc adnotare, Genuenſem *in praxi Archiepiſc. cap. 68. numer. 8.* aſſerere Inquiſitores contra inſordeſcentes per annum in excommunicatione, non in cauſis fidei, procedere & imponere pœnitentiam ſalutarem, & abiurationem de leui; ſed quidquid ſit de hoc, certum eſt in Inquiſitione Hiſpanica, Inquiſitores procedere tantùm contra inſordeſcentem in excommunicatione ex cauſa fidei, & ideò dico, quòd talis ſi citatus ad reſpondendum

de

de fide contumax erit, per annum in excommunicatione inſordeſcens, vt hæreticus non verus, ſed preſumptus condemnatur. Idem dicendum eſt de fautoribus, defenſoribus, & receptatoribus hæreticorum, ac quoquo modo Officium S. Inquiſit. impedientibus, & recuſantibus ſe purgare. Ita Souſa *in aphor. Inquiſ. lib* 1. *cap.* 27. *n.* 1. *&* 2. Pegna *in director. Inquiſ part.* 3. *comment.* 172. Vide textum clarum *in cap. cùm contumacia, de hær. in* 6. & ratio eſt, quia, vt ait Eymericius *in direct. part.* 3. *q.* 47. ſi quis ſuſpectus eſt leuiter de fide, & ob eam cauſam citatus vt reſpondeat, ſi intra terminum aſſignatum negligit reſpondere, illa leuis ſuſpicio tranſit in vehementem: ſi autem in illa negligentia per annum perſeuerat, ſuſpicio vehemens tranſit in violentam; ex *dicto cap. cùm contumacia.* ergo vt hæreticus erit condemnandus. Vide Scacciam *de iudic. &c. lib.* 1. *cap.* 98. *num.* 4. Menochium *de arbitrar. lib.* 2. *caſ.* 374. *num.* 10. Farinacium *de hæreſi q.* 192. *num.* 14. & alios penes ipſos.

Nota tamen quòd prædictus excommunicatus vt tamquam hæreticus condemnetur, ſi facilè capi non poteſt, debet ſpecificè citari ad reſpondendum de fide, & ad ſe purgandum de ſuſpicione ex inſordeſcentia orta; & quamuis citatio vna fortè ſufficiat in dicto caſu, tutius eſt vt triplex præmittatur. Annus verò debet eſſe continuus, & toto illo tempore cum poteſtate comparendi, & incipit à die declarationis, vel ſententiæ, vel notorietatis. Si tamen ante lapſum moriatur, non condemnatur vt hæreticus, neque eius bona confiſcantur, niſi ex teſtibus eſſet plenè conuictus. Ita Pegna & Souſa *loc. cit.* quibus adde Simancam *tit.* 14. *nu.* 4. & alios penes ipſos.

Resol. XIX. *De transferentibus arma, equos, &c. in terras infidelium.*

ADuerſus ſupradictos proceditur in noſtra Inquiſitione Hiſpanica. Vnde Cantera *in qq. crim. cap* 1. *de hæret. num.* 68. *in fine*, ſic aſſerit: Inquiſitores poſſunt cognoſcere & procedere contra deportantes arma & cibaria prohibita Sarracenis. Ita ille. & Bobadilla *in polit. tom.* 1. *lib* 2. *cap.* 17. *n.* 69 teſtatur, *que en los Reynos de Aragon procede el S. Officio de la Inquiſicion contra los tales.* Quoad pœnas verò; olim hæc facientes abiurabant de leui, modò tamen non eſt in vſu, ſed ſi vilis perſona eſt, fuſtibus cæditur, ſin minùs, exilio & pecunia, in ea quantitate, qua equi armaque valebant, & inſuper omnia illa confiſcantur; quòd ſi iam fuerint tranſmiſſa, pœna pecuniaria duplicatur. & quidam Religioſus ob hoc crimen ex Conſilio ſupremi Senatus Hiſpanici condemnatus fuit in ſexcentis ſcutis, & in annua in ſuo Conuentu recluſione, & ſuſpenſione interim ab officio. Hæc omnia Caſtrus *in ſumm. tom.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *punct.* 16. §. 10. quæ tamen anteà notauerat in ſuis manuſcriptis doctiſſimus Inquiſitor San Vincente.

Non deſinam tamen hîc obſeruare omnia ſupradicta ritè procedere, quia exiſtimantur tales delinquentes transferre arma & equos, &c. in terras infidelium & hæreticorum, lucrandi & negotiandi cauſa: ſecus autem ſi animo adiuuandi infideles & hæreticos in bello ad impugnandum Chriſtianos, hoc facerent. nam in tali caſu ex circumſtantiis delicti, & qualitate perſonarum tamquam fautores & defenſores hæreticorum, &c. poſſunt aduerſus tales, Inquiſitores procedere, & ſecundùm gradum ſuſpicionis illos torquere, & publicè abiurationem imponere, & in alias pœnas condemnare.

Resol. XX. *De Sodomitis.*

IN Regno Portugalliæ ex priuilegio Regis, & ex conſtit. Pij IV. & Gregor. XIII. Inquiſitores habent cognitionem nefandi criminis, vt notat Emanuel Moura *de incant. opuſc.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 1. *numer.* 16. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *alleg.* 40. *num.* 45. & Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 59. *numer.* 10. quod etiam ſeruatur in Regno Aragoniæ, Valentiæ, & Barcinone, ex Bull. Clem. VII. vt teſtatur Caſtrus Palaus *in ſumm. tom.* 1. *tractat.* 4 *diſp.* 8. *punct.* 12. *nu.* 11. Henriquez *lib* 13. *cap.* 24. *numer.* 2. *in gloſſa lit. P.* Narbona *in recopil. lib.* 4. *tit.* 1. *leg* 20. *gloſſ.* 8. *numer.* 3. Saïzedus *in addit. ad pract. crim. Bernardi. Diaz cap.* 86. & alij.

Notandum eſt verò quoad pœnas, quòd in tali caſu rei non abiurant, neque de leui, vt docet & teſtatur Emanuel de Moura *de incant. opuſc.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 1. *numer.* 16. Sed ſi fuerint conuicti, vel delictum fateantur, Curiæ ſæculari in actu publico relaxantur. Ita Caſtrus Palaus *vbi ſuprà*, & alij. Si verò delictum fuerit attentatum, & non conſummatum, flagellis cæduntur, ad triremes mittuntur. Nota tamen quòd ſi quis membrum poſuit intus anum, quamuis extrà ſemen effundat, probabile eſt eſſe puniendum pœna ordinaria ſodomiæ. Ita Ioſeph Seſſe *in deciſ. Regni Aragon. deciſ.* 475. *numer.* 5. *tom.* 4. Sed hoc Souſa *in aphor. lib.* 1. *cap.* 59. *num.* 63. non intelligit pro vno actu, ſed pro actibus huiuſmodi repetitis, quia quod deficit ad complementum actus ſodomitici, ſuppletur ex repetitione actuum in fraudem legis.

Non deſinam tamen hîc adnotare, Freytas *in nouis addit. ad tract. de Confeſſ. ſollic. q.* 24. *num.* 136. docere contra Mouram, non poſſe Inquiſitores relaxare ſodomitas Curiæ ſæculari, niſi ſint incorrigibiles. Sed quia hoc delictum non pertinet generaliter ad omnes Inquiſitores, ſatis eſt hæc dixiſſe; neque enim lædendæ ſunt pudicæ aures.

Resol. XXI. *De fautoribus, defenſoribus, receptatoribus hæreticorum, &c.*

COntra tales vt ſuſpectos de hæreſi procedere poſſe Inquiſitores, obſeruat Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 33. *n.* 4. & DD. communiter; ea verò quæ dicuntur de fautoribus hæreticorum, vt rectè notat Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 16. accommodanda ſunt defenſoribus & receptatoribus, ſicuti è contra.

Hoc ſuppoſito, quoad abiurationem ſupradictorum aſſero, quòd cùm incurrant ſuſpicionem leuem, vel vehementem pro qualitate circumſtantiarum, & indiciorum, prudentes Inquiſitores

quiſitores illas perpendendo, faciant illos de vehementi, vel de leui abiurare, vt eis videbitur. Et ideò Pegna *in direct. part. 2. comment. 76. lit. C.* ſic aſſerit: Receptatores hæreticorum abiurationis pœnitentiam patiuntur ob ſuſpicionem hæreſis, quam contraxerunt: an autem hæc abiuratio de leui tantùm, vel vehementi fieri debeat, qualitas perſonarum, & genus receptationis demonſtrabunt. Ita ille. qui autem verè fautores hæreticorum inueniuntur, abiurabunt de vehementi, & anteà torquendi ſunt. Quomodo verò in caſibus occurrentibus facienda ſit dicta abiuratio, docet Michaël Zanardus *in direct. Theol. part.3. cap. 134. fol. mihi 740.* vbi ait: Abiuratio fautoriæ dupliciter fieri poteſt. Primò in genere abiurando omnes hæreſes, & hoc quando fautor indiſcriminatim omnibus fauorem tulit. Secundò in ſingulari, quando is Caluiniſtis, v. g. & non Lutheranis fauit. Sic ille. Sed audiamus Pegnam *in direct. Inquiſ. part.2. comment. 79.* vbi ſic aſſerit: In aliquo caſu ſuſtineri poteſt abiuratio generalis, non expreſſis particularibus erroribus & hæreſibus, nam qui generaliter alicui fauendo, aut etiam nulli fauendo Officium Inquiſitionis impedit, in nullam ſpecificam & particularem hæreſim videtur conſentire, & propterea nullam in ſpecie poterit abiurare, ſed in genere dicet ſe deteſtari omnem hæreſim, cuius ſuſpicionem impediendo Inquiſitionis Officium contraxit. In hac tamen difficultate, quæ contemnenda non eſt, cùm frequenter accidere poſſit, hoc ampliùs cenſeo obſeruandum, vt inquiratur à reo qui impediuit Officium Inquiſitionis, vel alicui hæretico fauit, adhibitis etiam tormentis, ſi ita cauſa eius & conditio poſtulauerit, an cum eo habeat familiaritatem, & cur ei faueat; nam ſi auxilium exhibitum in fauorem perſonæ potiùs, quàm erroris tendere videatur, ſufficiet generalis abiuratio fautoriæ, vel impedimenti eo modo quo dictum eſt. Quòd ſi ſecus res habuerit, & aliqua alia concurrant, ex quibus oriatur ſuſpicio, eum, qui exhibet fauorem, eoſdem illos errores, quos profitetur ille, cui fauet; tunc præter generalem impedimenti & fautoriæ abiurationem, cogendus videtur ad particulares errores abiurandos. Hæc omnia Pegna doctè, vt ſemper ſolet, quem nouiſſimè ſequitur Duardus *in Bulla Cœn. lib.2. can.1. quæſt. 33. numer. 34.* Verùm quoad alias pœnas præter recenſitas à Pontifice *in cap. excommunicamus. §. credentes, de hæret.* quas non incurrunt, niſi per annum in excommunicatione notati inſorduerint, vt notat Palaus *vbi infrà, num. 2.* & præter illas, quas enumerat Sanctarellus *tract. de hæreſi. c. 11. dub. 1. nu. 20.* Farinacius *de hæreſi q. 182.* & alij penes ipſos; dicti fautores, receptatores, & defenſores poſſunt puniri arbitrio Inquiſitorum pœnis pecuniariis, exilio, fuſtigatione, triremibus, aliiſque corporalibus pœnis pro qualitate delicti, &, ſi opus fuerit, vſque ad confiſcationem bonorum. Ita Caſtrus Palaus *in ſum. tom. 1. tr. 4. diſp. 3. punct. 6. num. 4.* Sed hanc pœnam confiſcationis bonorum, contra fautores hæreticorum, non admittit Farinacius *de hæreſi q. 82. n. 55.* & Cantera *in qq. crim. c. 1. de hæret. n. 55. in fine.* Verùm ego illam admitto, ſtante conſtitutione Pij V. *Si de protegendis*, in qua clarè contra ſupradictos infligitur talis pœna.

Notandum eſt tamen hîc, titulum conſanguinitatis, vel amicitiæ ſtrictiſſimæ, non excuſare in totum fautores hæreticorum à ſupradictis pœnis, quæ latitudinem habent; ſed debent moderari pro maiori, vel minori ſanguinis coniunctione, & ita docent DD. quos citat Souſa *in Bull. Cœn. cap. 2. diſp. 10. numer. 4.* & ſequitur *numer. 6. in fine.* quibus adde Michaëlem Zanardum *in direct. Theol. part. 2. præc. 1. cap. 5. quæſt. 22. in fine.* Vnde Graſſius *in deciſ. part. 1. lib. 4. cap. 18. numer. 35.* ſic ait: Licet mitiùs puniantur conſanguinei, vxores, amici, fratres, patres, filij, & ſimiles perſonæ receptantes hæreticos ſibi coniunctos, non tamen excuſantur à tota pœna, & per conſequens non ſunt penitus immunes à delicto. Ita ille. & hoc patet ex *lib. 2. ff. de receptator.* vbi Iuriſconſultus loquens de receptatoribus latronum, ſic ait: Eos apud quos affinis, vel cognatus latro conſeruatus eſt, neque abſoluendos, neque ſeuerè admodum puniendos, non enim par eſt eorum delictum, & eorum qui nihil ad ſe pertinent latrones recipiunt. Et licet Repertor. Inquiſ. *in ver. receptatores, §. ſed tamen receptantes.* & Paulus Ghirlandus *tractat. de ſortil. quæſt. 9. numer. 2.* aſſerant legem iſtam locum non habere in receptantibus conſanguineos hæreticos, propter criminis immanitatem, & in hanc ſententiam videtur inclinare Gundiſſ. Villadiego *tractat. de hæret. quæſt. 16. in fine.* tamen contrarium tenet communis ſententia DD. quos affert & ſequitur Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. quæſt. 29. numer. 11.* & Pegna *in direct. Inquiſ. part. 2. comm. 81. lit. B.* vbi optimè obſeruat in caſibus occurrentibus conſanguineorum, ſeu coniunctorum rationem habendam eſſe; nam filius receptans patrem, vxor virum, frater fratrem, leuiùs puniendi ſunt, quàm ſi remotiores, ſiue alios, non vſque adeò coniunctos receptaſſent, aut defendiſſent. Vnde reiicitur opinio Simancæ *tit. 15. numer. 20.* aſſerentis filium, vxorem, & fratrem, receptantes patrem, maritum & fratrem hæreticum, non eſſe puniendos. nam, vt benè obſeruat Pegna & alij, ſunt equidem ſupradicti leuiùs puniendi, quàm alij coniuncti, non tamen ſunt immunes omnino à pœna; quæ omnia ſupradicta procedunt, etiam in caſu dubio, videlicet an fauens hæretico conſanguineo, vel affini, fauorem præſtiterit ob ſanguinis coniunctionem, vel ob crimen hæreſis; nam præſumptio facienda eſt excuſans à culpa. Ita Caſtrus Palaus *tom. 1. tractat. 4. diſput. 3. punct. 5. numer. 13.* qui citat Simancam & Graſſium *loco citato* Fautores igitur hæreticorum, non vt hæretici ſunt, ſed quia affines, amici, &c. maximè ſi ſint bonæ vitæ, ad ſummum abiurant de leui, & puniuntur leuiter exilio, vel mulcta pecuniaria. Ex his infertur ſolutio illius quæſtionis, an qui fauet, recipit conſanguineos, affines hæreticos, incidat in pœnam excommunicationis latam in Bull. Cœn. contra fautores & receptatores hæreticorum? affirmatiuè reſpondet Suarez *de fide diſput. 24. ſect. 1. numer. 9.* Souſa *in Bull. Cœn cap. 2. diſp. 10. numer. 5.* Layman *lib. 2. tractat. 1. cap. 14. num. 5.* Sanctarellus

rellus *de hæresi c.12.dub.vn.n.3.* & alij penes ipsos.

Verùm ego negatiuæ sententiæ tamquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Lorca *in 2.2. D. Thom.quæst.11.art.4.disp.* 48.*num.* 6. Peirinus *in priuil. Minim.tom.2.constit.9.Pauli V.* §.2. *num.*7.Scortia *in Bull.Pontif.epit.9.theor.*27.Megala *in 3.part.lib.3. cap.* 1.*q.*2.*num.*27.Duardus *in Bull.Cœn.lib.*2 *can.* 1.*q.* 29. *&* *q.*31.*num.* 21.Azorius *tom.1.lib.8.cap.*15.*q.* 4. Sanchez *in summ tom.1.lib.1.cap.*10 *num.* 5. & alij penes ipsos.Ratio est, quia ad incurrendam fautoriam, requiritur intentio formalis fauendi hæretico,quia hæreticus est, vt colligitur ex *cap.accusatus* §. *Sacerdotes, de hæret.in* 6. ibi, *cùm non sit dubium eos ipsa facere in fauorem hæreticæ prauitatis.*

Sed in fine huius resolutionis restat inquirere, an fautores hæreticorum subiiciantur supradictis pœnis, licet effectus fautoriæ secutus non fuerit. Vt si,v.g. quis hæreticum domi recepit vt illum ab Inquisitoribus liberaret,at non potuit, quia delinquentem ibi Inquisitores inuenerunt. Item quis dedit pecuniam hæretico vt fugeret ne caperetur à ministris Inquisitorum,& hoc non obstante captus est.Quæritur,an in his & similibus casibus quis dicatur fautor hæreticorum, & in pœnas contra eos latas incurrat. Negatiuam sententiam tenet Sanchez *in summ.tom.1.lib.2.cap.*10.*nu.*9. & nouissimè Bonacina *tom.3.in Bull.Cœn.disp.*1. *q* 2.*punct.*3.*n.*3. qui malè, vt sæpè facere solet,citat pro se Suarez & Filliucium. Ratio est, quia mandans percuti Clericum, non incurrit in excommunicationem, non secuta percussione.ergo, &c. Secundò, quia quando aliquis effectus prohibetur sub excommunicatione, & minùs principaliter prohibetur mandatum,vel consilium, vel fauor, non incurritur excommunicatio ab eo,qui mandauit,vel consuluit, &c. nisi secutò effectu. Tertiò fauor prohibetur hæreticis ne in hæresi foueantur.sed qui non obtinuit effectum fauoris, non fauet hæretico in sua hæresi,etiamsi intenderit fauere. ergo non erit puniendus vt fautor.

At his non obstantibus, affirmatiuam sententiam tamquam probabiliorem teneo, quam tenet Suarez *de fide disp.*24 *sect.*1.*num.*14. Sayrus & Graffius, quos citat & sequitur Castrus Palaus *tom.*1. *tract.*4.*disp.*3.*punct.*5.*num.*11. quibus ego addo Megalam *in* 3.*part.lib.*3.*c.*1.*q.*2.28.& Duardum *in Bull. Cœn.lib.*2.*can.*1.*q.*31. *num.*2. Et probatur primò, quia opinio contraria applicata casibus particularibus, videtur incredibilis,& contra praxim, vt obseruat Suarez, nam qui non denuntiat hæreticum cùm tenetur, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit, etiamsi alter denuntiet, & consequenter prior non consequitur effectum; & idem est de illo,qui per testimonium falsum,hæreticum procurauit liberare, & non potuit, quia per alios testes conuictus est. Probatur secundò,quia fauor hæretico prohibetur, non vt hæresis committatur, sed ne hæresis commissa firmitatem habeat; sed hic effectus semper obtinetur quoties auxilium in fauorem hæresis præstatur, saltem pro illo tempore, quo auxilium exhibetur, etiamsi auxilium posteà impediatur.ergo,&c.

Restat modò respondere ad argumenta Sanchez. Dico igitur ad primum cùm Suarez, quòd procedit, quando mandatum ordinatur ad executionem eiusdem delicti, v.g. homicidij; in nostro autem casu non est ita, nam fauor per se non ordinatur vt alter committat hæresim; imò illam supponit, sed ad tuitionem hominis hæretici ordinatur, & ideò hoc delictum in suo genere est consummatum, quamuis effectus non sequatur. Ad secundum respondeo cum Duardo & Sayro *de cens.lib.3.c.5.nu.*4. quòd æquè principaliter excommunicantur in Bulla Cœnæ & aliis iuribus hæretici,ac eorum receptatores & fautores in detestationem hæresis. Vnde non rectè adducitur doctrina in argumento contrario adducta. Ad tertium iam patet responsio ex secunda ratione superiùs adducta pro nostra sententia.

Et tandem discutiendum est hîc, an non reuelantes hæreticos puniendi sint tamquam fautores? Affirmatiuè videtur respondendum ex Deciano *lib.*5 *c.*51.*n.*25.& Pegna *in direct.part.*2 *comm.*78.quia supradictos vt fautores hæreticorum, esse de hæresi vehementer suspectos; docet Alphonsus de Castro *de iust.hæret.punit.lib.*2.*c.*23. Verùm personas nobiles esse tantùm de hæresi leuiter suspectas, docet Michaël Zanardus *in direct.Theolog.part.*3 *cap.* 134.*fol.mihi* 741.

At his minimè suffragantibus, Antonius Sanctarellus *de hæresi cap.*9.*dub.vn.n.*19.& Suarez *de fide disput.*20.*sect.*4.*num.*28.qui citat Simancam,docent supradictam sententiam non esse veram, nisi aliæ adsint circumstantiæ; vnde infert, supradictos non esse puniendos pœnis latis contra fautores hæreticorum, sed aliis pœnis ad arbitrium DD.Inquisitorum, tamquam inobedientes eorum mandatis,& ideò nisi adsint,vt dictum est,aliæ circumstantiæ,puto supradictos neque de hæresi suspectos esse,vt præter Sanctarellum & Suarez docet Ioan. Rojas *singul.*3.*num.*18. vbi sic ait: Qui non denuntiat, vel reuelat Inquisitori hæreticum, reputatur suspectus vehementer de hæresi secundùm Alphonsum de Castro.quę sanè conclusio maximum rigorem in se continet. Sed in hoc casu, meo iudicio,sustineri potest, si vltra scientiam & taciturnitatem prædictam cum hæretico conuersatur, & ei est nimis familiaris & amicus, & tunc contra non denuntiantem violenta oritur præsumptio. Ita Rojas. Vnde ex his à fortiori apparet, vt optimè notat Sanctarellus, falsam esse opinionem Pegnæ *in direct.par.*3.*comm.*160. asserentis vxorem non denuntiantem maritum hæreticum, esse de hæresi suspectam.

Verùm hæc opinio limitanda est in personis quæ ex officio, vel ex speciali præcepto tenentur denuntiare,vt familiares, fiscus, testis non deponens contra hæreticum cùm iustè ab Inquisitoribus interrogatur, &c. Vnde supradictæ personæ non denuntiantes hæreticos,sunt de hæresi suspectæ,& tamquam hæreticorum fautores puniendę. & ita docet Sousa *in Bull Cœn.c.*2. *disp.* 11.*num.*6. *& seq.* Megala *in* 3.*part. lib.*3. *cap* 1.*q.*2. *num.*31. Suarez *de fide,disp.*24.*sect.*1.*num.*6. Sanchez *in sum.tom.*1.*l.*2. *cap.*10.*n.*15.& alij penes ipsos. Vide etiam Sesse *to.* 4.*decis.*474.*num.*17.

Nota

Nota tamen quòd Castrus Palaus *tom.1. tractat. 4.disp.3.punct.5.num.7.* aduertit multos Doctores à fautoria hæresis liberare, quando solùm ex speciali præcepto, & non ratione officij, tenetur quis præstare fauorem, eò quòd non videatur aduersus iustitiam, sed solùm aduersus fidem peccare in omittendo talem fauorem,& ita non esse fautores hæreticorum singulares personas quibus ex officio non incumbit fauere,& hæresim extirpare, docet Farinacius,*de hæresi.q.*182.§.2. *num.*36. Tamen hanc sententiam contra Farinacium & alios puto reiiciendam esse. Vnde Sousa *in aphor. Inquis.lib.1.c.*25. *n.*6.7.& 8.sic ait:Personæ priuatæ si à ministris requirantur ad fauorem præstandum contra hæreticos, & cùm possint auxilium præstare omittunt, fautores hæreticorum sunt. Et qui testimonium contra hæreticos ferre nolunt, aut veritatem celant,vel diminutè manifestant, cùm ad veritatem dicendam ab Inquisitoribus adstringantur,fautores etiam dicuntur.Hæc Sousa *loc.cit.*

Resol. XXII. *De reuocantibus confessiones.*

MIram rem docet insignis Inquisitor Didacus Cantera *in qq. crim. cap.* 1. *de hæret. numer.* 70. nempe, eum qui ex interuallo confessus est, non esse tradendum Curiæ sæculari, si confessionem suam reuocauit, licet de errore non doceat; quia negari non potest, quando per hanc reuocationem aliquid diminuatur de fide confessionis, nisi saltem constaret ex coniecturis, quòd Confessio fuerit reuocata ex malitia. Vnde Iacobus Simanca *tit.*13.*n.*14. sic ait:In iudicio S.Inquisit.quocumque tempore & modo reus confessionem reuocet, quamuis nec afferat causam probabilem, nec satis idoneam, admittitur tamen eius reuocatio & siue pro eo,siue contra eum, extremæ confessioni statur:hæc enim est, quæ efficit vt reus pœnitens, siue impœnitens videatur, & hoc iure vtimur. Ita Siman.

Sed si hæc opinio esset vera, & sequenda, haberent hæretici securum iter ad effugiendam pœnam debitam, reuocando sic suam confessionem. & ideò Treuisanus *lib.* 2. *decis.* 31. rectè vocauit impœnitentem illum, qui confessione iam facta illam reuocat, non docto de errore; vnde in tali casu semper præsumitur dolus, & malitia in reo, & sic euadit pœnas debitas. Igitur contra Canteram dicendum est, reum reuocantem suam confessionem, etiam ante reconciliationem, & non probantem errorem & causam, quare errauit, tradendum esse Curiæ sæculari. & hanc sententiam præter Ioan. Rojas *de hæret. part.* 2. *assert.* 25.*numer.* 265. tenet etiam Ioseph Sesse *tom.* 4. *decis.* 472.*num.*7.Antonius Sousa *in aphor. Inquisit.lib.* 2.*c.* 48.*numer.*22. vbi sic asserit: Impœnitens, & negatiuus censetur, qui hæresim confessus, factam confessionem ante adimpletam pœnitentiam reuocat, non probans causam talis reuocationis, & nisi resipiscat, tradendus est Curiæ sæculari. Ita ille. Vide etiam Farinacium *de hæresi quæst.*188. *numer.* 75. Verùm non est negandum,quòd si confessio incontinenti in præsentia Iudicis fuerit reuocata, non nocebit confitenti, etiam non probato errore, quia lapsu linguæ & propter errorem præsumitur facta, & incontinenti dicitur reuocatio facta, si reus esset adhuc in præsentia Iudicis;vt notat gloss. *in ver.incontinenti,cap.pratereà, de testibus.* Secus autem intra triduum, vt aliqui voluerunt. Vide DD.citatos.

His tamen non obstantibus,in vno casu opinionem Canteræ libenter admitterem, nempe quando reus reuocat aliqua non plenè contra illum probata ad excusandos complices affines,amicos, &c.& etiamsi sint plenè probata, dummodo confessus sit & confiteatur aduersus se hæresim consummaram, & alia de quibus non erat testificatus, in hoc enim casu rarò relaxandus erit, quod est valdè notandum pro hæreticis diminutis. & ita docet Inquisitor San Vincente *in manuscript.c.*5.*n.*3. *& c.*2.§.6. & ratio est,quia reus in his casibus præsumitur illas res reuocare, vel celare ex metu, vel alia de causa,& non ex malitia; cùm iam aduersus se testificatus sit in re tam graui, vt est hæresis formalis,&c.

Notandum est etiam hîc obiter, quòd qui de hæresi factam confessionem reuocat, post adimpletam pœnitentiam vt temerarius puniendus est Inquisitotis arbitrio, & nonnumquam fustibus castigari debet, addita comminatione grauioris pœnæ, si deinceps in eamdem temeritatem inciderit; intellige dummodo in reuocatione non persistat, nam si persistat, tradendus est vt impœnitens. Ita Sousa *in aphor. Inquis. lib.*1. *cap.* 48. *num.*23.

Sed quia dictum est de reis reuocantibus suam confessionem, non iniucundum erit, incidenter hîc aliquid dicere de testibus reuocantibus suam testificationem. Dico igitur, quòd licet in aliis causis magis stetur primo dicto testis, quàm secundo, vt inter alios docet Decius *consil.* 174.*numer.*7.at in causis fidei speciale est, vt stetur posteriori dicto testium, quando verisimilius est ex coniecturis posteriora dicta esse veriora, & apparuerit testes non animi leuitate, aut odij fomite, seu corruptione pecuniæ, sed zelo fidei dicta sua velle corrigere. & ita docet Couarr. *lib.* 2. *var. cap.*13.*num.*9.Paris.*lib.*4.*consil.*2.*num.*78. Zanchinus *de hæret.c.*14.*num.*5.Direct.Inquis.*part.*3. *quæst.*65. & *ibi* Pegna *comment.*114. Gundissaluus *de hæret.qu.*13. *numer.*12. & alij, quæ doctrina vera est, non solùm quando testes deponunt contra se,& contra complices suos, sed etiam quando deponunt contra alios.& ideò Arelatanus *de hæret.notab.*13.sic asserit: Si testis dixerit vnum in iudicio,& posteà ex interuallo dixerit aliud in eodem iudicio, statur primo dicto, & non secundo. In crimine tamen hæresis, speciale est fidei fauore, vt stetur vltimo dicto:vnde quamuis testis primo dixerit aliquem esse innocentem,si posteà dicat eum hæreticum, statur vltimo dicto, quamuis vtrumque fuerit iudiciale. Ita ille.

Sed difficultas est, an Inquisitores debeant stare secundo dicto, etiamsi testiis neget hæresim in primo dicto confessam; ego vt verùm fatear, mihi non displicet opinio affirmatiua Simancæ

tit.

tit.64.n.59.& seq.& M.Antonij Delrij *in disquis.mag. lib.5.sect.5.* quia in iudicio seruanda est æqualitas, neque in tam graui crimine fauorabilior esse debet detectio hæresis, quàm liberatio innocentis. dummodo constet reuocationem primi dicti factam esse non leuitate, odio, aut pretio, sed zelo Catholicæ fidei,adducta etiam probabili causa reuocationis,& correctionis.

Verùm,his non obstantibus,quia contraria sententia est communis, ideò ab ea non recedo cum DD.citatis, quibus addo Sanctarellum *tract.de hæresi,c.38.dub.vnic.n.12.* & Barbosam *in collect. tom.3. lib.5.tit.2.c.8. n.17.* Dico igitur, quòd Inquisitores stare debent secundo dicto, cùm in secundo dicto testis hæresim & delictum detegit, non verò si illud neget; cùm tamen in priori dicto hæresim & delictum manifestauerit, nam in tali casu priori,& non posteriori delicto erit fides habenda,quæ omnia probantur *in cap.accusatus,§.licet,* ibi,*contra se & alios complices deponendo iunctis verbis præcedentibus tam de se,quàm de aliis super facto hæresis,*&c.Vnde Treuisanus *lib.2.decis.39.n.13.* asseruit quòd in causis fidei sancitum est inter duo dicta iurata standum esse dicto,quod fidei fauorem concernit.

RESOL. XXIII. *De Dogmatistis & hæresiarchis.*

HOs non esse tradendos Curiæ sæculari,si signa pœnitentiæ præbeant, tradit Cantera *in quæst. crimin.c.1.de hær.n.70.*Pegna *in direct.Inquis.p.2.comment.64.* & alij, ex *cap.ad abolendam.de hæret.* & ex *cap.Berengarius,de consecrat.dist.2.*

Verùm affirmatiuam sententiam tuetur Rojas *de hæret.part.2.n.339.* Simanca *tit.47. num.50.& seq.* Suarez *de fide disp.23.sect.2. n.10.* vbi hanc opinionem probat ex multis rationibus, & in hanc inclinat Lorca *in 2.2.quæst.11. art.4. disp.47.mem.5.num.7.* licet *in fine* asserat,quandoque conueniens esse supradictis pœnam mortis indulgere, & ideò hoc prudenti iudicio remittendum esse putat. Sousa tamen *in aphor.Inquis.lib.1.cap.9.n.14.* distinguit,sic enim ait: Si Dogmatista errorem suum postquam ab Inquisitoribus apprehenditur,defendat,quamuis postea conuertatur, non est recipiendus ad reconciliationem. Si tamen statim conuertatur, & veræ conuersionis ferè euidentia signa ostenderit, recipi potest. Sic ille. Sint ergo DD. Inquisitores multùm cauti ad hanc reconciliationem concedendam,non est enim facilè credendum ex abysso impietatis quem repentè velle discedere.Vnde supradictis maiores pœnitentias iniungant, & præcipuè carceris irremissibilis, &c. & me consulente numquam tales ad reconciliationem admittant,si signa pœnitentiæ ostendant, quando iamiam Curiæ sæculari tradendi sunt; vel si de Regibus & de Principibus, ac eorum filiis persuaserunt errores, vel persuadere conati sunt.An verò in pœnam supradictis sit deneganda Eucharistia, affirmat Couarr.*lib.2 variar.cap.1.n.11.* & Cantera *in qq.crimin. cap.1.de hæret. num.13.* & alicubi est *in praxi.* Verùm ista praxis & talis opinio mihi displicet,vnde puto non esse denegandum sacramentum Eucharistiæ dogmatizantibus, vel hæresiarchis, si verè pœnitentes sint,& ita docet Barbosa *in collect.tom.3.lib.5. tit.2.cap.5.n.5.*Sanctarellus *tract.de hæresi,c.42.dub.vn. n.17.* Simanca *tit.63.num.7.* Suarez *de fide disput.23. sect.2.n.12.* & Sousa *in aphorism. Inquis.lib.1. cap.10. num.18.*& colligitur ex *cap.super eo,de hæret.in 6.*nam licet de relapsis in particulari loquatur, tamen ex identitate rationis ad omnes verè pœnitentes extenditur.

RESOL. XXIV. *De hæreticis pœnitentibus.*

ABiuratio horum est de formali,quoad alias verò pœnas audiamus dictum Io.Rojas *de hæret. part.2.n.197. & seq.* vbi sic ait: Quamuis in omni iudicij parte hæreticorum conuersio, & eorum confessio sit admittenda;tamen qui in limine iudicij ante accusationem confitetur,ad carcerem temporalem cum habitu pœnitentiali pro breui tempore est condemnandus; si verò post accusationem, augenda erit pœna & pœnitentia; qui verò post publicationem testium hæreses confitetur, ad perpetuum carcerem damnandus est, quia præsumitur,quòd metu probationum confitetur, & talis conuersio non caret suspicione, & in omnibus casibus supradictis bona publicantur. Ita ille. & Inquisitor San Vincente *in manuscr. cap.2.§.14.* sic ait: *Si el Reo confessò antes de la publicacion se le da dos años,ò vno de carcel y aun menos si confiessa en las primeras audiencias.* & loquitur de hæretico formali. Vide etiam Simancam *in enchir. tit.58.n.7. & in Instit. Cathol.tit.47.num.29.& seq.* Pegnam *in direct.part.3. commen.142.*& alios penes ipsos, & *in cap.excommunicamus el 2. de hæret.* sic habetur: Si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi,redire voluerint ad agendam pœnitentiam,in perpetuo carcere damnentur. & *ibi* glossa cum Abbate, Butrio & aliis communiter,& hanc pœnam perpetui carceris obseruatam fuisse Cremonæ cum quodam hæretico pœnitente, testatur Bossius *tit. de hæret. num.18.* & sic etiam determinat Instructio Toletana *anno* 1565. *cap.41.* Non nego tamen hunc perpetuum carcerem Inquisitores ex iusta causa mitigare, & solùm ad tempus imponere posse, vt ex multis DD.obseruat Castrus Palaus *to.1.tract.4. disp.6.punct.1.n.2.* Imò ego obseruo hanc pœnam perpetui carceris ex stylo Inquisit.Rom.in pœnam remi triennalis transisse, vt testatur ex Farinacio Aloysius Bariola *in aphorism. litt.H. ver. hæretici nec sponte comparentes,* sed decepti sunt; verùm hoc obseruari in Inquisitione Hispanica testatur Ioannes Rojas Inquisitor Valentinus *vbi supr.part.2.de hæret. num.203.* vbi sic asserit: Hodie verò loco carceris perpetui, hæretici ad triremes condemnantur, dummodo debiles,& senes non sint,& huiusmodi condemnatio fit nõ ad minus,quàm ad triennium. Ita ille. Sed ego inuenio apud Vmbertum Locatum *in casib. Inquisitionis decisis Placentiæ cas.3.* quemdam hæreticum pœnitentem damnatum fuisse ad triremes per quinquennium, vnde puto hoc remittendum esse arbitrio Inquisitorum. Cùm igitur DD. Inquisitores hanc pœnam perpetui carceris ante latam sententiam possint mitigare, & ad tempus imponere, aut in alias extraordinarias pœnas conuertere, vt patet *in instruct. Hispal.ann.1484. §.11. & in cap.vt commissi,de hæret. in 6.* ibi,*& illorum*

qui veſtris mandatis, &c. iuncta gloſſ. & *ibid.* Canoniſtæ cum Iulio Claro *lib.* 5. §. *hæreſis, numer.* 8. Ideò in noſtra Inquiſitione cum Nobilibus, vel aliis ſibi benè viſis perſonis, qui ad triremes damnari non poſſunt, nec debent; penſatis eorum qualitatibus, circumſtantiis delicti, &c. pœnam carceris cum exilio, deportatione, detruſione in aliquo Monaſterio, vel alia pœna ad tempus commutabunt. Vnde Decianus *lib.* 5. *cap.* 54. *numer.* 45. agens de hæreticis pœnitentibus, ſic ait: Pœnitentiæ qualitas & quantitas arbitrio Iudicis eſt relinquenda, cùm maiori pœna digni ſint prudentes, quàm ſimplices, & maiori clerici, quàm laici, & maiori Prælati, quàm ſubditi, quod anteà docuerat Pegna *in direct. part.* 3. *commen.* 142. & Campegius *in addit. ad Zanchinum de hæret. c.* 41. cum Bariola *vbi ſup.* Aduerte tamen cum Rojas *p.* 2. *de hæret. num.* 318. puberes hæreticos pœnitentes reconciliandos eſſe, ſed in pœnis, de quibus dictum eſt, ætati ſubueniendum eſſe. Dixi *ante latam ſententiam*, quia poſtquam reus eſt condemnatus in Inquiſitione Hiſpanica, ex priuilegio commutatio, ſeu relaxatio pœnæ ſpectat ad ſumm. Inquiſitorem. Vide Rojas *ſing.* 115. *numer.* 5. Pegna *part.* 3. *comm.* 108. & Simanca *titul.* 16. *num.* 20.

Notandum eſt tamen hîc cum Sanctarello *de hæreſi cap.* 42. *dub. vn. numer.* 5. Scortia *in Bull. Pontif. epit.* 10. *theor.* 36. Genuenſe *in praxi Archiep. cap.* 58. *nu.* 7. Zanardo *in direct. Theol. part.* 1. *præc.* 1. *cap.* 5. *quæſ.* 11. Naldo *in ſum. ver. hæreſis, n.* 7. & aliis ex Bulla Clem. VIII. *die* 3. *Febr. anno* 1603. quòd in aliquibus caſibus etiam veri pœnitentes non reconciliantur. Primus eſt, Miſſas celebrantes non Preſbyteri. Secundus, non Presbyteri confeſſiones audientes. Tertius, negantes Trinitatem perſonarũ in diuinis. Quartus, negantes diuinitatem Chriſti Domini. Quintus, negantes Chriſtum conceptum de Spiritu ſancto. Sextus, negantes Chriſti mortem, vt nos redimeret. Septimus, negantes B. Mariæ virginitatem. Octauus, Magiſtratus, ſeu Domini Eccleſiaſtici, vel temporales ſchiſmatici, aut hæretici, ſeu hæreſim, aut ſchiſma excitantes. Sed de primo & ſecundo caſu ſuperiùs diximus, & omnes non eſſe receptos in Inquiſitione Luſitana, teſtatur Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 49. *n.* 6.

Sed reſtat hîc inquirere, an hæretici ſi pœniteant in ipſo tabulato, tradendi ſint Curiæ ſæculari? Ad hunc caſum ita reſpondet Inſtructio Toletana *anno* 1561. *num.* 64. *Muchas vezes los Inquiſidores ſacan al tablado reos, que por eſtar negatiuos ſe determinan relaxarlos, y porque nel tablado antes de la ſentencia ſe conuierten, y dizen ſus culpas los reciben à reconciliacion, y ſobreſeen la determinacion de ſus cauſas, y parece coſa muy peligroſa, y que ſe deue ſoſpechar lo hagan mas por temor de la muerte que con verdadero arrepentimiento, parece que ſe deba hazer pocas vezes, y con muy particulares conſideraciones.* Et ad ornatum ſupradictorum verborum videndus eſt Rojas *de hæret. part.* 2. *num.* 193. *& ſeq.* cum Pegna *in direct. part.* 3. *comment.* 175. vbi ſic ait: Plurimùm conſiderandum eſt, qualiter recipi debeant hi, qui in tabulato, aut, in Eccleſia in publicam fidei actionem ſunt producti, conuertuntur, qui potiùs metu inſtantis mortis, quàm amore veræ pœnitentiæ conuerti videntur; quamobrem cum negatiuis hæc rarò fieri debere, & non niſi cum exquiſitiſſimis conſiderationibus, nollem certè vnquam in hoc ſacro Tribunali miſericordiam excludere; verumtamen vbi malitiam perfidorum huiuſmodi contemplor, auderem dicere iuſtiſſimè fieri ſi locus miſericordiæ pateret reis donec à carceribus Inquiſitorum educerentur, & poſteà nullo modo audirentur; præſertim cùm tantum, & tamdiu laboratum ſit in eorum conuerſione, quia tamen nondum damnationis ſententia eſt promulgata, ideò in hoc crimine vſque ad id tempus locus eſt pœnitentiæ, & propterea ſententia prior tutior eſt, ſed altera fortaſſe iuſtior, ſpectata perfidorum iniquitate, & ſera pœnitentia. Hæc omnia Pegna. Itaque ſi in aliquo caſu Inquiſitores viderint ſpecialiſſima conuerſionis ſigna, poterunt reum ad reconciliationem admittere, quia id videtur pietati & miſericordiæ Eccleſiæ conuenire. Vide Decianum *lib.* 5. *c.* 39. *n.* 3. Farinacium *quæſt.* 193. *num.* 60. Rojas *vbi ſuprà*, & alios penes ipſos.

Non deſinam etiam adnotare id quod obſeruat Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 8. vbi ſic ait: Poſt latam ſententiam, & publicatam, an reconciliari hæreticus poſſit, Inquiſitorum determinationi relinquitur; rarò tamen reconciliari debet, maximè iam ſi traditus ſit Curiæ ſæculari. Ita ille, qui citat Pegnam, Decianum, & Farinacium, quod eſt valdè notandum. Verùm oritur etiam hîc aliud dubium, an qui in tortura cum legitima ratihabitione confitetur delictum, ſit à DD. Inquiſitoribus reconciliandus? negatiuè olim ſtatutum fuit in Inſtruct. Hiſpal. *anno* 1484. *num.* 15. vbi ſic habetur: *Si los Inquiſidores con el ordinario juntamente deliberaren de poner el acuſado a queſtion de tormento, y en el dicho tormento confeſſare el delito, y deſpues de quitado del dicho tormento ex interuallo conuiene à ſaber el dia ſiguiente, ò tercero dia ratificare la dicha ſu confeſsion en juizio, eſte tal ſea punido como conuinto.* Sic ibi. & ita etiam docuerat Syluanus *conſ.* 89. Sed aduerſus illum, & meritò, inſurgit Simanca *in enchirid. tit.* 58. *nu.* 14. vbi ita aſſerit: Pluſculum dubitationis habet cùm confeſſio vi adhibita, id eſt, tormentis extorquetur, ſed cùm reus eam ratam habet, ſponte quidem id facit, atque adeò recipiendus eſt, quemadmodum omnium conſenſu receptum, & rectiſſimè vſitatum eſt contra Syluanum. Ita ille.

Vnde meritò id quod præcipiebatur *in ſupradicta inſtructione Hiſpal.* poſteà reuocatum fuit per Inſtruct. Tolet. *ann.* 1561. vbi *numer.* 13. ſic habetur: *Paſſadas veynte y quatro horas deſpues del tormento ſe ha de ratificar el Reo en ſus confeſsiones y en caſo que las reuoque vſar ſe ha de los remedios del derecho y al tiempo, que el tormento ſe da el notario deue aſſentar la hora, y aſsi miſmo la ratificacion porque ſi ſe hiziere en el dia ſiguiente no venga en duda ſi es deſpues de las veynte y quatro horas, ò antes y ratificandoſe el Reo en ſus confeſsiones y ſatisfechos los Inquiſidores de ſu buena confeſsion, y conuerſion podranle admitir à reconciliacion ſin embargo que aya confeſſado en el tormento. Dado*

que

que en la instrucion de Seuilla del año 1484. en el capit. quinze se dispone que el confitente en el tormento sea hauido por conuencido cuya pena es relaxacion. Però lo que a qui se dispone esta mas en estilo, toda via los Inquisidores deuen mucho aduertir como reciben à los semejantes y la calidad de heregias que huuieren confessado y se las apprendieron de otros, ò si las han enseñade à otros algunos por el peligro que de lo semejante puede resultar. Sic ibi. & ad confirmationem supradictorum vide Rojas *de hæret. part. 2. num. 292.* vbi ex aliis iuribus & Doctoribus probat, quòd si reus in tortura hæresim confiteatur, cum legitima ratihabitione reconciliandus sit; perinde huiusmodi confessio est, ac si libera, & spontanea fuisset.

RESOL. XXV. *De hæreticis impœnitentibus.*

ESse supradictos puniendos pœna mortis, patet ex *cap. ad abolendam, de hæret.* Sed pro tali casu apponam hîc verba instruct. Tolet. *ann. 1561.* vbi *numer. 43.* sic habetur: *Quando el Reo estuuiere negatiuo y le fuere prouado legitimamente el delicto de heregia de que es acusado ò estuuiere herege proteruo y pertinaz, cosa manifesta es de derecho que no puede dexar de ser relaxado a la Curia y braco seglar. Però en tal caso deuen mucho mirar los Inquisidores su conuersion para que à lo menos muera con conocimiento de Dios, en lo qual los Inquisidores haran todo lo que Christianamente pudieren.* & diligentias faciendas à DD. Inquisitoribus in tali casu, oprimè tradit Camillus Campegius *in annotat. ad Zanchinum de hæret. cap. 16. lit. A.* si tamen post adhibitas dictas diligentias hæretici pertinaces conuertantur, admittuntur ad reconciliationem sicuti alij hæretici non relapsi, quia tamen talis conuersio præsumi potest metu mortis facta, perpetuò sunt immurandi; & si sunt in aliquo Ordine, priùs degradentur, & hæc degradatio de iure debet esse realis, attamen secundùm introductam consuetudinem verbalis sufficit. & hæc omnia docet Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 46. numer. 6.* Eadem pœna mortis etiam imponitur, vt patet in verbis dictæ instruct. Tolet. hæreticis fictione iuris impœnitentibus, vt sunt ij qui legitimis testibus conuicti, negant hæresim commisisse; quidquid in contrarium asserat Boërius *decis. 341. numer. 4.* vbi nimis audacter loquitur contra Dominos Rotæ Romanæ, & Iul. Clarus *l. 5. §. hæresis, numer. 10.* licet se remittat determinationi Ecclesiæ.

Sed affirmatiuam sententiam esse veram, communis praxis omnium Inquisitorum demonstrat, & illam docent Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 445. nu. 15.* Lorca *in 2. 2. D. Thom. disp. 47. numer. 20.* Albertinus *quæst. 8. num. 7. & seq.* cum aliis penes ipsos; nõ enim indulgenda est venia ei qui non cognoscit peccatum suum, & potiùs testibus quibus reus conuictus est, quàm ipsi reo in proprio facto fides adhibenda est. & ideò Instructio Hispal. *anno 1484. num. 14.* sic habet: *Si alguno siendo inquirido del dicho delitto de heregia lo negare y persistiere en su negatiua asta la sentencia, y el dicho delitto fuere complidamente prouado contra el, como quiera que el tal acusado confesse la fe Catholica, y diga que siempre fue Christiano, y lo es, lo deuen y pueden declarar y condenar por herege, pues iuridicamente consta del delitto, y el Reo no satisface deuidamente à la Iglesia, para que lo absuelua y con le vse de misericordia pues no confiessa su error. Però en tal caso los Inquisidores deuen mucho catar y examinar los testigos, y procurar de saber que personas son, y si depusieron con odio y mal querencia ò por otra mala corrupcion, y repreguntarles con mucha diligencia y hauer informacion de otros testigos cerca de la conuersacion y fama y conscientia de los testigos, que deponen contra el acusado, loqual se remite à sus conscientias.* Sic ibi. quæ omnia in casu occurrenti diligenter in hoc sacro Tribunali à DD. Inquisitoribus obseruantur. Sed hæc opinio limitatur, quando reus in negatiua persisteret, & præsumeretur obliuio. Ita Albertin. *q. 34. nu. 52.* Rojas *de hæret. part. 1. num. 84.* Sed difficultas est, quando obliuio præsumatur? Pegna *in direct. Inquis. part. 2. comment. 59.* putat non præsumi in factis arduis. Vide Instruct. Hispal. *anno 1484. §. 13.* ibi, *especialmente en cosas y actos graues y señalados,* &c. & in atrocibus & horrendis etiam post longum tempus, & idem dicendum est de factis, aut dictis solitis & consuetis, licet ardua non sint, & in iis quæ semper delinquentes comitantur. In ceteris verò casibus, quæ insignes & arduæ non sunt, nec solitæ & consuetę, neque delinquentem comitantur, decennio regulariter reputatur obliuio, nisi aliter Inquisitoribus visum fuerit, pensata delicti & personarũ circumstantiarumque qualitate. Ex quibus infertur confitentem diminutũ, & negatiuum esse Curię sęculari tradendum, & ideò Sousa *in aphor. Inquis. l. 2 c. 48. n. 11. & seq.* sic ait: Diminutus qui confitetur de se, non tamen omnes suos errores, nec omnes complices reuelauit, tradendus est Curiæ sæculari, dummodo circa illa non præsumatur obliuio, & diminutio plenè probetur. Si diminutio verò non plenè probetur, & considerabilis sit ac non modica, danda est reo tortura iuxta probationis qualitatem. Diminutus similiter censetur, qui non confitetur omnes qualitates, quæ respiciunt veram & formatam hæresim; & item, qui non confitetur tempus errorum, quando obliuio nullo modo præsumitur, sed malitia. Circa tempus à parte ante facilè saltem irregulariter præsumi potest obliuio; complicum obliuisci posse reum præsumendum est, si remoti sint, & cum quibus semel, vel rarò conuersabatur, præsertim si confitetur de consanguineis & propinquis. Item si confiteatur præcipuos errores, aut circumstantias & qualitates illorum, minores verò taceat, præsumi potest obliuio. Hęc omnia Sousa. Vide Sesse *vbi infrà, & decis. 445. n. 16. & decis. 446.* Verùm Io. Rojas *de hæret. part. 2. num. 242.* putat reum qui alios complices, vel omne delicti tempus non reuelat, non esse diminutum, quia non est verisimile, quòd qui delictum suum ingenuè confitetur, partem temporis, cùm sit res minoris momenti, occultet, vel alios hæreticos non manifestet. Ita Royas, & post illum Sesse *tom. 4. decis. 453. num. 7.* & quoad manifestationem complicum obseruat Castrus Palaus *tom. 1. tractat. 4. disp. 6. punct. 2. n. 5.* de illo, qui omnes suos errores fateretur, recusat tamen manifestare aliorum errores, quorum conuincitur habere notitiam, existimare aliquos

non eſſe vt impœnitentem hæreticum damnandum, quia ex hac occultatione ſolùm conuincitur fautor hæreticorum eſſe, non autem verus hæreticus. ergo non debet vt verus hæreticus, & impœnitens condemnari; & ita aſſerit Caſtrus ſe audiuiſſe in Inquiſitionibus Caſtellæ practicari, & propter hanc cauſam torqueri. Sed ipſe putat talem vt hæreticum impœnitentem poſſe damnari. Vide Suarez *de fide, diſp. 23. ſect. 2. num. 6.* Paramum *lib. 3. q. 9. num. 193. & ſeq.* Simancam *tit. 48. n. 27. & 28.* cum aliis penes ipſos. Et tandem nõ deſinam hîc apponere verba Didaci Canteræ *in qq. crim. c. 1. de hæret. n. 57.* vbi ſic ait: Vt quis relaxetur ex diminutionibus, eſt valdè conſiderandum quòd ſint multùm claræ, & conſtet quòd ex malitia hæreticus nõ vult dicere & declarare illud, in quo eſt diminutus, & ideò in Conſil. ſupr. Inquiſitionis, maxima cum maturitate fuit mandatum, quòd propter diminutionem nemo capiatur (puto corrigendum eſſe *nemo damnetur*) ſine conſultatione ipſiuſmet Conſilij. Ita Cantera, quem ſequitur Freytas *in editione nouiſſ. de Confeſſ. ſollicit. quæſt. 22. num. 57.* vbi *num. 58.* pro praxi circa præſentem materiam ſic ait: Aut diminutio eſt minima, quia diminutus non in totum ſatisfacit teſtificationi; & tunc admittendus eſt ad miſericordiam, nec torquendus. Aut eſt diminutio maxima, & legitimè probata, & tunc torqueri poteſt præmiſſa ſupremi Conſilij conſultatione. Ita ille, qui etiam *n. 60.* addit, quòd Doctores dum de diminutis agunt, comprehendunt, & explicãt etiam in complicibus; dum verò agunt de relaxandis diminutis, exemplificant & reſtringunt ſe ad diminutos, circa errores & hæreſes de quibus conuincuntur, & ideò ſentiunt hunc, vel illum complicem omittere, niſi ſit Magiſter, pertinere ad minorem diminutionem, vnde cautè Inquiſitores in his ſe gerere debent. Hæc Freytas, quæ valdè ſunt notanda.

Reſol. XXVI. *De hæreticis relapſis.*

SVppono, ſi relapſi ſponte redeant, Inquiſitores debere illos admittere, & pœnam mortis relaxare. Ita Menochius *lib. 1. conſ. 82. nu. 168.* Pegna *in direct. Inquiſ. part. 3. comm. 12.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſ. ver. abiurare num. 4.* & alij, quidquid in contrarium aſſerat Rojas *de hæret. part. 2. nu. 32.* Ille verò dicitur ſponte comparere & redire, qui in iudicio non præuento comparet coram Inquiſitoribus, nam ſi hæreticus relapſus timet, ne ab aliquibus apud Inquiſitores accuſetur, vel facilè id præuidere poteſt, tunc non dicitur ſponte redire ad Eccleſiam, ſed potiùs ex metu, & tunc relaxandus eſt Curiæ ſæculari. Ita Paramus *lib. 3. q. 4. n. 12.* Barboſa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 9. numer. 21.* Sanctarellus *tract. de hæreſi cap. 42. numer. 17.* Decianus *lib. 5. cap. 56. num. 12.* & alij. Sed praxis obſeruat, vt ad relapſos pœnitentes mittantur duo, vel tres Eccleſiaſtici viri, qui eos in fidei veritate confirment, ad patientiam exhortentur in morte, quæ excuſari non poteſt, ex *cap. ad abolendam. §. illos quoque, de hæret.* tunc recipiant ſacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, vt dicemus, & poſt duos, vel tres dies Curiæ ſæculari tradantur. Ceteros verò caſus, & quibus aliquis dicatur relapſus, non eſt noſtrum inquirere, illos per extenſum ponit Sanctarellus *tract. de hæreſi cap. 42. dub. vnic. per totum.*

Solùm hîc in gratiam curioſorum quæro, an Inquiſitores poſſint damnare tamquam relapſum, qui poſt abiuratam hæreſim redditur de ſecundo lapſu vehementer ſuſpectus? negatiuè reſpondet Rojas *de hæret. p. 2. nu. 333.* Sanctarellus *tract de hæreſi cap. 42. dub. vnic. num. 9.* Treuiſanus *lib. 2. deciſ. 37. per totam*, Suarez *de fide diſp. 24. ſect. 2. numer. 7.* & hanc opinionem ſeruari in Inquiſitione Luſitana, teſtatur Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 2. c. 45. nu. 3.* quæ opinio procedit, quando vehemens ſuſpicio oritur ex actu plenè probato, ex quo talis reſultat præſumptio, non verò quando ſolùm ex defectu plenæ probationis. Non deſunt tamen DD. quos citat & ſequitur Caſtrus Palaus *tract. 4. diſp. 6. punct. 2. nu. 9.* aſſerentes affirmatiuam ſententiam, & tenentes ſupradictum eſſe relapſum, & afficiendum pœnis latis contra relapſos. Et ideò ego obſeruo (nemine hoc aduertente) apud Didacum Canteram *in quæſt. crimin. cap. 1. de hæret. n. 58.* quòd in Conſilio ſupr. Inquiſitionis fuit practicatus quidam caſus, ex quo apparet, quòd ſi quis ſit primò realiter hæreticus, & reconciliatus, licet ſecundò ſit præſumptus hæreticus, & ſit lapſus præſumptus, debet iudicari relapſus. Verùm, quia caſus ille fuit particularis, ego aduerſus Caſtrum non recederem à prima ſententia negatiua, quã etiam Farinacius *q. 195. §. 1. num. 18.* aſſerit ſeruari per Inquiſitores Italiæ. Nota verò, quòd relapſi antequam relaxentur torquendi ſunt in caput alienum, ſi adſit ſemiplena probatio, quòd deliquerint cum complicibus, & ſi relapſus eſt in aliquo Ordine cõſtitutus, priùs eſt realiter degradandus ab Epiſcopo, & poſteà tradendus Curiæ ſæculari. Ita Souſa *in aphor. lib. 2. c. 45. n. 20.* qui *n. 18.* docet etiã ſupradictis relapſis dandã eſſe Euchariſtiam, quidquid in praxi alibi obſeruatur. Et tandẽ

Nota quòd datur caſus in quo relapſus ex miſericordia iterùm reconciliatur, quem vide *ſuprà in c. 1. q. 8.* Non poſſe autem Inquiſitores tradere relapſos Curiæ ſæculari inconſulto ſupremo Senatu, ſtatuitur *in inſtruct. Toletana anno 1561. nu. 66.* & tradit Molina *de iuſt. tract. 5. diſp. 8. n. 14.*

Reſol. XXVII. *De hæreticis abſentibus.*

DEprehenſus in hæreſi confeſſione propria, facti euidentia, vel teſtium legitima productione, ſi ſe abſentet, & legitimè citatus non compareat, tradendus eſt Curiæ ſæculari tamquam verus hæreticus contumax, & impœnitens; citandus eſt tamen in tali caſu peremptoriè ad omnia & ſingula iudicij acta vt infra triginta dies compareat, aliàs quòd ſua cauſa vſque ad finalem ſententiam iudicabitur: in ſingulis autem edicti terminis Fiſcalis libellum accuſatoris edat, & cùm terminus fuerit elapſus, ad ſententiam publicam proceditur, & eius ſtatua comburitur. Si verò non ſit de hæreſi conuictus, ſed ſolummodo inuenitur leuiter de hæreſi ſuſpectus, citandus eſt ad modum explicatum, addita excommunicatione, vt compareat; ipſius autem non comparentis contumaciam accuſet Fiſcalis, & petat litteras, ſeu libellos

aggra-

aggrauatorios, quibus denuntietur eius contumacia, & tunc post annum non comparentem declarant illum Inquisitores hæreticum. Hæc omnia Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. c. 49. n. 2. 5. & 6.* Simanca *tit. 46.* Pegna *in director. part. 3. comment. 49. & 91.* Farinacius *quæst. 190. §. 12. n. 21.* & alij.

Sed hîc oritur pulchrum dubium, an Inquisitores si post annum absentes contumaces compareant, debeant illos audire etiam quoad bona confiscata? Affirmatiuè respondet Scaccia *de iudic. & c. lib. 1. cap. 98. n. 34.* & Farinacius *de hæresi q. 85. n. 109.* vbi testatur in Inquisitione Romana seruari quòd quandocumque contumaces sponte compareant, semper audiuntur, & quoad personam & quoad bona.

Verùm contrarium obseruatur in Inquisitione Hispanica quoad bona, nisi de eius innocentia, vel legitimo impedimento constiterit, & ita tenet Simanca *tit. 2. n. 21.* Paramus *lib. 3. q. 4. n 47.* Pegna *in director. part. 3. comment. 49.* Io. Rojas *singul. 145. nu. 5.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 20. n. 27.* & Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 49. n. 7.* vbi sic ait: Qui elapso anno contumaciter in excommunicatione perseuerauit, etiamsi coactus & post combustam eius statuam comparuerit, audiendus est quantum ad excusationem criminis, & probationem innocentiæ, non verò ad hoc vt bona recuperet, nisi vel de innocentia eius, vel de iusto impedimento legitimè concilietur, præmissa abiuratione prout iuris fuerit, nisi sit relapsus. Ita ille. Et ratio quare tales non audiantur quoad bona, tradit Sanchez *vbi suprà*, quia quando bona ob contumaciã hęretici absentis publicantur, elapso iam anno transeunt in rem iudicatam, & ideò non est mirum si posteà reus comparens circa illa non audiatur.

Notandum est tamen hîc obiter cum Simanca *tit. 52. num. 4.* Farinacio *q. 185. §. 7. n. 98. & 99.* Sousa *vbi suprà num. 11.* quòd in crimine hæresis pro absente citato Procurator comparens admittitur, vt defensor innocentiæ, dummodo res sit dubia, & reus sit tantùm de hæresi suspectus. Nam si verè sit hæreticus, ac de eius hæresi in processu constet, tunc non admittitur vt defensor, sed tantùm ad excusandam contumaciam, & allegandas absentiæ causas, propter quas aliquando Inquisitores solent prorogare terminum ad comparendum, & ita Castrus Palaus *tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 3. n. 2.* testatur in Inquisitione Compostellana *anno 1619.* ex decreto supremi Senatus fuisse prorogatum terminum cuidam reo per quatuor menses.

Nota etiam quòd bona absentium in tertium possessorem translata, licet de rigore iuris sequestrari non debeant, si tamen paulò ante citationem fuga præcessit, probarique facilè possunt, quæ bona sint, sequestrari debent, & ita responsum fuit à supremo Inquisitionis senatu Inquisitoribus Galletiæ *anno 1620.*

Sed etiam non est omittenda hîc celebris illa quæstio, an bona supradictorum reorum, propter contumaciam debeant ab Inquisitoribus publicari à die quo testes deponunt illos in hæresim incidisse, vel potiùs à die qua per sententiam contumaces declarantur. Olim mordicus sustinebam, talem confiscationem bonorum debere fieri à die latæ sententiæ in contumaciam delicti ex rationibus quas adducit Gabriel Quemada *in quæst. fiscalibus, quæst. 8. per totam.* Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. cap. 22. num. 35.* Vasquez *in 1. 2 quæst. 96. art. 5. disp. 170. toto cap. 3.* Molina *de iustit. tom. 1. disp. 95.* Henriquez *lib. 13. cap. 56. num. 2.* Aula *de cens. part. 1. dub. 7.* & Simanca *tit. 9. num. 26.* vbi sic ait: Bona eius, qui deficit in purgatione, aut propter contumaciam damnatus est, non publicantur nisi ab eo die, quo hæreticus esse præsumitur, non autem à tempore, quo testes aiunt illum fuisse hæreticum, atque hæc opinio benigna interpretatione recepta est. Sic ille. Sed licet, vt dixi, hanc sententiam olim mordicus sustinebam, attamen modò contrariam probabilissimam esse puto, quam nouissimè tuetur Farinacius, quem citat & sequitur Castrus Palaus *tract. 4. disp. 5. punct. 12. num. 2.* quibus ego addo Azorium *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 2. & lib. 8. cap. 12. quæst. 2.* Sayrum *in Claui Regia lib. 3. cap. 9. numer. 30.* Menochium *consil. 185. num. 8.* Peregrinum *de iure fisci lib. 5. tit. 1. num. 176.* & Lessium *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 64.* & ita in praxi obseruatum fuisse in Inquisitione Galletiæ, hoc approbante supremo Inquisitionis Consilio, testatur Inquisitor San Vincente *in manuscript.* quod est valdè notandum pro casibus occurrentibus.

Resol. XXVIII. *De hæreticis defunctis.*

LIcet omnia crimina morte extinguantur, ex *l. defuncto ff. de publicis iudiciis*; non tamen crimen hæresis extinguitur, & ideò contra hæreticum post mortem possunt DD. Inquisitores procedere, vt affirmant Doctores, quos citat & sequitur Sanctarellus *de hæresi cap. 27. dub. 1. num. 12.* Igitur formato processu si hæresis est plenè probata, hæreticus mortuus damnandus est, & eius bona fisco sunt applicanda, etiamsi deuenerint in manus tertij possessoris, & si eius ossa à Catholicis possunt distingui, exhumanda sunt, & eius statua comburenda. Si tamen non probetur eius delictum, neque speretur breuî probandum, tunc erit absoluendus, nam superuenientibus nouis probationibus quæ cum prioribus iunctis hæresim plenè probent, poterit sic absolutus condemnari, vt notat optimè Pegna *in direct. part. 3. comment. 92.* qui etiam optimè notat quòd dum causa hæretici mortui agitur, bona eius non sunt sequestranda à tertiis possessoribus, non enim debent in casu dubij illorum vsu priuari; & ideò *in instruct. Tolet. anno 1561. num. 81.* habentur hæc verba: *Aunque la probanca contra el difunto sea bastante y euidente no se ha de hazer secresto de bienes porque estan en poder de terceros possedores*, &c.

Notandum est tamen hîc quòd hæreticus defunctus condemnari non potest nisi priùs citatis filiis, vel heredibus, siue præsentibus, siue absentibus, siue certis, siue incertis, & illis danda est copia indiciorum & accusationum; sic statuitur *in instruct. Tolet. anno 1561. n. 61.* ibi, *Notificar se ha la acusacion del fiscal à los hijos ò herederos del difunto*, &c. & ita etiam docet Pegna *vbi suprà*, cui addendus est Decianus

in tract.crim.lib.5.cap.57. num.8. quia filij & heredes non tenentur per se comparere, sed sufficit si per procuratorem compareant, vt notat Simanca *in Cathol.instit.tit.43.n.3.* Imò ego puto contra Rojas *singul.36.* quòd quilibet è populo volens defendere hæreticum defunctum, admittendus sit, neque ob id dici potest hæreticorum defensor, & ita docet Gundissaluus *de hæret.q.12. num.9.* Simanca *in enchir. tit 62.n.8.* & alij *vbi suprà.*

Aduertant etiam DD. Inquisitores quòd procedere non debent contra memoriam defuncti priusquam de illius hæresi planè constiterit per legitimas probationes, quæ ad condemnationem sufficiant, & ita intelligenda est instructio Toletana *anno 1561. num.61.* vbi dicitur: *Quando se huuiere de proceder contra la memoria de algun defunto hauiendo la probanca, bastante,* &c. quæ verba, vt aduertit Io. Rojas *de hæretic.part.2.num.30.* disponunt plenam probationem requiri, vt aduersus defunctum hæreticum procedatur, videlicet si duo legitimi testes existant, & ita tenet Simanca *in Cathol.instit.tit.18. num.12.* Pegna *vbi suprà,* quidquid asserat Decianus *in tract.crim.lib.5 c.57. num.6.& 9.* cum aliis. Hinc infertur quòd si pendente processu mortuus fuerit inquisitus, eius memoria damnari non poterit, nisi aliunde eius hæresis plenè & concludenter probata fuerit, & ita ex Simanca & Deciano notat Farinacius *de hæresi quæst.197. num.99.* Item de hæresi suspecti post mortem damnari non possunt, quia non sunt hæretici, & ita habetur expressè *in c.accusatus, §. si verè, de hæreticis in 6.* & docet Simanca *in Cathol.instit.tit.4.num.5.*

Sed nota hic duos casus, in quibus quis damnari potest tamquam hæreticus post mortem. Primò, si in carcere existens seipsum interemit, quia talis mors est quædam hæresis confessio, nam præsupponitur ex conscientia criminis se interfeciss, nec de illa pœnitere voluisse. Ita Gundissaluus *de hæret. q.22.n.1.* Simanca *in Cathol.instit.tit.18.n.31.* & alij. Secundò quando hæresis est probata sufficienter ex eo quòd probetur extitisse quis contumax per annum in excommunicatione saltem ob causam fidei. Ita Iul. Clar. *lib.5.§.hæresis,n.19.* Decian. *in tract. crim.lib.5.c.57.n.6.* & alij. Quando autem damnatur hæreticus defunctus, eius ossa exhumanda sunt, si fortè ab aliis possunt distingui, & cum eius statua comburenda, vt obseruat ex multis Farinac. *q.197. n.92.& 94.* & forma sententiæ desumenda est ex Pegna *in direct.part.3.comment.93.circa finem.*

Sed restat discutere difficilem quæstionem, quando videlicet Inquisitores ex lapsu temporis non possunt procedere aduersus hæreticum defunctum. De hac quæstione agit Rojas *singul.50.* & alij penes ipsum, quibus adde Zanchinum *de hæret.c.24.n.5.* & *ibi* Campegium *lit.B.* aliqui recentiores, vt Ferdinand. de Castro Palao *in opere mor. tom.1.tr.4.disp.8.punct.16.§.7.n.16.* putant spatium 40. annorum sufficere vt Inquisitores aduersus hæreticum defunctum non possint procedere, quia ex *cap.fin.de præscript.* ius confiscandi bona hæreticorum 40. annis præscribitur.

Verùm mihi contraria sententia placet, quam tuetur Pegna *in director.Inquis. part.3. comment.92.* Simanca *in Cathol. institut.tit.18.num.14.* Couarr. *in 4.Decret.part.2.cap.6.num.16.* Graffius *in decis.lib.2. c.11.n.12.* & Sanchez *in sum tom.1 lib.2.cap.22.n.42.* vbi docent quòd nullo temporis spatio præscribitur actio procedendi per DD. Inquisitores contra hæreticum defunctum ad eius memoriam damnandam, & statuam comburendam, & ad text. *cap. fin.de præscript.* quem adducit Castrus, respondeo, quòd ibi tantùm agitur de præscriptione, quoad sola bona hæreticorum. & ita nostram sententiam aduersus Castrum & alios tenet nouissimè doctus Acugna Archiepisc. Bracharensis *in decretum Gratiani part.1.dist.23 cap.14.n.6.* vbi tamen notat, quòd contra fautores & receptatores hæreticorum iam mortuos, non potest accusatio reuocari, sicuti neque contra suspectos de hæresi, sed tantùm contra hæreticum defunctum.

Notandum est tamen hîc obiter contra gloss. *in l.Manichæos, ver.subire C. de hæret.* Bartolum *in l.2.C. de Apostat.* & alios, bona hæreticorum non præscribi à possessoribus spatio quinque annorum, quod falsum est, etiamsi applicanda essent fisco seculari, vt malè sentit Couarruuias *vbi suprà,* Quemada *in qq fiscal.quæst.16.concl.2.& 3.* Gomez *lib.3.var. c.vlt. num.5.* & alij, nam vt *suprà* dictum est, ad præscriptionem bonorum hæreticorum ex *cap.fin. de præscript.in 6.* requiruntur 40. anni, & in præscriptione circa bona hæreticorum, standum est iuri Ecclesiastico, & non ciuili. & ita docet Sanctarellus *de hæresi cap.22.dub.2.n.8.* & Doctores superiùs citati, qui etiam obseruant conditiones necessarias ad dictam præscriptionem. Vide etiam Azorium *to.1. lib.5.c.7.q.16.* Molinam *de iustit.& iure, tom.1.disp.73.* Gundissaluum *de hæret.q.22.* Sylvestrum *ver.hæreticus 1.n 14.* Tabienam *eodem ver.n.12.* gloss. *in d.cap. fin.de præscr.ver.hæretici,* & *ibi* Domin. *in §.si post mortem,n.4.* Abbat. *in c.cùm nobis, eodem tit.n.8.* & *ibi* Felinum *n.15.* cum aliis penes ipsos.

Resol. XXIX. *De Schismaticis.*

TRibus ferè modis, vt obseruat optimè Lorca *in 2.2.D.Thom.q.40.art.1 sect.3. disp.48.n.5.* generatim potest schisma committi: vno per separationem à membris, & non à capite, vt si Hispani in spiritualibus & actibus Religionis Christianæ nollent communicare cum Italis, qui modus schismatis rarus est. Altero, recedendo à solo capite, & non à membris, qui modus faciliùs contingere potest. Tertiò recedendo simul à capite & à membris, qui euenit dum is, qui se separat ab obedientia Pontificis, se etiam separat à communicatione eorum, qui eum vt verum Pontificem sequuntur. Recessus autem à Summo Pontifice potest contingere adhuc tripliciter. Primò negando obedientiam vero Pontifici. Secundò instituendo & sequendo pseudo-Pontificem. Tertiò exercendo actus Pontificiæ potestatis sine auctoritate Pontificis. Ex his omnibus modis committitur peccatum schismatis, & ferè omnes in diuersis Canonibus iuris tamquam schismata reprobantur. Nam in Bulla Cœnæ damnantur vt schismatici qui se subtrahunt ab obedientia Rom. Pontificis. & *in c. licet, de elect.* damnatur Pontifex intrusus, & qui ei adhæ-

adhæret. & *in c. nec licuit, dist. 17. & c. de Liguribus* 24. *q.* 1. censentur schismatici qui Synodos congregant sine Romani Pontificis auctoritate. & *in cap. non furem* 7. *q.* 1. qui inuadit Episcopatum. De schismate autem quo aliquis se separat à sola vnitate membrorum, nulla fit mentio in iure, quia, vt dixi, hoc genus schismatis numquam solet accidere.

Hoc supposito, deueniendo ad pœnas ex doctrina Menochij *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 6. numer. 24.* quem sequitur Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 4. punct. 6. n.* 19. Schismatici sunt de hæresi vehementer suspecti, & ideò si hæc doctrina esset sequenda, illorum abiuratio deberet esse de vehementi. Verùm hæc opinio Castri Palai ita generaliter prolata mihi non placet, ideò affero cum Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. c. 20. n.* 13. quòd schismatici non hæretici regulariter de hæresi leuiter tantùm sunt suspecti; pro temporis tamen diuturnitate qua in schismate perseuerarunt, vehementem suspicionem incurrere possunt, quam abiurare tenentur. Ita ille, & ante illum Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 156. num. 12.* & Pegna *in direct. part. 2. comment. 73.* Igitur supradicti ex consideratione diuturnitatis temporis, circumstantiarum & personarum aliquando vel leuiter, vel vt vehementer de hæresi suspecti abiurabunt, & si errorem habuerint in intellectu, abiurabunt vt hæretici de formali.

Nota tamen quòd supradicti non solùm suspicionem hæresis leuem, vel vehementem, vt dictũ est, abiurare debent, sed etiam schisma. Forma verò schismaticorum abiurationis debet esse, vt obseruat Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 43. dub. 1. nu. 16.* & alij penes ipsum, iuxta dispositionem *cap. quoties cordis, 1. q.* 7. Sed quoad alias pœnas Castrus Palaus *tom. 1. tr. 6. disp. 4. punct. 6. num.* 20. asserit supradictos posse puniri pœna pecuniaria, exilio, carcere, triremibus, & si pertinaces existunt, tradendos esse Curiæ sæculari; & hæc omnia docet etiam Sousa *in aphor. Inquis. lib. 3. cap. 27. n. 7.* Item, vt videre potes apud Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 36. à num.* 10. & alios penes ipsum, puniuntur supradicti. Primò pœna amissionis iurisdictionis. Secundò excommunicationis latæ sententiæ. Tertiò inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica acquirenda, etiam post schismatis pœnitentiam. Quartò priuationis ipso iure beneficiorum ante schisma adeptorum. Vide etiam alias pœnas contentas in constitut. nostri Pauli IV. edita *anno* 1559. quam commentariis illustrat Scortia *in Bull. Pontific. epit.* 72. *theor.* 182. *& seq.* & Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. quæst. 57. n. 13.*

Notandum est tamen hîc contra Pegnam *in direct. part. 2. comment. 73.* Duardum *in Bull. Cœn. lib. 2. q. 56. nu.* 5. & alios non esse in iure irregularitatem inflictam contra schismaticos, nam *in cap. quia diligentia, de elect.* quod pro se adducit Pegna, nihil asseritur de irregularitate, sed solùm de inhabilitate ad beneficia. Et ita nostram sententiam tenet Suarez *de cens. disp. 43. sect. 2. nu. 7.* & alij. In vno casu tamen schismaticos esse irregulares, dicendum est, quando nimirum schisma esset publicum, sed in tali casu essent irregulares irregularitate generali, quæ ex quouis crimine notorio digno depositione oritur, quæ cessat ablata infamia per contrariam pœnitentiam. & ita obseruat Sayrus *de censur. lib. 7. c. 12. n. 16. ver. 3. iuncto ver. Primus est de hæresi*, & Bonacina *in Bull. Cœn. disp. 1 q. 2. punct. 5. n. 13.*

Notandum est etiam hîc cum Coninch *in 2. 2. D. Thom disp. 30. dub. 5. n.* 48. ex Caietano *in 2. 2. q. 39. art. 1. in fine. & in sum. ver. schisma*, vt quis sit schismaticus, non sufficere quòd in re aliqua particulari nolit obedire Pontifici, quia ipsi videtur nimis difficilis, aut contra suum honorem, aut temporalem commoditatem, aut quia putat Pontificem non posse sibi similia præcipere, aut similem ob causam, modò agnoscat eum esse Superiorem & caput Ecclesiæ. Nam ad schisma requiritur inobedientia coniuncta cum quadam rebellione, qua quis vult se omnino subtrahere à subiectione eius quem nouit certò esse Pontificem, aut saltem nullam habet probabilem rationem dubitandi an alter sit verus Pontifex; si verò dubitet probabiliter, an sit verè, aut validè à Cardinalibus electus, non esset schismaticus, si ei nollet subiici. Vide etiam Valentiam *tom. 3. disp. 3. q. 15. punct. 1. prop. 3.* & Bonacinam *in Bulla Cœn. disp. 1. q. 2. punct. 5. nu. 3.* Et hæc dicta sufficiant circa pœnas delictorum in particulari; tamen pro complemento materiæ huius tractatus necessariam esse existimo discussionem aliquorum dubiorum in praxi sæpiùs occurrentium, quæ infrà scripta erunt.

RESOL. XXX. *An Inquisitores possint vnire duas semiplenas probationes ad damnandum reum pœna ordinaria?*

NEgatiuè respondet Antonius Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. c. 5. numer.* 10. Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 10. nu. 7.* Anton. Queuedo *de inditiis & tortura part. 1. cap. 6. nu. 2.* Simanca *in Cathol. instit. tit. 51. nu. 5. & in enchir. tit. 34. nu. 3.* Pegna, Farinacius & alij penes ipsos; & ratio est, quia cùm quælibet semiplena probatio in suo ordine diuersa sit, non potest cum alia cõiungi. Sed his non obstantibus, affirmatiuam sententiam in fauorem fidei tenendam esse docent duo præstantissimi Inquisitores, Io. Rojas *sing. 188. num. 16.* & Vmbertus Locatus *in praxi, ver. testis*, quia cùm vtraque semiplena probatio ad eundem finem tendat in causis hæreticorum, potest cum alia coniungi; & hanc sententiam nouissimè tenet Ioseph Sesse Cõsultor S. Officij *in decis. regni Aragon to. 4. decis. 477. num. 24.*

Verùm ego tunc huic sententiæ libenter adhærerem, quando simul cum duabus semiplenis probationibus, essent alia indicia, & ita tenet Doctiss. Inquisitor Didacus Cantera *in quæst. crimin. cap. 2. de prob. per testes, q. 5. n. 2.* qui citat Ripam. Vnde concordantur supradictæ sententiæ contrariæ, nam prima negatiua procedit quando tantùm adsunt duæ semiplenæ probationes; secunda verò affirmatiua procedit, quando cum semiplenis probationibus concurrunt alia indicia. Sed hodie regulariter praxis Inquisitionis Hispanicæ absolutè sequitur opinionem negatiuam, & non damnat hæreticos ad pœnam ordinariam, ex duabus semiplenis probationibus, etiamsi adsint alia indicia.

RESOL. XXXI. *An Inquiſitores poſſint condemnare reum hæreticum ad pœnam ordinariam, ſi adſint tantùm teſtes ſingulares?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Anton. Gomez *var.tom.3.c.12.n.12* Zanchinus *in tract.de hæret.c.16.n.6.* cum aliis, quos citat Rojas *de hæret. part.2.aſſert.6.n.139.* & ratio eſt, quia omnes hæreſes connexæ ſunt & inuicem colligatæ, vt patet *in cap. excommunicamus 1. de hæret. cap. accuſatus, eodem tit. in 6.* & ſecundùm hanc ſententiam ad probandum, quòd Caius ſit hæreticus ſatis eſt, ſi teſtes ſingulares contra illum teſtificentur de diuerſis hæreſibus prolatis ab eo diuerſo in loco & tempore, vt ſi, v. g. aliquis teſtificetur audiuiſſe Caium menſe Ianuario tali loco negantem in hoſtia conſecrata eſſe corpus Chriſti, alius dicat diuerſo loco & tempore Caium negantem Mariam matrem Dei eſſe Virginem, &c.

At his non obſtantibus, contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quam tuentur DD. quos citat Rojas *loc.cit.n.* 134. quibus ego addo Didacum Cantera *in qq.crim.cap.2.de vera Confeſſ.num.* 17. Zanardum *in direct.Confeſſ part.3.c.111.nu.11.* Azorium *tom.3.lib.13.cap.27.q.7.* Flores de Mena *var. qq.lib.3. q.22.n.45.* Aragon. *in 2.2.D Thom. q. 70. art. 2.* Sanctarellum *tract.de hæret.c.39.dub.1.nu. 4.* Morlam *in empor.iuris,p.1.tit.11.in prælud.n. 51.* Sayrum *in Claui Reg.lib.12.c.21.nu. 16.* Mirandam *de ordin. iud. q. 23. art.4.concl.vnic.in fin.* Menochium *vol. 2. conſil. 149. num.17.& 44.* & Ignatium de Villar *in ſylua reſponſ. lib.1.reſp.15.num.38.* & ratio eſt, quia per teſtes ſingulares nulla ſpecies hæreſis eſt plenè probata, nã ex pluribus diuerſis numquam reſultat vnum integrale, vt patet *in l.ſancimus,§.ſi quis autem. C.de donat.& in l.vſuræ,C.de vſuris.* & plura imperfecta non faciunt vnum perfectum, vt habetur *in l.vnic.* quæ ita ſummatur, *C. qui num. tutel. ſe excuſ.* Non eſt tamen negandum, vt optimè obſeruat Cantera *loc. cit.* quòd ex teſtibus ſingularibus poſſet fieri probatio, vt daretur aliqua pœna extraordinaria, vel aliqua tortura; & ita etiam docet Scaccia *de iudiciis tom.2.lib.2.c.9. dub. 10 nu. 527.* Sed cùm hæc omnia vera ſint, difficultas eſt an ſi teſtes de eadem hæreſi ſint concordes, ſed eam quiſque audiuit in vario loco & diuerſo tempore, an, inquã, dicti teſtes ſufficiant ad condemnandum hæreticum pœna ordinaria? Affirmatiuam ſententiam docet doctus Simanca *in enchir.tit.37.n.8.& in inſtit. Cathol.tit.64. num.77.* contra quem inſurgit nouiſſimè Freytas *in addit.ad tr. de Confeſſ.ſollic.* Rodericus Acugna *q.22. n.25.* & alij penes ipſum, cum Flores de Mena *var. qq.lib.3.q.22.n. 45.* Scaccia *loc. cit.* & Ioanne Rojas, qui *in tract. de hæreſi p.2.nu. 145.* periculoſam vocauit hanc ſententiam Simancæ. Verùm illã ſequuntur Salicetus *in l.teſtium,c.de teſtibus,n.26.* Conradus Brunus *lib.4.de hæret.c.9.* & ex neotericis Hippolytus Riminald. *lib.1.conſ.7.* & Leonard. Leſſius *de iuſtit.& iure lib.2.c.30.dub.4.n.33.* vbi ſic aſſerit: Si duo de eadem hæreſi aſſerta deponunt, & ſolùm in tempore diſcrepent, plenè probant; quia in ſubſtantia delicti conueniunt, & quamuis non ſit idẽ numero actus, tamen quia eſt idem numero ſignificatum, habetur pro eodem actu; imò diſcrepantia temporis interdum facit ad maiorem fidem. Ita Leſſius. Vnde patet nimis rigidè contra Simancam locutum fuiſſe Rojas; nam licet eius opinio ſit probabilior, tamen opinionẽ Simancæ non periculoſam, ſed probabilem eſſe puto. & ideò nouiſſimè illam mordicus defendit Souſa *quæſt. vnic.de teſtibus ſingul.ſect.2.n.11.poſt aphor. Inquiſ.* & tamquam probabilem etiam admittunt Ioſeph Aldrete *de relig. diſcipl.tuend.lib.2 c.3. nu. 29.* & Anton. Sanctarellus *tr.de hæreſi c.39.dub.1.n.6. in fine.* & poſt hæc ſcripta inueni eamdem opinionẽ Simancæ docere etiam Miranda *de ordine iudic.tom.1.q.17.art. 8. concluſ.5.* & Villalobos *in ſum.tom.2.tr.17.diff.3.num.6.* vbi ita ait: *Por teſtigos ſingulares no ſe puede prouar que vno es herege, mas el maeſtro Aragon in 2.2.q.70.art.2.ſaca duos caſos. El primero es, quando los teſtigos concuerdan en la heregia,y deſcuerdan en el tiempo, ò lugar, porque en eſte caſo ſeria como el ladron que moſtro la coſa que hauia hurtado à diferentes perſonas en diferentes tiempos y lugares. El ſegundo caſo es quando los teſtigos ſingulares caminan à vn fin y ſon muchos y fide dignos, que entonces ſe le puede dar entero credito.* Ita ille. & hæc dicta ſufficiant pro defenſione Simancæ, licet ego, vt dixi, contrariam ſententiam teneam, quam etiam nouiſſimè tenet Paulus Layman *in Theolog.moral.lib.3. ſect. 5. tract.6. cap.4.nu.5.* Dico igitur quòd etiamſi reus pluribus teſtibus ſingularibus idoneis vrgeatur, adhuc ordinaria pœna puniri non poterit; & ideò ſi in negatiua perſiſtat per aliquod temporis ſpatium, expectandum & inquirendum, an teſtes per omnia cõcordes haberi poſſint. Sed priùs torquendus, qui ſi nihil confiteatur, abiuret de vehementi, tum ad triremes, vel carcerem perpetuum damnetur, nec Curiæ ſæculari tamquam negatiuus relaxari poterit; & hæc omnia docet etiam Pegna *in direct. Inquiſ.part.3.comm.121.* & Scaccia *de iudic.l.2.c.9.dub.10. n.527.* & Caſtrus Palaus *tr.4.diſp.8.pun.15.§.4.n.16.*

Nota tamen, quòd ex diuerſitate ſupradictarum opinionum orta eſt differentia inter ſtylum Inquiſitionis Hiſpan. & Inquiſitionis Luſitaniæ. nam in Inquiſitione Hiſpanica hæretici numquam damnantur ad pœnam ordinariam, ex teſtibus ſingularibus; ſecus autem in Inquiſitione Luſitana, vt notat Souſa *in quæſt.vn.de teſtib.ſing.poſt aphor.Inquiſ.* & ideò Fernandez *in exam.Theol.mor.part.1.c.19.§.10. n.19.* ſic ait: Crimen hæreſis, Iudaiſmi, Lutheraniſmi, &c. ſufficienter probatur per plures actus ſingulares tendentes ad eumdem finem, atque ideò teſtes de his criminibus ſingulariter teſtificari verè habentur concordes, & probat vſus Inquiſitorum in noſtra Luſitania; quia aliter non ſatis prouideretur bono communi, poterit enim vnus hæreticus totam inficere vrbem, & Iudæus cum ſingulis iudaizare, neque tamen conuinci. Oppoſitam ſententiam ſequuntur Inquiſitores in Hiſpania. Ratio eorum eſt, quia nulla ſpecies perfectè probatur, niſi in aliquo ſingulari indiuiduo. Ita Fernandez. Verùm in Tribunali Inquiſitionis huius Regni Siciliæ obſeruatur vſus Inquiſitorum Hiſpanię, & ita etiam obſeruat praxis Inquiſitionis Rom. vt notat Freytas *in tract.de Confeſſ.ſollic.q.22. nu. 24.* vt patet apud Farinacium *q.64.n.218.in fine*, & apud Maſcardum *lib.2.concl.856.n. 25. & 26.* & iterùm docet

Freytas

Freytas *vbi ſup.in editione nouiſſ.n.64.*vbi probat circa præſentem quæſtionem omnes alias Inquiſitiones ſequi debere ſtylum Inquiſitionis Romanæ,& non damnare reum ad pœnam ordinariam ex teſtibus ſingularibus.

RESOL. XXXII. *An reus hæreticus malæ vitæ & famæ poſſit puniri ab Inquiſitoribus pœna ordinaria ex duobus tantùm teſtibus,conteſtibus tamen & idoneis?*

VIdetur prima facie reſpondendum negatiuè, quia,vt docet Acugna *de Conſeſſ ſollic.q.23.n.7.* & alij penes ipſum, teſtes quorum nomina non publicantur reſpectu rei, non ſunt idonei,& omni exceptione maiores.Sed in Tribunali SS.Inquiſitionis nomina teſtium non manifeſtantur reo. ergo,&c.Minor patet ex praxi,& maior probatur, quia delatus non poteſt per ignorantiam teſtium, de quibus nomina neſcit,aduerſus eos aliquid obiicere. ergo non erunt teſtes omni exceptione maiores. & ita hanc ſententiam docet ex neotericis Octauius Spatharius *in praxi Regul.tr.7.c.14.num.2.* Eymericius *in direct.Inquiſ.part.3. q.71.* Albertin. *de agnoſcend.prop.hær.q.34.n.3.*& alij penes Farinacium *tract.de hær.q.*88.§.3.*nu.* 56. quibus adde Barboſam *in collect.tom.3.lib.5.tit.2.c.5.n.5.*

Verùm ego contrariam ſententiam teneo, quã tuetur Didacus Cantera *in q.crim.c.1. de hær. nu.* 61. Io.Simanca *in enchir.tit.34.n.5.& in inſtit. tit.51.nu.*8. *& tit.64.num.*36. Gundiſſaluus *tract. de hæret. q.* 13. *num.9.*& alij,quos nouiſſimè citat & ſequitur Anton.Sanctarell.*tract.de hæret.c.39.dub.2.num.* 12. quibus adde Torreblanca *de magia lib.3.cap.17.num.*70. Leſſium *lib.2.c.30.dub.4.n.33.* & ratio eſt, quia cùm in ore duorum,vel trium teſtium ſtet omne verbũ, & nullo iure ab hac regula excipiuntur ij, qui de hæreſi debent damnari; ergo iuſtè per duos teſtes condemnabuntur,& hanc ſententiam velut communem ſequitur etiam Iul.Clar. *in pract.lib.5.§.hæreſis,n.* 20. & eam vſu eſſe receptã in Tribunalibus Inquiſ. teſtatur Pegna *vbi inf.* Nec contra ſententiam noſtram faciunt DD. pro opinione negatiua citati.nam,vt obſeruat Farinacius *loc.cit.n.* 18. concordandi ſunt,vt videlicet loquantur, quando teſtes non ſunt omni exceptione maiores, & ſic teſtimonium duarum feminarum non ſufficiet ad condemnandum hæreticum; vel dic meliùs,quòd DD.contrarij loquuntur in caſu,quãdo delatus eſt vir alioquin bonæ famæ, ſecus autem ſi eſſet malæ famæ,& ita Io.Rojas *de hæret.p.2.n.*103. ſic ait: Ego non auderem in tam graui crimine duobus tantũ legitimis teſtibus quempiam condemnare,niſi delatus eſſet malæ opinionis & famæ, vel alia adminicula contra eum concurrerent, quo caſu cõmunis DD.opinio eſſet tenenda. Ita Rojas & alij.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum contrarium ſupradictum, ad quod reſpondeo cum Ioſeph. Aldrete *de relig.diſcipl.tuen.lib.1.c.* 14. *num.*13. & aliis, quòd in ſacro Inquiſitionis Tribunali diligentia DD. Inquiſitorum ſupplet abundanter id quod defenſionis, in teſtium nominibus ſupprimendis,adimitur.

Claudam igitur hoc quæſitum cum verbis doctiſſ.Franciſci Pegua *in director.Inquiſit.comment.*20. ſic aſſerentis: Non poſſumus diffiteri liberum eſſe Iudicibus fidei, & ob communem ſententiam, & ob iura duos ſolùm teſtes idoneos in quauis cauſa poſtulãtia,& ob communem vſum ſacri Tribunalis Inquiſitionis,ad voces duorum teſtium idoneorum, reum huius criminis condemnare. Negatiua ſententia valdè benigna eſt & ſecura,quę tunc potiſſimùm non eſſet contemnenda,quando reus inſignis probitatis cõmuniter haberetur, & integræ famæ & incorruptæ vitæ; tunc enim non eſſet incongruum, aut differre ſupplicium, donec fortè aliæ accederent coniecturæ & probationes; aut mitiùs punire.& hac etiam ratione videntur locuti huius opinionis aſſertores.Ita Pegna. Vnde reus malæ vitæ & famæ poteſt puniri à DD. Inquiſitoribus tamquam hæreticus ex delatione duorum teſtium,dummodo ſint conteſtes, & omni exceptione maiores. & ita præter DD. citatos tenet etiam Malleus maleficarum *tom.1.part.3. q.2.* & hæc dicta ſint in rigore loquendo, nam hodie praxis noſtræ Inquiſitionis Hiſpanicæ, regulariter non damnat quoſcumque hæreticos ad pœnam ordinariam,niſi per tres teſtes conteſtes idoneos.

RESOL.XXXIII. *An Inquiſitores poſſint damnare reum vt publicè abiuret de leui?*

NEgatiuam ſententiam docet Sanctarellus *tra. de hæreſi,c.41.dub.2.n.4.*Sigiſmundus Scaccia *de iudic.cauſ.&c.lib.1.c.59.n.10.* Pegna *in direct. Inquiſ.p. 2.comm.*40.Barboſa *in collect.to.2.lib.5. tit.7.c.9.n.12.* & Rojas *ſingul....n.26.*vbi ſic ait:Secunda differentia,quę eſt inter abiurationem de vehementi & de leui,eſt reſpectu loci; nam abiuratio de vehementi fit ſolemniter in conſpectu totius populi,ſed de leui in domo Epiſcopi, vel coram Inquiſitoribus.Ita ille.& ante omnes Simanca *tit. 1.n.24.*

Verùm hæc ſententia ita abſolutè prolata(pace tantorum virorum)mihi nõ placet,& hodie praxis S.Inquiſ.Hiſpan.in aliquibus caſibus, vt patet, eſt in contrarium; nam contrahentes binas nuptias abiurant de leui.& tamen publicè: idem etiam faciunt aliquando blaſphemi,legentes libros hæreticorum, Aſtrologi iudiciarij, &c. vt *infrà* ſuis locis patebit.Vnde libenter adhæreo ſententiæ Eymericij,qui pro ſua ſententia malè citat Rojas *in direct. Inquiſ.par.3.n.*161.vbi docet, quòd reus ſi eſt ſuſpectus publicè,debet etiam publicè abiurare de leui; ſi autem nõ,abiurabit in Audientia ſecreta Inquiſitorum,ſecundùm quod apud plures vel pauciores ſuſpectus fuerit de hæreſi. Igitur in caſibus cõtingentibus, hoc remittendum puto arbitrio DD. Inquiſitorum;& ideò Souſa *in aphor.Inquiſ.l.2.c.40. n.5.*loquens de abiuratione leui, ſic ait: Hæc abiuratio aliquando fit publicè, aliquando verò ſecretè, ſecundùm quod culpa publica,vel occulta fuerit,prout Inquiſitoribus videbitur.Ita ille.

Nota etiam quòd licet abiuratio de vehementi debet fieri publicè & in loco publico, vt diximus, & docet Riminald. *lib. 6. conſ.* 686. Menochius *de arbitr.lib.2.caſ.322. nu.1.* & conſtat ex *cap. ad abolendam,§.præterea,de hæret.* & *ibi* Butrius *nu.* 6. Socinus *n.8.*& Ananias *n.12.* & ex Bulla Martini V. tamen aliquando, vt optimè notat Pegna *in direct.Inquiſit. part.3.comment.40.nu.*161. rationabilis cauſa poteſt ſuade-

ſuadere,vt abiuratio de vehementi efficiatur etiam non publicè, ſed ſecretò. Ætas verò neceſſaria ad abiurandum in maſculis eſt 14. annus, in feminis 12. vt patet ex Concil. Tolet. *c.11.* & Bituricenſi *cap.* 31. Non deſinam tamen hîc apponere verba Inſtruct. Valliſoletanæ *anno* 1488. §. 12. ſic aſſerentis: *Los menores de edad de diſcrecion aſsi hombres como mugeres, no ſean obligados à abjura publicamente, ſaluos deſpues de los dichos años de diſcrecion, que ſon doze en embra, y catorze en varon, y que aſsi ſe entienda el capitulo de las ordenaciones de Seuilla, que en eſto diſpone, y que ſiendo mayores de los dichos años, abjuren de lo que hizieren en menor edad, ſiendo doli capaces.* Quæ verba, vt obſeruat Paramus *l.3.q.4.n.17.* & ante illum Pegna *in direct. part.3.comm.40.n.162.* indicare videntur pueros ante ann. 14. & feminas ante 12. poſſe abiurare, non tamen publicè, ſi doli capaces fuerint. Sed ego puto, hanc ſententiam rarò à DD. Inquiſitoribus in praxi deducendam eſſe, & ideò Souſa *in aphor. li.2. c.40.nu.4.* ſic ait: Maſculi ante 14. annum, feminæ verò ante 12. non abiurant, niſi rarò, etiamſi ſint doli capaces. Ita ille, & Pegna *loc.cit.*

Aduertendum eſt tamen, quòd ſupradicti ſi reconcilientur ex hæreſi formali propter eorum cõfeſſionem, & poſteà relabuntur, ex miſericordia conſulto ſupremo Inquiſ. Conſilio videntur admittendi pro illa vice, non obſtante relapſu, iterùm ad reconciliationem. & ita tenet Inquiſitor San Vincente *in manuſcript.c.9.§.3.* vbi ſic ait: *Si el relapſo eſta conuencido de la relapſia por teſtigos, hauiendo ſido la primera vez ſolo conuencido por ſu confeſion, aunque en rigo deue ſer relaxado, ſe deue atender mucho a la edad y capacidad del Reo, al tiempo de la primera reconciliacion, pues por lo menos ſiendo de los que abjuraron los errores, que tuuieron menores las mugeres de doze, y los hombres de quatorze años, conforme à la inſtrucion de Valladolid, ibi, doli capaces, parece que ſe deue vſar con ellos de miſericordia, admitiendolo ſegunda vez à reconciliacion conſultando ſiempre al Conſejo.* Sic ille. Cuius opinio deſeruiet *ſuprà proximè c.26. de relapſis.*

RESOL. XXXIV. *An Inquiſitores debeant punire tamquam hæreticum facientem ritus hæreticales, ſeu proferentem verba hæreticalia, & negantem intentionem?*

EGo more meo breuiter, & clarè colligam aliqua ex probatiſſimis Auctoribus. Dico igitur, quòd Io. Rojas *de hæret.part.1.numer.276. & ſeq. & numer.573. & ſeq.* Albertin. *de agnoſcend.q.8.n.12.q.32. num.17.q.34.n.57.* & alij, aſſerunt quòd ſi quis confeſſus, vel conuictus, dicat ſe ritus hæreticales feciſſe, ſed neget intentionem, vt hæreticus puniendus eſt, & ideò relaxandus Curiæ ſeculari, tamquam hæreticus negatiuus. Verùm, his non obſtantibus, Didacus Cantera *in qq.crim.rubr.de hæret. c.1.dub.6.num.69.* concludit, quòd licet de rigore iuris ſupradicta ſententia ſuſtineri poſſit, eius tamen opinio eſt, quòd ſi reus, ſiue confeſſus tantùm, ſiue conuictus & confeſſus, de facto hæreticali intentionem neget, non relaxandus tamquam hæreticus, ſed ſuper intentione torquendus eſt. Et ita hanc ſententiam tenet etiam Pegna *in direct. Inquiſ.part.2.comment.59.§. quòd ſi non compareant ſponte.* Lazarius *tract.de blaſphemia quæſt. 6.num.13.* & Iacobus de Graffiis *in deciſ.part.1.lib.2. cap.5. numer.15.* Lapus & Cardinalis penes Canteram *vbi ſuprà*, qui mordicus tenet negatiuam ſententiam, & reſpondet ad argumenta Rojas.

Sed quid dicendum, ſi non agatur de factis hæreticalibus, ſed tantùm de verbis? Rojas *vbi ſuprà, de hæret.part.1.numer.302.303. & 306.* cum Albertino *de agnoſcend.q.36.numer. 18.q. 8.num. 12. & q.34. numer.52. & 53.* & alij putant, quòd ſi aliquis confitetur non facta, ſed verba hæreticalia protuliſſe, & negat intentionem, is non tamquam hæreticus relaxandus eſt, ſed quia eſt de hæreſi ſuſpectus, poteſt ſuper intentione torqueri. Vide etiam Decianum *in tract.crim.lib.5.c.36.num.19.* Pegnam *in direct.Inquiſ.part.3.q.61. comment. 110.* & alios. Igitur ſupradicti DD. diſtinguunt inter facta & verba hæreticalia, & ideò putant confitentem ſe feciſſe facta hæreticalia, & negantem intentionem, relaxandum eſſe tamquam hæreticum; confitentem verò ſe dixiſſe verba hæreticalia, & negantem intentionem, torquendum eſſe tamquam de hæreſi ſuſpectum; & ita in ſpecie ſentit iterùm Albertinus *de agnoſcend.quæſt.36.n.18.*

Aduertant tamen Lectores, quòd doctus Simanca varius ſibi videtur, & cõtrarius in hac quæſtione; nam *in Cathol.inſtitut.tit.65.n.52.* aſſerit abſolutè, & ſine vlla diſtinctione, torquendum eſſe reũ, qui confeſſus fuerit ſe dixiſſe, aut feciſſe aliquid hæreticum, ſi neget intentionem hæreticam, & anteà *tit.13.n.16. & in enchir.tit.29.n.8.* contrarium docet, nempe quòd qui facto, aut verbis hæreſim cõmittit, vt hæreticus puniendus eſt, quamuis recta intentione id feciſſe iurauerit.

Sed quid ego ſentio in hac quæſtione, dicã breuiter. Opinionem Canteræ & aliorũ aſſerentium, quòd in verbis & in factis, ſi reus neget intentionem, ſit tantùm torquendus, puto probabilem eſſe, quando reus ipſe confitetur delictum, & negat intentionem; ſecus autem ſi non ſolùm confiteatur delictum, ſed de illo ſit conuictus. & ita hanc ſententiam tenet nouiſſimè Torreblanca *de magia lib. 3.cap.5.num.49.* Farinacius, quem citat & ſequitur Caſtrus Palaus *tract.4.diſp.4.punct.3.num.17.* Igitur negantem intentionem, & ritus hęreticales facientem, ſi teſtibus eſſet conuictus, puto tamquam hæreticum negatiuum relaxandum eſſe; quia aliter aperiretur via omnibus hęreticis vitandi condemnationem, nam omnes ſe excuſarent, dicendo abſque intentione verba hæreticalia dixiſſe, & facta præſtitiſſe; & hæc opinio hodie regulariter ſeruatur ſaltem in noſtris Tribunalibus Inquiſitionis Hiſpanicæ, vt teſtatur Ioſeph Seſſe *in deciſ. Regni Arag.tom.4.deciſ.441.n.3. in fine.*

RESOL. XXXV. *An Inquiſitores poſsint ſuperueniente noua probatione reum abſolutum iterùm examinare & condemnare?*

LIcet in aliis criminibus, poſt ſententiam abſolutoriam, non licet reum abſolutum iterùm de eodem crimine examinare, inquirere, & punire; attamen in fauorem fidei contrarium dicendũ eſt in cauſa hæreſis, in qua ſententia abſolutoria numquã tranſit in rem iudicatam, vt latè probant Souſa *in aphor.Inquiſ.lib.2.c.37.nu.31.* Rojas *de hæret.p.2.*

n.384.

*n.*384. Simanca *in Cathol. inſtit. tit.* 60. *num.* 13. Pegna *in direct. Inquiſ. part.* 3. *comm.* 37. *&* 92. Scaccia *de iudic. lib.* 1. *cap.* 93. *num.* 2. *&* 3. & ita determinauit Pius V. *in Bulla edita anno* 1567. & hæc opinio procedit contra Repertor. Inquiſ. *ver. abſolutio*, & *ibi* Mandoſium *in addit. litt.* E. etiamſi reus fuiſſet abſolutus de eadem hæreſi tamquam innocens, vt optimè notat Scaccia *loco cit.* & ideò *in inſtruct. Hiſpalen. anno* 1484. *n.* 3. ſic habetur: *Item acordaron y ordenaron, que los que fueren preſos por eſte delito que no ſean fatigados en las carceles, en la dilacion del tiempo, que luego ſe haga el proceſſo con ellos, porque no haya lugar de quexarſe y no ſe detengan à cauſa de no hauer entera probanca, pues que es cauſa que quando ſobreuiene probanca ſe puede de nueuo agitar no obſtante la ſentencia, que fuere dada.* Sic ibi. Hinc infertur cum Ferdinando de Caſtro *in oper. mor. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *punct.* 11. *n.* 10. in cauſa hæreſis, probationes ſuperuenientes coniungi poſſe cum præcedentibus inſufficientibus, & ob quarum ſufficientiam abſolutus fuit reus ab inſtantia iudicij. Vide Pegnam *in direct.* 3. *p. comm.* 92. & Simancam *in Cathol. inſtit. tit.* 8. *n.* 12.

Sed difficultas eſt, an reo in pœnam extraordinariam condemnato ob defectum probationis, ſi ſuperueniant nouæ probationes, poſſint illum Inquiſitores in pœnam ordinariam condemnare? Lucas de Peña & Iacobus Bellouiſo apud Rojas *vbi infrà*, affirmatiuam ſententiam tenent, alij verò aſſerunt, quòd ſi pœna extraordinaria non fuit executioni mandata, tunc reus pœna ordinaria puniri poteſt, ſuperueniente legitima probatione; ſecus ſi mandata ſit executioni; & ita docet, & obſeruatum eſſe in Hiſpania in Sacr. Inquiſit. Tribunali teſtatur Ferdinandus de Caſtro *vbi ſuprà in oper. mor. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *punct.* 11. *nu.* 11. Igitur ſecundùm Caſtrum, ſi pœna ſit executioni mandata, in caſu tali cenſet nullo modo poſſe puniri reum pœna ordinaria, ſedà pœna ordinaria detrahendum, quantum arbitraria importat; nam alioquin reus puniretur grauiùs, quàm mereretur, & in hanc ſententiam inclinat Rojas *de hæret. p.* 2. *n.* 392. licet loquatur cum verbo *forſitan*, & in hac quæſtione difficili & ambigua, diſcipuli potiùs quàm Magiſtri officio fungi velit. Verùm ego abſolutè & ſine vlla formidine exiſtimo, tenendam eſſe opinionem Caſtri Palai, quam tenet etiam nouiſſimè Antonius Souſa *loco infrà citando, num.* 8. vbi ſic ait: Condemnatus propter hæreſim, aut ſuſpicionem illius in pœnam arbitrariam ex defectu probationis, ſi plena probatio ſuperuenerit, puniri debet pœna ordinaria, dummodo prima pœna adimpleta non fuerit; ſi autem adimpleta ſit, compenſetur in ſecunda. Ita ille. qui optimè tamen *num.* 9. limitat ſupradictam ſententiam, in caſu quo pœna ordinaria delicti ſit capitalis, nam prima pœna etſi corporalis, non minuet ſecundam; nec ſecunda compenſabitur cum prima, ſed tota ordinaria imponi poteſt, cùm talis pœna diuiſibilis non ſit.

Et tandem non deſinam hîc adnotare ea quæ etiam obſeruauit apud eumdem Souſam *in aphoriſm. Inquiſit. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 7. vbi ita ait: Abiurata vehementi hæreſis ſuſpicione, ſi dentur nouæ probationes, non plenè conuincentes nouorum lapſuum poſt dictam abiurationem commiſſorum de iuris rigore tales probationes coniungi poſſunt, cum præcedentibus, ad vnam conſtituendam probationem, cùm ſententia non tranſeat in rem iudicatam, hactenus tamen hoc practicari non vidi. Ita Souſa, quod eſt valdè notandum. An verò indicia ſuperuenientia ſint coniungenda cum indiciis ex quibus reus priùs fuerat tortus, videant Domini Inquiſitores omnino Proſperum Farinacium *in addition. ad eius opera poſt lib.* 3. *Conſilior. ad q.* 4. *n.* 29. *fol. mihi* 6. *col.* 1. vbi ſic ait: Si quis fuit abſolutus ex eo quòd in tortura perſtiterit, & tunc ſine dubio indicia quæ per torturam fuerunt purgata, & ſublata, nullam vim habent, mortua ſunt, nec propterea coniungi poſſunt cum aliis ſuperuenientibus indiciis, aut probationibus; ſecus ſi tortura non illata reus fuit abſolutus, ex eo quòd in iudicium contra ipſum deducta non ſufficiebant ad condemnandum. Tunc enim imperfecta probatio primæ inſtantiæ coniungitur cum ſuperueniente probatione, ſecundùm veram, communem & vſu receptam ſententiam, de qua eſt Bart. Hoſt. Abb. Felin. Alex. & Alciat. *in locis per eum relatis*, teſtatur Simanca *Cathol. inſtit. tit.* 18. *rubr. de defunctis, num.* 20. Et hanc declarationem benè nota, quia (ni fallor) alibi eam non reperies in ſpecie poſitam, ſæpè habui in facto, & ſic, vt *ſuprà*, iudicaui, & communiter iudicatum vidi. Ita Farinacius *loco citato.*

RESOL. XXXVI. *Quænam pertinacia ſufficiat ad conſtituendum hominem hæreticum, non ſolùm in foro interno, ſed etiam externo?*

SVppono nullam eſſe hæreſim ſine pertinacia, ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 2. *ad* 3. Auguſtino *epiſt.* 162. quo clarè habetur *in cap. dixit Apoſtolus* 24. *q.* 3. *cap. in Eccleſia, eadem quæſt. & cauſa*, & expreſsè *in Clem. vn. de ſumm. Trinit. & fide Cathol.* & colligitur ex aliis iuribus, vt ex *c. damnamus, de ſumm. Trinit. & c. cùm contumacia, de hæret. in* 6. *& c. excommunicamus, de hæret.* & patet ex definitione ipſius hæreſis, quæ eſt error voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia aſſertus ab eo qui fidem recepit. Sed difficultas quæ multorum torſit ingenia, conſiſtit in declarando quænam ſit iſta pertinacia ſine qua nullus eſt hæreticus.

Prima opinio eſt ferè omnium Theologorum aſſerentium ad pertinaciam ſufficere quòd ſciens quis aliquid eſſe de fide, deliberatè illud non credat, ſed vt quis animaduertat ſuam opinionem eſſe contrariam ſenſui Eccleſiæ Catholicæ, & tamen neglecta auctoritate Eccleſiæ perſiſtat in ſua opinione. Ita Becanus *in* 2. 2. *cap.* 14. *quæſ.* 2. *concluſ.* 3. *num.* 10. Scortia *in Bull. Pontific. epit.* 4. *theor.* 8. Turrianus *tom.* 1. *in* 2. 2. *diſput.* 55. *dub.* 2. Vaſquez *in* 1. 2. *q.* 76. *art.* 7. *diſp.* 126. *cap.* 3. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæſ.* 1. Caſtrus Palaus *to.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. Coninch *de fide diſp.* 18. *dub.* 7. *num.* 78. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 6. *n.* 153. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 13. *num.* 2. Reginaldus *to.* 1. *lib.* 9. *cap.* 14. *num.* 224. Peſantius, Malderus, Syluius, Bañez, Aragon, & Caietanus *in* 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. cum aliis penes ipſos.

Secun-

Secunda opinio eſt aliquorum Iuriſperitorum non peritè aſſerentium, minimè eſſe hæreticum pertinacem, ſi quis priùs non fuerit admonitus. Ita Alciat. *in l. 2. C. de ſum. Trin. & fid. Cathol n. 3.* vbi ſic ait: Pertinacia eſt, quæ hominem hæreticum facit, quapropter ſi quiſpiam in Trinitate non rectè ſentiat, niſi admonitus perſiſtat, hæreticus non eſt. Sic ille, & inter Neotericos hanc ſententiam docet Menochius *vol. 2. conſ. 149. n. 49.* vbi ſic ait: Vt quis dicatur hæreticus pertinax, debet conſtare quòd fuit monitus, & inſtructus de veritate, & quòd ea inſtructione ſpreta perſiſtat in eadem opinione, & citat pro hac ſententia Lupum, & Turrecrematam, quibus addi poteſt Palatius Rub. *in alleg. in mat. hæreſ. § 3 per totum.* Vnde D. Auguſt. *de ciuitate Dei, lib. 8. cap. 51.* relatus *in cap. qui in Eccleſia 24. q. 3.* ſic ait: Qui in Eccleſia Dei morbidum aliquid prauumque ſapiunt, ſi correcti, vt ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſua peſtifera dogmata emendare nolunt, ſed defendere perſiſtunt, hæretici ſunt. Et *in Clem. vn. de ſum. Trin.* Pontifex definit hæreticum cenſendum eſſe qui defendere pertinaciter preſumpſerit quòd anima rationalis non ſit forma corporis humani.

Tertia opinio fœdere diſtinctionis ſupradictas pugnantes opiniones conciliat, ait enim primam opinionem procedere in foro interiori, ſecundam verò in foro exteriori. Ita Petrus de Aragon *in 2. 2. quæſt. 11. art. 1. concl. 2.* & Sanctarellus *de hæret. cap. 1. dub. 4. n. 18. in fine.* & fauet Tannerus *in 2. 2. D. Thom. diſp. 1. q. 8 dub. 5. n. 91. & 94.* Verùm ſi hæc diſtinctio admittenda eſſet, paucos hæreticos puniret Tribunal S. Inquiſit. cum periculo reipubl. quia omnes hæretici ſe defenderent, dicendo quòd non fuerint admoniti, & ideò primam ſententiam non ſolùm in foro interiori, ſed etiam exteriori puto amplectendam eſſe. Vnde Lorca *in 2. 2. D. Thom. quæſt. 11. art. 2. diſp. 41. num. 8.* ſic ait: Per ſe, & ex natura rei non eſt neceſſaria admonitio, vt homo hæreticus ſit pertinax. nam in his quæ manifeſta ſunt, qui errat ex electione & deliberatè, etiamſi à nullo ſpeciatim admonitus ſit, & priuſquam admonitus ſit pertinax, eſt etiam hæreticus.

Quare non rectè Alciatus, & quidam alij dicunt neminem cenſendum eſſe pertinacem, niſi eum, qui admonitus perſiſtit in errore, quia ſine ſpeciali admonitione poteſt eſſe electio erroris contra Eccleſiam, & ſi quæ admonitio neceſſaria eſt, ipſa notorietate doctrinæ fit, quemadmodũ in excommunicationibus à iure lex ipſa ſufficienter admonet, vt ſubſit contumaciæ quæ ad excommunicationem requiritur. Nec ſolùm in foro animæ, ſed etiam in foro externo poteſt decerni pertinacia ſine aliqua monitione præuia. Hæc Lorca doctiſſimè, vt ſemper ſolet. Vnde Paramus *de orig. Inquiſit. lib. 1. tit. 1. c. 4. n. 5.* ait: In vſu & more Eccleſiæ poſitum eſſe eum hæreticum decernere, qui errore imbutus fuerit à ſe damnato, quamuis nulla præierit commonentis eum vox, & ideò Paulus Garſia *in ordine proceſſandi in S. Officio fol. 11. à tergo*, ſic ait: *Cada y quando que el Reo confeſſare hauer tenido y creydo errores, ſe le ha de preguntar ſi ſabia y entendia que la Yglesia Catholica Romana tenia lo contrario de lo que el creia, de manera que baſtantemente ſatisfaga à lo que toca à la pertinacia que es lo que haze herege conſumado* Sic ibi. Sed audiamus Simancam *tit. 48. num. 7. & 8.* ſic aſſerentem: Adnotatu dignum eſt quòd quicumque credit aliquam propoſitionem veram eſſe, cuius contrariam ſciat eſſe Catholicam, hoc ſolo conſummatus hæreticus pertinax eſt. Nec audiendi quidam, quorum numero eſt Alciatus, qui putant neminem hæreticum pertinacem eſſe, qui non habet animum obſtinatum, & admonitus non perſiſtit, nam pertinacia quæ conſummatum facit hæreticum, non eſt obſtinatio ſola, ſed quilibet etiam verus conſenſus contrarius cognitæ veritati Eccleſiæ Catholicæ. Accedit etiam ratio viua quidem & ſpirans, quia ſacra Scriptura, & Eccleſiaſtica definitio, quibus fides Catholica continetur, plus valet, plus operatur, & poteſt, quàm ſexcentæ Iudicis admonitiones, & quàm mille prohibitiones iuris humani. Sicut igitur is, qui contradicit legitimis hominum admonitionibus, pertinax eſt, & qui facit contra prohibitionem legis humanæ, ipſo facto incidit in excommunicationem, quæ nonniſi præcedentibus admonitionibus ferri ſolet, & legis auctoritas pertinacem haberi facit quemlibet legis tranſgreſſorem; ſic etiam qui contra Scripturam ſacram, aut Eccleſiæ Catholicæ definitionem ſciens errat, hoc ſolo ſine alia admonitione pertinax hæreticus eſt. Ita Simanca, & tandem hanc ſententiam docet nouiſſimè Merolla *in diſp. Theol. tom. 1. diſp. 1. cap. 2. dub. 12. num. 181.* ſic aſſerens: Infertur non requiri ad pertinaciam, vt quis de ſuo errore ſcienter admiſſo moneatur, & ipſe adhuc perſiſtere velit, ſed ſufficere, ſi ſcienter erret contra id quod ab Eccleſia definitum eſſe cognoſcit. Sic ille. & hanc opinionem tenet etiam Suarez *de fide diſp. 19. ſect. 3. num. 8.* & Ricciullus *tract. de iure perſon. &c. lib. 5. cap. 2. num. 10.* ex quibus firmata ſatis remanet noſtra ſententia aduerſus Sanctarellum, Alciatum, Menochium, & alios, niſi qui eos benignè intelligendos eſſe dicat, in caſu quo hæreticus eſſet rudis & ſimplex, vel etiam ſagax & doctus, quando relaxandus eſſet brachio ſæculari, in his enim caſibus concedimus, prętermittendam eſſe admonitionem. Sed quia, vt optimè aduertit Becanus *tom. 3. in 2. 2. c. 14. quæſt. 2. n. 13.* ex doctrina ſuperiùs allata ſequitur, quòd nemo eſt hæreticus niſi ſit pertinax in ſuo errore, & nemo eſt pertinax, niſi qui aduertit ſe ſentire contra Eccleſiam: ergo qui hoc ignorat, nec pertinax, nec hæreticus eſt. Ideò videtur hìc diſcutiendum neceſſariò quænam ignorantia excuſet ab hæreſi, & per conſequens à pertinacia.

Suppono igitur ignorantiam culpabilem, ſeu voluntariam eſſe duplicem, vna eſt affectata, quando quis ex induſtria vult aliquid ignorare; altera eſt craſſa & ſupina, quando quis non ex induſtria & propoſito, ſed ex quadam negligentia ignorans ea quæ poteſt & debet ſcire; prior eſt directè & formaliter voluntaria, poſterior indirectè & virtualiter, vtraque tamen vincibilis & culpabilis. hoc ſuppoſito,

Prima opinio aſſerit ignorantiam craſſam, & ſupinam, non excuſari ab hæreſi, & per conſequens

à pertinacia. Ita Lorcà *in 2.2.D.Thom. quæſt.11.art.2. diſp.41.num.15.* Sotus *in 4. diſt. 22.quæſt. 2.art.3.poſt 3. concluſ.caſ.1.* Sayrus *de cenſ. lib.1.caſ.14.numer.15.* Toletus *lib.1.cap.19.nu.2.* Felinus *in cap.1.de hæret.num.2.* Ancharanus *numer.5.* Boërius *num.2.* Ioan. Andreas *num.2.* & alij. Et ratio eſt, quia ignorantia culpabilis non excuſat ab aliis peccatis; ergo nec ab hæreſi. nam ſicut homicidium ſemper eſt peccatum, ſiue fiat ex ſcientia, ſiue ex ignorantia culpabili, ita error circa fidem ſemper erit peccatum hæreſis, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter fiat, modò ignorantia fuerit culpabilis.

Secunda opinio tenet nullum errorem contra fidem ex ignorantia vincibili etiam craſſa commiſſum, eſſe hæreſim. Ita Zumel *in 1.2.quæſt.76. art.4. diſp.1.paulò ante 1.concl.* Cano *de loc.Theol.lib.12.cap.9.* Caſtrus *de iuſta hæret.pun.lib.1.cap.9.* & alij, quos citat & ſequitur Merolla *in diſp. Theol. tom.1. diſput. 1. cap.2.dub.12.num.177.* quia de ratione hæreſis eſt, vt quis erret in fide, ſciens ſe credere, & opinari contra cõmunem ſenſum Eccleſiæ. Sed qui habet craſſam ignorantiam, circa communem ſenſum Eccleſiæ, non errat, ſciens ſe credere, & opinari contra communem ſenſum Eccleſiæ. ergo non eſt hæreticus. Deinde quando quis ignorat ſe ſentire contra ſium Magiſtrum, non cenſetur eſſe pertinax, aut derogare auctoritati Magiſtri. ergo, &c.

Tertia opinio, cui tamquam probabiliori adhæreo, docet non ſolùm ignorantiam craſſam & ſupinam, ſed etiam affectatam excuſare ab hæreſi. Ita hanc ſententiam tenet Azorius, Aragon, Bañez, Suaréz, Coninch, quos citat & ſequitur Caſtrus Palaus *tom.1.tract.4.diſp.3.punct.2.nu. 3.* quibus ego addo Peſantium *in 2.2.quæſt.11.art.1.diſp. 1. concl. 1.* Becanum *tom.3.in 2.2.cap.14.quæſt. 2.numer.16.* Sanctarellum *tract.de hæreſi cap.1.dub.5.n.23.* Ricciullum *tract.de iure perſon.&c.lib.5.c.7.numer.13.* Ledeſmam *in ſumm.tom.2.c.6.concl.4.diffic.2.* & Vaſquez *in 1.2. diſp.126.cap.2.* quidquid in contrarium aſſerant Valentia *tom.3.diſp.1.quæſt.11.punct. 1. diffic.4. ad 1. arg.* Zumel *in 1.2.qu.76.art.4.diſp.1.* Canus *de loc.Theol. lib.11.c.9.* & alij.

Dico igitur primò, quòd ignorantia affectata poteſt duobus modis accidere, primò ex tædio addiſcendi tantùm, vt ſi quis vult aliquid ignorare, quia tædet illum diſcere, & hoc modo error in rebus fidei non eſt hæreſis, quia qui ſic errat, non offendit auctoritatem Eccleſiæ tamquam pertinax, & incredulus, licet offendat Deum tamquam culpabiliter ignorans. ergo ipſius peccatum non eſt hæreſis, aut pertinacia, ſed ignorantia. Secundò poteſt contingere affectata ignorantia ex falſa opinione contra Eccleſiam, quia quis putat parui momenti eſſe ea quæ in Eccleſia creduntur, & proponuntur, & hoc modo eſt hæreticus, quia ex illa falſa opinione affectaret ignorantiam.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum primæ ſententiæ. Dico igitur eſſe diſparem rationem inter hæreſim, & alia peccata, quia de ratione hæreſis eſt pertinacia: at nemo in rebus fidei eſt pertinax, niſi ſciat, & aduertat ſe ſentire contra Eccleſiam; quare qui hoc ignorat, non eſt pertinax, & conſequenter non hæreticus; at verò pertinacia non eſt de ratione aliorum peccatorum, ac propterea cùm committuntur alia peccata; non requiritur in peccante, vt aduertat ſe delinquere contra legem Dei, ſed ſatis eſt ſi aduertat, vel poſſit ac debeat aduertere.

Notandum eſt tamen quòd omnia ſupradicta intelligenda ſunt in foro interiori. nam in foro externo & iudiciali errans in fide ſi alleget ex ignorantia erraſſe, non creditur ſi error commiſſus ſit in his, quæ quis ex officio ſcire tenetur, vel quę paſſim & communiter illius qualitatis ſunt. Vnde Sacerdotes & alij viri docti errantes in articulis fidei & præceptis Decalogi, ex malitia præſumuntur errare, & non ex ignorantia. Ita Souſa *in aphor.Inquiſ. lib.1.cap.12.num.14.* & Caſtrus Palaus *tom.1. tractat. 4.punct.2.nu. 5.* qui citat Menochium, Farinacium, Decianum, & alios. Ego tamen adducam pulcrum locum Albertini *quæſt.30.n.37.* vbi ſic ait: Si ſumus in caſu quòd aliquis negaret articulum diuulgatum, vel contentum in Symbolo, quem tenetur explicitè & diſtinctè credere, tunc ex quo eſt præſumptio violenta contra eum quòd veritatem illius non ignorat, ſed quòd illum aſſerit, ſcienter & non ignoranter, ideò pertinax hæreticus eſt iudicandus, quamuis dicat ſe paratum corrigi.

Ex his conſideratur, an benè dixerit Ioan. Lupus *in alleg.hæreſ.* vbi tenet, negantem aſſertionem Catholicam apud Catholicos diuulgatam non eſſe hæreticum, ſi paratus eſt corrigi, quia, vt ſentio, non benè loquitur, quia illa diuulgatio inducit contra illum præſumptionem quam dixi, ex quo ille accuſatus de hęreſi cum Chriſtianis communiter conuerſabatur, Eccleſias intrabat, & de his pertinentibus ad fidem Catholicam ſæpè audiuit prędicantes. Ita ille. Sed audiamus Simancam *tit. 28. num.13.* ſic aſſerentem: Nullus Chriſtianus excuſari poteſt prętextu ignorantiæ ſi errauerit in articulis fidei, vel in præceptis Decalogi, vel in aliis veritatibus diuulgatis, & quas quilibet ſcire debet, ſed longè magis inexcuſabiles ſunt peritiores & acutiores. Non eſt tamen negandum cum Pegna *in direct.Inquiſ.part.2.comment.1.* Sanctarell. *de hæret.ca.1. dub.6.num.29.* Ioan. Lopez *in alleg. hæret. §.4.5. & 7.* Palatio Rubeos *in alleg.in mat. hæret. §. 4.* Deciano *lib.5.cap.39.num.11.* Armilla *ver. hæreſis num.1.* Sylueſtro *ver.hæreſis num.1.* & aliis, ſupradicta limitanda eſſe cum aliquibus, cum quibus probabiliter præſumitur, quòd non verè & perfectè ſciebant Catholicas veritates, vt, v. g. quia ſimplices erant, vt multi laici & ruſtici homines, aut quia dogma non erat de articulis fidei, qui in Eccleſia ſolent ſolemnizari. nam iſti arbitrio Iudicis debent puniri, & non vt formaliter hæretici, ſed tamquam ſuſpecti de hæreſi, debent abiurare. & quamuis gloſſa *in ca. ſchiſma 24.q.1. ver. magis, & ver.ignorantia.* Albertin. *in rubr.de hæret.in 6.q.13. num.13. & 24.* hanc limitationem non admittant, tamen intelligendi ſunt de illis viris idoneis & ſimplicibus qui non ſunt parati corrigi ab Eccleſia, vt notat Angelus *ver. fides, nu. 6.* Tabiena *eodem ver. num.7.* & Sanctarellus *loco cit.* Ex his Inquiſitor San Vincente *in manuſcript. cap.2. §. 16.* ita rectè aſſeruit: *Algunas propoſiciones ay, que aunque ſean formalmente hæreticas dichas por perſonas*

ignorantes de poca capacidad puſilanimas llebadas de malinconia y falta de inſtrucion, que por eſtas y otras cauſas parece que no ſe puede reputar ni præſumir vehemente que ſean hereges ſi no erraticas, y anſi confeſſando hauerlas dicho y que ſabian eran contra lo que tiene la Yglefia negando la pertinacia, y dando alguna razon natural que les mouio à dezir y creer dichas propoſiciones. como vna muger de quinze años que io conozi que dixo, que no creya que nueſtra Señora pudieſſe quedar virgen deſpues de hauer parido, y otra que dixo que la Sanctiſſima Trinidad era vna buena vieja, y que no pudia creer que nueſtro Señor eſtuueſſe en la hoſtia porque no podia caber en ella, y anſi ſuele darceles algunas penitencias ligeras ò abſoluerles ad cautelam ò abjurar de leui, y algunas vezes no ſiendo tanta la ignorancia podria hauer abjuracion de vehementi.

Sed quia dictum eſt aliquando ad conſtituendum hominem hęreticum, neceſſariam eſſe admonitionem, vt, v. g. quando laicus, vel ruſticus ſimplex errat ex ignorantia, reſtat pro complemento huius diſputationis inquirere, an in tali caſu cenſendus ſit hæreticus pertinax, ſi talis vir ſimplex admonitus ab Inquiſitoribus, vel Epiſcopo, adhuc in ſuo errore perſiſtat.

Prima opinio negat & aſſerit, non ſatis eſſe ad pertinaciam de qua loquimur, ſi quis admoneatur de ſuo errore admiſſo, non ſolùm à viris grauiſſimis, ſed etiam ab Inquiſitoribus & Epiſcopo, nam ſi talis ſemper exiſtimet ſuam opinionem non eſſe aduerſus ſenſum Romanæ Eccleſiæ, & ipſos Inquiſitores & Epiſcopum decipi, non eſt verus hæreticus pertinax. Ita Valentia *tom. 3. diſput. 1. quæſt. 11. punct. 1. diffic. 4.* Torres *de Trin. quæſt. 32. art. 4. in 4. part. comment.* Salas *in 1. 2. tract. 13. diſp. 7. ſect. 7. numer. 53.* Sayrus *de cenſ. lib. 3. cap. 4. numer. 17.* Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 2. cap. 7. numer. 25.* Sanctar. *de hæret. cap. 1. dub. 6. numer. 28.* & alij penes ipſos; & ratio eſt, quia, vt ſæpiùs dictum eſt, niſi quis credat ſe opinari contra Eccleſiæ doctrinam, non eſt hæreticus pertinax.

Secunda opinio affirmat, ita Bartol. *in l. tutor §. tutores, nu. 1. ff. de ſuſpectis tutor.* Rebuffus *in Bull. Cœn. excomm. 1. art. 1. ver. hæreticos.* Vgolinus *in Bull. Cœn. part. 2. cap. 1. §. 1. num. 10.* Pegna *in direct. Inquiſ. part. 1. comment. 26.* Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. quæſt. 25. num. 4.* Farinacius *de hæret. quæſt. 169. num. 10.* Simanc. *tit. 48. à num. 18.* Albertinus *quæſt. 30.* & alij.

Tertia opinio diſtinguit, & aſſerit negatiuam ſententiam procedere in foro interiori; ſecundùm verò affirmatiuam in foro exteriori, vt patet *in ca. ad abolendam, de hær.* ita Merolla *in diſput. Theol. tom. 1. diſp. 1. tractat. 2. numer. 183.* Suarez *de fide diſp. 19. ſect. 3. num. 21.* Vaſquez *in 1. 2. tom. 1. diſp. 126. cap. 3. numer. 7.* & Lorca *in 2. 2. D. Thom. quæſt. 11. art. 2. diſput. 41. n. 20.* & ego huic tertiæ ſententiæ tamquam probabiliori adhæreo, licet Caſtrus Palaus *to. 1. tract. 4. diſp. 3. par. 2. n. 6.* aſſerat opinionem affirmatiuam tenendam eſſe non ſolùm in foro exteriori, ſed etiam interiori. Sed contra Palaum non eſt recedendum à negatiua ſententia quoad forum interius; ſecus autem, vt dictum eſt, quoad exterius, in quo errantes ab Inquiſitoribus, Epiſcopo, vel ab alio viro docto ab illis ad hoc deputato admoniti & non reſipiſcentes, cenſendi ſunt, & damnandi tamquam hæretici; & ratio eſt, vt optimè aduertit Lorca, quoniam ad iudicium cuiuſcumque cauſæ & cuiuſcumque hæretici non oportet Eccleſiam congregare, neque ſumm. Pontificem adire, & oportuit eſſe peculiares Iudices, quorum iudicio cauſa finiatur, præſertim cùm hi prudenti ſemper & maturo examine procedant, nec niſi in certis & manifeſtis ſententiam proferant. Ita ille, & ego. & hæc dicta ſufficiant circa præſentem quæſtionem, in qua omnia ſatis explicata videntur quæ conſtituunt hominem hæreticum pertinacem in foro fori & poli.

RESOL. XXXVII. *In imponendis pœnis quando diſcrepant Inquiſitores & Ordinarij, quid faciendum ſit?*

AD hoc dubium ita reſpondet Sanctarellus *de hæreſi cap. 40. dub. 2. numer. 13.* Quando Inquiſitor & Epiſcopus diſſentiunt, tunc conſulendus eſt Romanus Pontifex, ex *cap. per hoc, de hæret. in 6.* vbi dicitur: In qua ſententia ferenda ſi non conuenerint, per vtroſque negotium ſufficienter inſtructũ ad Sedem Apoſtolicam remittatur. Ita textus *ibi*, & Sanctarellus, quod etiam nouiſſimè docuit Barboſa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. numer. 15.* vbi ſic ait: Notandum quòd diſcordantibus Inquiſitore & Epiſcopo in prolatione ſententiæ, ſeu in alio actu quem cuiuſque ſolus expedire non poteſt, debent Sedem Apoſtolicam conſulere. Ita ille. & ante omnes Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. ver. Tortura. §. ſed pone quòd Epiſcopum.* Sed hoc procedit in Inquiſitione Romana; ſecus autem ſeruatur in Hiſpanica, in qua ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ, quando Epiſcopi & Inquiſitores in aliquo diſcordant, non ad Summum Pontificem, ſed ad ſupremum Inquiſitionis Senatum cauſa inſtructa recurrendum eſt; vt notat Simanca *tit. 25. numer. 5.* vbi ſic ait: Si Epiſcopus & Inquiſitores concordes non fuerint in pronuntiando, tunc remittenda eſt cauſa inſtructa ad Apoſtolicam Sedem. Sed hoc in Hiſpania longè aliter fit, nam cùm Epiſcopi & Inquiſitores non ſunt concordes, remittitur cauſa inſtructa ad Senatum ſacræ Inquiſitionis. Ita ille. & poſt illum Molina *de iuſt. tract. 5. diſp. 28. num. 14.* vbi *in fine* ita aſſerit: Poſtquam hæc ſcripſi, à fide dignis accepi, id quod de recurſu ad ſupr. Senatum Inquiſitoremque Generalem, quando Ordinarius & Inquiſitores diſcordant, auctoritate litteratum Apoſtolicarum fuiſſet in hoc Regno ſancitum. Neque ſanè aliter id ſibi Generales Inquiſitores vſurpaſſent, in Epiſcoporum præiudicium, quàm Apoſtolica auctoritate. Hæc Molina, qui citat Rojas & Pegnam, quibus ego addo Freytam *in editione nouiſſima de Confeſſ. ſollicit. quæſt. 15. num. 20.* & ideò in Inſtruct. Tolet. *ann. 1561. num. 66.* ſic ſtatuitur: *En todos los caſos que huuiere diſcrepancia de votos entre los Inquiſidores y Ordinario, ò alguno dellos en la definicion de la cauſa, ò en qualquier otro auto, ò ſentencia interlocutoria ſe deue remitir la cauſa el Conſejo.* Sic ibi. quod etiam obſeruatur in quibuſcumque appellationibus. Vnde Bariola *in florib. Inquiſit. p. 2. comm. 31. §. 12.* ſic aſſerit: Ab Inquiſitore & ab Epiſcopo, ad Rom. Inquiſitionem appellatur, vel ad Papam, in Hiſpania à priuatis Inquiſitoribus ad Generalem

Regno-

Regnorum Inquiſitorem. quod etiam notauit Martinus Real *in allegat.pro iur.ſancti Officij, concl.1. num.*108.vbi ſic ait: *Deſta Inquiſicion de la Sicilia y de las demas de Eſpaña ſe va en grado de apelacion, ò por via de recurſo, ò agrauio al Inquiſidor General, y Conſejo de la General Inquiſicion en virtud de Priuilegios Apoſtol. de las demas Inquiſiciones de Italia, ſe recurre a la ſacra Congregacion de la vniuerſal Inquiſicion por diſpoſicion de derecho.* Ita ille, & ante illum Pegna *in direct. Inquiſit. part.3.comment.21.num.* 116. & Paramus *de orig. Inquiſ.lib.3 quæſt.4.numer.* 101. & ideò *in dicta Inſtruct. Tol.ann.* 1561.*numer.* 81. ita habetur: *Si en algun caſo pareciesſe à los Inquiſidores, que deuen otorgar la apelacion en las cauſas criminales de los Reos que eſtan preſos, deuen embiar los proceſſos al Conſejo.* Sic ibi. & hæc praxis fundata eſt in priuil. Pontif. & in particulari Clem. VII. vt patet in eius Bulla data Romæ 16. *Iunij anno* 1525.

Verùm quia in hoc Regno Siciliæ adſunt tres Inquiſitores, & Epiſcopus cum illis, quid faciendum ſi inter eos in iudicando oriatur aliqua differentia? Ad hoc dubium reſpondet Simanca *tit.* 60. *cap.*10.ſic enim ait: Cùm Inquiſitores diſſentiunt, & cauſa in Senatu S.Inquiſitionis definitur, ſententiæ ſubſcribere omnes debent, etiam ij qui contrariam, vel diuerſam opinionem tuebantur. Quòd ſi fortè in prouincia quapiã tres Inquiſitores ſint, & vnus eorum cum Epiſcopo, vel eius Vicario ſentiat, alij autem duo Inquiſitores ab eis diſſentiant, remittenda eſt cauſa ad Senatum. Si verò duo Inquiſitores cum Ordinario conſentiant, ſententia protinus ferenda eſt, non expectato iudicio Senatus. Ita Simanca.

Notanda eſt etiam hîc obiter alia differentia inter Inquiſitionem Romanam, & Hiſpanam. Nam in Inquiſitione Romana poſtquam concorditer Epiſcopus & Inquiſitor impoſuerunt delinquenti aliquam pœnam, poſſunt cumulatiuè illam minorare, vt docet Bariola *in aphor.litt. P. ver.Pœna.*§. 15. vbi ſic ait: Pœna delinquentibus in S. Officio minorari poteſt per Ordinarium, & Inquiſitores, ex *cap.commiſſi, de hær.in* 6. Hodie ex decr. Vrbis de mandato Vrban. VIII. id fieri non poteſt, niſi cumulatiuè, id eſt, conſentiente Epiſcopo & Inquiſitore. Ita ille. Vnde non eſt ampliùs amplectenda opinio Zanchini *tract.de hæret.cap.*21.*num.*2.aſſerentis, Inquiſitores circa laicos poſſe mitigare & mutare pœnam petito conſilio Epiſcopi, licet non obtento conſenſu; ſecus verò circa Clericos; nam debet requirere conſilium, & expectare conſenſum; non, inquam, hæc opinio eſt amplectenda ampliùs, nam ex dicto decreto Vrb. VIII. Inquiſitoribus denegatur poteſtas minorandi pœnas ſine conſenſu Epiſcopi. Sed hæc omnia procedunt in Inquiſitione Romana, non autem in Hiſpana, vbi ex ſpeciali priuilegio Sum. Pontif. ſolus Supr. Inquiſitor habet poteſtatem minuendi, & relaxandi pœnas delinquentibus impoſitas; vt teſtatur Rojas *ſingul.* 155.*num.*5.*& part.*2.*de hæret.num.* 200. *& numer.* 382. vbi ſic ait: De iure comm. Inquiſitoribus fidei vnà cum Prælatis permiſſum erat mutare, ſeu mitigare ſententias in hæreticos iam prolatas, ex *cap.vt commiſſi,*§.*necnon, de hæret.in* 6. quod ſanè hodie aliter ſtatutum eſt per inſtruct.Hiſpalen. *cap.* 7. & Toletan.*cap.*9. nam ad ſolum Gen.Inquiſitorem id diſpenſationis genus hodie pertinet. Ita ille. & hoc etiam obſeruat Simanca *tit.* 16. *num.* 20. Pegna *in direct.part.*3.*comment.*108. & 145. Farinacius *de hær. quæſt.*186.*num.*76. & alij. Vnde hodie Inquiſitores in depoſitione crucibus ſignatæ vulgò dictæ *ſan Benito*, minimè diſpenſare poſſunt, ſed hoc ad Supr. Inquiſitorem ſpectat, vt ex Simanca notauit Pegna *vbi ſuprà in comment.*108.

RESOL. XXXVIII. *An Inquiſitores in imponendis pœnis teneantur ſequi vota Conſultorum?*

QVòd conſilium Conſultorum ſit petendum, patet ex textu *in cap.fin. ad med. de hæret.in* 6. & *in c.vt commiſſi,*§.*aduocandi, eodem titulo, & lib.* Sed difficultas eſt, an in tali caſu vota Cõſultorum ſint deciſiua, ita vt illa teneantur Inquiſitores ſequi. In Inquiſitione Luſitana, vota Conſultorum eſſe deciſiua, teſtatur Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib.* 1. *cap.*1. *numer.*14. *& lib.*2.*cap.*36.*num.*9. & hanc opinionem affirmatiuam, abſolutè tenet Albertinus *quæſt.* 26. *concluſ.*15. Homobonus de Bonis *tractat. de ſtatibus part.*1.*cap.*8. & Michaël Zanardus *in director. Theol. part.*2.*pr.*1.*cap.*6.*quæſ.*42. aſſerit eſſe periculoſum, & reprehenſione dignum, Inquiſitores in tribus caſibus à voto Conſultorum diſcordare. Primò, quando cum Conſultoribus conſentit Epiſcopus. Secundò, quando omnes Conſultores ſunt in vno voto. Tertiò, quando maior pars conſentit in innocentiam Inquiſiti; & etiam abſolutè Decianus *lib.*5.*cap.*24.*n.*10. tenet, quòd Inquiſitores tenentur ſequi peritorum conſilia.

His tamen non obſtantibus (ſententiam contra meipſum proferendo) puto vota noſtra in ſacro Tribunali non eſſe deciſiua, ſed tantùm conſultiua, & ita ſeruari in Inquiſitione Hiſpanica, patet ex Inſtruct. Tolet *ann.*1561. *num.* 66. vbi ſic ſtatuitur: *En todos los caſos que huuiere diſcrepancia de votos entre los Inquiſidores, y Ordinario, ò alguno dellos en la definicion de la cauſa, ò en qualquier otro voto, ò ſentencia interlocutoria, ſe deue remitir la cauſa al Conſejo; però donde en los ſuſo dichos, eſtuuieren conformes, aunque los Conſultores diſcrepen, y ſean mayor numero, ſe execute los votos de los Inquiſidores, y ordinario.* Ita ibi, in quibus verbis clarè determinatur; vota peritorum eſſe tantùm conſultiua; & ita etiam tenet Aloyſius Bariola *in aphor.lit. V. ver. vota Conſultorum.* Barboſa *in Collect. tom.*3.*lib.*5.*tit.*2.*cap.*12.*num.*8. Cenedo *Collect.* 27. *nu.* 2.*in* 6.*Decretal.* Tabiena *ver.Inquiſitor. nu.*12. Lucerna Inquiſ. *ver. Aduocatus* 4. & *ibi* Pegna *in annotat.* Zechius *in ſumm.tom.*1.*tit.de hæret.cap.*11.*numer.* 14. Rojas *de hæret.part.*1.*num.*409.*& part.*2.*numer.* 166. Simança *tit.*41.*num.*14 Burſatus *lib.*1.*conſil.*90.*num.* 36.*&* 49. Treuiſanus *lib.*2.*deciſ.*35.*nu.* 1. Spina contra Ponzinibium *Apol.*3. *cap. vlt.* Verùm ego puto cum Pegna *in director. Inquiſit. part.* 3. *comment.* 127. non eſſe tutum ſi Inquiſitores ſunt Theologi, diſcedere à Conſultorum ſuffragiis, quod etiam aſſerit Bariola *vbi ſuprà.*

Sed maior difficultas eſt, an Inquiſitores, licet non teneantur ſequi vota Conſultorum, teneantur tamen aduocare illos, ita vt ſententia ſine eis prolata,

lata, sit inualida? Et affirmatiuè videtur respondendum, quia in casu nostro petere consilium peritorum, requiritur pro forma; ea verò deficiente, actus non subsistit, vt patet *in cap. dilecta, de rescript.* Vnde dixit glos. celebris *in cap non est, de consuet. in 6.* quòd si sententia proferenda est cum alterius consilio, si eo non expectato proferatur, non valet sententia, neque opus est appellatione. & *in cap. cùm in veteri, de elect.* irritatur electio ob omissum consilium; & idem habetur *in cap. nouit, de his quæ fiunt à Prælato*; & hanc sententiam tenet Morla *in empor. iuris, tit. 12. quæst. 10. numer. 2.* & in terminis hanc opinionem mordicus docet Castrus Palaus *tract. 4. disp. 8. punct. 11. numer. 4.* vbi probat, sententiam latam ab Inquisitoribus non vocatis Consultoribus esse inualidam.

Verùm contra Palaum posset aliquis dicere, quòd si aliunde habenti potestatē mandatur consilium peti, ob illius omissionem non debet censeri actus nullus, vt tenet Syluester *ver. Consilium, quæst. 1. & 3.* Panormitanus *in cap. ex parte, de constit. circa finem*, Salas *de legibus disp. 16. sect. 10. numer. 43.* & alij, quia in tali casu præsumitur consilium mandari, vt rectè actus præstetur, non vt validè; sed hoc accidit in casu nostro. nam, vt patet *in dicto cap. fin.* Bonifacius VIII. præcepit Inquisitoribus, vt in sententiis adhiberent peritorum consilia, qui tamen Inquisitores anteà ab aliis Pontificibus, & præsertim ab Vrbano IV. & Clem. IV. vt docet Mosconius *de maiest. militan. Eccles. part. 1. cap. 11.* & Zanardus *in director. Theolog. part. 2. pr. 1. cap. 6. quæs. 6.* potestatem sententiandi contra hæreticos sine voto Consultorum habebant. ergo, &c.

An verò Inquisitores teneantur adhibere consilium peritorum in captura; respondet Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 26. nu. 16.* vbi sic ait: Quando adsunt sufficientes probationes ad capturam, petat Fiscalis ab Inquisitoribus, vt reus comprehendatur, qui de peritorum consilio quid opus sit deliberent, quamuis sine eorum consilio id facere possint. Ita ille. & ante illum Pegna *in director. part. 3. comment. 17.* vnde *in Instruct. Tolet. anno 1561. num. 3.* sic habetur: *Los Inquisidores vista la informacion juntamente, y no el vno. sin el otro. si estuuieren ambos presentes acuerden la prision, y parece seria mas justificada se cõmunicasse con los Consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiere hazer y pareciere à los Inquisidores conueniente y necessario.* Sic ibi. & in hoc casu locutus est textus *in cap. vt commissi, de hæret. in 6.* vbi datur facultas Inquisitoribus vocandi peritos, prout expedierit, quasi tacitè insinuans non esse vocandos, si iudicatū fuerit non expedire; quod est valdè notandum, vt iste textus concordetur cum alio textu *in cap. fin. §. iubemus, eodem titulo*, vbi in sententia ferenda, vt *suprà* visum est, iubetur Inquisitoribus Consultores omnino vocare.

Et tandem pro coronide huius resolut. notandum est hic obiter in ordine ad praxim, quòd in aliquibus Inquisitionibus consuetudo obtinuit, vt nomina testium Consultoribus non manifestentur, nisi in aliquo speciali casu, vt notat Aloysius Bariola *in aphorism. lit. T. ver. Testis*, §. 8. Honoratus Figuerola *in notis marginalibus ad Zanchinum vbi infrà*, Michaël Zanardus *in director. Theolog. part. 2. cap. 6. quæs. 42.* Pegna *in director. Inquisit. part. 3. comment. 129.* & hanc opinionem tenet Campegius *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap. 15. lit. A.* & nouissimè Castrus Palaus *vbi suprà num. 3.* & supradicta consuetudo, vt opinor, introducta fuit in fauorem fidei, ad alliciendum testes, vt facilius, & securius contra hæreticos deponerent, cum scirent eorum nomina non solùm reis, sed etiam neque Cõsultoribus manifestari.

Verùm praxis nostræ Inquisitionis Hispanicæ contrarium obseruat, & ideò Consultoribus manifestantur nomina testium, quod expressè habetur *in cap. statuta, §. iubemus, de hæret. in 6.* & *ibi* Ancharanus *n. 1. in fine*, & ita docet etiam Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 6. n. 76.* & Eymericius *in director. Inquisit. part. 3. quæst. 80.*

Nota etiam, teste Honorato Figuerola *in notis marginalibus ad Zanchinum de hæretic. cap. 15. in addit. lit. A.* quòd aliquarum Inquisitionum vsus comprobat, vt Consultoribus summa tantùm processus manifestetur. Sed in nostra Inquisitione Hispanica, vt obseruat Paramus *de origine Inquisit. lib. 3. quæst. 4. num. 56.* per extensum à Secretario S. Officij Consultoribus totus processus legitur, & ita statuitur *in Instruct. Toletana anno 1561.* vbi *numer. 40.* sic habetur: *Puesta la causa en este estado los Inquisidores juntaran con sigo al Ordinario y Consultores del santo Oficio, à los quales comunicaran todo el processo, sin que falte cosa sustancial del.* Ita ibi. quod etiam determinatur *in dicto cap. final. § iubemus, de hæret. in 6.* Vide etiam Eymericium *in direct. Inquisit. part. 3. quæst. 79.* & *ibi* Pegna *comment. 128.* cum Lucerna Inquisit. *ver. Inquisitor. §. 21.* & Zanardo *vbi infrà.* & quia in hac resolutione incidit sermo de Consultoribus, non desinam hîc adnotare cum Michaële Zanardo *in director. Theolog. part. 2. præcept. 1. cap. 6. quæst. 42.* quòd dum Consultores de causis fidei auditis inter se discurrunt non audientibus aliis, qui non sunt Consultores, quamuis de his discurrant extra Congregationem, non incurrunt pœnas violati secreti, imò postquam publicatus est processus, & lecta sententia, possunt dicere votum quod in dicta causa dederunt, quia agitur de re iam publicata; potest tamen hoc esse peccatum, quando alij deuenirent in cognitionem illorum, qui contra delinquentes votarunt, & sic orirentur rixæ, odia, &c. licet quoad hoc vltimum opinio Zanardi non videatur amplectenda. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem tractatum, saluo temper meliori iudicio, & censura Eminentissimorum Dominorum meorum Cardinalium Inquisitorum Generalium in sancta Vniuersali Inquisitione Romana, & supremi fidei Quæsitoris sanctæ Inquisitionis Hispanicæ.

TRA-

TRACTATVS VIII.

De officio & poteſtate Inquiſitorum.

RESOLVTIO I. *An Iuriſdictio DD. Inquiſitorum ſit delegata, vel ordinaria?*

ESSE delegatam putant Doctores, quos citat Narbona *in 3. part. recopilat. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloſſ. 22. n. 79.* quibus ego addo Zanardum *in direct. Theol. part. 2. prac. 1. c. 6.* Moſcouium *de maieſt. milit. Eccleſ. lib. 1. part. 1. cap. 11.* Butrium *in c. Legatos, de off. legati in 6.* & Homobonum *de ſtatibus part. 1. cap. 8.* Alij verò putant eſſe ordinariam, & ſic docet Paramus *de orig. Inquiſit. lib. 3. quæſt. 2. & in defenſ. cap. 1. n. 11.* & hanc opinionem nouiſſimè mordicus tenet & ſolidiſſimis rationibus probat Ioannes Dionyſius Portocarrero *in alleg. ſobre la competencia de iuriſdicion entre la Inquiſicion y miniſtros reales, num. 48.* & ante illum Didacus Cantera *in qq. crimin. cap. 2. de probat. per teſtes, quæſt. 1. n. 65. fol. mihi 157.* vbi aſſerit Inquiſitores habere iuriſdictionem ordinariam, vnde non mihi placet opinio Barboſæ *in l. Prætor. §. 1. n. 65. ff. de iudic.* qui ponit differentiam inter Inquiſitorem generalem, & alios Inquiſitores, dicens illum habere iuriſdictionem ordinariam, hos autem delegatam, quia ceteri Inquiſitores ſunt remouibiles ad nutum Inquiſitoris generalis. non, inquam, mihi placet hæc opinio, quia etiam Inquiſitor generalis eſt ad nutum Summi Pontificis amouibilis; non eſt ergo verum dicere, quidquid aſſerant Simanca & alij, ceteros Inquiſitores eſſe delegatos eiuſdem Inquiſitoris generalis, & ab eo iuriſdictionem accipere, nam omnes immediatè à Summo Pontifice iuriſdictionem accipiunt, mediante ſola nominatione perſonarum facta ex commiſſione Pontificis ſibi indulta, & hæc omnia rectè contra Barboſam docet alter Barboſa *in collect. to. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. n. 11. & 12.* Torreblanca *de magia lib. 3. cap. 5. n. 2. 11. & 12.* cum Molina *de iuſtit. tom. 5. tract. 5. diſp. 29. n. 7.* Souſa poſt hæc ſcripta *in aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 2. num. 4.* & ideò Portocarrero *vbi ſuprà*, aſſerit loquens de aliis Inquiſitoribus: *En ninguna de las dichas calidades ſe diferencian del Señor Inquiſidor general, cuya iuriſdicion es ſin duda ordinaria.* & hæc opinio eſt probabiliſſima; ſed ego vtramque ſequor. Ideò aſſero iuriſdictionem Inquiſitorum in ſe quidem & à principio delegatam eſſe, & habere omnes excellentias delegatæ iuriſdictionis, ad ordinariam tamen valdè accedere, & cum illa ferè in omnibus conuenire, ita vt careat imperfectionibus delegatæ, & ita eleganter probat & docet Auguſtinus Barboſa *vbi ſuprà*, citans Molinam, quem etiam ſequitur nouiſſimè Emanuel do Vallè de Moura *opuſc. 1. de enſal. & incantat. ſect. 3. c. 1. n. 6.* & Sanctarellus *tract. de hæreſi c. 40. dub. 1. n. 5.* vbi aſſerit eſſe veriorem & communiorem ſententiam, iuriſdictionem Inquiſitorum valdè accedere ad ordinariam, & ita ego ſentio. Vnde rectè Emanuel *vbi ſuprà*, aſſerit iuriſdictionem Inquiſitorum eſſe ordinariam quoad vtilitates ordinarias, & eſſe delegatam quoad vtilitates delegatæ.

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd iuriſdictio Inquiſitorũ etiamſi fuerit conceſſa cum clauſula, *vſque ad beneplacitum*, non expirat, nec ceſſat morte concedentis, & hoc in fauorẽ fidei. Ita Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib. 1. c. 2. n. 5.* Farinacius *de hæreſi quæſt. 186. §. 2. num. 23.* & Pegna *in director. part. 3. comment. 56. & 57.* & alij *vbi infrà* citandi, peculiari reſolutione de hac quæſtione facienda.

RESOL. II. *An iuriſdictio Inquiſitorum conceſſa ſit cumulatiuè, an priuatiuè?*

IVriſdictionem Inquiſitorum non præiudicare iuriſdictioni Epiſcoporum, cùm cenſeatur conceſſa cumulatiuè, non autem priuatiuè, docet Sylneſter *ver. hæreticus, §. 2. n. 10.* Rojas *ſingul. 28. num. 2.* Gundiſſaluus *de hæret. q. 7. n. 9.* Simanca *de Cathol. inſtit. tit. 25. n. 4.* & alij penes Farinacium *tract. de hæreſi quæſt. 186. n. 38.*

Sed conſuetudine in Inquiſitione Hiſpanica introductum eſſe notat Sanctarellus *tract. de hæreſi c. 40. dub. 2. num. 15.* vt de hæreſi ſoli Inquiſitores cognoſcant, & vt Epiſcopi per ſe, vel per Vicarios Inquiſitoribus aſſiſtant, & vt non poſſint Epiſcopi ſeparatim ab Inquiſitoribus de cauſis hæreticalibus cognoſcere, & vt denuntiationes ſibi factas teneantur ad ipſos Inquiſitores remittere; & eſt vſu receptum vt ſoli Inquiſitores proceſſum formẽt, atque ipſi ſoli procedant, & vt rei Inquiſitorum iuſſu comprehendantur, in ſoloque Inquiſitorum carcere cuſtodiantur; & addit litteras Apoſtolicas eſſe in Hiſpaniis, quibus præcipitur vt hæc Epiſcopi, & alij Ordinarij Inquiſitoribus relinquant, neque in eis ſe intromittant. Si verò Ordinarij reperiant, efficere debent illis de rebus ſummariam informationem, eamque ad Inquiſitores debent tranſmittere. Item expedit delinquentem comprehendere ne fugiat; comprehendere autem poſſunt illum Ordinarij, & tranſmittere ad Inquiſitores, aut illos certiores facere, vt illum ad ſuum carcerem adducant. Ita Sanctarellus, & ante illum Molina *de iuſtit. tract. 5. diſp. 28. num. 12. & 13.* Acugna *tract. de Confeſſar. ſollicitant. quæſt. 2. num. 1.* Ioan. Valerus *in different. vtr. fori, ver. hæreſis. diff. 3. num. 1.* & nouiſſimè Barboſa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. num. 3.* Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib. 1. cap 2. num. 11.* Pegna *in director. part. 3. quæſt. 52. comment. 101.* & alij penes ipſos. Vide etiam Riccium *part. 3. deciſ. 279. num. 1.* & Bobadillam *in politic. tom. 1. lib. 2. cap. 17. num. 72.*

Notandum eſt etiam hîc obiter, iuriſdictionem noſtrorum Inquiſitorum Hiſpaniæ in ordine ad eorum miniſtros eſſe etiam priuatiuam, & ita tenet Portocarrero *in allegat. de iuriſdict. Inquiſit. n. 49.* vbi

ſic ait: *La iuriſdicion que los Inquiſidores tienen en ſus miniſtros es priuatiua, no obſtante que ſea concedida à cierto oficio, porque à eſta conceſsion procedio la exempcion Apoſtolica que eſta aprobada y mandada guardar por las cartas de ſus Mageſtades, y oſſeruada inuiolablemente, y no puede darſe acumulacion donde ay exempcion loqual no ſolamente eſcluye la preuencion de los Ordinarios ſeglares, ſi no tambien de los Eccleſiaſticos y con mayor razon ſiendo como es la exempcion generalmente Apoſtolica, que reſpeto de los Eccleſiaſticos no recibe duda, ni diſputa.* Hæc ille, quæ ſunt valdè notanda, quia liber iſte non eſt paſſim obuius.

RESOL. III. *An DD. Inquiſitores Hiſpaniarum poſsint exercere aliqua non ſolùm quia ipſis competunt de iure, ſed etiam propter conſuetudinem?*

EX deciſione huius quæſtionis remanebit ſatis ampla aduerſus aduerſarios iuriſdictio DD. Inquiſitorum, & ideò affirmatiuam ſententiam teneo, quam in primis docet Molina *de iuſtit. tom. 5. tract. 5. diſp. 28. num. 14.* vbi ſic ait: Neque iam nunc Ordinarij audirentur ſi aliud vellent, *conſuetudine in his Regnis tribuente iuriſdictionem Tribunali Inquiſitionis circa hæc & circa alia rationaliſsima vſu, conſuetudineq; recepta.* Sic ille, & poſt illum Dionyſius Portocarrero *in allegat. pro iuriſd. Inquiſit. num. 24. & ſeq.* qui fusè & ſolidè hanc ſententiam probat & tenet, & rationem adducit, quia ſicut iuriſdictio priuilegio quæri poteſt, ita & conſuetudine, conſuetudo enim dat iuriſdictionem, & præter Doctores quos ipſe citat docet hoc etiam Pariſius *conſil. 25. num. 36. lib. 1.* Decianus *lib. 4. cap. 27. num. 6.* Ambroſinus *de immun. cap. 14. num. 1.* Natta *conſil. 98. num. 4.* Menochius *conſil. 112. nu. 65. vol. 2.* Surdus *conſil. 465. num. 4.* Gratianus *diſcept. for. cap. 184. num. 25.* Sayrus *de cenſ. lib. 1. cap. 6. nu. 31.* Schrad. *de feud. part. 10. ſect. 5. n. 5.* & alij penes ipſos.

Notandum eſt etiam quòd hanc ſententiam confirmant ipſi Reges, & ita Philippus II. in quadam Epiſtola apud dictum Portocarrero *nu. 13.* ſic aſſerit: *A. D. Felippe Ceruellon Virrey de Mallorca. Ya ſabeis lo mucho, que Dios es ſeruido y nueſtra ſanta fe Catholica enſalçada por el ſanto Oficio de la Inquiſicion, y aſsi es nueſtra voluntad, que à ſus Oficiales y Miniſtros de la ſanta Inquiſicion deſte Reyno deis ſiempre y hagais dar todo el fauor que fuere meneſter paraque libremente y ſin impedimento alguno puedan vſar de ſus cargos y oficios y de las libertades, gratias, preeminencias, exempciones, immunidades a ellos, aſsi por derecho como por coſtumbre pertenecientes, &c. Dada en Valladolid, à 10. dias del mes de Marzo* 1542. & Philippus III. in quadam Epiſtola directa ad omnes Proreges *anno* 1603. ſic ait: *Os encargo mucho, que aſsi a los venerables Inquiſidores, como à todos los otros oficiales, familiares, y Miniſtros del dicho ſanto Oficio los honreis, y fauoreceis dandoles de nueſtra parte todo el fauor y ayuda que ſe os pediere y fuere neceſſario, guardandoles, y haziendoles guardar todos los Priuilegios, exempciones, y libertades, que les eſtan concedido por derecho, cõcordia, cedulas Reales, como de vſo y coſtumbre, y en otra qualquier manera, &c.* quæ quidem verba vltima, videlicet, *y en otra qualquier manera*, comprehendunt quidquid vſu receptum fuerit, licet vim conſuetudinis nondum aſſumpſerit. Ita Portocarrero *vbi ſuprà n. 29. & 43.* qui *in n. 20.* explanat ſupradicta verba, *Que aunque en terminos de derecho comun no eſta eſpecificado, quatenus pateat, ni en que caſos, ni coſas eſta exempcion de los miniſtros de la Inquiſicion, ni que diferencia haya entre ellos. Però por concordias, cedulas Reales y por coſtumbre eſta determinado, y aſsi vnas palabras añaden à otras. & n. 24.* obſeruat ſupradictos Reges per dicta verba approbaſſe & confirmaſſe omnes conſuetudines S. Officij, quorum approbationem & confirmationem ex multis Doctoribus habere vim legis demonſtrat. Igitur poſſunt DD. Inquiſitores exercere omnia, quæ ſibi competunt de iure communi, vel ex conſuetudine, vel quidquid vſu receptum fuerit. Vnde ex his apparet quòd ſi aliqui huic ſententiæ contradicunt, non ſolùm contra rationem, ſed etiam aduerſus voluntatem Regis inſurgunt, vt patet ex dictis. Domini enim Inquiſitores numquam ſe extendunt ad aliquid faciendum, niſi id ſibi competat de iure, ſeu de conſuetudine, vel ſaltem exemplis non conſtet, hoc aliàs factum fuiſſe, quod comprehenditur, & conceditur à Regibus in illis verbis, *y en otra qualquier manera*, & in illis, *aſsi por derecho como coſtumbre*, quæ omnia ſi aliqui ſcirent & conſiderarent, non equidem contra DD. Inquiſitores obmurmurarent, dicentes illos multa exercere, quod de iure facere non poſſunt, nam multa etiam licitè faciunt, ſtante vſu, & conſuetudine. & ita hanc ſententiam poſt hæc ſcripta tenet etiam Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. l. 4. c. 3. numer. 5.* vbi ex quadam Bulla Pauli III. docet *quòd conceditur Inquiſitoribus vti conſuetudinibus & aliis quibus quomodolibet vtuntur.*

RESOL. IV. *An Inquiſitores in cauſa hæreſis ex leui ſuſpicione poſsint formare Inquiſitionem, non præcedente diffamatione?*

AFfirmatiuè reſpondeo quoad Inquiſitionem Generalem, ex *cap. accuſatus, de hæret. in 6.* non autem ex *cap. excommunicamus. §. adiicimus, de hæret.* vt benè aduertit Angelus *tract. de malefic. in ver. hæc eſt, num. 51.* contra Farinacium *quæſt. 9. num. 14.* Vide Rolandum à Valle *conſil. 8. num. 6. lib. 1.* Simancam *in Cathol. inſtit. tit. 44. numer. 9.* Arelatanum *de hæret. notab. 26.* & alios communiter.

Verùm Iulius Clarus *lib. 5. §. finali, quæſt. 6. num. 7.* licet teneat quòd in crimine hæreſis poteſt procedi abſque eo quòd præcedat diffamatio, vt dictum eſt, putat tamen quòd vltra ipſam ſuſpicionem adhuc requiratur querela, vel denuntiatio, prout in aliis criminibus, aliàs darentur nimis latæ habenæ Inquiſitoribus. Ita ille.

Sed aduerſus hanc ſententiam & meritò, inſurgit Sigiſmundus Scaccia *de iudiciis lib. 1. cap. 59 nu. 11.* nam ſi eſſet vera, ſequeretur, quòd ſi quis committeret aliquod factum hæreticale, vtpote quia comboureret crucem, vel aliam imaginem alicuius Sancti, vel quid ſimile faceret, ob quod redderetur ſuſpectus, & Inquiſitor inquirendo generaliter eum inueniret ſine denuntiatione, & ſine accuſatione, non poſſet contra eum procedere; quod dicere eſt valdè abſurdum. ergo, &c. Nec obſtat quòd Inquiſitoribus concedantur latæ habenæ, quia non eliguntur niſi viri graues.

Notan-

Notandum eſt tamen, his non obſtantibus, quòd licet in crimine hæreſis poſſit procedi contra aliquem ex leui ſuſpicione, non ſolùm per viam accuſationis, ſeu denuntiationis, ſed etiam per viam Inquiſitionis, non præcedente clamore & infamia, vt in aliis delictis, attamen leuis ſuſpicio in tali caſu dicitur per comparationem ad vehementem, ſed in ſe notabilis eſſe debet Iudicis arbitrio, vt habetur *in gloſſ. 1. cap. excommunicamus 1. §. qui autem, de hæret.* iuxta quod explicandi ſunt Doctores aſſerentes in caſu hæreſis procedi poſſe contra quoſcumque ex leui ſuſpicione, vt Scaccia *vbi ſuprà*, Arelatanus *de hæret. notab. 27.* Rojas *de hæret. part. 2. num. 20. & 180.* cum aliis. Et hæc omnia notat & aduertit optimè Freytas *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollicit. quæſt. 5. n. 37.* Si autem ſcire vis, qui dicantur leuiter, vel vehementer de hæreſi ſuſpecti, vide Albertin. *de agnoſcend. quæſt. 34. à num. 4.* Simancam *in Cathol. inſtit. tit. 50. à num. 24.* & alios. Sed de hac quæſtione iterùm *infrà* redibit ſermo.

RESOL. V. *An Inquiſitores poſſint recuſari vt ſuſpecti?*

DE hac quæſtione agit Sigiſmundus Scaccia *de iudiciis lib. 1. cap. 67. n. 7. iuncto cap. 66. n. 13. & 16.* vbi reſpondet multis diſtinctionibus affirmatiuè. Idem docet Bernardus Comenſis *in Lucerna Inquiſitorum, ver. recuſatio Inquiſitoris, n. 1.* Tabiena *ver. Inquiſitio 4. n. 5.* Paramus *de orig. Inquiſit. lib. 3. quæſt. 4. num. 54.* quidquid in contrarium aſſerat Rojas *ſingul. 100. & de hæret. part. 2. n. 435.* cum Menochio *lib. 1. conſ. 94. num 12.*

Sed Inſtructio Toletana *anno 1561.* ſic *in num. 52.* circà hoc dubium determinat: *Si alguno de los Inquiſidores fuere recuſado, por algun preſo, ſi tuuiere colega, y eſtuuiere preſente, deue ſe abſtener del conocimiento de aquella cauſa, y auiſar al Conſejo, y en tanto no proceda en el negocio aſta que viſtas las cáuſas de ſoſpecha, el Conſejo prouea lo que conuenga, y lo miſmo ſe harà quando todos los Inquiſidores fueren recuſados.* Vide etiam Pegna *in director. Inquiſit. part. 3. comment. 30. § Poſtremò videndum eſt.* Vbi aſſerit in tali caſu recuſationis non eſſe arbitros eligendos, ſed ad ſupremum Senatum cauſa recuſationis remittatur, vt ibi ſummatim re cognita poſteà determinetur, ſi Inquiſitor recuſatus ſit ſuſpectus.

RESOL. VI. *An ſi rei petant Confeſſarium, debeant Inquiſitores eis illum concedere?*

AFfirmatiuè reſpondet Zanardus *in direct. Theol. part. 3. cap. 86.* vbi ſic ait: Si carcerati in S. Officio Confeſſarium petant, liberè eis dabitur, cùm hoc multùm eorum ſaluti expediat, vt Deo reconcilientur, quæ reconciliatio erit medium ad reconciliationem cum Eccleſia.

At Inſtructio Toletana *anno 1561.* edita Matriti *anno 1574.* ſic *in nu. 71.* aſſerit: *Si el preſo tuuiere ſalud, y pidiere Confeſſor, màs ſeguro es no ſe lo dar ſaluo ſi huuiere confeſſado judicialmente, y huuiere ſatiſfecho à la teſtificacion. en tal caſo parece coſa conueniente darle Confeſſor para que la conſuele, y le eſfuerce.* Et in caſu quo Confeſſarius erit reo cõcedendus, dicta Inſtructio ibidem ſic ordinat: *Tomen juramento que tendra ſecreto, y que ſi el penitente le dixere en confeſsion alguna coſa que de por auiſo fuera de las carceles que no acepte el tal ſecreto, ni de ſemejantes auiſos. Y ſi fuera de confeſsion ſe lo huuiere dicho lo reuelerà à los Inquiſidores, y lo auiſaran, y inſtruyran de la forma como ſe ha de hauer con el penitente, ſignificandole que pues eſta preſo por herege, ſi non manifeſta ſu heregia judicialmente ſiendo culpado no puede ſer abſuelto.*

Verùm, non obſtante dicta Inſtructione Toletana, inuenio Pegnam *in direct. Inquiſ. part. 2. commen. 25. §. diximus hucuſque de ægrotantibus*, docere, benigniùs videri vt reis hæreticis etiam ſanis Confeſſarius concedatur, etiamſi confeſſi non fuerint in iudicio. Nam hinc multa commoda oriri poſſunt, & in hoc caſu partes Confeſſoris erunt, reum cohortari ad deferendos errores ſuos, & dicendam integram veritatem tam de ſe, quàm de aliis: addat tamen ne tædio carceris, vel ſpe celerioris liberationis, aut metu tormentorum ſibi, aut aliis falſum crimen imponat; non tamen Confeſſarius poterit abſoluere dictum reum priuſquam ab excommunicatione fuerit abſolutus, & Eccleſiæ reconciliatus.

Sed vtplurimùm praxis demonſtrat ſecurius eſſe, vt notat dicta Inſtructio Toletana, non dari reis Confeſſarium, niſi poſt confeſſionem iudicialem, & ideò poſt hæc ſcripta inueni Praſecium *in praxi part. 2. cap. 4. art. 6. num. 7.* ſic aſſerentem: Cauſa pendente non eſt admittendus hæreticus ad audiendam Miſſam, neque illi concedi debet Confeſſarius, niſi in periculo mortis, ſi fuerit conterſus, quod eſt valdè notandum in fauorem inſtructionis Toletanæ.

RESOL. VII. *An Inquiſitores poſſint citare & capere reum in alieno territorio ſine litteris ſubſidialibus dominorum?*

REſpondeo affirmatiuè; & quoad dominos temporales, res eſt clara, quia hæreſis eſt crimen meri fori Eccleſiaſtici, quod priuatiuè quoad laicos ſpectat ad Inquiſitores, quibus ſunt ſubditi, non ſolùm Iudices præfatorum dominorum, ſed ipſimet domini. Vnde eorum aſſenſus neque de iure, neque de vrbanitate requirendus eſt, ſed ſolùm in auxilium, ad quod præſtandum tenentur ſub pœna excommunicationis. Et idem dicendum eſt quoad dominos ſpirituales, ſaltem in Hiſpanica Inquiſitione, quales ſunt Epiſcopi & Inquiſitores, quia Iudex poteſt citare per proprium Nuntium, quando loca ſunt ſub eodem Præſide: ſed omnes Epiſcopi & Inquiſitores ſunt Iudices delegati Pontificis, qua ratione eiuſdem, & non alterius imperio ſubſunt: ergo, &c. Verùm attenta practica Inquiſitores Inquiſitoribus & Epiſcopis in caſibus occurrentibus litteras requiſitorias mittere ſolent. Et hæc omnia docet Scaccia *de iudic. lib. 1. c. 23. n. 4. & 5.* & ante illum Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 2. n. 13. & 14.* Poſſunt igitur Inquiſitores non ſolùm verbaliter, ſed etiam realiter citare, & capere reum in alieno territorio, & mandare vt ad ſe tranſmittantur libri, & alia ſimilia neceſſaria ad cauſam.

RESOL. VIII. *An Inquiſitores poſſint accipere xenia, hoc eſt, eſculenta, & poculenta, quæ intra paucos conſumuntur dies, & ſponte ſibi ſunt oblata?*

AD hoc dubium ſic reſpondet Scaccia *de iudic. lib.1.cap.87.n.12.* Dico quòd in Hiſpania nec Inquiſitores, nec alij S.Officij miniſtri poſſunt accipere non ſolùm munera, ſed nec etiam eſculenta, & poculenta, & contrà facientes incurrerent excommunicationem, priuarentur officio, tenerentur reddere duplum, & alia pœna mulctarentur, & hoc procedit etiamſi acciperentur ab eiſdem Officialibus S. Inquiſitionis. Quinimò miniſter cùm ſciuerit alium miniſtrum donum accepiſſe, tenetur ſub eiſdem pœnis illum Inquiſitori reuelare. Alibi tamen vbi huiuſmodi prohibitiuæ conſtitutiones non extant, vidi ab Inquiſitoribus eſculenta & poculenta accepta fuiſſe. Ita ille, & ante illum Pegna *in direct. Inquiſit. part.3.commen.* 153. Simanca *in Cathol. Inſtit. tit.34.n.45.* quibus adde Moſcouium *de maieſt. milit. Eccleſ. lib.1.part.1.c.11.*

RESOL. IX. *An Inquiſitores teneantur dare reo non ſolùm Aduocatum, ſed etiam Procuratorem?*

AFfirmatiuè reſpondet Inſtructio Hiſpal. *anno* 1484. *num.16.* vbi ſic habetur: *Si el reo acuſado pidiere que le den abogado y procurador que le ayude deuenlo dar los Inquiſidores recibiendo el Iuramento en forma que ayudaran fielmente al tal acuſado, alegando ſus legitimas defenciones ſin procurar, ni poner cauilaciones, ni dilaciones malicioſas, y que en qualquier parte del pleyto, que ſupiere y conoſciere, que ſu parte no tiene iuſticia no lo ayudarà mas, y lo dirà à los Inquiſidores, y al acuſado le deuen dar de ſus bienes, ſi los tiene, para pagar el ſalario del letrado y procurador.* Ita ibi. Sed hæc Inſtructio quoad Procuratorem reuocata fuit per aliam Inſtructionem Toletanam *ann.*1561. vbi *num.35.* ſic habetur: *Aunque la Inſtrucion diſpone que ſe de à los reos procurador no ſe le deue dar, porque la eſperiencia ha moſtrado muchos inconuenientes que dello ſuelen reſultar, y por la poca vtilidad que de darſe ſe conſeguia à las partes, no eſta en eſtilo de darſe, aunque algunas vezes hauiendo mucha neceßidad ſe ſuele dar poder al abogado que lo defiende.* Et ſic hodie non datur hæretico reo Procurator, ſed tantùm Aduocatus, vt tradunt Simanca *in Cathol. Inſtit. tit.1.n.2.& 3.* Paramus *de origin. Inquiſ. lib.3. quæſt.4.n.48.* Rojas *ſingul.53.* Pegna *in director. Inquiſ. part.3.comment.28.* & alij.

Non deſinam etiam hîc apponere ad aliorum Inquiſitorum inſtructionem, ea quæ dicta Inſtructio Toletana *n.36.* determinat obſeruanda ab Inquiſitoribus Hiſpaniæ circa præſentem materiam rei & Aduocati. Sic enim habet: *Si el Reo pidiere papel para eſcriuir lo que à ſu defenſa tocare deuenſele dar los pliegos contados y rubricados del Notario, y aßienteſe en el proceßo los pliegos, que lleua, y quando los boluiere ſe cuenten por manera que al preſo no le quede papel, y ſe aßiente à ſi miſmo como los buelue, y darſele ha recaudo con que pueda eſcriuir, y quando pidiere que venga ſu letrado vendra y communicara lo que le conuenga, y le entregara los papeles, que tuuiere eſcritos tocantes à ſus defenças que el letrado huuiere ordenado antes de preſentarlas darſele ha lugar, y aduiertan los Inquiſidores, que el letrado ni otra perſona, no trate con los preſos coſa ninguna, mas de lo que toca à la defenſa, y los abogados no ſe queden con ningun traſlado de acuſacion, publicacion, ni de las tachas de los teſtigos, ſi no que todo le bueluan ante los Inquiſidores.* Hæc ibi, quæ multùm deſeruient pro Aduocatis, qui vocantur *de los preſos.* Vide Simancam *vbi ſuprà.* qui etiam notat *n.8.* quòd ea quæ Aduocati allegãt reo præſente, perinde habenda ſunt, ac ſi ab eodem reo proferantur, niſi fortè Aduocatus errauerit, & reus intra triduum contradixerit. Sed in cauſa hæreſis, etiamſi poſt triduum de errore, aut imprudentia Aduocatorum conſtiterit, reo nocere non debet, quia ſimpliciter & ſumma æquitate in hoc iudicio agitur, reiecto iuris rigore. Ita ille.

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd Inquiſitores poſſunt cenſuris compellere ſæculares Aduocatos, vt alicuius rei cauſæ patrocinium ſuſcipiant. Ita Alphonſus Narbona *in recopilat. lib.4.tit.1. leg.20.gloſſ.22.num.63.* vbi citat Bobadillam, & Decianum.

RESOL. X. *An Inquiſitores poßint condemnare abſolutum, iterùm de eodem crimine pleniori ſuperueniente probatione?*

AFfirmatiuam ſententiam videtur docere Inſtructio Hiſpalenſis *ann.* 1484. *num.3.* vbi ſic habetur: *Item acordaron y ordenaron que los que fueren preſos por eſte delito que no ſean fatigados en las carceles, en la dilacion del tiempo, que luego ſe haga el proceßo con ellos, porque no aya lugar de quexarſe y no ſe detengan à cauſa de no hauer entera probanca, pues que es cauſa quando ſobreuiene probanca ſe puede de nueuo agitar no obſtante la ſentencia que fuere dada.*

Sed iſtam conſtitutionem aliqui intelligunt de reo qui fuit abſolutus ab inſtantia Iudicis; ſecus autem ſi fuit in totum abſolutus, nec repugnet iuri communi & legi *ſi cui, §.1.ff de accuſationibus, & cap. de his, de accuſat.* & ex auctoritate & argumento *l. libellorum, & cap. cùm P. de accuſation.* Vide Brunum *de hæret. lib.4.c.8.* & Decium *conſ.137.*

Verùm, his non obſtantibus, Ioan. Rojas *de hæret. part.2.aſſert.49.n.385.* docet, quòd abſolutus, ſiue ab inſtantia Iudicis, ſiue definitiuè, iterùm de eodem crimine pleniori ſuperueniente probatione poterit condemnari. & *infrà num.386.* etiam docet condemnatum pœna arbitraria, quia delictum non fuit plenè probatum poſſe ordinaria pœna puniri ſuperueniente de eodem crimine legitima probatione, & ita obſeruatur in praxi in Sacro Tribunali S. Inquiſitionis Hiſpaniæ. Vnde poſt hæc ſcripta hanc ſententiam tenet etiam Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.2.cap.37.num.31.* & ideò à fortiori obſeruandum eſt id, quod determinat Inſtructio Toletana *ann.* 1561. *num.69.* vbi ſic ait: *Quando huuiere proceſſo contra alguna perſona determinado, ò ſin determinaſſe, y eſtuuiere ſobreſeido aunque no ſea de heregia formal, ſino que por otra razon pertenezca al S. Oficio ſobreueniendo nueua probanca de nueuos delitos deueſe acumular el proceſſo viejo con el proceſſo nueuo para agrauar la culpa y el Fiſcal haga mencion del en ſu acuſacion.* Sic ibi.

RESOL. XI. *Quando & quomodo Inquiſitores debeant procedere ad carcerationem reorum?*

AD hoc quæſitum ita reſpondet Didacus Cantera *in qq. crim. cap.1. de probat. per teſtes, quæſt.1. n.60.* vbi ſic ait: In crimine hæreſis numquam proceditur ad capturam, niſi ſint ſufficientia indicia

ad

ad torturam,& sic seruatur in Inquisitionibus Hispaniæ. Ita ille. quod etiam seruari in Inquisitionibus Italiæ testatur M. Antonius Genuens. *in praxi Archiepis.c.68 n.1.* vbi sic asserit: Cùm carceratio in causis sanctæ fidei irroget sæpè facti infamiam, numquam Curia procedit ad capturam,nisi saltem adsint indicia ad torturam, & nonnumquam quãdo persona denuntiata est grauis, antequam carceret,solet iniungere vni ex Consultoribus, vt secreto modo se informet à Parocho denuntiati,vel aliis personis fide dignis,quomodo ipse denuntiatus ambulet in vita & moribus; rarò autem procedit ad citationem verbalem, & quando citat, non inserit in citatione causam delicti,vt in aliis citationibus fieri debet, sed in genere citat ad subiiciendum se examini super nonnullis mouentibus mẽtem ipsius Curiæ tangentibus sanctam fidem. Ita ille.& ideò Pegna *in direct.Inquis.part.3.comment* 17. asserit, quòd ad reorum capturam plena delicti probatio,vel maxima indicia, aut vehementes suspiciones præcedere debent.nam ex leuibus suspicionibus non est ad eam veniendum, vbi rei fuga non timeatur;& licet soli Inquisitores possint capturam decernere, securius tamen est maturo Cõsultorum consilio rem tantam aggredi, & ob delictum omnium grauissimum, & ob famam, quæ ob solam capturam non modicè læditur. & ideò *in Instruct.Tolet.ann.1561.nu.3.* sic habetur:*Los Inquisidores vista la informacion juntamente, y no el vno, sin el otro, si estuuieren ambos presentes acuerden la prision, y parece seria mas justificada se comunicasse con los consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiera hazer, y pareciere à los Inquisidores conueniente y necessario, y assientese por auto lo que se acordare.* Sic ibi.

De hac autem re vide Zanardum *in direct.Theol. part.3.cap.83.* Scacciam *de iudic. lib. 1. cap.44. numer. 4.& 5.* Boërium *decis. 215. numer. 34.* Simancam *in enchir.tit.25.num.2* & Rojas *de hæret. part. 2. assert.1. num. 22.* vbi docet vnius testimonium omni exceptione maioris sufficere ad carcerandum; secus si accusatus esset nobilis ac bonæ opinionis,& famæ, nam in tali casu requirit, vt plures adsint testes, vel indicia. Vnde aliqui docent, etiam in causa hæresis Sacerdotem non esse incarcerandum ex vnius testis delatione. Vide Acugnam *tract de Confess.sollicit.quæst.4.numer. 27.* & Sigismundum Scacciam *lib.1.cap.44.num. 4.& 5.* Sed in casu occurrenti DD. Inquisitores considerabunt circumstantias,& qualitates testis,& rei.

RESOL. XII. *An Inquisitores præter Secretarium quando recipiunt testes, teneantur adhibere duas religiosas personas?*

REspondeo affirmatiuè, ex *cap. vt officium,§.verum,de hær.in 6.* sed sub nomine Religiosorum intelligi etiam Clericos,docet Simanca *in instit. Cathol.tit.64.num. 9.* imò laicos graues & prudentes tenet Pegna *in direct.Inquis.part.3 quæst.63.* Sed hanc Pegnæ opinionem Piasecius *in praxi part. 2.c.4.art. 6.num. 4.* & M.Anton. Genuens. *in praxi Archiep. cap.68 nu. 1.* limitant quando Clerici inueniri non possunt, tunc enim laici graues & prudentes adhibendi sunt.

Sed ego absolutè puto etiam data copia Regularium & Clericorum sufficere laicos graues & prudentes,& ideò Zechius *in summ.tom.1. de hæret. cap.11.num.15.* Scaccia *de iudiciis lib. 1. cap. 87. numer. 16.*& Sanctarellus *tract.de hæresi cap 38.dub.vnic. numer.5.* asserunt, quòd in Tribunali S. Inquisitionis absque præsentia personarum religiosarum fiunt processus, & tales processus approbat Generalis Inquisitio Romana, & notant esse magis consilium, quàm præceptum, quòd debeant interesse duæ personæ religiosæ. Verùm in Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ in recipiendis testibus adsunt semper quinque personæ, Iudex, testis, scriba, seu Notarius, & duæ religiosæ personæ, & religiosas personas voco non regulares,vt *suprà* dixi, sed quæ animi candore & Religionis zelo commendentur.Ita noster Paramus *de orig.Inquis.lib.3.quæst.4.nu. 50.* Vide etiam Menochium *vol. 2. consil. 149.* Sed an Episcopi in recipiendis testibus contra hæreticos teneantur adhibere dictas duas personas religiosas, negat Repertorium Inquis. *ver. examinatio testium,*sed affirmat, & optimè,Pegna *in direct. part. 3.q.63.comment.112.*

RESOL. XIII. *An Inquisitores possint inquirere & punire eum,qui in sortilegiis immiscuit Sacramenta?*

AD quæstionem respondendo Vmbertus Locatus *in praxi Inquis.ver.Sacerdos, num. 4.* docet, quòd sortilegium in quo sacrum oleum miscetur, non sapit hæresim, nisi imploretur auxilium dæmonis ad ea, quæ de sui natura facere non potest. Et hanc sententiam tenet etiam Campegius *in addit.ad Zanchinum cap.22.littera C.in ver.Inquisitor.ver. pro his intelligendis,in fine.*

Verùm cum communi DD. sententia hoc sortilegium sapere hæresim manifestam dicendum est, & ita docet Riccius *in praxi tom.1.resol.224.num.11.* Delrius *in disquis.mag lib.5 sect. 15.§. Dico tertiò.* Torreblanca *de magia lib.3 cap.7.num.14.* Pegna *in direct. Inquis.part.2.quæst.42.comment.67.* Genuens.*in praxi Archiep.cap. 18. numer. 11.* Zanardus *in direct. Theol. part.3 cap.64.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. D.Thom. tom.1.quæst.96.art.4. disp. 2.* & Lucerna Inquis. *vers. sacramentis abuti.*vbi sic ait: Sacramentis abuti sapit hæresim, & Inquisitor potest punire tales abutentes, quando vtuntur sacramento Altaris ad faciendas incantationes,vel sortilegia, aut rebaptizando aliquem, vt dicitur in glossa *ver.saperent.§.sanè, cap. accusatus.* Idem etiam esset quando fierent ista cum sacramento Chrismatis, aut aliquo aliorum Sacramentorum, quia faciendo mentionem de corpore & sanguine Christi & de Baptismo, consequens est, quòd etiam intelligatur de aliis Sacramentis, quia de similibus simile est iudicium. Ita Bernardus Comensis auctor dictæ Lucernæ,cuius sententiam *ibi in annot.* approbat Pegna,&,vt dixi, omnes communiter.

RESOL. XIV. *An Inquisitores possint punire reum,qui in sortilegiis miscuit sacramentalia?*

NEgatiuè videtur respondendum ex sententia Torreblanca,qui *in lib.3.de magia cap.8.num.15.* putat sortilegium cum mixtione sacramentalium

non

non eſſe hæreticale, & citat Ghirlandum *de ſortil. quæſt.10.n.15.& ſeq.*

Sed hæc ſententia,pace viri docti,mihi diſplicet: & ideò illum impugnant communiter DD.vt Seſſe *tom.4.deciſ.463.num.9.& 464.num.12.* Bellochius *in praxi Theol.mor. part.2. quæſt.1.num.55.* Floronus *de caſ.reſeru.part.2 caſ.1.nu.49.* Zanardus *in direct.Theol. part.3.cap.64.* Genuenſ. *in praxi Archiep cap.18.num. 11.* Delrius *in diſquiſ.mag.lib.5.ſect.15.§. Dico tertiò.* Pegna *in direct.Inquiſ.part.2.quæſt.42.comment.67.* Scaccia *de iudic.lib.1.cap.12.numer.34.* Raphaël de la Torre *in 2.2.D.Thomæ quæſt.96.art.4.diſput.2.* & alij communiter,aſſerentes non ſolùm eſſe ſortilegium ſapiens hæreſim manifeſtam, quando in illo adhiberentur ſacramentalia, ſed etiam quando admiſcerentur verba ſacra, vt Euangelium, Symbolum fidei,Pater noſter,Aue Maria,Pſalmus aliquis Dauidicus,aut alia verba ſacræ Scripturę,ſeu aliæ,ſanctæ Orationes, vel vti imaginibus cereis, quas vocamus Agnus Dei, vel aliis rebus ſacratis, vt veſtibus ſacerdotalibus & ſimilibus. Et ratio horum omnium eſt, quia tales ſortilegi admittentes ſupradictas res in ſuis ſortilegiis,ſignificāt ſe credere huiuſmodi adhibita habere vim ad maleficiorū operationē. Vnde ex his videtur explodēda alia opinio Torreblancæ *vbi ſuprà,n.16.* aſſerentis non eſſe ſortilegium hæreticale miſcere reliquias Sanctorum, aut eas diſſoluere ad maleficia, & ideò contrariam ſententiam,& meritò, tenet Raphaël de la Torre, Zanardus & alij *vbi ſuprà*,docentes mixtionem Reliquiarum efficere ſortilegium hæreticale.

Resol. XV. *An Inquiſitorees poſſint punire ſortilegos eos, qui præſentia, vel præterita occulta reuelant, vt furta?* &c.

Affirmatiuè reſpondet Simanca *in Cathol. inſtit. tit.21. num.* 15. vbi ſic ait:Illi præterea puniendi ſunt qui præſentia, vel præterita occulta reuelant, quæ ab eis tunc naturaliter ſciri non potuerunt; ea enim dæmone ſuggerente nouerunt.Hi ferè ſunt, qui diuināt,vbi ſit res aliqua furto ſubtracta,& qui eodem die,quo aliquid geſtum eſt in longè diſtantibus locis,id ipſi enuntiant,ac ſi præſentes fuiſſent, qui quidem interrogandi ſunt ab Inquiſitoribus, vnde talia nouerint; & confeſſi,vel conuicti coërcendi ſunt,vt ſocij dæmoniorum.Ita Simanca.

Sed aduerſus illum inſurgit nouiſſimè Acugna *de Confeſſ ſollic.quæſt.5.nu.34.* vbi ſic aſſerit: Diuinationes & ſortilegia per ſe ſumpta, etiamſi pactum expreſſum, vel tacitum cum dæmone interueniat ſuper his, quæ ab ipſis effici poſſunt, cuiuſmodi eſt reuelatio eorum,quæ nobis ſunt occulta,non pertinent ad Inquiſitorum iuriſdictionem,ſi nulla detur aliunde admixtio hæreſis, veluti dæmonis adoratio,aut manifeſtus ſapor illius inducatur,veluti ſi conſulatur ad ea, quæ ipſe per naturam ſuam ſcire nequit. Ita ille. qui citat plures DD.quos etiam ſequitur Farinacius *de hæreſi.quæſt.181.num.54.* quibus ego addo Sigiſmundum Scaccia *de iudic.lib.1.cap.12. num.40.*

Verùm,his non obſtantibus, ego adhæreo opinioni Simancæ,quia nobis omne cum dæmonibus commercium interdictum eſt, & hanc ſententiam docet etiā Bartholomæus de Spina,inſignis Theologus Dominicanus, & Magiſter ſacri Palatij *in Apolog.4. contra Ponzinibium*, vbi probat,quòd abſolutè & ſine diſtinctione dicendum eſt omnem inuocationem dæmonis ſapere hæreſim manifeſtam.Sed aliqui concordant ſupradictas duas opiniones pugnantes, & dicunt quòd opinio Simancæ procedit, quando dæmon inuocatur per verba deprecatiua; opinio verò contraria, quando dæmon inuocatur imperatiuè. Vide Seſſe *tom.4.deciſ. 468.n.18.* & alios,ſed hæc diſtinctio mihi diſplicet, vt *infrà* patebit.

Resol. XVI. *An Inquiſitores poſſint inimicos admittere in teſtes?*

Reſpondeo negatiuè cum Simanca *in inſtit. Cathol.tit.64. num.* 80. Gundiſſaluo *de hæret. q.13. numer.13.* Zanchino *cap.13.numer.3.* Repertor.Inquiſ. *part.3. quæſt.* 67. & *ibi* Pegna *comment.* 116. & Ioan. Rojas *de hæret.part.2.num.231.* vbi aſſerit, quòd teſti inimico non ſit credendum,etiam in articulo mortis,& etiam quòd deponat in tortura,& etiam ſi ſit reconciliatus, dummodo reconciliatio fuerit recens, ſecus ſi antiqua. Vnde ex officio Inquiſitores debent diligenter inquirere de inimicitia teſtium tam ipſos teſtes,quàm inquiſitos.

Sed hæc omnia intelligenda ſunt de inimico capitali, ſecus de inimico non capitali,nam inimicitia ſi non fuerit capitalis, non impedit, vt aliquis non poſſit eſſe teſtis, licet fidem aliquantulum diminuat.Et ita docet Pariſius *lib.4.conſil. 2. num. 46.* Zechius *in ſumm.part.1.tit.de fide,rubr. de hæreſi ca.11. num.* 14. & alij. An verò ſuſpecti de inimicitia, vt amici, ſubditi, aut conſanguinei capitalis inimici, admittantur in teſtes ? negat Hieronymus Gabr. *conſil.178.num.8.& 24.lib.1.* Sed affirmant Calderinus & Sanchinus, quos refert Farinacius *tractat.de hæreſi quæſt.158.§.6 nu.* 107. Verùm hi DD. vt benè obſeruat Sanctarellus *tract.de hæreſi cap.38.dub.vnic. nu.14.* ſunt intelligendi, quando adſunt probabiles coniecturæ quòd non adducantur ex odio ad teſtificandum, ſed ex zelo fidei, quod prudens Inquiſitor obſeruare debet: ideò dictis teſtibus non creditur,niſi in quantum legitimo adminiculo adiuuentur, vt cum DD. citatis docet Souſa *in aphor. Inquiſit.lib.2.cap.10.n.8.*

Verùm,his non obſtantibus, Caſtrus Palaus *to.1. tract.4.diſp.8.punct.15.§.1.nu.10.* tenet amicum ſtrictum, vel conſanguineum inimici capitalis rei repellendum eſſe à teſtificando in crimine hæreſis,& citat Gabrielem *vbi ſuprà.* Sed ego non recedo ab opinione Souſæ & aliorum; in caſu verò occurrenti quænam ſint inimicitiæ capitales, DD. Inquiſitores & eorum Conſultores videant Almontem Ciazzium *in diſcept.crimin.diſcept.34.cap.1. num. 1.& ſeq.* cum aliis DD. *vbi ſuprà.*

Resol. XVII. *An in ratificatione teſtium debeant Inquiſitores ei præbere ſi petat primam atteſtationem?*

Certiſſimum eſt quòd teſtes in ſummario iudicio recepti, & examinati in plenario, medio præſtito iuramēto,debent iterùm examinari & reproduci,ſeu,quod vulgò dicitur,ratificari, & quòd aliter nec fidem faciunt in iudicio. Hoc ſuppoſito,

ad

ad dubium propoſitum ſic reſpondet Simanca *in inſtit. Cathol. tit. 64. num. 24. & 25.* Cùm autem obiecta crimina negat reus, tunc accuſatione à Procuratore fiſcali poſt admonitiones edita, teſtes iterùm ab Inquiſitoribus vocandi, & rurſus interrogandi ſunt, quod fieri ſolet non oſtenſo illis priori teſtimonio, vt rectiùs intelligi queat, vtrùm vera, vel falſa dicant, mendacem enim memorem eſſe oportet, quamuis in aliis cauſis aliud fieri debeat, ne teſtis anceps periurium ſubire cogatur. Præterea cùm in hac poſteriori teſtium examinatione, omne ferè teſtimoniorum pondus perſiſtat, quamuis reus dicat ſe habere velle teſtes, vt vulgò dicunt, pro ratificatis, nihilominus Iudices eoſdem iterùm examinare & interrogare debent, ne fortè defenſio reorum pereat, cui ne nominatim quidem renuntiare queunt. Ita Simanca.

Sed hanc ſententiam quoad primum dictum, ſi longum tempus ſit elapſum, inhumanā vocat Ioan. Rojas *ſingul. 206. num. 2.* vbi ſic ait: In crimine hæreſis teſtes debent iterùm ſuum dicere teſtimoniū, non extenſo, vel exhibito priori dicto, ſecundùm aliquos, quod ſatis inhumanum, meo iudicio, eſſe arbitror, nam ſi longum tempus eſſet elapſum, iam primæ atteſtationis teſtis eſſet penitus oblitus, cùm labilis ſit hominum memoria, ideò cautus teſtis dicat, quòd ſi apparuerit aliter dixiſſe in alia examinatione quàm hîc, quòd ex nunc corrigit dictum ſuum, & illud reducit ad primum dictum, cùm illo tempore meliùs huius rei erat memor. Ita Rojas.

Nota etiam quòd M. Anton. Genuenſis *in praxi Archiep. cap. 68. num. 4.* quoad ſecundum dictum Simancæ ſic aſſerit: Si Inquiſitus vellet habere teſtes fiſci pro repetitis, Curia procedit ad vlteriora, niſi aliud faciendū videretur, quia vt reus defendatur, ſolet Curia repetere ex officio teſtes, licet reus habeat ipſos pro repetitis. Ita ille. qui ſibi videtur contradicere. Vnde his omnibus minimè obſtantibus, & praxi Sacræ Inquiſitionis Hiſpaniæ, non recedit ab opinione Simancæ, quam etiā approbat nouiſſimè Bobadilla *in polit. lib. 2. cap. 21. num. 53.* Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 9. num. 6.* Ludouicus Miranda *de ordine iudiciario tom. 1. quæſt. 18. art. 7. in fine.* & Genuenſis *vbi ſuprà num. 3.* vbi ait, non eſſe legendam teſtibus primam depoſitionem, & Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. quæſt. 4. §. 9. numer. 3.* aſſerit, quòd non ſufficit, quòd rei habeāt teſtes pro repetitis. Vide etiam Simancam *tit. 24. n. 4.* vbi ponit praxim, quādo teſtis in ratificatione ſibi cōtradicit, ſic enim ait: Si poſteriora teſtimonia cum prioribus congruētia non fuerint, tunc teſtibus legi debent priora teſtimonia & interrogandi ſunt, cur illa tā variè dixerint, & modeſtè monēdi ſunt, vt in veritate perſiſtant, poſtremò quidquid reſpōderint, ſcribendum eſt, & teſtes varij ac vacillantes in cuſtodiam mittendi ſunt, & ſi id cauſa depoſcit, torquendi & puniendi ſunt. Ita Simanca.

Verùm non deſinam hîc apponere in gratiam lectorum ea quæ circa præſentem quæſtionem determinat Inſtructio Tolet. *an.* 1561. edita Matriti *anno* 1574. vbi *num. 30.* ſic ait: *Los teſtigos ſe ratificaran en la forma del derecho ante perſonas honeſtas, que ſeran dos Eccleſiaſticos, que tengan las qualidades que le requieren, Chriſtianos viejos y que hayan jurado el ſecreto, y de que ſe tengan buena relacion de ſu vida y coſtumbres, ante los quales ſe les diga como el fiſcal los preſenta por teſtigos. Pregunteſe les ſi ſe acuerdan hauer dicho alguna coſa ante algun Iuez in coſas tocantes a la fe, y ſi dixere que ſi diga la ſuſtancia de ſu dicho, y ſi no ſe acordare haganſele las preguntas generales por donde ſe pueda acordar de lo que dixo, y ſi pidiere que ſe lea, hazer ſe ha aſſi.* Ita ibi.

Nota etiam quòd in ratificatione teſtium Procurator fiſcalis non poteſt eſſe præſens, & ſic habetur in eius Inſtruct. *nu. 4.* edita Matriti 1576. vbi ſic ait: *Los fiſcales de las Inquiſiciones al tiempo que preſentaren ſus teſtigos para los ratificar deſpues que en ſu preſencia por los Inquiſidores les ſea recebido juramento no eſten preſente ni los Inquiſidores ſe lo permitan.*

RESOL. XVIII. *An Inquiſitores poſſint ſubdelegare cauſas hæreſis?*

REſpondeo affirmatiuè, quia delegatus Principis poteſt ſubdelegare, vt patet *in c. ſuper quæſtionum, de offic. deleg.* & notat Eymiricius *in direct. Inquiſit. part. 3. quæſt. 15. §. Reſpondemus,* & ob quas cauſas poſſit ſubdelegare, vide Pegnā *eadem part. 3. comm. 61. §. ſed iam.* Imò poteſt etiam ſibi Vicarium, ſeu Commiſſarium ſubſtituere, vt docet Thom. Treuiſanus *lib. 1. deciſ. 66. num. 4. & ſeq.* Sed an delegatus Inquiſitoris poſſit ſubdelegare, anceps eſt quæſtio, de qua vide ea quæ adducit dictus Pegna *p. 3. commen. 64. §. Hæc tamen ratio.* Vide etiam Molinam *de iuſt. tract. 5. diſp. 28. num. 8.* Azorium *tom. 1. lib. 8. cap. 8. quæſ. 10.* & Scaccia *de iudic. tom. 2. lib. 2. cap. 9. quæſt. 2. num. 641. & ſeq.* vbi ſatis firmat iuriſdictionem DD. Inquiſitorum circa delegandi teſtium poteſtatem, & Commiſſarios ſubſtituendi.

RESOL. XIX. *An iuriſdictio Inquiſitoris expiret per mortem delegantis, ſi etiam vnam cauſam non inceperit ante illius mortem?*

REſpondeo negatiuè, ex *c. ne aliqui,* & *ibi* gloſſa *in ver. non cœpta, de hæret. in 6.* & ita docet Eymericius *in direct. Inquiſ. p. 3. quæſt. 7.* & *ibi* Pegna & Iaſon *in l. maiorum, n. 10. ff. de iuriſd. omn. iud.* Imò non ſolùm non expirat iuriſdictio Inquiſitoris, ſed nec minùs expirat iuriſdictio Vicarij, ſeu Commiſſarij, aut alterius Delegati per mortem Inquiſitoris. Vide Thom. Treuiſanum *lib. 1. deciſ. 66. n. 7. 9. & 10.* Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 20. nu. 8. & cap. 22. num. 5. & 29.* Scacciam *de iudic. lib. 1. cap. 67. n. 8.* Simancam *in Cathol. inſtit. tit. 34. num. 14.* Rojas *ſingul. 114. num. 3.* Pegna *in direct. Inquiſ. part. 1. comm. 56. & 57.* Azoriū *tom. 1. lib. 8. cap. 18. quæſ. 7.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 28. n. 34.* & alios penes ipſos. Dicendū eſt igitur, quòd officium Inquiſitoris non expirat morte cōcedentis, vt, v. g. Papæ, Inquiſitoris maioris, &c. nec quoad negotia quæ nondū erant orta, vel cœpta, & hoc etiam procedit, vt dictum eſt *in reſolut. 1.* etiam ſi talis iuriſdictio fuerit conceſſa cum clauſula, *vſque ad beneplacitum,* & hoc in fauorem fidei.

RESOL. XX. *An detur appellatio à ſententia Inquiſitorum lata contra hæreticos?*

REſpondeo quòd à ſententia contrà hæreticos, eorumque credentes, fautores, defenſores, &

& receptatores lata non datur appellatio, vt patet ex *cap. vt Inquisitionis, de hæret. in 6.* & tradunt DD. vt Simanca *de Cathol. instit. tit. 6. num. 2.* Rojas *singul. 19. n. 1. & seq* Paramus *de Inquisit. orig lib. 3. quæst. 4. nu. 58.* Decianus *in tract. crim. lib. 5. cap. 20. n. 26. & c. 58. nu. 1.* & Farinacius *de hæresi q. 185. §. 15. n. 227.* vbi *nu. 230.* notat, quòd sicut hæreticus à sententia contra se lata appellare non potest, ita nec etiam appellare possunt illius heredes.

Notandum est tamen quòd limitatur supradicta sententia à Farinacio *n. 232. & 235.* Calderino *tract. de hæret. c. 29. n. 2.* cum aliis in appellatione à sententia interlocutoria grauaminis illati ante definitiuã, & pariter in appellatione à decreto torturæ.

Non grauabor tamen hîc apponere verba Instruct. Tolet. *anno 1561. n. 50.* vbi sic ait: *Deuen los Inquisidores mirar mucho que la sentencia del tormento sea justificada, y precediendo legitimos indicios, y en caso que desto tengan escrupulo ò duda por ser el prejuizio irreparable, pues en las causas de heregia ha lugar apelacion de las interlocutorias otorgaran la apelacion à la parte que apelare. Però en caso que esten satisfechos de los legitimos indicios, que del proceso resultan esta justificada la sentencia del tormento, pues la apelacion en tal caso se reputa friuola, deuen los Inquisidores proceder à la execucion del tormento sin dilacion alguna. Y aduiertan que en duda han de otorgar la apelacion, y por esto no procedan à sentencia de tormento ny execucion della hasta despues de concluſa la causa, y hauendosene recebido las defensas del reo.* Sic ibi. Sed de hac quæstione *infrà* etiam redibit sermo.

RESOL. XXI. *An Inquisitores possint procedere contra Episcopos?*

REspondeo negatiuè, ex *cap. Inquisitores, de hæret. in 6.* nisi Episcopus esset suspectus de fuga, vel aliquid in manifestum fidei & fidelium detrimentum moliretur, quia tunc potest capi, & custodiri donec Summ. Pontifex certior redderetur. Et ita tenet Michaël Zanardus *in direct. Theol. part. 2. cap. 6. quæst. 22.* cui adde Molinam *de iust. tract. 5. disp. 28 nu. 19.* Barbosam *de potest. Episc. part. 3. alleg. 112. numer. 14.* Acugnam *vbi infrà*, & alios.

Notandum est etiam quòd responsio negatiua de non procedendo Inquisitores contra Episcopũ procedit, etiamsi Episcopus sit titularis. Ita Acugna *de Confess. sollic. quæst. 12. nu. 7. & num. 11.* docet pariter hoc procedere in Episcopis electis, & confirmatis, licet nondum consecratis. Vide etiam Molinam *vbi suprà*, & Sanchez *lib. 8. disp. 2. n. 11.*

Verùm licet supradicta sint vera, tamen ego puto contra glossam *in d. cap. Inquisitores, ver. Apostolica, & ibi Monachum & Archidiaconum*, posse Inquisitores de hæresi Episcopi cognoscere dicta testium aduersus eum recipiendo, vt sic negotium instructum ad Pontificem mittant, cum cautelis de quibus Pegna *infrà*, & ita tenet Suarez *de fide disp. 20. sect. 4. nu. 25* Simanca *in Cathol. instit. tit. 25. nu. 8.* Pegna *in direct. Inquis. part. 3. comment. 76.* Zechius *in summ. tom. 1. tit. de hæret. cap. 11. n. 13.* & alij.

RESOL. XXII. *An Inquisitores possint licitè promittere impunitatem reo, si verum fateatur?*

REspondet affirmatiuè Flaminius Cartharius *in practica interrogandi reos. lib. 2. cap. 1. nu. 27.* quoniam, ait ipse, Inquisitores in remittendis pœnis & temperandis ampliorem, quàm ceteri Iudices, habent potestatem, vt patet ex *cap. vt commissi, de hæret. in 6.* & probat Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 12. num. 9.* cum aliis penes ipsum.

Sed negatiuam sententiam mordicus tenet Sigismundus Scaccia *de iudiciis lib. 1. cap. 87. nu. 25.* vbi ex multis rationibus probat, quòd Inquisitor non debeat promittere reo impunitatem, seu gratiam se facturum, sed quòd secum aget benigniori, quo poterit, modo, vel dummodo relapsus non sit, quòd Ecclesia secum misericorditer aget. Ita ille. Vide Simancam *in Cathol. instit. tit. 13. numer. 12.* Sed circa præsentem quæstionem vide Pegnam *in direct. Inquis. part. 3. commen. 23 num. 206. per totum*, vbi doctè, vt semper solet, disputat, an fides data reo de impunitate præstanda seruari debeat, & in quibus pœnis possint Inquisitores gratiam facere, & circa hoc quomodo debeant se habere cum reis. Verùm his non obstantibus, non desinam hîc apponere opinionem Didaci Cantera *in qq. crim. cap. 1. de vera confess. n. 9.* vbi sic ait: Secundò intelligo non habere locum nostram fallentiam in crimine hæresis, vt tenet Simanca, sed certè in hoc crimine hæresis contrarium vidi determinari per Consilium Inquisitionis in quadam causa cuiusdam relapsi. Nam ex eo quòd Inquisitor promisit misericordiam, non fuit relaxatus. Ita Cantera. vnde videant DD. Inquisitores quàm cautè loquendum sit cum reis.

RESOL. XXIII. *An Inquisitores debeant procedere cum Generalibus Religionum in causa hæresis, sicut procedunt cum Episcopis?*

DIximus *suprà* ex *cap. Inquisitores, de hæret. in 6.* delictum hæresis Episcoporum esse reseruatum Summo Pontifici, & contra illos in tali casu non posse procedere Inquisitores; quæritur modò an idem dicendum sit de Generalibus Religionum.

Affirmatiuè respondet Hieronymus Rodriq. *in compen. qq. Regul. resolut. 73. numer. 1.* Emanuel Rodriquez *in qq. Regul. tom. 2. q. 81. art. 1.* Pegna *in direct. Inquisit. part. 3. comment. 73.* & Nauarrus *cap. 1. de foro competen. num. 5.* Verùm contra prædictam sententiam, & meritò, insurgit Freitas *in addit. ad tract. Roderici Acugna de Confess. sollic. q. 12. numer. 20.* & ratio est, quia exceptio *cap. Inquisitores, vbi suprà*, excipit Episcopos tantùm. ergo ad Generales Religionum extendi non debet, ex regula *in l. siquidem. § fin. ff. de penu legat.* & resoluit in specie Albericus *in cap. 1. q. 7. de hæret. in 6.*

Verùm his non obstantibus, contra Generales Religionũ non debent Inquisitores procedere, sed certiorem faciant summum Senatũ Inquisitionis, vt benè obseruat Zanardus *in direct. Theol par. 2. cap. 6. quæs. 23.* Peirinus *in priuil. Minim. tom. 2. constit. 9. Pauli V. §. 1. num. 2.* & alij. non sequitur tamen ex hoc quòd Generales cum priuilegio Episcoporum in hoc commune aliquid habeant, quidquid inuoluat vterque Rodriquez & Pegna *vbi suprà*.

Notandum est hîc obiter quòd licet Pius V. sanciuerit *in constit. Pastoris æterni*, vt Inquisitores possint inquirere in omnes Religiosos hæreticos, vel de hæresi suspectos, dũmodo à suis Superioribus præ-

uenti

uenti non fuerint; hodie tamen extat conſtitutio Pauli V. in qua interdicitur Prælatis Regularibus cognoſcere de cauſis hæreticalibus ſuorum ſubditorum, eoſque punire. Et ita notat Sanctarellus *de hæreſi cap.40.dub.3.num.21.* Zanardus *in direct.Theol. part.2.c.6.quæſ.23.*

RESOL.XXIV. *An Inquiſitores poſsint procedere contra Nuntios & Officiales Sedis Apoſtolicæ?*

REſpondeo negatiuè ex *Extrauag. cùm Matthæus, de hæret.* & ita obſeruant Zanardus *in direct. Theol. part. 2.cap.6. quæſ. 21.* Homobonus *de ſtatibus part.1.cap.8.* Suarez *de fide diſp.20 ſect.4.num.26.* Molina *tract.5. de iuſt.diſp.28.num. 20.* Sancius *in ſelect. diſp.11.num.33.* Decianus *tom.1 lib.5.cap.23. numer. 10.* Rodericus Acugna *de Confeſſ.ſollic.quæſt.12.numer.8.* Pegna *in direct.Inquiſit.part.3. commen. 36.* Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 34.num. 36.* & alij. Sed qui ſint Officiales Sedis Apoſtolicæ, vide Cenedum *part.3. collect.14.num.1.& 2.* Molinam *vbi ſuprà*, aſſerentes eſſe illos, qui nomine Sedis Apoſtolicæ ad negotiũ Sedi Apoſtolicæ pertinens tractandum mittuntur, non autem illi, qui ad cauſas particulares inter alios iudicandas, ac dirimendas quotidie à Sede Apoſtolica mittuntur.

RESOL. XXV. *An Inquiſitor poſsit procedere contra aliũ Inquiſitorem de hæreſi ſuſpectum?*

REſpondeo negatiuè, quia par in parem iuriſdictionem non habet, & ita notat Zechius *in ſum.tom.1.tit.de hæreſ. 11. n.13.* Suarez *de fide diſp. 20. ſect.4.num.26.* Pegna & Eymericius *vbi infrà*, & alij cõmuniter. Sed difficultas eſt, an Epiſcopus poſſit inquirere contra Inquiſitorem de hæreſi ſuſpectũ?

Affirmatiuam ſententiam tenet Zanchinus *de hæret.cap.8.num 9.* Gundiſſaluus *de hæret.quæſt. 7. nu. 17.* Decianus *in tract. crimin.lib.1.cap. 21.numer.6.* & inclinat Calderinus *tract.de hæret cap.8. num.9.* Verùm mihi negatiua ſententia placet, quam tenet Azorius *tom.1.lib.8.cap.18.q.14.* Eymericius *in direct. Inquiſit.part.3.q.30.* & *ibi* Pegna *comment. 79.* Mandoſius *in addit.ad Repert.Inquiſ.ver. Epiſcopus lit.B. & ver.Inquiſitor.lit. D.* cum aliis poterit tamen Epiſcopus ſecreto recipere teſtes contra Inquiſitorem de hæreſi ſuſpectum, & informationes mittere ad Romanum Pontificem. Attamen in duobus caſibus poteſt, his non obſtantibus, Epiſcopus procedere contra Inquiſitorem. Primò quando crimen eſt notorium, ſed in his cautè procedant Epiſcopi, ne potiùs ratione ſcandali damnum inferant, quàm vtilitatem. Secundò quando dimiſit Officium Inquiſitoris, & ita docet Rojas *ſingul. 109.* & Geminianus *in cap. Inquiſitores, de hæret.in 6.* & *ibi* Franchus *n.1.*

RESOL. XXVI. *An Inquiſitores poſsint compellere Iudices laicos nolentes exequi ſententiam ab eis latam contra hæreticum?*

DE hac quæſtione alibi egimus, ideò nunc dico breuiter quòd ſi Iudex laicus non vult exequi ſententiã latam ab Inquiſitoribus contra aliquem hæreticum, poſſunt illum compellere per cenſuras, & ex hoc inquirere contra illum, tamquam fautorem hæreticorum, etiamſi differat ſententiæ executionem ſub prætextu quòd ſit iniuſta, quia nullo pacto poteſt ſe intromittere in cognitione cauſarum hæreticalium. Et hæc omnia docent Pegna *in director.Inquiſ.part.3.q.36.comm.85.* Campegius *in addit.ad Zanchin.cap. 8.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſ.ver.Iudex,num. 57. & 66.* Mandoſ. *in repert.Inquiſ.ver.executio lit.B.* Iacobus Simanca *in Cathol. inſtit.tit.66.num.3.*

RESOL. XXVII. *An Inquiſitores ſubſint Legatis Summi Pontificis?*

AD hoc dubium ita reſpondet Antonius Sanctarellus *de hæreſi cap.40. dub.5.num.31.* vbi ſic aſſerit: Nota olim Legatum Sum. Pontificis habuiſſe iuriſdictionem in Inquiſitores, vt patet ex conſtit. Vrbani IV. quam refert Locatus *in iudiciali Inquiſitorum,ver.Legatus,n.2.* hodie verò ſine ſpeciali facultate Pontificis, vel ſupremæ Inquiſitionis Rom. in rebus pertinentibus ad Officium S. Inquiſitionis non ſolent Legati Pontificis ſe ingerere. Ita Sanctarellus.

RESOL. XXVIII. *An Inquiſitores incurrant in excommunicationem, ſi extorqueant pecuniam prætextu Officij Inquiſitionis?*

AFfirmatiuè reſpondent ex *Clement.2. de hæret.* Suarez *de cenſ.diſp.23.ſect.5.n.24.* & DD. quos citat & ſequitur Sanctarell. *tractat. de hæreſ. cap.40. dub.5 num.26.* qui tamen obſeruat alios contrariam ſententiam docere, & multas pro eorum firmanda ſententia adducit rationes probantes, *in d. Clement. 2.* non comprehendi Inquiſitores.

Verùm ſtando in ſententia affirmatiua, puto cũ Bonacina *to.3.diſp.2.q.10.punct.10.* Primò non affici excommunicatione iſtius Clem. Inquiſitorem, qui pecuniam à ſponte dante accipit, etiamſi videat ſibi dari prætextu officij Inquiſitionis, hic enim ſic accipiens pecuniam, non dicitur illam extorquere, vt vult textus. Secundò Inquiſitor qui pecuniã prętextu pecuniæ mutuò datæ, vel alterius crediti, vel alio titulo etiam iniuſto ſibi tradi curat, non incidit in iſtam excommunicationem, quia nõ extorquet pecuniam prætextu officij Inquiſitionis. Tertiò Inquiſitor, qui cogit aliquem, etiam prætextu officij Inquiſitionis ad tradendam ſibi mutuò pecuniam, in iſtam excommunicationem non incidit.

RESOL. XXIX. *An Inquiſitores in aliquo caſu poſsint delegare examen teſtium?*

REſpondeo quòd licet Inquiſitores debeant ipſimet reos & teſtes examinare, tamen ſi teſtes eſſent legitimè impediti, poſſunt eorũ examen delegare alteri, ſecundùm Scacciam *de iudiciis lib.1. cap.87.nu.15.* & Simancam *in Cathol. inſtit.tit.64.nu. 11.* vbi *n.13.* ſic aſſerit: Illuſtres viri & aliæ honeſtiores feminæ non ſunt facilè ab Inquiſitoribus in iudicium trahendi, ſed vel ad has perſonas Iudices ire, vel certè alios mittere debent, quod quidem ex dignitate, auctoritate, & honeſtate aliiſque teſtium qualitatibus cõſtituendum erit. Ita ille. Vide etiam Rojas *ſingul.204.n.7.* vbi ſic ait: Teſtium examinationem Inquiſitores alteri non committant, niſi in duobus caſibus, videlicet quando teſtes legitimè

ſunt impediti, & quando non decet vt Inquiſitor ad eos accedat,& ideò in Inſtructione Hiſpal. edita ab Alphonſo Manriquez Cardinali *nu.* 17. ſic inuenio determinatum:*Los Inquiſidores por ſi miſmos reciban y examinan los teſtigos y que no cometan la examinacion dellos al notario ni à otra perſona, ſaluo ſi el teſtigo eſtuuiere enfermo de tal enfermedad, que no puede parecer antes el Inquiſidor, y al Inquiſidor no fuera honeſto, yr à recebir ſu dicho,o fuere impedido que en tal caſo puede el Inquiſidor cometer la examinacion del teſtigo al Iuez ordinario Eccleſiaſtico del lugar y a otra perſona prouida y honeſta que lo ſepa bien examinar con vn notario.* Sic ibi.

Vnde doctus Didacus Cantera *in quæſt. crim.cap. 2.de vera confeſsione,n.*8.*fol.*77.ſic ait: In cauſis hæreſis ſecundùm iuris diſpoſitionem eſt prouiſum per Inſtructionem Hiſpalenſem,quòd Inquiſitores per ſeipſos examinent teſtes, & ſi ex iuſta cauſa contigerit committi alicui,ille qui examinat,faciat relationem Inquiſitoribus de forma & modo quo talis teſtis depoſuit. Hæc ille. ex quibus apparet Inquiſitores alteri vices committere,ſi mulierem honeſtam non deceat domo exire ad teſtificandum, & ita etiam docet Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tractat.*4. *diſp.*8.*punct.*15.§.3.*n.*1.

Resol. XXX. *An Inquiſitores poſsint punire tamquam relapſos,qui de vehementi abiurarunt, non autem fuerunt conuicti per plenas probationes,ſi poſteà in ſecundo lapſu plenè conuicti ſunt?*

SEntentia affirmatiua eſt clara,per text. *in cap. accuſatus, de hæret. in* 6. & illam docent DD. quos citat Barboſa *in collect.tom.*3.*lib.*5.*tit.*2.*cap.*8.*numer.*2. Vnde infertur non eſſe relapſum illum, qui primò de leui abiurauit, quamuis poſt huiuſmodi abiurationem de hæreſi fuerit conuictus, quod etiam habetur *in d.cap accuſatus.*

Nota verò cum Squillacenſi *de fide Cathol.cap.*31. *num.*2. quem citat & ſequitur Sanctarellus *de hæreſi cap.*42.*dub.vnic.numer.*6.*in fine*, quòd ſi aliquis poſtquam fuerit in hæreſim relapſus, cùm ante relapſum & abiurationem eſſet de crimine hæreſis leuiter ſuſpectus,& poſt abiurationem plenè probetur quòd verè illud crimen anteà cõmiſerit, hunc eſſe dicendum verè relapſum, & afficiendum pœna relapſis impoſita.

Notandum eſt etiam hîc obiter, primò cum Menochio *lib.*1.*conſil.*82.*n.*150. & aliis, non eſſe relapſum qui poſt abiurationẽ de vehementi iterùm abiurat,quia de nouo redditur ſuſpectus de hæreſi, & ita declarauit Pius V. *anno* 1567. vt notat Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſ.verſ. vehemens ſuſpicio. num.*1. Vnde ex hoc ſequitur non eſſe relapſum qui hæreſim abiurauit tamquam fautor hæreticorum ſi poſt abiurationem iterùm illis fauet, vt docet Decianus *in tract.crim.lib.*5.*cap.*56.*num.*16.& alij. Vide Zanardum *in direct.Theol.part.*2.*c.*7.

Notandum ſecundò non eſſe relapſum qui poſt purgationem relabitur in hæreſim,ſi purgatio fuerit impoſita propter leuem ſuſpicionem de hæreſi, ſecus autem ſi fuerit impoſita propter vehementẽ ſuſpicionem.Ita Pegna *in director. part.*3.*comment.*35. & Decian.*in tract.crim.lib.*5. *cap.* 48. *nu.*51. Imò non dicitur relapſus qui poſt purgationem incidit in aliam hæreſim, ſed ſolùm ille, qui incidit in eam hæreſim,quam purgauit, quod notat Pegna *vbi ſuprà*,& Paramus *de orig.Inquiſit.lib.*3.*q.*4. *rubr.de expedit. pro.eſſ. num.* 5. niſi generaliter omnem hæreſim abiuraſſet,prout fieri ſolet, & ratio eſt, quia qui ſe purgat, ſolùm de illis hæreſibus ſe purgat, de quibus fuit diffamatus; ergo ſi in alias hæreſes reincidat,non eſt relapſus.

Resol.XXXI. *An Inquiſitores poſsint habere familiam armatam?*

REſpondeo affirmatiuè cum Zanardo *in direct. Theolog.part.*2.*cap.*6.*q.*15. & patet *in Clement. nolentes,*§.*porrò.de hæret.* & per DD. quos ego adduxi *in tr.*2.*de immunit.Eccleſ.reſol.vlt.* Vide etiam Simancam *in Cathol.inſtit.tit.*34.*num.*23.*& tit.* 41. Campegium *in addit.ad Zanchinum tract.de hæret.cap.*31.*lit.A.* Rojas *ſingul.*21.*nu.*8. & Pegnam *in director. Inquiſit. part.*3.*q.*56.*comment.* 103. vbi docet hanc armorum licentiam non ſolùm Inquiſitores poſſe dare Officialibus deſtinatis ad denuntiandos hæreticos, ad comitandos Inquiſitores, vel ad capiendos hæreticos,ſed etiam ceteris miniſtris,qui quauis alia ratione S. Officio inſeruiunt, veluti Aduocatis, Notariis,Conſultoribus, cuſtodibus, &c. Et ita hanc ſententiam docet etiam Duardus *in Bull. Cœn.lib.*2. *can.*1.*quæſt.*33. *num.*24.

Vnde ex his ſequitur quòd Domini temporales impedientes ſupradictos & familiam armatam Inquiſitorum pro delatione armorum,poſſunt ab ipſis puniri tamquam turbatores Officij Inquiſitionis,vt notat Card.Zabarella *in Clem.*2.§.*porrò,nu.*9. & Pegna *vbi ſuprà*, qui citat gloſſam notabilem *in cap.ſtatutum,ver.indirectè,de hæret.in* 6.

Resol.XXXII. *An Inquiſitores poſsint reſpuere appellationem quam affert reus?*

REſpondeo affirmatiuè, ſi reus appellet à ſententia definitiua contra eum lata. nam, vt habetur *in cap.vt Inquiſitionis,de hæret.in* 6. prohibetur Iudicibus admittere appellationes hæreticorum. & ita docent Rojas *ſingul.*19.*n.*1.*& ſeq.* Simanca *in Cathol.inſtit.tit.*6.*num.*2.Pegna *in direct.Inquiſit.part.* 3.*commen.*31.Paramus *de orig.Inquiſit. lib.*3.*q.*4.*numer.* 58.Zanchinus *de hæret. cap.*20.*nu.*1. Decianus *in tra. crim.lib.*5 *cap.*20.*num.*26. Carrera *de hæret. num.* 129. & iterùm Rojas *ſingul.*179.*num.* 2. vbi ex hoc aſſerit, quòd ſententia ab Inquiſitoribus contra hæreticum lata poteſt executioni demandari, etiam pendente termino decem dierum à iure communi ad appellandum dato. Et hæc omnia intelliguntur etiam quoad heredes hæreticorum, qui non poſſunt appellare à ſententia contra hæreticos lata, & ita docet cum aliquibus limitationibus Simanca *in Cathol.inſtit.tit.*6.*num.*7.*& ſeq.* & Barboſa *in collect.to.*3.*lib.*5.*tit.*2.*cap.*18.*nu.*6.

Verùm licet hæreticus,vt dictum eſt,non poſſit appellare à ſententia diffinitiua, poteſt tamen appellare à grauamine illato ante diffinitiuam ſententiam,& ſic ab interlocutoria. Ita Pegna, Rojas, Barboſa,& Paramus *loc.cit.num.*60. *& ſeq.* vbi plura docet de forma huius appellationis ab interlocutorio grauamine,& de requiſitis ad eam.

Notan-

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd licet, vt alibi diximus, in cauſa hæreſis poſſit reus appellare à decreto torturæ, ex gloſſ. *in Clem.1. ver. ipſo iure, de hæret.* & Simanca *in Cathol. inſtit. tit.52. nu.11. & tit. 65. num.2.* Attamen ſi appellatio ſit calumnioſa, & Inquiſitores videãt in proceſſu legitima extare indicia ad torquendum, poſſunt non obſtante appellatione ad torturam deuenire, quod eſt valdè notandum. Et ita tenet Pegna *in direct. Inquiſ. part.3. comm.31.* vbi pro hac firmanda ſententia affert Inſtructionem Madrilianam.

Quando verò hæreticis licitum eſt appellare, appellatio defertur ad Papam; ſecus in ſacro Tribunali S. Inquiſitionis Hiſpan. vbi ex priuilegio Apoſtolico, vt alibi probatum eſt, appellatio defertur ad ſupremum Inquiſitorem, & ſi grauamen ſit illatum ab Epiſcopo, poſſunt laici appellare ad Metropolitanum, non autem exempti. Nam in cauſis exemptorum quoad hæreſes Epiſcopus procedit non tamquam Iudex ordinarius, ſed delegatus, & ideò appellatio deferenda eſt Summ. Pontifici. Vide text. *in c. ad abolendam, § ſi qui verò, de hæret. in 6.* Simancam *in Cathol inſtit. tit.25. nu. 6.* Zanchinum *de hæret. c.8. nu.3.* Gundiſſaluum *de hæret. q.7. n.34.* Carreram *de hæret. nu. 65.* Decian. *in tract. crim. lib.5. c. 21. nu.4.* aſſerentes Epiſcopum in cauſa hæreſis exemptorum procedere tamquam delegatum, & non ordinarium, quidquid aſſerat Hoſtienſis *in d. cap. ad abolendam, n.13.* Anania *n.24.* & alij.

Sed pro coronide huius reſolutionis ponam hîc pulcrum dubium, an hæreticus non per viam appellationis, ſed per viam querelæ & ſupplicationis poſſit adire Superiorẽ, vt ſententiam datam, quam iniuſtam eſſe prætendit, reuocet, & annullet? Affirmatiuam ſententiam tenet Rojas *ſingul.19. nu.5.* & Felinus *in cap. ad abolendam, num.3. de hæret. in 6.* At mihi placet opinio negatiua, quam tuetur Carrera *tract. de hæret. num.130.* & doctus Simanca *in Cathol. inſtit. tit.6. num.2.* quia ratio, per quam textus *in cap. Inquiſitionis*, denegauit hæreticis appellationem à ſententiis contra eos latis modo quo *ſuprà* dictum eſt, militat etiamſi eis licitum eſſet Superiores adire per viam querelæ. Vnde licet in aliquibus caſibus, in quibus non admittitur appellatio, non impeditur querela, ſeu recurſus, vt docet gloſſa *in c. ex litteris, de in integr. reſtit. ver. ſupplicauit.* Decius *conſil.533. num.2.* Parifius *lib.4. conſ. 164. num. 18.* Hippolytus Marſilius *ſingul.88.* & alij; hoc tamen in caſu hæreſis non eſt admittendum.

RESOL. XXXIII. *An Inquiſitores poſſint procedere ad deciſionem cauſarum ſine Vicario Capituli Sedis vacãtis?*

REſpondeo negatiuè. nam, vt *ſuprà* dictum eſt de Epiſcopo, dicendum eſt etiam de Capitulo Sede vacante, quod eſt Iudex ordinarius in cauſa hæreſis, non exercẽdo hanc iuriſdictionem per ſeipſum, ſed per Vicarium ad id ſpecialiter deputatũ, vt patet *in ca. ad abolen. de hæret.* ibi, *vel Clerici ipſi Sede vacante*, &c. & colligitur ex *Clem.1. § propter, de hæret.* Et ita hanc ſententiam tenet Simanca *in Cathol. inſtit. tit.25. num.6.* Gundiſſaluus *de hæret. q.7. nu.8.* Decianus *in tract. crim. lib.5. cap.21. nu.13.* Carrera *tract. de hæret. nu.66. & 70.* Bonifacius de Vitalinis *in Clemen. 1. num.48. & 50. de hæreticis*, & alij, & hæc omnia procedunt non ſolùm quando ſedes vacat abſolutè, ſed etiam quando Epiſcopus eſſet captiuus, vel ſi non miniſtraret propter non expeditas litteras, vt notant Decianus, Carrerus, & Bonifacius de Vitalinis *locis citatis.*

Sed an Capitulum Sede vacante ſit Iudex in cauſa hæreſis modo quo *ſuprà* etiam in ordine ad exemptos, affirmat Socinus *in cap. ad abolendam, n.44.* & Card. Zabarella *in Clem.1. de hæret. § duro, num.60. in 8. quæſt.* At ego contrariam ſententiam tenendam eſſe exiſtimo, quia Capitulum ſuccedit Epiſcopo in his quæ Epiſcopo competũt de iure ordinario, non autem ex delegatione. Sed Epiſcopus, vt *ſuprà* notatum eſt, non eſt Iudex ordinarius exemptorum in cauſa hæreſis, ſed delegatus. ergo, &c. & ideò noſtram ſententiam tenet Decianus *vbi ſuprà, num.14.* & Carrera *num.66.* cum Ioan. Andrea *in d. c. ad abolen. n.15.* Ancharano *n.10.* & aliis.

RESOL. XXXIV. *An Inquiſitor generalis poſſit ad libitum remouere alios Inquiſitores ab Officio, vel de loco ad locum transferre?*

AFfirmatiuam ſententiam videtur docere Ludouic. Molina *de iuſt. tom.5. tract.5. diſp.28. nu.7.* Verùm ego contrarium ſentio, ex rationibus quas adducit Ferdinandus de Caſtro *in op. mor. tom.1. tr.4. diſp.8. punct.12. §.2. nu. 20.* niſi interueniat aliqua iuſta cauſa, quæ in ordine ad illos abſoluendum erit ab officio. Prima, ſi non haberent debitas conditiones. Secunda, ſi ſuperueniente infirmitate inhabiles ad officium exercendum, prout opus eſt, efficerentur. Tertia, ſi in exercendo officio dolosè delinquerẽt. Cauſa verò iuſta ad Inquiſitores de loco ad locum transferendi erit, Prima, quando Inquiſitor eſt multùm ad negotia aptus, & locus in quo manet, non requirit perſonam ita ſolertem; ſicut indiget locus alter. Secunda, quando contra eum ſuſcitatæ ſint rixæ, & odia capitalia, quia proceſſerunt contra nobiles, & inſignes perſonas, vnde trepidandum eſt de ſcandalo. Tertia, quando non benè ſe habet cum Principibus, in quibus tamen duobus caſibus poſterioribus, ſi hæc contra Inquiſitorem ſint ſuſcitata ob iniuſtam cauſam, erit de meliori inquiſitione prouidendus ne puniatur; vbi meretur. Et hęc omnia docet Michaël Zanardus *in direct. Theol. part.2. cap.6. quæſ.9. & 19.* Vide etiam circa præſentem quæſtionem Zechium *in ſumm. to. 1. tit de fide c.11. n 13.* Azorium *to.1. lib 8. cap.18. quæſ.9.* & Pegnam *in direct. Inquiſ. part.3. quæſt.10. comm.59.*

RESOL. XXXV. *An Inquiſitores poſſint abſoluere hæreticum occultum in foro conſcientiæ?*

NOuiſſimè Ferdinandus de Caſtro *in op. mor. to. 1. tract.4. diſp.4 punct.3. §.3. nu. 3.* & Alphonſus de Leone *de offic. & poteſt. Confeſſ. tom.2. recollect.6. n. 127.* docent, nulli Inquiſitori neque Tribunali, datam eſſe facultatem abſoluendi ab hæreſi, & excõmunicationibus reſeruatis in foro conſcientiæ, quam ſententiam tuentur etiam DD. quos ego ipſe citaui *in 1. p. tr. de abſol. ab hæreſi, ref.4.*

Sed ego *ibi* contrariũ docui, & nunc iterùm doceo cum DD. quos *ibi* adduxi, quibus nunc addo

Philippum de la Cruz *in Theſauro Eccleſiæ tract.1.§. 16.n.1.in fine.* & Martinum Bonacinam *in Bull.Cæn. tom.3.diſp.1.quæſt.22.punct.2.nu.5.* Dico igitur Inquiſitores Hiſpanos poteſtatem habere etiam in foro conſcientiæ ad abſoluendum hæreticum occultũ. & hanc ſententiam in Hiſpania eſſe vſu receptam, teſtatur ex Rodriquez dictus Bonacina, & ipſemet Caſtrus, & Doctores contrarij fatentur hanc ſententiam eſſe probabilem, vnde illam, vt mihi conſtat, in praxi deducere non dubitant Illuſtriſſimi Inquiſitores. Vide nouiſſimè Farinacium *in addit.ad eius opera poſt lib.3.conſil. ad quæſt. 4. numer.5 fol. mihi 4.col.4.*

RESOL. XXXVI. *An Inquiſitores per præſumptiones poſſint condemnare aliquem pro hæretico?*

LIcet in cauſis ciuilibus ex aliquibus præſumptionibus & indiciis fiat vna integra, & perfecta probatio, ex gloſſa *in l.2.ff. de excuſat. tutor.* in cauſis tamen criminalibus ex pluribus indiciis & præſumptionibus non fit perfecta probatio, ex gloſſa *ver.illorum,in cap.veniens 1. de teſtibus.*

Verùm in fauorem fidei,aliqui putant,quòd indicia & præſumptiones ſufficiunt ad cõdemnationem, quando dicta indicia & præſumptiones plenè probantur,& adducunt *l.2.in fine, C. de hæret.* & Innocentium *in c.ſicut, de ſimonia.* Vide etiam Vmbertum Locatum *in praxi Inquiſitor. ver.hæreticus, nu.* 22.& Repertorium Inquiſ. *ver.probationes.*

At his non obſtantibus,ego contrariam ſententiam teneo, nam in crimine hæreſis non ſolùm probationes ſufficiunt,ſed probationes debent eſſe luce meridiana clariores, quia in hoc crimine de maiori periculo agitur. Et ita hanc ſententiã tenet Simanca *in Cathol.inſtit.tit.* 50. *nu.*21. *tit.*51.*num.*2. *& in enchirid.tit* 34.*nu.*1.Zanchinus *de hæret. cap.* 13. *nu.* 4.Menochius *vol.2.conſil.*82.*nu.*16.Riminaldus *li.6. conſil.*686.*num.*46. vide etiam Paramum *de orig. Inquiſit.lib.*3.*q.*6.& Pariſium *lib.* 4. *conſil.*2.*num.*101. *& ſeq.*& Decian.*in tract.crimin.lib.*5.*c.*35.*nu.*20.& videtur expreſsè deciſum *in c.litteras, de præſumptionibus.*

Notandum eſt tamen quòd ſupradicta ſententia procedit quoad condemnandum hæreticum in pœna ordinaria hæreſis, ſecus autem in pœna extraordinaria. & ita intelligendus eſt Rojas *ſingul.* 164.*num.*6.*& de hæret. part.* 2. *num.* 151. qui videtur ſibi varius & contrarius, vt legenti diligenter patebit.& hanc etiam ſententiam tenet Simanca *in Cathol.inſtit.tit.*50 *nu.*21.*& tit.*51.*num.*12. Gundiſſaluus *de hæret.quæſt.*13.*num.*21.*&* 22. Albertin. *de agnoſcen. quæſt.*34.*num.*56. *& ſeq.*Pegna *in director.part.*2. *comment.* 80. & alij. Poteſt igitur hæreticus per præſumptiones & indicia plenè probata condemnari in pœna extraordinaria triremium, fuſtigationis, exilij, carceris, &c. quidquid aſſerat Menochius *conſil.*82. *num.*144. vbi putat ex præſumptionibus non poſſe quem condemnari in pœnam corporalem, ſed in pecuniariam. Sed tu tene noſtram ſententiam cum DD,citatis.

RESOL.XXXVII. *An Inquiſitores in aliquo caſu non incurrant in excommunicationem latam in Clem. 1.§. verùm, de hæret.ſi non procedant contra hæreticos?*

REſpondeo affirmatiuè, & ideò ſi Iuquiſitores omiſerint procedere contra hæreticum, non odij, rancoris, vel lucri cauſa, ſed propter timorem,vel propter euitanda ſcandala, non incurrent in pœnam prædictam excommunicationis, & ita docet gloſſa *in Clement. 1.ver. obtenta,de hæreticis.* & *ibi* Ancharanus *in §.ſanè,numer.*11. Imola *numer.*17. Bonifacius de Vitalinis *num.*162. Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit.ver.Inquiſitor.nu.*19. & hanc ſententiam docet etiam Sanctarellus *tract. de hæreſi,ca.* 60.*dub.*3.*num.*21.

Notandum eſt tamen hîc obiter quòd quando Inquiſitores incidunt in ſupradictam excommunicationem, non poſſunt abſolui,excepto à Romano Pontifice,præterquam in articulo mortis. Vide Simanc.*in Cathol.inſtit.tit.*34.*num.*40.& Pegnam *in director.Inquiſit.part.*3.*comment.*73.

RESOL. XXXVIII. *An Inquiſitores poſſint procedere contra comedentes carnes diebus prohibitis, vel non recipientes ſacramentum Euchariſtiæ & Pœnitentiæ ſemel in anno?*

AFfirmatiuam ſententiam olim docui, quia ſupradicti ſunt vehementer de hæreſi ſuſpecti. Sed quia hæc opinio aliquibus nimis rigida viſa fuit, ponam hîc per extenſum verba Doctorum. Antonius Sanctarellus *tractat. de hæreſi cap.*41.*dub.*3. *numer.* 5. Sunt de hæreſi ſuſpecti qui ſingulis annis ſua peccata non confitentur, nec communicant; ſicut etiam ſunt ſuſpecti de hæreſi, qui diebus vetitis carnes edunt Ioan.Rojas *ſingul.*98. *num.*6. Inquiſitores poſſunt procedere contra eum, qui non recipit ſacram communionem quolibet anno. Franciſcus Pegna *in director. Inquiſitionis, part.* 2. *quæſt.* 55. *comment.* 46. Vehemens ſuſpicio ſumitur ex ſignis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur argumentum concludens frequenter, & vt in pluribus quòd qui talia dicit, vel facit, eſt hæreticus, vt ſi quis diebus prohibitis abſque neceſſitate & Superioris facultate carnibus veſceretur.M.Antonius Genuenſ. *in praxi Archiepiſcop. cap.*18. *numer.* 11. Comedentes carnes diebus prohibitis ab Eccleſia ſine neceſſitate dicuntur vehementer de hæreſi ſuſpecti. Et tandem hanc ſententiam non ſolùm quoad comedentes carnes diebus prohibitis, ſed etiam quoad non ſumentes ſacramentum Euchariſtiæ & pœnitentiæ ſingulis annis,docet etiam Lælius Zecchius *in ſum. tom. 1. tit. de fide cap.* 11. *numer.* 5. Verùm poſſe omnia ſupradicta effici ſine mentis errore, non eſt dubitandum, non tamen ex hoc ſequitur quòd Inquiſitores non poſſunt procedere contra talia facientes. Ideò eorum arbitrio ſtandum erit penſatis circumſtantiis, & qualitatibus facti, temporis, & perſonarum. Sed communiter contra eos, qui non communicant, in praxi ſolent procedere Epiſcopi.

Vide etiam præter DD. citatos Duardum *in Bull.Cæn.lib.*2.*can.*1.*q.*33.*num.*7.Alphonſum de Leone *de offic.& poteſt.Confeſſor.tom.*1.*recollect.*22.*num.*12. *caſ.*15. & Emanuelem do Valle de Moura *opuſc. de enſal.& incant.ſect.*3.*cap.*3.*n.*20.

RESOL.

RESOL. XXXIX. *An suspicio leuis de hæresi sufficiat vt Inquisitores possint specialiter contra aliquem inquirere, & ipsum interrogare?*

PRima opinio negat, & ita docet Simanca *in Cathol. instit. tit. 50. num.* 28. Vnde Homobonus de Bonis *in tract. de cas. reseru. part.* 2. *cas.* 1. *fol. mihi* 229. docet ob leuem suspicionem non esse aliquem denuntiandum, sed ob vehementem. Et hanc sententiam tenet etiam Lazarius *de blasph. q.* 12. *nu.* 32. Genuens. *in praxi Archiep. cap.* 18. *num.* 10. Alphonsus de Castro *lib.* 2. *de hæret. punit. cap.* 25. Iul. Clarus *in pract. crim. § fin quæst.* 6. *num.* 6. & à fortiori Greg. de Valentia *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 13. *punct.* 4. *§.* 1. *vers. Sed vt hæc inquisitio.* vbi loquens in sortilegio, seu maleficio, constituit conclusionem quoad hoc vt quis possit interrogari de seipso, necesse est vt sit suspectus, vel propter publicam infamiam, vel propter semiplenam probationem, vel propter grauia indicia. Vide etiam Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.* 29. *dub.* 3. *numer.* 15.

Secunda opinio affirmat, & ita docet Sigismundus Scaccia *de iudiciis lib.* 1. *cap.* 59. *à nu.* 12. Decianus *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 21. *& cap.* 35. *numer.* 20. Mascardus *de probat. vol.* 2. *concl.* 861. *numer.* 3. Rolandus à Valle *lib.* 3. *consil.* 8. *nu.* 6. Parisius *lib.* 4. *consil.* 2. *num.* 100. & Ioan. Rojas *de hæret. part.* 2. *numer.* 20. vbi sic asserit: Certum est & indubitatum, Inquisitores posse contra aliquem in crimine hæresis ex leui & modica suspicione procedere, vt suspectus interrogetur quid sentiat de fide. Ita ille.

Tertia opinio distinguit: vel suspicio hæresis leuis oritur ex opinione DD. vel ex lege, seu consuetudine. Si primum, vera est prima opinio; si secundum, secunda. & ideò retinentes libros prohibitos, illosque legentes, & Sacramenta sine potestate ministrantes, binas nuptias contrahentes, sollicitantes in confessione, in excommunicatione per annum exsordescentes sunt ab Inquisitoribus interrogandi & examinandi, quia hæc suspicio oritur ex delicto, cui à iure & consuetudine talis suspicio annexa est: secus autem, vt dictum est, si suspicio oriatur ex aliis delictis quibus solùm in opinione DD. positum est ingerere suspicionem, & hanc sententiam tenet nouissimè Ferdinandus de Castro *in oper. mor. tract.* 4. *disp.* 7. *punct.* 1. *num.* 7. qui citat Suarez *de fide disp.* 24. *sect.* 2. *n.* 4.

Quid ego sentiam dicam breuiter. Omnes supradictæ opiniones sunt probabiles, mihi verò secunda magis placet, cum hac tamen limitatione, vt procedat in homine vili, improbo, & abiecto: secus autem in viro honesto, nobili, & Religioso, & ita mecum tenet Pegna *in direct. Inquisit. par.* 2. *commen.* 12. *ver. Ceterùm, & comment.* 80. *vers. atque ita crederem.* cum Ioan. Rojas *vbi suprà, de hæret. part.* 2. *num.* 2. & aliis, & de hac quæstione *suprà* etiam aliquid dictum est.

Notandum est hîc obiter quòd vt abiuratio & condemnatio leuiter suspectis inferatur, debet necessariò delictum, seu indicium esse plenè probatū, quod est valdè notandum à DD. Inquisitoribus, aliàs non esset vera suspicio, nec digna pœna, quæ vltra abiurationem de leui solet esse, vel exilium, vel ad triremes condemnatio, vel alia pœna pecuniaria, pensatis qualitatibus personarum & delictorum. Ita Castrus Palaus *vbi suprà, numer.* 8. *&* 9. cui ego addo Menochium *lib.* 1. *cons.* 82. *num.* 155. & Arelatanum *de hæret. notab.* 27.

Quinam verò dicantur suspecti leuiter, vehementer, vel violenter de hæresi, explicant DD. citati, quibus adde Antonium Sanctarellum *tract. de hæresi cap.* 41. *dub.* 3. *numer.* 5. Lælium Zechium *in sum. to.* 1. *tit. de fide. cap.* 11. *nu.* 5. Genuensem *in praxi Archiepisc. cap.* 18. *n.* 11. & Aloysium Riccium *in praxi to.* 1. *resolut.* 423. *per totam.* & de leui, vehementi, & violenta suspicione hæresis, vide Farinacium *de hæresi quæst.* 187. *à n.* 23. *vsque ad n.* 53.

RESOL. XL. *An Inquisitores possint admittere ad accusandum inimicum capitalem?*

RESpondet negatiuè Eymericius *in direct. Inquisit. part.* 3. *quæst.* 67. & *ibi* Pegna *comm.* 116. Carerius *tract. de hæret. num.* 107. & alij, quia inimicus capitalis, vt omnes concedunt, repellitur à testificatione in crimine hæresis. ergo repellendus est ab accusatione. Probo consequentiam, quia, vt patet ex *cap. testes.* 2. *q.* 7. & probat fusiùs Decianus *in tract. crim. lib.* 3. *cap.* 25. repulsus à testimonio, repellitur ab accusatione. ergo, &c.

At his non obstantibus, ego puto inimicum capitalem in causa hæresis admitti posse ad accusandum, cautè tamen & vt suspectum. Et ita hanc sententiam tenet Ferdinandus de Castro *in op. mor. to.* 1. *tractat.* 4. *disp.* 8. *punct.* 2 *num.* 7. & alij penes ipsum, quibus ego addo Nicolaum Arelatanum *notab.* 10. vbi sic ait: Non ignoras inimicum capitalem repelli ab accusatione; sed hoc verum non est in crimine hæresis, in quo inimicus inimicum accusare potest. Ratio est, nam tunc inimicus dicitur accusare vt persequatur suam & suorum iniuriam, quo casu apertissimi iuris est inimicum admitti ad accusandum; quod autem dicatur suam, vel suorum iniuriam persequi, probatur, nam quæ committuntur in Religionem diuinam, omnium iniuriam respiciunt, ex *l. Manichæos. C. de hæret.* Ita Arelatanus. Adde quòd in tali casu accusator non probat, sed probationem præbet, & si ad hæresim accusandam inimicus non admitteretur, difficilè alius accusaret.

Notandum est hîc obiter quòd in accusatione hæresis non sunt necessariæ solemnitates legis libellorum, *ff. de accusat.* vt aduertit Scaccia *de iudiciis lib.* 1. *cap.* 52. *n.* 3. & Decianus *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 28. *num.* 10. Vnde Paramus *de orig. Inquis. lib.* 3. *q.* 9. *num.* 93. *& seq.* dixit in accusatione porrecta contra hæreticum per Procuratorem fiscalem non debere apponi locum loci & tempus præcisum commissi criminis, sed tantùm mensem & annum, oppidum, seu ciuitatem. Sed de hac quæstione vide Simancam *in Cathol. instit. tit.* 4. *num.* 9. *&* 10. *tit.* 43. *num.* 21. Carerium *de hæret. numer.* 109. & Gundislaluum *de hæret. q.* 12. *num.* 2.

RESOL. XLI. *An Inquisitores possint examinare testes nominatos in denuntiatione facta sine nomine denuntiatoris?*

CErtum est quòd etiam absentes admittuntur in crimine hæresis si proprio nomine, & iura-

mento denuntiationem firment,vt probat Simanca *in Cathol. inſtit.tit.43.n.10. & in enchir.tit.22.n.8.* Zecchius *in ſumm.tom.1,tit.de fide cap.11.n.12.* & alij. Sed difficultas eſt,an Inquiſitores poſſint procedere ad examinandum teſtes nominatos in denuntiatione facta in ſcriptis ſine nomine denuntiatoris?Affirmatiuè reſpondet Paramus *de orig.Inquiſit. lib.3.quæſt.6.n.93.* Sed aduerſus illum,& meritò,inſurgit Ferdinandus à Caſtro *tom.1.tract.4.diſp.8. punct.4.n.4.* & Ferdinandus *de hæreſi quæſt.85.n.68.* vbi ait,quòd etiamſi in ſchedula ſine nomine tranſmiſſa ſint teſtes nominati, non debent procedere Inquiſitores ad eorum examen,& ita teſtatur ſeruari Romæ in Tribunali Generalis & S.Inquiſitionis. Ratio eſt,quia talis nominatio teſtium debet reiici tamquam ſuſpecta, cùm procedat à perſona incognita. Sed aduerſus Caſtrum & Farinacium opinio Parami olim mihi non diſplicebat, nam quæ maior perſona ſuſpecta, quàm inimicus capitalis?& tamen Caſtrus & Farinacius admittunt teſtes quos inimicus capitalis defert: ergo quantò magis admittendi ſunt teſtes quos denuntiator occultus præſtet. Verùm quia praxis eſt in contrarium,à contraria opinione non eſt recedendum.

RESOL.XLII. *An Inquiſitores ſi poſt annum contumaces compareant, debeant illos audire, etiam quoad bona confiſcata?*

AFfirmatiuè reſpondet Sigiſmundus Scaccia *de iudic.lib..cap.98. num.34.* & Farinacius *de hæreſi quæſt.85.num.109.* vbi teſtatur Romæ in Tribunali Generalis & S.Inquiſitionis ſeruari, quòd quandocumque contumaces ſponte comparent, ſemper audiuntur & quoad perſonam,& quoad bona.

Verùm contrariam ſententiam tenet Simanca *in Cathol.inſtit.tit.2.num.21.* vbi ſic ait: Is qui intra annum præſentiam ſui fecerit, audiri quoque debet,vt ne bona ſua publicentur; poſt annum verò etſi audiatur,nihilominus bona eius confiſcantur, excepto ſi de innocentia illius planè conſtiterit.Ita ille.Et hanc ſententiam tenet Pegna *in director. Inquiſ.part.3.comment.49.* Io.Rojas *ſingul.145. num.5.* Paramus *de orig.Inquiſit.lib.3.quæſt.4.num.48.*& Sanchez *in ſumma tom.1.lib.2.cap.20. num.27.* vbi probat quòd quando bona ob contumaciam hæretici abſentis publicantur,ita elapſo anno tranſeunt in rem iudicatam,vt comparens poſteà non ſit audiendus circa illa, nec ea recuperet,niſi,vt dictum eſt, comparens innocentiam ſuam planè oſtenderit.

Notandum eſt hîc obiter,quòd citatio facienda contra contumacem abſentem in crimine hæreſis, continere debet cauſam, vt ſcilicet compareat ex cauſa fidei,& ita tenet Angelus *ver.hæreticus,num.1.* Decianus *in tract. crimin.lib.5. cap.32.num.8.* & alij. Verùm ſufficere in tali caſu vt reus citetur ad comparendum coram Inquiſitoribus volentibus ab eo quædam ſcire, tradunt Simanca *in Cathol.inſtit.tit. 43.n.12.* & Pegna *in direct.Inquiſit.part.3 comment.33.* Vide etiam Paramum *de orig.Inquiſit. lib.3. quæſt.4. num.34.* Si tamen Inquiſitores poſt citationem ſic generaliter factam intendant contra reum non comparentem procedere ad cõdemnandum tamquam contumacem,& tunc requiritur alia citatio, in qua expreſsè citetur ad comparendum & reſpõdendum quid ſentiat de fide.& ita tenet Sigiſmundus Scaccia *de iudic.lib.1.cap.43.num.9.*

Sed quot vicibus citari debeat abſens & contumax in crimine hæreſis antequam condemnetur, variant Doctores.Ego verò puto cum Ioanne Rojas *ſingul.29.num.2.*Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 14. num.6.& in enchirid.numer.3.& 4.*& Paramo *de orig. Inquiſit.lib.3.quæſt.4.num.65.* tres requiri citationes, licet ad minus duas eſſe neceſſarias tradat Carerius *de hæret. num.128.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſ.ver.ſententia,num.25.* & Decianus *in tract. crimin.lib.5.cap.39.num.9.* vbi declarat, & *num.27.* Sed ad alia procedamus.

RESOL. XLIII. *An bona hæreticorum confiſcata applicentur Inquiſitoribus?*

RElicta conſuetudine aliorum locorum, aſſero quòd in Hiſpania omnia bona hæreticorum applicantur fiſco Regio, quia Rex noſter columna fidei Inquiſitoribus, & eorum miniſtris abundè ſuppeditat quidquid neceſſarium eſt ad conſeruationem S.Inquiſitionis,& ex ſuo patrimonio quando opus eſt erogat.& ita ex Ignatio Lopez teſtatur Antonius Sanctarellus *de hæreſi cap.23. dub.1. num.3.* Torreblanca *de magia lib.3.cap.11. numer.41.* Lorca *vbi infrà.* Simanca *in Cathol. inſtit. tit.9.numer.132.* & alij. Vnde in inſtruct. Thomæ de Torrequemada *anno* 1484.*numer.*10.ſic habetur: *Los hereges y apoſtatas pierden todos ſus bienes deſde el dia que cometen tal delito, y los dichos ſus bienes, y la propriedad dellos ſon confiſcados,y aplicados a la camara y fiſco de ſus Altezas.* Sic ibi. quæ conſuetudo procedit non ſolùm quoad laicos, ſed etiam quoad Clericos. Vnde licet attento iure Canonico bona Clericorum publicata,ſint deferenda fiſco Eccleſiæ, vt probat Couarruuias *lib.2.var.cap.9.n.12.* attamen in Hiſpania bona Clericorum,ſiue mobilia,ſiue immobilia, quæ ob ipſorum hæreſim publicantur,applicantur fiſco Regio. quam praxim teſtatur & approbat Couarruuias *vbi ſuprà.*Sanchez *in ſumm.tom.1.lib.2.cap.20. num.26.* & Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. Regul.reſol.73.num.14.* quibus ego addo Cenedum, Azeuedum, Salzedum, quos citat & ſequitur Barboſa *in collect.tom.2.lib.5.tit.7.cap.13.num.8.*& Lorca *in 2.2.q.11.art.4.diſp.46.memb.1.n.6.*

RESOL. XLIV. *An Inquiſitoribus liceat bona confiſcata relinquere hæreticis pœnitentibus?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Pariſius *lib.4. conſil.2.numer.184.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit.ver.Inquiſitor.num.33.* Chirlan. *tract.de hæret. quæſt.6.numer.1.2.& 3.* Decianus *in tract. crimin. lib.5. cap.44.num.2.*Rolandus à Valle *lib.3. conſil.92.num. 24.* Zanchinus *de hæret. cap.25. num.3.* Zaſius *lib.1. conſil.23. numer.11.* Et ita ſeruari in vniuerſa Italia teſtatur Pegna *in director. Inquiſ. part.2. comment. 9.* Imò Burſatus *lib.1.conſ.14.numer.31.& ſeq.* docet Inquiſitores ad hoc teneri. Vide etiam Surdum *conſil.386.* & alios, quos citat & ſequitur doctus Antonius Ricciullus *in tract.de iure perſonarum lib.5. cap.41.n.2.*

Verùm

Verùm contrariam sententiam docent Didacus Cantera *in quæst.crimin cap.1. de hæret.num.18.* Ioan. Rojas *singul.26.n.4.* Conradus Brunus *de hæret.lib.5. c.6.n.10.* & hæc opinio, quidquid sit de consuetudine aliorum locorum, seruatur in nostra Hispania. Vnde non grauabor hîc apponere verba doctissimi Simancæ *in Cathol. instit. tit.47.n.15.* vbi sic ait: Non solùm publicam pœnitentiam agunt hæretici qui ad Ecclesiam redeunt, sed etiam bona eorum publicantur, nec ea recuperare possunt, etsi Ecclesiæ gremio recipiantur. Qua in re Paulus Parisius & Petrus Rebuffus insigniter errare mihi visi sunt, donec comperi eos, & alios quamplures Iurisperitos Italiæ consuetudinem sequi, quæ cùm sit vetustissima, & à Summis Pontificibus approbata, pro lege ab eis seruanda est. In Hispania verò iura ipsa Pontificia & leges Regias sequimur; nec enim Inquisitoribus licere putamus, bona ipso iure confiscata relinquere pœnitentibus in damnum fisci, cui videtur iam ius esse quæsitum. Ita Simanca. Igitur in sacro Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ, nemini hæreticorum efficitur bonorum remissio, nisi tantùm illi, qui sponte fatetur errores suos, quod tunc accidit, quando nullo metu probationis & testificationis ductus ad Inquisitores accedit, & misericordiam postulat, hæresim suam integrè manifestando. Et ideò non grauabor hîc apponere verba Instructionis Toletanæ *anno* 1561. vbi *n.41.* sic habetur: *Si el reo estuuiere bien confitente, y su confesion fuera con las calidades que de derecho se requieren, los Inquisidores ordinario, y Consultores lo recebiran à reconciliacion con confiscacion de bienes.* Sic ibi.

Resol. XLV. *An Inquisitores teneantur dare filiis hæreticorum, ex bonis confiscatis, dotes, vel alimenta?*

Affirmatiuam sententiam tenet Torreblanca *de magia lib.3. cap.11. num.46. & 47.* Surdus *cons.386.num.8.* Plotus inter consilia criminalia Zileti *lib.1. cons.130. num.83.* Socinus *lib.1. consil. 30. num.3.* & alij.

Verùm negatiuam opinionem docet Gabriel Quemada *in qq.fiscalibus quæst.24. n.12.* & Sanchez *in sum tom.1.lib.2.cap.16.n.26.* vbi sic ait: Quando ob hæresim publicantur bona alicuius, non tenetur fiscus filios alere, sed omnia prorsus parentum bona publicantur, nullis alimentis reseruatis. quod quidem ob huius criminis atrocitatem iustissimè fit. Nam etsi parentes adstringantur iure naturali ad filios alendos, non ob id impeditur quin illis integrum sit bona omnia hypothecæ alicui subiicere per contractum, ac sæpè à creditoribus omnia vsurpantur, non deductis filiorum alimentis: ergo à fortiori id poterunt per delictum, prior enim obligatio ex propria parentum voluntate oritur; posterior verò ex legis præscripto, ob bonum commune, vt tam atrocis supplicij timore arceantur parentes ab hoc delicto patrando. Ita Sanchez, & ante illum Doctores, quos ad satietatem adducit Antonius Ricciullus *tract. de iure personarum lib.5. c.40.n.1.* qui optimè hanc quæstionem pertractat, adi illum, & non pigebit.

Non desinam tamen hîc adnotare, quòd in nostra Hispania circa hoc obseruatur id, quod præcipitur in Instruct. Hispal. quam affert Gabriel Quemada *in qq fiscalibus, q.24.n.11.* vbi sic habetur: *Si de los hereges quedarẽ algunos hijos ò hijas de menor edad, que no sean casados los Inquisidores prouean y den orden que los dichos huerfanos sean encomendados à personas honestas, y Christianos viejos Catholicos, ò à personas religiosas que los crien y sostengan.* Sic ibi. Vnde Pegna *in direct.Inquis.part.2.comm.9.* ita asserit: Inquisitores pueris, & puellis hæreticorum damnatorum prouidebunt ex misericordia, ita vt rationem habeant sexus, & ætatis. nam masculos iam corpore validos alicui arti mechanicæ iubebunt addici; feminas aliquibus honestis matronis assignabunt, vt eis famulentur, & ab eis in fide instruantur, ceteris quibus per ætatem, aut incommodam valetudinem laborare non licet, tenua alimenta ex paternis bonis ex sola misericordia subministrabunt. Ita Pegna, & ante illum Simanca *in Cathol instit.tit.29.n.12.*

Resol. XLVI. *An Inquisitores possint legere libros hæreticorum?*

Negatiuam sententiam docet Antonius Ricciullus *in tract.de iure person.lib.5.cap.25.n.4.* vbi sic ait: Inquisitores non possunt legere libros damnatos, nisi eis ab Apostolica Sede, seu per sacram Congregationem Inquisitionis fiat facultas, stante constit. Iulij III. Ita ille. Et hanc sententiam tenet etiam Barbosa *de potest. Episc part.2.alleg.90. num.8.* Suarez *de fide disp.20.sect.2.n.28.* Sanchez *in sum.to.1. lib.2.cap.10.n.46.* & alij.

Verùm contrariam sententiam ex Azorio, Graffio, Delrio, & aliis tenet Farinacius *de hæresi q.180. num.43.* quibus ego addo nouissimè Bonacinam *in Bulla Cœn.tom.3.disp.1.quæst.2.punct.4.n.10.* Imò Zanardus *in direct.Theol. part.2.cap.7.n.16.* Duardus *in Bull.Cœn lib.2.Canon.1. quæst.34.n.6.* Torreblanca *de magia lib.3.c.15.n.27.* Naldus *in summ.ver.Bulla Cœnæ n.11.* Antonius Sousa *in Bulla Cœnæ disp.15 n.5.* post Pegnam *in direct.Inquisit. part.2. comment.3.* & alios putant subst itutos Inquisitorum, seu Commissarios ab Inquisitoribus deputatos posse libros hæreticorum legere, quia huiusmodi Commissarij censentur à Sede Apostolica instituti, licet hoc non admittat Bonacina *loco cit.* & Merolla *in disp.Theol.to.1. disp.1.c.2.diffic.11.n.154.* cum Sanchez *vbi suprà*, quia facultas legendi libros hæreticorum conceditur Inquisitoribus, & deputatis à Sede Apostolica. Inquisitor autẽ non est Sedes Apostolica: ergo, &c.

Notandum est tamen, quòd stando in hac secunda opinione in Regnis Hispaniarum, solus Inquisitor generalis habet potestatẽ legendi libros hæreticorum, & cui ipse commiserit, & non alij Inquisitores, vt patet ex Bulla Pauli V. apposita in principio indicis expurgatorij. Vnde neque Episcopi possunt dictos libros legere. Et ideò hîc in gratiam studiosorum ponam pulchrum locum Didaci Canteræ *in qq crim.cap.1. de hæret.n.64.* vbi sic ait: Si aliquis haberet libros hæreticorum, per Inquisitores anathematizaretur, vt fuit factum per Inquisitionem Conquensem contra Episcopum Conquensem, qui dicebat eos tenere ex particulari priuilegio. Ita Cantera, quod est valdè notandum. Sed ego in tali casu consulerem DD. Inquisitoribus, vt Sum-

mum Pontificem de hoc certiorarent,& in Regnis Hiſpaniarum Inquiſitorem generalem; quòd autem Epiſcopi non poſſint legere libros prohibitos, firmat nouiſſimè Mauritius Alzedus *in praxi Epiſc. part. 2.cap.6.num.75.* qui citat Nauarrum, Azorium, Sanchez, Delrium, Barboſam,& Pegnam.

Sed pro coronide huius reſolutionis apponam hîc verba Homoboni de Bonis *in exam.Eccleſ.part.2. tract.11.cap.7.quæſt.15.* vbi ſic ait: Aduertendum eſt etiam à doctis integræque fidei viris ex vrbe referre libros, qui non ſunt hæreticorum, nec de hæreſi tractant, neque contra fidem falſa, vel ſuſpecta dogmata continent, aliaque, tamen alia ex cauſa prohibitos poſſe viris dignis ab Inquiſitoribus permitti, qui quidem gratis ex ſcripto manu ſua ſubſignato tribuent,& de triennio in triennium facultatem renouabunt: at in foro conſcientiæ illam licentiam oretenus habere ſufficere videtur. Ita Homobonus. Verùm poſt hæc ſcripta Vrbanus VIII. p.m. derogauit omnes licentias legendi libros hæreticorum, & omnes alios prohibitos, & hodie hanc poteſtatem dat ſolùm ſacra Congregatio.

RESOL. XLVII. *An Inquiſitores citando reum ſimul eodem tempore cum Epiſcopo ſint Epiſcopo præferendi?*

CItatum ab Inquiſitore & ab Epiſcopo eodem tempore poſſe adire quem maluerit, docet Molina *de iuſtit.tract.5.diſp.20. num.17.* qui conatur validiſſimis rationibus hanc ſententiam firmare. Imò Ioannes Rojas *ſingul.44.n.7.* putat Ordinario parendum eſſe.

Sed in tali caſu debere citatum coram Inquiſitore comparere, ſi Epiſcopus procedat aduerſus reum iure proprio, non autē ex delegatione, tenet Pegna *in director.Inquiſ.part.3.quæſt.5. comment.54.* Simanca *in Cathol.inſtit. tit.43.n.13.* Paramus *de orig. Inquiſit. lib.3 quæſt.4.* Azorius *tom.1.lib.8.cap.18.q.8. n.69.* & alij, quia iuriſdictio Inquiſitoris tamquam delegata eſt maior ordinaria Epiſcopi; ergo, &c. Vnde Michaël Zanardus *in direct.Theol. part.2.cap.6.q.13.* ſic ait: Si Epiſcopus & Inquiſitor compatibilia ad inuicem præcipiant, v.g. vt reus vno die, vel hora coram ſe compareat, & Inquiſitor altero die, vel hora, reus tenetur vtrique obedire. Et ſi Epiſcopus primo die citans reum illum in cuſtodiam poneret, nec altero die ad Inquiſitorem iret, Inquiſitor poſſet illum repetere & obtinere ab Epiſcopo, quamuis priùs fuerit ab eo citatus. Si verò præcipiant incompatibilia, vt, v.g. quòd reus eadem hora coram vtroque compareat, vel quòd familia vnum capiat altero iubente ne capiatur, & in ſimilibus, erit Inquiſitori vt delegato, & maiori in hoc Epiſcopo parendum. Ita Zanardus. Nihilominus audio in praxi obſeruari vt ſit præuentioni locus, iuxta *Clementinam 1.de hæret.*

Verùm hæc quæſtio in noſtra Hiſpania non habet locum, nam ibi, vt *ſuprà* dictum eſt, ſoli Inquiſitores proceſſus formant aduerſus reos in rebus fidei, ac proinde ipſi ſoli ſunt, qui eos citant, non verò Epiſcopi; quòd ſi Epiſcopis edicta contra hæreticos in Hiſpaniis promulgare non permittitur, multò minùs permittetur illos citare vt coram ipſis compareant. & ita obſeruat Molina *vbi ſuprà, de iuſtit.tom.5.tract.5.diſp.29. num.17.* Et ita nouiſſimè poſt hæc ſcripta docet etiam Souſa *in aphoriſm.Inquiſit.lib.1.cap.2.num.15.* vbi teſtatur de praxi Regni Luſitaniæ, ſic enim ait: Si Epiſcopus procedat auctoritate delegata, & pro tempore incompoſſibili citet ſimul cum Inquiſitore, poteſt citatus eligere coram quo comparere velit ſecundùm iuris communis rigorem. In hoc tamen Luſitaniæ Regno probabilius eſt debere ſe Inquiſitori præſentare. Ita ille, & ego.

RESOL. XLVIII. *An Inquiſitores in cauſis fidei poſſint procedere ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura iudicij?*

AFfirmatiuè reſpondeo ex *cap. ſtatuta, de hæret. in 6.* ſic docet Sigiſmund.Scaccia *de iudiciis lib.1. c.52.n.2.* Simanca *in Cathol.inſtit.tit.44.n.30.* Eymericius *in director. Inquiſ.part.3. quæſt.54.* & *ibi* Pegna *comm.103.* Zanchinus *de hæret.c.9.n.1.* Carrerius *de hæret.num.93.103.& 108.* Paramus *de orig.Inquiſ.lib.3. quæſt.9.num.45.* & alij; quidquid in contrarium aſſerat Decianus *in tract.crimin.lib.5.cap.34.num.9.* vbi tenet hoc priuilegium Inquiſitorum intelligendum eſſe quoad leuia, non autem in præiudicialibus. Sed hæc opinio expreſsè eſt contra textum, vnde prorſus eſt refellenda.

Notandum eſt tamen, clauſulam prædictam, *ſimpliciter & de plano*, &c. in crimine hæreſis non tollere ſolemnitates iuris Gentium, vel diuini, nec per illam ſublata eſſe neceſſaria ac ſubſtantialia cauſæ, illa ſcilicet, ſine quibus nec iuſtè & rectè, nec commodè negotium tractari poteſt. & ideò in cauſis hæreticalibus requiritur etiam legitimatio perſonarum, aliàs proceſſus redderetur nullus. Ita DD. citati. Sed de hac clauſula, *ſimpliciter & de plano*, &c. vide Auguſtin.Barboſam *tract.de clauſulis, clauſ. 176.* ſecundùm Lugdunenſem impreſſionem, Martam *de clauſul.part.1.clauſ.180.n.5.* in vltima impreſſione, & alios penes ipſos.

RESOL. XLIX. *An ſi Inquiſitor cogeret reum ſine Epiſcopo ad abiurationem, talis ſic abiurans maneret ſubiectus pœna relapſi?*

NEgatiuam ſententiam tenet Ferdinan.de Caſtro *in op.mor.tom.1.tract.4.diſp.8.punct.13.n.18.* qui hanc ſententiam conatur probare ex *Clemen. de hæret.§.duro.*

Verùm contrariam ſententiam præter Pegnam *in direct. Inquiſit. part.3. comment.97.* tenet Michaël Zanardus *in director.Theolog.part.2.cap.6.quæſ.15.* vbi ſic ait: Doctores ſunt diuiſi, ita vt aliqui affirment poſſe Inquiſitores ſine Epiſcopo indicere abiurationem, & è contra; tamen oppoſitum mihi cum aliis tenendum videtur, quia abiuratio quædam pœna eſt & condemnatio: ad condemnandum autem vterque requiritur, & ita credo eſſe vſu receptum apud Inquiſitores & Epiſcopos. Si tamen coram vno illorum tantùm facta eſſet, teneret, nec eſſet repetenda, quia expreſsè non eſt aliud ſanctum. Ita Zanardus.

Itaque contra Caſtrum, ſi de facto contingeret Inquiſitorē ſine Epiſcopo, & è contra reum ad abiurationem cogere, talis reus ſic abiurans maneret ſubie-

ſubiectus ſtante dicta abiuratione ad pœnam relapſi,& ita hanc ſententiam tenet etiam Farinacius *de hæreſi q.*186. *num.* 79. concedo tamen non licere Inquiſitoribus ſuſpectum de hæreſi vehementer cogere ad abiurandum ſine Epiſcopo. & ita tradit Azorius *tom.*1.*lib.*8.*cap.*18.*quæſ.*16. Molina *de iuſtit. tom.*5.*tract.*5.*diſput.*28.*num.* 16. & alij; quidquid in contrarium ſentiat Campegius *in addit. ad Zanchinum de hæretic. cap.* 8. *lit.* E. Verùm ex his oritur ſequens quæſtiuncula.

RESOL. L. *An Inquiſitores poſſint ſine Epiſcopo proferre ſententiam abſolutoriam rei?*

PRima opinio negat. Ita Simanca *in Cathol. inſtit. tit.*3 *numer.* 9. *& in enchirid. tit.* 51. *numer.* 2. Rojas *ſingul.*27. *num.* 7. Zechius *in ſumm. tractat.*1. *tit.de fide.cap.*11.*numer.*14. Azorius *tom.*1.*lib.*8.*ca.*18. *quæſ.*16.& alij.

Secunda opinio affirmat, & ita docet Molina *de iuſt.tom.*5.*tract.*5.*diſp.*28. *numer.*15. Iulius Clarus *in praxi crimin. §. hæreſis, numer.* 5. qui citat gloſſam *in Clem.*1. *de hæreticis, in ver. Contra eos*, & Carrerium *in praxi.*

Tertia opinio diſtinguit. Vnde Michaël Zanardus *in direct.Theolog.part.*2 *cap.*6.*q.*15. ſic ait:Quoad ſententiam abſolutoriam multi tenent Inquiſitorem & Epiſcopum vnum poſſe ſine altero inquiſitũ de hæreſi abſoluere,vt Io.Andreas, Paulus Cardin.& Abbas;alij verò,vt Ancharanus,Aretinus,& Socinus oppoſitum ſentiunt. Videtur autem mihi dicendum quòd abſoluere inquiſitũ de hæreſi ſtat dupliciter.Primò,quando ex proceſſu non reſultat eum eſſe nec conuictum nec confeſſum,nec indiciis ſufficientibus ad torturam indiciatum de hæreſi.Secundò,quando eſt conuictus, vel confeſſus, vel grauiter indiciatus,ita vt torquendus veniat.Si primum, vterque poteſt ſeorſum reum abſoluere, quia non eſt inuentus reus, nec aliud contra eum manet agendum. Si ſecundum, vnus non poterit ſine alio eum relinquere & abſoluere.Primò, quia torquendus eſt,& tortura non poteſt infligi ab vno ſine alio.Secundò, quia ſumus in negotio graui,in quo poſtulanda eſt congregatio,& ad vlteriora eſt procedendum.Hæc Zanardus.

Mihi verò placeret prima opinio quæ fundatur *in Clement.*1.*de hæret.* ſed in aliquibus prouinciis eſt conſuetudo vt Inquiſitores ſine Epiſcopo proferant ſententiam abſolutoriam, & ideò Antonius Sanctarell.*de hæreſi c.*40.*dub.*2.*num.*13. ſic aſſerit:Alij ſentiunt non poſſe Epiſcopum & Inquiſitorem ſeorſim ſententiam abſolutionis proferre.quæ ſententia eſt ſequenda,niſi alicubi eſſet conſuetudo in contrarium legitimè præſcripta.Ita ille,& ego.

Sed an dicta conſuetudo in ſacro Tribunali Inquiſitionis Hiſpaniæ vigeat, Molina *de iuſt. tom.*5. *tr.*5.*diſp.*28.*n.*15.*in fine* affirmat. Sed Simanca *in Cathol.inſtit.tit.*3.*n.*9.negat.

Nota etiam, vt *ſuprà* adnotauimus, quod Souſa *in aphoriſ.Inquiſ.lib.*1.*cap.*3.*num.* 5.docet, eſſe vſu receptum Inquiſitores indicere abiurationem, & purgationem ſine Epiſcopo, vnde vbi adeſt talis conſuetudo legitimè præſcripta, ego illam,vt *ſuprà* dixi,non damnarem.

RESOL. LI. *Quomodo ſe gerere debeant Inquiſitores ne irregularitatem incurrant tradendo hæreticos Curiæ ſæculari?*

FErdinandus de Caſtro *in oper.mor.tom.*1.*tract.*4. *diſp.*8.*punct.*14.*num.*10.ex Pegna *in director. Inquiſ. part.*3.*comment.*85. putat in tali caſu non debere Inquiſitorem expreſsè præcipere Iudici laico, vt pœnam mortis in illos exequatur,ſed ſolùm vt ſententiam à ſe latam exequatur,vel meliùs,vt ſeruet cõſtitutiones & leges aduerſus hæreticos editas,nam in hoc modo compulſionis,cùm mors directè petita non ſit,nulla eſt occaſio irregularitatis contrahendæ.Ita Caſtrus.

Sed ad tollendos omnes ſcrupulos, notandum eſt quòd ne ob periculum incurrendæ irregularitatis miniſtri ſacræ Inquiſitionis ab Officio retardentur,noſter Paulus IV.*die* 19.*April.*1557.& Pius V. ſtatuerunt,vt Inquiſitores, Conſultores, & alij Inquiſitionis miniſtri eſſent immunes ab irregularitate quantumcumque & quomodocumque ad hæreticorum condemnationem concurrant.Et ita docet Scortia *in Bullis Pontif.epitom.*10.*theor.*34.Sayrus *de cenſ.lib.*6.*cap.*18.*numer.*15.Maiolus *de irregular. lib.*2.*cap.*9.& alij.

Hinc contra Couarruuiam *in Clem.*1. *part.*2.§.5. *num.*6.& alios dicendum eſt,quòd ſi Iudex ſæcularis differret executionem, poſſunt Inquiſitores inſtare vt exequatur ſententiam,nec propterea vllam contrahunt irregularitatem, vt rectè notauit Barboſa *in collectan.tom.*2.*lib.*5.*tit.*7. *cap.*13. *num.* 5. Henriquez *lib.*14.*cap.* 12. *numer.*5. *in gloſſ.lit.* D. Auila *de cenſ.part.*7.*diſp.*5.*ſect.*2. *dub.* 2.Medina *in ſumm.lib.*1. *cap.*11.§.10.*regul.*4. Tabiena *ver.Irregularitas, nu.*15. &c.& ideò Inquiſitores quando tradunt hęreticos Curiæ ſæculari, non tenentur præmittere proteſtationem *cap.nouimus, de ver. ſignif.* vt rectè notat Cenedus *in qq.Canon.quæſt.*15. *numer.* 5.& Simanca *in Cathol. inſtit tit.*34.*numer.* 47. & Auila *vbi ſuprà*, etiam notat fiſcalem Secretarium, denuntiatores, & alios officiales in Tribunali Inquiſitionis non incurrere irregularitatem, licet omittat dictam proteſtationem.

Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd ſi aliquis Inquiſitorum incurrat irregularitatem, alter eum poterit abſque alia diſpenſatione abſoluere,ex priuilegio Vrbani III. & ita notat Rojas *de hæret. p.*2. *numer.*423.

RESOL. LII. *An Inquiſitores debeant eſſe magis Theologi quàm iuriſperiti?*

THeologos eſſe debere docet Michaël Zanardus *in direct.Theolog.part.*2.*cap.*6. *quæſ.* 12. quia, ait ipſe, ad eos ſpectat de propoſitionibus ac factis hæreticalibus iudicare; proceſſum verò formare, teſtes examinare, & de cauſa iudicare ſimul cum perito Notario fiſcali & ſuis Conſultoribus poſſunt explere.Ita ille, & ante illum Pegna *in direct. Inquiſit part.*3.*comment.*50.

Verùm mihi contraria ſententia magis placet, quia Inquiſitores in cauſis fidei plura vt Iuriſperiti, quàm vt Theologi efficere debent, vt per experientiam patet. ergo, &c. Vnde Iacobus Siman-

Simanca *in inſtit. Cathol. tit. 41. num. 3.* teſtatur experientia iam olim in Hiſpania fuiſſe compertum, longè vtilius & commodius eſſe vt Inquiſitores eligantur Iuriſperiti, quàm Theologi, quidquid Theologaſter ille deliret Ocham. Ita Simanca, & poſt illum Sigiſmundus Scaccia *de iudiciis, l. 1. c. 87. n.* 10. vbi ex multis rationibus probat, Inquiſitores magis Iuriſperitos, quàm Theologos eligendos eſſe.

RESOL. LIII. *An Inquiſitores ſi ſint Regulares, & delinquant non in iis quæ ſunt officij Inquiſitionis, poſſint puniri à ſuis Prælatis?*

SI delinquant in his quę ſunt officij Inquiſitionis, certum eſt non eſſe puniendos à ſuis Prælatis, vt docet Peirinus *in priuil. Minim. tom. 1. conſtit. 4. Sixti IV.* § 11. *num. 49.* Pegna *in direct. Inquiſ. part. 3. q. 21. comment. 61.* ſed à Cardinalibus vniuerſalis Inquiſitionis, & in Hiſpania à Generali Inquiſitore. Ratio eſt, quia Inquiſitores in his quæ ad Inquiſitionis officium pertinent, ſunt exempti à ſuis Prelatis Regularibus, vt probat Rojas *de hæret. part. 2. num.* 418. Decian. *in tract. crim. lib. 5. cap. 22. num. 33.* Moſcouius *de maieſt. militan. Eccleſ. lib. 1. part. 1. cap. 11. & conſtit. Alexandri IV.*

Sed difficultas eſt, an poſſint coërceri & puniri ſi extra ſuum officium delinquāt? & affirmatiuam ſententiam docent, vt Sanctarellus *de hæreſi cap. 40. dub. 1. numer. 7.* Zanardus *in direct. Theol. part. 2. cap. 6. quæſ. 43.* & alij communiter. Verùm licet Inquiſitores teneantur parere ſuis Superioribus Regularibus in his, quæ regulæ obſeruantiam & alia, per quæ directè, vel indirectè ſanctum Officium non impeditur, & propterea in delictis extra Officium per eoſdem Superiores moneri & reprehendi poſſunt; non tamen concedendum eſt quòd dicti Superiores poſſint eos punire, & conſequenter ab eorum officio per indirectum retrahere, ſed benè poterunt aſſumere informationes, illaſque ad ſupremum Cardinalium Tribunal tranſmittere, expectantes quod ſibi ab eodem Tribunali ſupremo mandetur, aliàs eſſet inuenta aperta via impediendi Officium Inquiſitionis per indirectum. Et ita hanc ſententiam tenet & docet Farinacius *de hæreſi q. 186. numer. 128.* Igitur dicendum eſt non ſolùm Inquiſitores Regulares delinquentes in proprio Officio, ſed nec delinquentes extrà, poſſe à ſuis Superioribus puniri, pœna, inquam, quæ aliquo modo retardare poſſit proprij Officij exercitium, & ſic cum Farinacio nouiſſimè tenet Ferdinandus de Caſtro *in oper. mor. tom. 1. tract. 4. diſp. 8. punct. 12. §. 2. num. 23.*

RESOL. LIV. *An Inquiſitores eligendi debeant habere ætatem quadraginta annorum?*

AFfirmatiuè reſpondendum eſt ſtando in iure communi. nam ita decernitur *in Clem. nolentes, de hæret.* Vnde ſi eligerentur in alia minori ætate, electio eſſet nulla, vt obſeruat gloſſa *in d. Clement. ver. committi, & ibi* Ancharanus *num. 2.* & Zabarella *numer. 3.* & ita hanc ſententiam tenet Moſcouius *de maieſt. milit. Eccleſ. lib. 1. part. 1. cap. 11.* Homobonus de bonis *in tract. de ſtatibus, part. 1. cap. 8.* & alij communiter.

Verùm, his non obſtantibus, vt optimè obſeruat Antonius Sanctarellus *tract. de hæreſi, cap. 40. dub. 1. num. 5.* & Zanardus *in director. Theolog. part. 1. cap. 6. q. 12.* cùm hoc tempore Inquiſitores creentur ab Eminentiſſimis Cardinalibus ſanctæ Inquiſitionis Romanæ, nō videtur valdè curandum, an quadrageſimum ætatis annum attigerint, quia eliguntur de ſcientia Summi Pontificis, à quo ſi in quacumque ætate eligantur Inquiſitores, valet eorum electio, etiam ignorante Pontifice ętatem, vt obſeruat Farinacius *de hæreſi q. 186. n.* 51. Sed quid dicendum de Inquiſitoribus Hiſpaniæ? Dico igitur quòd Inquiſitores qui creantur à Generali Inquiſitore Hiſpaniarum ex priuilegio Summi Pontificis, ſufficit vt attingant annum trigeſimum, vt obſeruat Zanardus *vbi ſuprà*, & ante illum docuerat Iacobus Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 34. nu. 12.* Rojas *ſingul. 106. num. 7.* & alij.

Notandum eſt tamen hîc obiter commiſſarios Inquiſitorum ſufficere annum trigeſimum attingere, & ita docet Molina *tom. 5. tract. 5. diſp. 28. numer. 23.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 4.* Pegna *in director. Inquiſ. part. 3. comment. 61. & 65.* quidquid in contrarium aſſerat gloſſa, & Ioan. Andreas *in d. Clement. 2. de hæret.*

RESOL. LV. *An Inquiſitores Hiſpaniæ habeant iuriſdictionem in cauſis criminalium & ciuilium ſuorum familiarium?*

PRimò quoad cauſas criminales, reſpondeo affirmatiuè, exceptis certis criminibus, de quibus Ioannes de Heuia *in Curia Philippica part. 3. §. 1. nu. 19.* & Narbona *in recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloſſ. 1. & ſeq.* & alij.

Sed difficultas eſt quoad cauſas ciuiles, nā Ferdinandus de Caſtro *in oper. moral. tom. 1. tractat. 4. diſp. 8. punct. 12. §. 2. num. 9.* ſic aſſerit: In cauſis ciuilibus ſolùm credo Inquiſitores habere iuriſdictionem reſpectu officialiū, qui ſunt à ſecretis, ij enim ſolùm conueniri & conuenire debitores poſſunt coram Inquiſitoribus, non autem alij officiales externi. Ita Caſtrus.

Sed hęc ſententia ita abſolutè prolata mihi non placet, ſaltem quoad Regnum Valentiæ. & ideò Rojas *de hæret. part. 2. numer. 422.* ſic ait: Inquiſitores habent familiam armatam, vulgò *familiares*, & eorum cauſæ tam ciuiles, quàm criminales in hac Inquiſitione Valentina ad Inquiſitorum cognitionem pertinent, iuxta concordiam nouam & antiquam inter Regiam Maieſtatem & Inquiſitionem initam, quod etiam obſeruatur in hoc Regno Siciliæ. Vnde Paramus *de orig. Inquiſ. lib. 3. q. 6. num. 27.* ita aſſerit: Inquiſitio formata per Iudices ſæculares contra familiares S. Officij Regni Siciliæ nulla eſt & inualida, illi enim coram Iudice laico neque ciuiliter, neque criminaliter conueniri poſſunt, cùm foro S. Officij, id eſt, Eccleſiaſtico gaudeant, tum ex iure municipali illius Regni, tum ex iuris Pontificij deciſionibus, priuilegiis, conſuetudine immemoriali, & concordatis initis inter Regem & Inquiſitores *anno* 1580. Hæc Paramus. quæ omnia ſeruari in Catalonia, & in Regno Aragoniæ & Maioricarum teſtatur Narbona *vbi ſuprà, nu. 14. & gloſſa 6. n. 2.*

Notandum eſt tamen hîc obiter, quod Narbona

loco

*loco priùs citato n.*75. ex Paramo obſeruat, quòd in hoc Regno Siciliæ non ſolùm familiares gaudent priuilegio fori, ſed etiam eorum vxores non ſolùm viuente marito, ſed eo etiam mortuo, donec in viduitate permanſerint.

RESOL. LVI. *An Inquiſitores poſsint procedere & punire diſputantes de fide in caſu à iure prohibito?*

REſpondeo affirmatiuè, & ita docet Michaël Zanardus *in direct Theolog.part.*2.*cap.*6. *quæſ.*32. Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. ver. diſputare, num.*2. & ex neotericis Farinacius *de hæreſi quæſt.*78. *num.*117.

Notandum eſt tamen quòd *in cap.quicumque,*§. *inhibemus, de hæret. in* 6. prohibetur laicis, de fide diſputare, etiam quòd ſint perſonæ doctæ & litteratæ, vt obſeruat Albertinus *de agnoſcend.quæſt.*13. *num.*12. Valentia *tom.*3.*diſp.*1. *quæſt.*10. *punct.*4. *poſt* 2. *concluſ.* Pegna *in direct. Inquiſ. part.*1. *quæſt.*10. *comment.*25. Azorius *tom.*1. *lib.*8. *cap.*26. *quæſ.*1. Aragon. *in* 2.2. *q.*10. *art.*7. *notab.*2. & alij, *vbi infrà*, niſi in caſu magnæ neceſſitatis, vel vtilitatis, vt ſi in aliquo loco adeſſet aliquis hæreticus, qui fideles peruerteret, nec ibi adeſſent Eccleſiaſtici docti, qui aduerſus illum partes fidei ſuſciperent, tunc enim laico docto non ſolùm prohibetur, ſed etiam tenetur cum illo hæretico de fide diſputare; & ita docet Becanus *to.*3 *tract.de fide c.*15. *q.*7. *n.*6. Suarez etiam *tract. de fide diſp.*20. *ſect.*1. *n.*11. Turrianus *in* 2.2. *D.Thomæ tract.de fide, quæſt.*10. *art.*7 *diſp.*50. Sanctarellus *de hæreſi cap.*8. *dub.*2. *n.*7. & alij.

Nota etiam quòd in dicta prohibitione *c.* 2. *de hæret. in* 6. non includitur Clericus, quamuis indoctus, quia textus loquitur de laicis, peccabit tamen contra legem naturalem, exponendo ſe periculo errandi. Ita Sanctarellus *loco cit. n.*8. Becanus *num.*7. Azorius & Sanchez *in ſumm. tom.*1. *lib.*2. *cap.*6. *n.*8. & alij, non autem incidet in excommunicationem latam *in d. cap.* quæ quidem excommunicatio etiam à laicis non incurritur ipſo facto, ſed per Iudicem Eccleſiaſticum eſt infligenda; vt notant DD. citati.

RESOL. LVII. *Quos teſtes adhibere poſsint Inquiſitores in cauſa hæreſis, & quæ fides ab ipſis adhibenda ſit teſtibus inhabilibus, vel ſingularibus?*

DIco primò in cauſis fidei omnes præter inimicos capitales in teſtes admitti poſſe, vt excommunicati, criminoſi, infames, ſocij criminum, vt patet *in cap. in fidei fauorem. de hæret. in* 6. Vnde etiam admittitur periurus, Iudæus aduerſus Chriſtianum apoſtatantem, item hæreticus, domeſtici, familiares, conſanguinei, mulieres, minor 14. annorum: vnde excluditur tantùm, vt dictum eſt, inimicus capitalis. Vide Gundiſſaluum *de hæret.quæſt.*13. *n.*10. & 12. Pegnam *in direct. Inquiſit. part* 3. *comment.*114. & *comment.*119. *part.*2. *comment.*13. Zecchium *in ſum. tom.*1. *tit. de fide cap.*11. *n.*14. Simancam *in Cathol. inſtit. tit.*64. Rojas *ſingul.*197. Maſcardum *lib.*2. *concluſ.* 762. *n.*22. & alios penes ipſos.

Dico ſecundò quòd ſupradicti teſtes inhabiles admittuntur ſine tortura, & licet aliæ adſint probationes, vide Rojas *ſingul.*188. *num.*6. & *de hæret. part.*2. *num.*153. & alios relatos à Maſcardo *lib.*2. *concluſ.*857. *num.*31. cum Simanca *vbi ſuprà, num.*37. & Deciano *in tract.crimin.lib.*5. *cap.*35. *n.*1. Et hoc verum eſt non ſolùm ſi procedatur per viam Inquiſitionis, ſed etiam per viam accuſationis, quidquid in contrarium aſſerat Barboſa *in collectan.to.*3 *lib.*5. *tit.*2. *cap.*5. *n.*8.

Dico tertiò hos teſtes non eſſe admittendos in hæretici defenſionem, ſi ab ipſo inducantur, quidquid aſſerat Gomez *tom.*3. *var. c.*12. *n.*23. & alij. Sed noſtram ſententiam tenet Rojas *ſingul.*188. *n.*9. & 10. & *de hæret. par.*2. *n.*177. Farinacius *de hæreſi q.*188. *n.*81. & ego ipſe *ſuprà.*

Limitatur tamen hæc opinio circa familiares, domeſticos, & conſanguineos, qui admitti poſſunt in fauorem hæretici, non tamquam integri teſtes, ſed tamquã teſtes diminuti, maximè ſi ſint probatę vitæ, & ita tenet Pegna *in director. Inquiſ. part.*3. *comment.*119. Zecchius *vbi ſuprà*, & alij. Verùm negatiuam ſententiam tenent plures, quos refert Maſcardus *de probat. lib.*2. *concl.*857. *n.*24. Crottus *de teſtibus, n.*104. Farinacius *de hæreſi q.*188. *n.*149. & alij.

Dico quartò ſupradictos teſtes inhabiles, criminoſos, &c. non integrè delictum probare, ex quo fit duplice teſte conteſte, ſociis criminis, aut aliàs inhabilibus non poſſe reum ad pœnam ordinariam condemnari, etiamſi indicia, & circumſtantiæ concurrant, quibus præſumi poteſt veritatem deponere. Et ideò depoſitio vnius teſtis inhabilis rarò ad torturam ſufficit, niſi aliis adminiculis & præſumptionibus grauibus adiuuetur. Depoſitio verò duorum ſufficiet ad torturam, vel ad pœnam extraordinariam; trium, vel quatuor depoſitio ad condemnationem ordinariam ſufficiet, quia ex multitudine deponentium fulcitur eorum inhabilitas. Vide Pegnam *in direct. part* 3. *q.*64. *comment.*113. Farinacium *de hæreſi q.*188. *n.*83. Maſcardum *de probat. lib.*2. *concluſ.*857. *n.*38. Delrium *in diſquiſit. magic. lib.*5. *in append.*2. *q.*12. 13. 14. & 15.

Dico quintò, non probari delictum plenè & perfectè, eſto cum teſte aliàs inhabili concurrat teſtis omnino integer, & valdè dignus, niſi concurrerent aliæ circumſtantiæ & indicia. Vide Sanctarellum *de hæreſi cap.*38. *dub. vnic. n.*7. Pegnam *in director. Inquiſ. part.*3. *comment.* 113. Farinacium *quæſt.* 188. *n.*69. & alios.

Verùm libet hîc adnotare breuiter aliqua circa teſtes ſingulares, vnde præmitto triplicem eſſe ſingularitatem teſtium, obſtatiuã, adminiculatiuam, & diuerſificatiuam. Obſtatiua ſingularitas eſt, cuius dictum alterius dicto repugnat. Adminiculatiua eſt, cuius dictum alterius dicto fauet & patrocinatur, vt, v. g. ſi vnus deponat vidiſſe delinquentem, alter audiuiſſe. Diuerſificatiua eſt cùm ex teſtium depoſitionibus diuerſus actus in ſpecie, & in ſubſtantia colligitur, vt ſi quis dicat, Petrum hæreſim commiſiſſe tali die & tempore, alius verò deponat alio loco & tempore. Ita Paramus, Rojas *de hæret. part.*2. *num.*122. Pegna *in director. Inquiſit. part.*3. *comment.*121. & alij communiter. Hoc igitur ſuppoſito,

Dico ſextò, teſtes ſingulares ſingularitate obſtatiua nihil probare, teſtes verò ſingulares ſingularitate admini-

adminiculata, ſeu cumulata, vel diuerſificatiua, licet delictum plenè non probent, quoad pœnam ordinariam, probant tamen quoad torturam, & quoad pœnam extraordinariam, quia delictum per dictos teſtes pluſquam ſemiplenè probatur. Ita Pegna *vbi ſuprà*. Pariſius *lib.4.conſil.2.n.93.* Maſcardus *de probat.lib.2.concl.856.n.12.& ſeq.* cum aliis.

Dico ſeptimò, aliquos aſſerere duos teſtes omni exceptione maiores ſufficere ad conuincendum aliquem de hæreſi, etiamſi vnuſquiſque de ſuo actu hæreticali diuerſo teſtificetur, vt ſi, v.g. vnus teſtis dicat te ex obſeruantia legis antiquæ Sabbatum cuſtodiſſe, alius ieiunaſſe, vel te circumcidi permiſiſſe. Ita Simanca *in Cathol.inſtit.tit.37.n.11.* Menochius *lib.1.conſil.82.n.138.* & alij, licet magis probabiliter contrarium aſſerant Rojas *de hæret.part.2.n.142.& ſeq.* Pegna *in direct.part.3.comment.121.* & alij, quos ego *ſuprà* in hoc tractatu citaui. Dico igitur ſupradictos teſtes non eſſe ſufficientes ad condemnandum aliquem pœna ordinaria, ſed tantùm ad pœnam extraordinariam.

Dico octauò, teſtes deponentes de quodam actu hæreticali, variantes tamen in loco & tempore, ſunt teſtes ſingulares, nec ſufficiunt ad conuincendum aliquem de hæreſi. Ita Pegna *vbi ſuprà*, Maſcardus *de probat.lib.2.concl.856.n.13.* & alij, licet aliqui probabiliter contrarium aſſerant, vt Conradus Brunus *lib.4. de hæret.c.9.* Albertinus, Simanca, & alij, quos ego *ſuprà* in hoc tractatu citaui.

Dico nonò, quòd ſi vnus teſtis deponat de hæreſi tali loco & tempore prolata, & alius de illa deponat, non deſignato tempore, nec loco, teſtes conteſtes debent reputari, ſed non integrè, & ideò ex illis delictum plenè non probatur, vnde reus non poteſt condemnari ad pœnam ordinariam. Vide Farinacium *quæſt.64.n.74.& n.107.*

Dico decimò, teſtes deponentes de eadem hæreſi commiſſa eodem loco & tempore, ſi in verbis diſcordant, faciunt plenam probationem, vt, v.g. ſi aliquis teſtis deponat Petrum in tali loco & tempore dixiſſe, imagines non eſſe venerandas, alius verò teſtis deponat illum dixiſſe, inutilem & abolendum eſſe vſum ſacrarum imaginum. Et ita tenet Pegna *vbi ſuprà, part.3.comment.121.* Rojas *de hæret.part.2.num.132.* Maſcardus *de probat.lib.2.concl.856.num.18.* & alij, quidquid in contrarium ſentiat Albertinus *in cap.1.quæſt.16.n.24. de hæret.& quæſt.34.n.47.de agnoſcend.*

Dico vndecimò, ex multitudine teſtium ſingularium neminem vt hæreticum in pœnam ordinariam condemnari poſſe. Itaque ſi quatuor, vel plures teſtes omni exceptione maiores deponant, quilibet de ſua propoſitione, vel actu hæreticali, non ſufficiunt ad condemnandum aliquem pro hæretico ad pœnam ordinariam. Ita docet Pegna *vbi ſuprà*, Beroius *in cap. licet cauſam, num. 43. de probat.* Crottus *de teſtibus part.7.n.26.* Rojas *de hæret.part.2. num. 146. & ſeq.* quidquid in contrarium aſſerat Cæpolla *conſil.3.* Marſilius *conſil.1. num.71.* & alij, quos *ſuprà* citaui, & citat Farinacius *quæſt.64.n.305.* & quia in hac reſolutione ſermo incidit de teſtibus, aliqua præter ſuperiùs dicta etiam hîc adiungam. Igitur

Dico duodecimò teſtes in crimine hæreſis poſſe interrogari, etiam lite non conteſtata, & parte non citata, quia Inquiſitores procedunt in ſuis cauſis ſimpliciter, & de plano. & ita docet Simanca *in Cathol.inſtitut.tit.64. num.15.& in enchirid. tit.35. num.8.* Pegna *in direct. part.2. comment.19.* Rojas *ſingul.125.* & alij. Sed difficultas eſt, an ſic examinati probent? Quæro igitur,

RESOL. LVIII. *An Inquiſitores poſſint procedere contra Papam in hæreſi deprehenſum?*

HOc dubium mouet Michaël Zanardus *in director.Theolog.part.2.cap.6. quæſt.20.* & ad illud negatiuè reſpondet, quia Inquiſitores ſunt Papæ delegati, & inferiores. ſed inferior ſuum Superiorem iudicare non poteſt: ergo, &c. Igitur in tali caſu ait Zanardus, hæc cognitio ſpectabit ad Generale Concilium, quod poteſt illum citare, examinare, & ſi in hæreſi obduratus remaneat, eum à ſuo gradu eiicere poteſt. nam in hoc caſu ipſo facto immediatè à Chriſto deponitur, vt docent Caietanus *de auctorit.Papæ cap.18.& 19.* Corduba *lib.4.quæſt.11.* Sotus *in 4.diſt.22. quæſt.2.art.2.* Canus *de locis lib.4. cap.vlt.ad argum.12.* & alij.

Verùm ego puto Papam etiam vt perſonam priuatam non poſſe eſſe hæreticum contumacem, licet poſſit errare ex ignorantia, & ita tenet Suarez *de fide diſp.10.ſect.6 num.11.* Simanca *in Cathol.inſtit. tit.12.num.14.* Bonacina *in Bulla Cœnæ diſp.1.quæſt.2. punct.1.num.12.* Bellarminus *lib.4.de Summo Pontifice cap.8.& 11.* & ante illos Pighius *lib.4.hierarchiæ Eccleſiaſt.cap.8.* licet contrarium ſentiat Sotus *vbi ſuprà*, Caſtrus *de iuſta hæret.punit.lib.1. cap.6. & lib.2. cap.22.* Canus *de locis lib.6. cap.12.* Turrecremata *lib.2.cap.10.* & Turrianus *tom.1.in 2.2.diſp.16.dub.1.*

RESOL. LIX. *An Inquiſitores, ſeu fiſcus teneantur ſatisfacere creditoribus hæreticorum?*

REſpondeo breuiter; ſi debita contracta fuerunt ab hæretico ante delictum hæreſis, tenetur fiſcus, ſeu Inquiſitores ſoluere, & ita docet Torreblanca *de magia lib.3.cap.11.n.45.* Simanca *in Cathol. inſtit.tit.9.n.35.* Lælius Zecchius *in ſumm.tom.1.tit.de fide, cap.11.num.16.* & alij, vt patet ex *l.non poſſunt, ff. de iure fiſci.* & quando debita hæreticorum non omnia publicantur, ſed ſolùm aliqua pars, tunc pro rata illius partis erit facienda ſatisfactio, vt colligitur ex *l.final. C. de debitor. ciuit.* Si verò dicta debita ſint in dubio, an fuerint contracta ante, vel poſt commiſſum delictum, ad fiſcum pertinebit probare, & non ad creditores, ea fuiſſe contracta poſt delictum. Non tamen tenetur fiſcus ſoluere vltra vires bonorum publicatorum, ſi non confecerit inuentarium. Ita Iul.Clarus *lib.5.q.78.n.30.* Ceuallos *in com.opin.tom 3.quæſt.822.num.13.* & alij. Vide etiam circa præſentem quæſtionem Fachinæum *lib.6.controuerſ.cap.21.*

Notandum eſt hîc obiter, quòd etiam in foro conſcientiæ ſi fiſcus non ſoluit debita ab hæreticis contracta, ipſi nõ tenentur ea ſoluere, quamuis ad pinguiorem fortunam poſteà deuenerint, quia tota

obliga-

obligatio fuit tranſlata in fiſcum,& ita docet Vaſquez *in* 1.2.*diſp.*169.*cap.*2.*num.*20. Simanca *vbi ſuprà*, Caſſanæus *in conſuetudin. Burgund. rubric.*2.§.1.*n.*33. Surdus *de alimentis tit.*8.*priuileg.*59.*n.*10.& alij.

RESOL. LX. *An per fiſcum & Inquiſitores poſſint publicari bona maioratus & fideicommiſſi hæreticorum?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Azorius *tom.*1. *lib.*8.*cap.*12.*quæſt.*13. & Simanca *in Cathol.inſtit. tit.*13.*à num.*252.*vſque ad num.*273. Verùm aduerſus illos contrariam opinionem nouiſſimè docet Ferdinandus à Caſtro *in opere moral. tom.* 1. *tract.* 4. *quæſt.* 5.*punct.* 6. *num.* 8. Cui ego addo Antonium Sanctarellum *de hæreſi cap.*18.*dub.*2. *num.*8. Antonium Rieciullum *tract.de iure perſonarum lib.*5.*cap.*32. *num.* 65. *& ſequent.* & Suarez *de fide diſp.* 22. *ſect.*5. *num.*12.

Dico igitur primò quòd in crimine hæreſis non confiſcatur Maioratus, quando inſtitutus eſt non ſolùm ex propriis bonis, ſed etiam ex bonis à Rege donatis, dummodò in facultate Regia,qua fuit Maioratus inſtitutus, non caueatur, vt tranſeat ad fiſcum.

Dico ſecundò, quòd bona fideicommiſſo ſubiecta, vel alienari prohibita, non cadunt ſub confiſcatione, caſu quo teſtator prohibuerit alienationem in fauorem alterius à delinquente,& quando alienatio perpetua eſt, & non pro vita tantùm delinquentis, niſi teſtator alienationem etiam pro vita delinquentis prohibuerit. Verùm licet hæc omnia ſint vera, notandum eſt tamen quòd hæreticus delinquens poteſt fideicommiſſum retinere quouſque per ſententiam declaretur. Ita Vaſquez *in* 1.2.*diſp.*169.*cap.*4.& Sanchez *in ſumma tom.*1.*lib.*2. *cap.*18.*n.*30. Sed circa præſentem quæſtionem præter Doctores citatos vide Molinam Iuriſconſultum &Theologum,hunc *de iuſtit.tom.*3.*diſp.*657 *n.*3. illum *de primogen.lib.*4.*cap.vlt. n.*31. Mieres *de Maiorat.part.*4.*quæſt.*23.*n.*..*& ſeq.*

Non deſinam etiam hîc adnotare quod aliqui aſſerunt, durante vita poſſeſſoris commoditates fructuum pertinere ad fiſcum, etiam quando eſt expreſſa prohibitio alienandi; & ita docet Molina *de iuſt.tom.*2.*diſp.*470. alter Molina *de primogen.lib.*1. *c.*20.*n.*9. Sayrus *in Claui Regia lib.*9.*c.*7 *n.*7.& alij.

Verùm mihi placet contraria ſententia, videlicet dictos fructus pertinere ad ſequentes vocatos; & ratio eſt, quia commoditas illorum fructuum, quæ ex talibus bonis percipitur, eſt annexa dominio bonorum illorum; ergo ſicut dominium ob delictum poſſeſſoris non tranſit ad fiſcum, ſed ad vocatos heredes,ita nec etiam ad fiſcum, ſed ad vocatos fructus pertinebunt. Et ita tenet Decius *vol.*3.*conſil.*442.*num.*27.*&* 28. Ruinus *vol.*2.*conſ.*193. *num.*4. Alciatus *vol.* 3. *conſil.* 67. *num.*1. Pancirola *vol.*1.*conſil.*181. Natta *conſil.*258. *num.*19. & patet ex *l.Imperator, ff.de fideicommiſſ. libert.* Sed hæc opinio omnino eſt ſequenda, quando teſtator, vel inſtitutor vtitur his,vel ſimilibus verbis, vt eo ipſo delinquens amittat bona cum omnibus ſuis commoditatibus.Nam tunc non ad fiſcum,vt diximus, ſed ad heredes vocatos pertinebunt, vt optimè obſeruant Rolandus à Valle *vol.*1.*conſil.*96.*num.*11. Menochius *vol.* 1. *conſil.*91. *num.*6. Tobias Nonius *vol.*1.*conſil.*97. *num.*2. Sfortius Oddo *vol.*1. *conſil.* 53. *num.*7.Hieronymus Gabriel *vol.*1.*conſil.*123.*num.*12. & alij.

Et tandem ſi aliquis quærat, an veniat in confiſcatione maioratus, quando illius Inſtitutor deliquit, remitto illum ad Molinam Iuriſtam *de primogen.lib.*4. *cap.vlt.* & ad Molinam Theologum *de iuſtit.tom.*3.*diſp.*659. Sanchez *lib.*2. *cap.*18. & alios penes ipſos.

RESOL. LXI. *An poſſint à fiſco,vel Inquiſitoribus ob delictum hæreſis publicari bona caſtrenſia filiorum, & quid de aliis bonis?*

AFfirmatiuè reſpondet Ferdinandus de Caſtro *in opere mor.tom.*1.*tract.*4.*diſp.*5. *punct.*10. *num.*23. Vaſquez *in* 1.2.*diſp.*169.*cap.*1.*n.*9.Azorius *tom.*1.*lib.*5. *cap.*7.*q.*8.Suarez *de fide diſp.*22. *ſect.*5.*n.*9. Simanca *in Cathol.inſtit.tit.*9.*n.*13. & alij penes ipſos,quia filiusfamilias habet liberam poteſtatem ſuper bona caſtrenſia : ergo tranſibunt per delictum hæreſis ad fiſcum. hæc opinio eſt probabilis.

Sed contrariam non minùs probabilem eſſe exiſtimo,quam tuentur DD.quos citat & ſequitur Sanchez *in ſum.tom.*1.*lib.*2.*c.*15.*n.*4.quibus ego addo Anton.Sanctarellum *de hæreſi cap.*18.*dub.*1 *n.*1 & patet ex *l. ſi filius, C. de bonis damn.* Dico igitur quòd quando publicantur bona filij ob crimen hæreſis, non publicatur peculium caſtrenſe, nec quaſi caſtrenſe,ſed tribuitur patri.& ad argumentum contrariæ ſententiæ reſponderi poteſt negando conſequentiam, vt optimè probat Sanctarellus *vbi ſuprà*, quem tu omnino videbis.

Vnde à fortiori idem dicendum eſt de bonis profectitiis, vt docet Couarruuias *lib.*2.*var cap.*8. *n.*7.Gomez *lib.*2.*var.c.*25.*n.*16.& alij. non enim veniunt in confiſcationem ob filiifamilias delictum, ſunt enim bona patris, tam quoad proprietatem, quàm quoad vſumfructum, vt patet ex *l.ſi plures,*§. *& in arrogato, ff.de vulgar.& pupillar.*

Verùm circa bona aduentitia aliqui aſſerunt, publicari ob delictum hæreſis, reuerſato tamen patri vſufructu, licet aliqui aſſerant quòd in tali caſu non ſolùm proprietas bonorũ aduentitiorum publicetur, ſed etiam publicetur vſusfructus patri debitus, & ita tenet Simanca *in Cathol. inſtit.tit.*9. *num.*18. Azorius *tom.*1.*lib.*5.*cap.*7.*q.*8.*& lib.*8.*cap.*12. *q.*15. & alij. quia filius ob crimen hæreſis non eſt ampliùs ſub patria poteſtate.ſed vſusfructus in bonis aduentitiis filiorum pertinet ad patres, ob poteſtatem,quam in illos habent,vt patet *in l ſi ex cauſa,* §.*Papinianus, ff.de minorib.* ergo confiſcata proprietate, confiſcabitur vſusfructus, conſolidabiturque cum illa. At hanc ſententiam impugnat Anton.Sanctarellus *de hæreſi c.*18.*dub.*1.*n.*5. Sayrus *in claui Regia lib.*9.*cap.*7.*n.*7.Ferdinandus de Caſtro *vbi ſuprà,in opere moral.tom.*1. *tract.*4. *diſp.*5. *punct.*10. *n.*28. quia factum filij præiudicare non poteſt iuri patris acquiſito. Vide etiam Molinam *diſput.*140. *&* 229. Azeuedum *in recopil.lib.*8.*tit.*3 *leg.*1. *n.*1212. Octauianum Cachetium *deciſ.Pedemont.*94.*num.*9. Sanchez *in ſumma tom.*1.*lib.*2.*cap.*15.*num.*11. & alios. Notat tamen, & optimè, Sanctarellus *vbi ſuprà*,

quòd ſi poſt hæreſim filius acquirat bona aduentitia, vſusfructus illorum non pertinebit ad partem, ſed ad fiſcum, ſicut pertinebit proprietas; & ratio eſt, quia illa bona acquiruntur filio conſtituto extra poteſtatem patris: ergo, &c.

RESOL. LXII. *An fiſcus, vel Inquiſitores poſſint publicare etiam bona paraphernalia vxoris, ſi ſcienter matrimonium contraxit cum hæretico?*

CErtum eſt quòd ſi femina contrahat matrimonium cum hæretico, ſciens illum eſſe hæreticum, tunc in pœnam delicti eius dos confiſcatur, vt patet *in cap. decreuit, de hæret. in 6.* Difficultas eſt, quid dicendum de aliis bonis extra dotem? Affirmatiuè reſpondet Ferdinandus de Caſtro *in opere moral. tom. 1. tract. 4. diſp. 69. cap. 1. n. 13.* Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 9. n. 74.* & alij.

Verùm mihi contraria ſententia magis placet, quam præter Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 17. n. 22.* tenet nouiſſimè Antonius Sanctarellus *de hæreſi cap. 19. dub. 3. num. 14.* & Auguſtinus Barboſa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 14. num. 3.* cum aliis, & patet ex *d. cap. decreuit.* vbi tantùm agitur de bonis dotalibus; & pœnæ non ſunt extendendæ, & ſi voluiſſet Pontifex, vt ob contractum matrimonium ſcienter cum hæretico vxor amitteret omnia bona ſua, id expreſſiſſet, & nō reſtrinxiſſet ad dotem, faciendo ſolùm de ea mentionem. Ex his ego infero, quòd vir Catholicus contrahens ſcienter matrimonium cum femina hæretica, non amittit ſua bona, quia *in d. c decreuit*, ſolùm fit mentio de feminis. Vnde non eſt extendendum ad viros, qui dotem non afferunt, pœnæ enim, vt diximus, non ſunt ampliandæ, & ideò ego probabiliter puto contra Henriquez *lib. 12. cap. 14. n. 4.* & alios, feminas rapientes viros, non incurrere in pœnas in quas incurrunt viri rapientes feminas, quia *in l. vnic. C. de raptu virginum*, fit ſolùm mentio de viro rapiente feminam, & ita tenet Salicetus *num. 7.* Decianus *in tract. crimin lib. 8. cap. 7. num. 27.* Clarus *lib. 5. §. raptus, num. 6.* Menochius *de arbitrar. lib. 2. centur. 3. caſ. 291.* & alij. Item contra dictum Henriquez *lib. 12. cap. 2. num. 1.* Sotum *in 4. diſt. 37. quæſt vnic. art. 1.* Nauarrum *in manual. cap. 22. num. 74.* & D. Antoninum *part. 3. tit. 1. cap. 16. §. 4.* ego puto etiam probabiliter feminas occidentes viros ſuos non incurrere eas pœnas, quas incurrunt viri occidentes vxores ſuas, quia *in cap. interfectores 37. quæſt. 2.* fit tantùm mentio de viris occidentibus vxores. & ita docet Toletus *lib. 7. c. 15. n. 3.* Syluester *ver. matrimonium, 7. q. 6. dicto 1.* Armilla *ver. matrimonium, num. 58.* Ledeſma *part. 2. q. 62. art. 2.* & alij. Cùm igitur *in d. cap. decreuit, de hæret. in 6.* agitur tantùm de feminis ſcienter cum hæreticis matrimonium contrahentibus, pœnæ ibi latæ non videntur extendendæ ad viros cum feminis hæreticis nubentibus. & hanc ſententiam tenet Sanchez, Sanctarellus & Barboſa *locis citat.* quibus circa præſentem quæſtionem adde Zecchium *in ſum. tom. 1. tit. de fide, cap. 11. num. 16.* Pegnam *in director. Inquiſ. part. 3. comment. 160.* Azorium *to. 1. lib. 5. cap. 7.* Suarez *de fide diſp. 22. ſect. 5.* & alios penes ipſos.

RESOL. LXIII. *An Inquiſitores debeant confrontare teſtes cum reo?*

REſpondeo quòd in aliis delictis hoc facere expedit, ex *l. ſi poſtulauerit, §. quæſtioni. ff. ad legem Iuliam de adult.* tamen in cauſa hæreſis à DD. Inquiſitoribus hoc minimè efficiendum eſt. Vnde *in inſtruct. Tolet. anno 1561. num. 72.* ſic habetur: *Aunque en los otros Iuyzios ſuelen los Iuezes para verificacion de los delitos carear los teſtigos con los delinquentes, en el Iuyzio de la Inquiſicion no ſe deue, ni ſe acoſtumbra hazer, y por eſperiencia ſe halla que ſi alguna vez ſe ha hecho, no ha reſultado buen eſeto antes ſe han ſeguido dello inconuenientes.* Ita ibi. & ratio eſt, quia ſi teſtes cum reo eſſent confrontandi, abſtinerent à delicto denuntiando. Et ita docet Sanctarellus *de hæreſi c. 39. dub. 4. n. 22.* Pegna *in director. Inquiſit. part. 3. comment. 23. n. 101 & comment. 48. num. 209.* limitat tamen ſupradictam ſententiam Genuenſis *in praxi Archiep. cap. 68. nu. 6.* ex Pegna *loc. cit.* in duobus caſibus. Primò, quando teſtes ſunt ſocij criminis. Secundò, quando recto Iudicis arbitrio omne teſtium periculum ceſſauerit, nempe ſi reus eſt perſona viliſſima, qui parum curat habere bonam, vel malam famam, vt meretrix, & ſimiles infames.

Verùm non deſinam hîc apponere verba Sigiſmundi Scaccia *de iudic. lib. 1. cap. 87. n. 19.* vbi ſic ait: Quamuis Inquiſitori videatur ceſſare periculum confrontandi teſtes, tamen ſolus non debet ad apertam recognitionem & confrontationem deuenire ſine conſenſu Epiſcopi, & peritorum, qui ſi ſecum non conueniant, conſulet maiores Inquiſitores, quia etiam in ſupremo Senatu generalis Inquiſitionis numquam fiunt recognitiones, ſed confrontationes, niſi re cognita & decreto interpoſito per Cardinales, Inquiſitores, Generales. Vnde tu ſume argumentum quàm cautè in re tam periculoſa debeas procedere. Ita Scaccia *vbi ſuprà*, qui etiam apponit formam & practicam, quomodo & quando eſt neceſſaria confrontatio, & fieri debeat ipſi reo non vidente teſtem. Et ideò in caſu contingenti videant DD. Inquiſitores ſupradictum Scacciam.

RESOL. LXIV. *An Inquiſitores poſſint admittere ad confeſsiones audiendas qui abiurarunt de vehementi, vel de leui?*

REſpondeo negatiuè quoad primum, ex declaratione ſacræ Congregationis S. Officij, per quam ordinatur, ne is qui abiurauit de vehementi, admittatur ampliùs ad audiendas confeſſiones. quam declarationem affert Vmbertus Locatus *in fine praxis Inquiſit. Genuenſis.* & de Leone *vbi infrà*, & docet Riccius *part. 2. deciſ. 218. per totam*, quam omnino vide.

Difficultas eſt de reo abiurante de leui, & affirmatiuè reſpondet M. Antonius Genuenſis *in praxi Archiep. cap. 45. num. 2.* vbi ſic ait: Fuit dubitatum in Curia Archiep. an quidam Sacerdos qui abiurauerat hæreſim de leui, eſſet admittendus ad audiendas confeſſiones fidelium. & re delata ad ſacram Congregationem generalis Inquiſitionis ſancti Officij in Vrbe fuit reſcriptum *die 6. Martij*

1596.

1596. dictum Sacerdotem non eſſe impeditū exercere omnes Ordines, & Sacramenta miniſtrare, ac fidelium etiam ſæcularium confeſſiones audire, quamuis abiuraſſet de leui. Ita Genuenſis, qui etiam ibi notat, vt *ſuprà* diximus, quòd in dicta Curia Archiepiſc. Neapol. abiurātes de vehementi numquam admittuntur ad confeſſiones audiendas.

Sed an Regulares abiurantes de leui reddantur inhabiles ad gradus & dignitates Religionis? negatiuè reſpondet Seraphinus Freytas *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollic. quæſt. 24. num. 70.* etiamſi abiuraſſet de vehementi. Vide Rodriquez *in qq. Regular. tom. 2. quæſt. 82. art. 2.* hodie tamen, vt obſeruat Alfonſus de Leone *tract. de officio & poteſtate Confeſſarij part. 2. recollect. 1. n. 211.* extat decretum ſacræ Congregationis ſancti Officij annuente Vrbano VIII. Pontifice, vbi Regulares redduntur inhabiles ad officia & dignitates propter quamcumque pœnitentiam, niſi ſit ſalutaris.

Notandum eſt hîc obiter, quòd ex abiuratione etiam de vehementi non incurritur irregularitas, & ideò Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 21. diffic. 15. num. 2.* ſic ait: *No ſe incurre irregularidad por hauer abjurado la heregia de leui, ò de vehementi, de ſuerte que ſi de hecho de verdad no era herege, ſi no que ſe lo probaron con teſtigos falſos, ò el confeſſo por temor del tormento ne queda irregular como dize Nauarro, el qual dize de vn Prelado que abjuro de vehementi, y el dia ſiguiente ſin diſpenſacion ſe fue à dizir Miſſa loqual approbo y loo el Papa y toda la Curia. la razon deſto es clara, porque en el derecho no ſe pone eſta pena al que abjuro ſi no al herege.* Ita ille, & Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. cap. 25. n. 12.* quem ſequitur Alfonſus de Leone *vbi ſuprà, de offic. & poteſtate Confeſſ. tom. 2. recollect. 1. n. 211. in fine.*

RESOL. LXV. *An Inquiſitores poſſint procedere contra Magiſtratus eorum mandatis non obedientes?*

REſpondeo affirmatiuè, quia Magiſtratus, qui non obtemperat Inquiſitorum mandatis, & præſtare auxilium recuſat, eſt ſuſpectus de hæreſi, ideò poteſt apprehendi, & iuriſdictione ſua priuari, per ea quæ adducit Rebuffus *tom. 2. ad leg. Gallia, tit. de litteris Inquiſitoriis, in principio num. 20.* Menochius *de præſumpt. lib. 1. præſumpt. 6. num. 31.* & alij. Vnde tenetur litteras & mandata DD. Inquiſitorum ſine mora exequi, & illorum officium nullatenus impedire, vt docent Mendez de Caſtro *in praxi Luſitana lib. 2. cap. 1. num. 16.* Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 17. n. 81.* Azeuedus *in recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 15. n. 7.* Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 23. n. 9.* & Lucerna Inquiſit. *ver. impedientes, n. 1.* vide *cap. ne aliqui. §. compeſcit, de hæret. in 6.*

RESOL. LXVI. *An ſi plures Inquiſitores in vna prouincia eligantur, poſſint independenter quilibet ab altero procedere?*

AFfirmatiuè reſpondet Michaël Zanardus *in director. Theol. part. 2. cap. 6. q. 12.* Sigiſmundus Scaccia *de iudiciis lib. 1. cap. 67. n. 9.* Io. Rojas *ſingul. 27. à num. 3.* Simanca *de Cathol. inſtit. tit. 34. n. 26.* Eymericius *in direct. Inquiſ. part. 3. q. 46.* & *ibi* Pegna *comment. 95.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 22. num. 7.* Molina *de iuſtit tom. 5. tract. 5. diſp. 28. n. 9.* & habetur *in cap. ne aliqui, de hæret. in 6.* Dico igitur quòd ſi in vna prouincia deputati fuerint plures Inquiſitores, poſſunt ex ſpeciali fauore fidei omnes ſimul, vel ſinguli ſeparatim, prout eis magis expedire videbitur, contra hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos procedere, dummodò cauſa non ſit vni à Sede Apoſtolica deputata. nam tunc per hanc ſpecialem delegationem alij Inquiſitores non poſſunt in illa cauſa ſe intromittere, ſed debent ad eum tranſmittere depoſitiones, quas fortè contra delinquentem habent, & examina teſtium, & indicia. Ita Doctores citati, & præſertim Zanardus, qui etiam addit, quòd ſi vnus Inquiſitor ſeorſim procedat, ſi indiget auxilio alterius ad examinandum aliquem teſtem, vel ad faciendam aliquam perquiſitionem in cauſa, tunc debet is per litteras ſuas hoc ei committere, & ipſe ratione officij tenetur illud facere, & examen ad illum tranſmittere.

Verùm omnia ſupradicta non procedunt in Hiſpania, vbi, vt obſeruat Rojas *ſingul. 27. num. 6.* Inquiſitores non poſſunt quando ſunt præſentes, vnus ſine altero procedere ad capturam delinquentium, neque ad purgationem indicendam, neque ad publicationem teſtium, & à fortiori ad fulminandam ſententiam, & hoc ſtante Inſtructione Toletana, quam citat Rojas, vnde in alia Inſtruct. *hecha en Seuilla 17. Iunij anno 1500. num. 1.* ſic habetur: *Los Inquiſidores de cada vna Inquiſicion ſalgan, y vayan à todos los lugares y villas de ſus Dioceſis donde nunca fueron perſonalmente, y en cada vna de dichas villas, y lugares hagan, y reciban los teſtigos y para que eſto puedan mejor hazer, y mas breuemente ſe expida, ſe aperten los Inquiſidores, y vaya cada vno por ſu parte con vno Notario del ſecreto para recibir la dicha peſquiſa general ſe tornen à juntar en la dicha ciudad, ò lugar donde tuuieren ſu aſſiento, porque alli viſta por ambos la teſtificacion que cada vno ha tomado puedan mandar prender à los que ſe hallaren culpados, y teſtificados ſuficientemente para ſe poder prender ſegun ſe contiene en el Capitulo de las Inſtrucciones hechas en Toledo.* Sic ibi.

Sed magis clarè hoc habetur, *en vna carta de los Inquiſidores Generales hecha en Granada à 4. de Septiembre anno 1499. à los Inquiſidores de Barcelona*, vbi *n. 1.* ita determinatum eſt: *En cada Inquiſicion aya dos Inquiſidores, vn Iuriſta, y vn Theologo, ò dos Iuriſtas los quales juntamente, y no el vno ſin el otro procedan a captura y tormento con purgacion canonica, y ſentencia definitiua, porque ſon coſas graues en todas las otras pueden proceder el vno ſin el otro, por mas breue expedicion de las coſas por la neceſsidad que ſe occurre de ſe apartar el vno del otro para yr y andar por los lugares de los Obiſpados à entender en las coſas del S. Oficio.* & ita de hac praxi ſanctæ Inquiſitionis Hiſpaniæ teſtatur etiam nouiſſimè Ferdinandus de Caſtro *in opere moral. tom. 1. tract. 4. diſp. 8. punct. 12. §. 2. n. 14.*

RESOL. LXVII. *An Inquiſitores poſſint punire aliquem qui dederit conſilium reo incarcerato, etiam iuſtum, illis inſcijs?*

REſpondeo affirmatiuè, per ea quæ adducit Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. caſ. 10. Placentiæ*, vbi agit de quodam Religioſo Theologo, qui conſultus de dubio Theologico ab Inquiſito,

iuſtum & Catholicum conſilium ei præbuit, inconſulto tamen Inquiſitore, & reſoluit ſupradictum non eſſe puniendum vt fautorem hæreticorum, ſed arbitraria pœna deputanda ab Inquiſitoribus; & nouiſſimè hanc ſententiam tenet etiam Seraphinus Freyta *in addit. ad tract. de confeſſ. ſollicit.* Rodericus Acugna *quæſt. 22. n. 28.*

RESOL. LXVIII. *An Inquiſitores poſſint compellere vt abiurantes de leui, abiurent generaliter omnem hæreſim?*

NEgatiuè videtur reſpondendum, per ea, quæ adducit gloſſa *in cap. accuſatus. §. eum verò, in ver. ſimpliciter, de hæret. in 6.* Calderinus *de hæret. part. 1. cap. 20. numer. 1. in fine.* Vmbertus Locatus *in Inquiſitionis formula, ſub tit forma abiurationis leuiter ſuſpecti.* Eymericius *in director. Inquiſit. ſub tit. forma abiurandi hæreſim quando delatus eſt ſuſpectus leuiter, à numer. 163.*

Sed prorſus affirmatiuam ſententiam tenendam eſſe puto, vt ſuperiùs etiam adnotaui, & ita obſeruari Romæ in ſacro Tribunali ſanctæ Inquiſitionis teſtatur Pegna *in direct. Inquiſit. part. 3. comment. 4.* & ita etiam obſeruatur in ſacro Tribunali S. Inquiſitionis Hiſpaniæ, teſte Roderico Acugna *de Confeſſ. ſollicitant. quæſt. 24. num. 22.* & hanc ſententiam tenent etiam Doctores, vt Simanca *in Cathol. inſtit. tom 1. n. 12. & tit. 57. n. 7.* Decianus *in tract. criminal. lib. 5. cap. 47. num. 10.* Zecchius *in ſumma to. 1. tit. de fide cap. 11. n. 5.* & alij.

RESOL. LXIX. *An Inquiſitores ſint Iudices competentes ſuper reconciliatos, qui Hiſpano ſermone* Sanbenitados *vocantur?*

AFfirmatiuam ſententiam docent Doctores, quos citat Io. Rojas *ſingul. 98. numer. 1.* Sed ipſe *num. 3.* & meritò, contrariam ſententiam tenet, cui ego addo Doctores quos citat & ſequitur Cenedus *in decretum Gratiani collect. 34.* & Barboſam *in collect. to. 2. lib. 5. tit. 7. c. 9. nu. 17.* nec contra hanc opinionem negatiuam facit textus *in cap. aliud 11. q. 1.* vt rectè obſeruat Pegna *in direct. Inquiſ. part. 3. q. 97. comment. 146.* & alij, quia varias habet expoſitiones, quas videre potes apud citatos Doctores. nam ego breuitati ſtudeo.

Verùm, his non obſtantibus, non eſt dubitandum ſi inter ſe dicti pœnitentes rixati fuerint, dum ſunt in perpetuis, vel temporalibus carceribus, vel propter habitum pœnitentię, vnus in alterum conuitia dixerit, poſſe Dominos Inquiſitores illos punire, quidquid in contrarium ſentiat Farinacius *de hæreſi q. 186. nu. 37. in fine.* Sed tu noſtram ſententiam tene, quam tuetur Rojas & Pegna *vbi ſuprà.* Vide etiam circa præſentem quæſtionem Simancam *in Cathol. inſtit. tit. 47. n. 18.* Decianum *in tract. crim. lib. 5. cap. 23. n. 3.* Couarruuiam *pract. quæſt. c. 34. num. 2.* & alios penes ipſos.

RESOL. LXX. *An Inquiſitores poſſint cognoſcere non ſolùm de cauſa hæreſis, ſed etiam de omnibus connexis & incidentibus?*

REſpondeo affirmatiuè, per ea quæ adducit Aretinus *conſil. 83.* quem ſequitur Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 22. num. 12.* hanc etiam ſententiam docet Eymericius *in direct. Inquiſ. part. 3.* & *ibi* Pegna *comment. 10.* vbi tradit quæ in hac materia ſint emergentia, dependentia & connexa, & ratio huius ſententiæ deſumitur ex *l. nulli, C. de iudiciis.* Nam vbi conceditur cauſa principalis, concedunter conſequenter connexa emergentia & incidentia ex illa. Vide Menochium *de arbitrariis lib. 1. quæſt. 45. n. 9.* & alios penes ipſum.

Aduertit tamen Decianus *vbi ſuprà lib. 5. cap. 23. num. 13.* quòd cùm Inquiſitores habeant limitatam iuriſdictionem, non poſſunt cognoſcere de emergentibus, & dependentibus, quæ immediatè hæreſim non tangerent. Ita ille, qui citat Decium *conſ. 167. num. 5. 6. & 15.*

RESOL. LXXI. *An Inquiſitores excuſentur à reſidentia parochiali, & an gaudeant fructibus præbendarum, & diſtributionibus?*

QVoad primum, affirmatiuam ſententiam tenet Cenedus *in quæſt. canon q. 1. n. 28.* & Spino *in ſpeculo teſtam. gloſſ. 3. princip. num. 78.* Sed contrariam ſententiam, & meritò, docet Sanctarellus *variar. diſp. part. 1. q. 11. nu. 4.* & ita teſtatur Gonzales *in reg. 8. Cancellar. gloſſ. 6. n. 265. & gloſſ. 13. n. 164.*

Quoad ſecundum verò dicendum eſt, Inquiſitores habentur in ſuis præbendis & dignitatibus pro præſentibus, & reſidentibus, & percipiunt integros fructus ſuarum præbendarum ſimul cum diſtributionibus quotidianis ex priuilegio ſpeciali fauore fidei à Paulo III. & Pio V. illis conceſſo, vt docent Armendariz *in recopil. legum Nauarr. lib. 2. tit. 23. leg. 2. §. 2. num. 7.* Rojas *ſingul. 96. & de hæret. part. 2. num. 420.* Cenedus *loc. cit.* Ceuallos *in pract. comm. opin. quæſt. 585. nu. 12.* Villar del Patronado de Calatayud *4. part. in princ. nu. 8.* & ita declaraſſe ſacram Cardinalium Congregationem teſtatur Garſias *de benef. tom. 1. p. 3. c. 2. n. 356.*

RESOL. LXXII. *Quàm celeriter debeant Inquiſitores expedire cauſas reorum?*

PONam hîc verba doctiſſimi Iacobi Simancæ *in inſtit. Cathol. tit. 44. n. 32. & 33.* vbi ſic ait: In cauſis fidei, quanta fieri poteſt breuitate procedatur, nec differantur, aut ſuſpendantur ſpe futurarum probationum, quia fortè numquam ſuperuenient, & interim rei opprimuntur, & eorum bona diſſipantur ac dilabuntur. Et vitandum quod Inquiſitores quidam facere ſolent, qui vt reos quamplures ſimul puniant, multorũ cauſas iam dudum concluſas diutiùs differunt, atque ſuſpendunt. Ita ille.

Vnde in quadam epiſtola Inquiſitoris Generalis 4. *Septembris* 1499. directa ad Inquiſitores Barcinon. *n. 3.* ſic habetur: *Los Inquiſidores tengan tiento en el prender, y no prender ninguno ſin tener ſuficiente prouacion para ello, y deſpues de aſsi preſo dentro de diez dias ſe le ponga la accuſacion, y en eſte termino ſe le haga las amoneſtaciones, que en tal caſo ſe requieren, y proceden en las cauſas, y proceſſos con toda diligencia, y breuedad ſin eſperar che ſobreuenga mas prouança, y no den lugar a dilaciones porque dello ſe ſiguan inconuenientes aſsi a las perſonas, como a las haziendas.* Sic ibi.

Et in Inſtruct. Valliſolit. *anno* 1488. *n. 30.* ita habe-

tur:

tur: *Item acordaron que los que fueran preſos por eſte delito que no ſean fatigados en las carceles en la dilacion del tiempo,que luego ſe haga el proceſſo con ellos,porque no haya lugar de quexarſe, y no ſe detengan à cauſa de no hauer entera prouança pues que es cauſa, que quando ſobreuiene prouança ſe puede de nueuo agitar,no obſtante la ſentencia que fuere dada.* Sed ad alia procedamus.

RESOL. LXXIII. *An Inquiſitores poſſint prohibere ne filij hæreticorum exerceant officia publica?*

REſpondeo ex *cap. quicumque, & cap ſtatutum, de hæret. in 6.* quòd filij hæreticorum efficiuntur inhabiles ad officia publica, qualia ſunt Magiſtratus,prætoriatus,notariatus,&c.& ita docet Suarez *de fide,diſp.24.ſect.vlt.num.6.*& alij.Vnde in inſtruct. Vallisolet.*anno* 1488.*num.*11. ſic habetur:*Los Inquiſidores en ſus partidos, y lugares tengan mucha diligencia, manden,y pongan grandes penas, y cenſuras que los hijos y nietos de los hereges condenados no tengan ni vſen oficios publicos,ni ſean Iuezes,alcaydes,regidores,Iurados,Mayordomos,Maeſtreſalas,peſadores,publicos Mercadores,ni Notarios,eſcriuanos publicos, Abogados, Procuratores, Secretarios, Contadores,Cancelleres,Theſoreros,Medicos, Ciruianos,Sangradores,Boricarios, ni corredores, cambiadores, fieles cogedores,ni arrendadores de rentas algunas, ni otros ſemejantes oficios que publicos ſean ò dezir ſe puedan ni vſen de los dichos officios por ſi, ni por otra perſona, ni ſo otro color alguno,ny traygan ſobre ſi,ni en ſus atauios veſtiduras,y coſas que ſean inſignias de alguna dignidad,ò milicia Eccleſiaſtica,ò ſeglar.* Sic ibi.

Et aduerte quòd quoties dubitatur quid nomine publici officij intelligatur,à quo hæretici,& eorum deſcendentes excluduntur,ad Inquiſitores, vel ad eos vnà cum Epiſcopo id pertinebit declarare,vt docet Pegna *in direct part.3.comm.*8.& Narbona *in recop.lib.4.tit.1.leg.*20.*gloſſ.*20.*n.*108.

Notandum eſt etiam hîc à fortiori, ſupradictos filios hæreticorum inhabiles eſſe ad beneficia Eccleſiaſtica recipienda, ita vt hæc inhabilitas ipſo iure incurratur,& collatio beneficij illis facta irrita ſit,vt habetur expreſsè *in cap.2.de hæret.in 6.* Vide Ricciullum *de iure perſonarum, &c. lib.5. cap.29. n.2.* Sanctarellum *de hæreſi cap.35.dub.22. nu.21.* Pegnam *in director.Inquiſit. part.3.comment.63.* Rojas *de hæret. part.2. num.336.& ſeq.* Simancam *in Cathol. inſtitut. tit.9.& 29.* & alios penes ipſos, & hæc inhabilitas procedit non ſolùm, vt dictum eſt, in ordine ad beneficia obtinenda, ſed etiam quoad penſiones, vt notat Garſias *de benefic. tom.2. part.11. cap.10.§.1. num.* 74. Sanchez *in ſumma tom.1.lib.2. cap.28. n.35. & 36.* & alij *locis citatis*, præcipuè Ricciullus. Sed ex his oritur magna quæſtio; ideò quæro,

RESOL. LXXIV. *An Inquiſitores poſſint punire ſupradictis pœnis filios natos ante hæreſim parentum?*

NEgatiuè reſpondent Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez *in ſumma tom.1.lib.2. cap.27. num.*14. quibus ego addo Torreblancam *de magia lib.3.c.12.n.*48. & Sanctarellum *de hæreſi c.34.dub.2. num.*11.*in fine.*

Mihi verò magis placet affirmatiua ſententia, quam tuentur Doctores, quos citat & ſequitur Barboſa *in collectan. tom.3.lib.5.tit.2. cap.*15. *num.*3. & Ricciullus *tract.de iure perſonarum,&c.lib.5.c.*30.*n.*27. vbi ita teſtantur determinaſſe ſacram Rotam Romanam *in vna Conchena penſionis* 6.*Martij* 1598. coram Peregrino.Vide etiam Suarez *de fide, diſp.* 43. *ſect.3.num.*2. Azorium *tom.1.lib.*8. *cap.*13. *poſt quæſ.*8. *& tom.2.lib.6.cap.4. quæſ.*3. Toletum *lib.* 1. *cap.* 69. *num.*4. Rojas *de hæret. part.*2. *num.*336. *& ſingul.*68. *num.*3.Pegnam *in director.part.3.nu.*163. & alios penes ipſos. Ratio eſt,quia pœnæ infamiæ, priuationis officiorum & beneficiorum,&c. in caſu noſtro imponûtur filiis in ſupplicium parentum,vt ſic puniti à peccato auertantur,ex gloſſ. *in Extrauag vnica Ioannis XXII. de pœnis, §.filij eius, ver. quomodolibet.* Sed hæc ratio militat etiam in filiis natis ante delictum: ergo,&c.Igitur in noſtro caſu filij puniuntur odio parentis. *l.quiſquis, C.ad leg.Iuliam maieſtatis,cap.2.§.credentes, de hæret. in 6.* cùm in filiorum perſona acriùs pater torqueatur, quàm in propria. *l.iſti quidem, ff.de eo quod met.cauſ.* Ergo multò magis debent dictæ pœnæ habere locum in filiis hæreticorum natis ante delictum, quàm in aliis, cùm maior ſit afflictio videre filium adultum, ſæpè etiam bonis ditatum, & in dignitate conſtitutum, gradu deiici,quàm filios infantes.Adde quòd contingere poſſit,vt poſt delictum hæreticus filios non ſuſcipiat.Hæc Ricciullus *vbi ſuprà*,

RESOL. LXXV. *An Inquiſitores poſſint punire ſupradictis pœnis filios hæreticorum, qui licet traditi fuerint Curiæ ſæculari,eos pœnituit, & mortui ſunt Catholici?*

NEgatiuè videtur reſpondendum, quia ſupradicti filij hæreticorum non incurrunt in pœnas impoſitas filiis hæreticorum *in cap ſtatutum, de hæret.in 6.*vt tradunt Surdus *conſil.*346.*n.*24. Toletus *lib.1.cap.69.num.3.*Henriquez *lib.14.cap.5.num.*4. Repertor.Inquiſit.*ver.filij,§.nunc,* & alij. & ita teſte Cantera,fuiſſe deciſum in Inquiſitione Conchenſi teſtatur Ricciullus *vbi infrà.*

Sed,his non obſtantibus,ego puto affirmatiuam ſententiam tenendam eſſe,quam tuetur Ricciullus *de iure perſonarum, &c. lib.5. cap.*30. *num.* 32. *& ſeq.* Sanctarellus *de hæreſi, cap* 34. *dub.* 2. *num.*17. Pegna *in director.part.*3 *quæſt.*15. Simanca *in Cathol.inſtitut. tit.29.num.*17. Decianus *in tract.crimin. lib.5. cap.*45. *num.*3. Paramus *de origin. Inquiſitionis, lib.3. quæſt.9. num.* 209. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæſ.* 8. *& tom.2.lib.6. cap.4. quæſ.* 3. Burſatus *lib.* 3. *conſil.* 289. *num.16.& ſeq.* Auila *de cenſ. part.7. diſput.4. dub.*3. Suarez *in* 3.*part.tom.5.diſp.*45.*ſect.*3.*num.*4.& alij penes ipſos. Ratio eſt, quia *in dicto cap. ſtatutum*, ne filij incurrant in pœnas parentum hæreticorum duo requiruntur, nempe quòd pater fuerit emendatus, & reincorporatus Eccleſiæ vnitati: at relapſus ſupradictus non poteſt dici reincorporatus,quia Eccleſia denegat illi audientiam, *cap.ſuper eo,eodem tit.* ergo,&c. Igitur tunc dicuntur hæretici reincorporati Eccleſiæ,cùm per abſolutionem ſolemnem & iuridicam Eccleſiæ reincorporantur, & admittuntur ad pœnitentiam iuridicè implendam, & non traduntur brachio ſæculari, vt docet

docet Geminianus *in cap. ſtatutum, de hæret. in 6. n.5.* & Archidiaconus *in cap. accuſatus, eodem tit. num.7.* & quamuis tales relapſi ſint abſoluti in ſacramento Confeſſionis, talis abſolutio valet tantùm quoad forũ interius, & vt poſſint recipere Euchariſtiam, vt notat gloſſa *in cap. ſuper eo de hæret. in 6. ver. deneganda.* Azorius *tom.1.lib.8. cap.14. quæſ.7.* Paramus *vbi ſuprà*, & Decianus *lib.5. cap.56. n.7.*

Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd filij ſponte reuelantes hæreſim parentum, non contrahunt pœnas ſtatutas contra filios hæreticorum, etiamſi eſſent geniti poſt delictum patris, vt patet ex *cap. vt Inquiſitionis, de hæret. in 6.* & tradunt Pegna *in direct. part 2. comment.15.* Rojas *ſingul.12 num.5.* Simanca *in Cathol. inſtitut. tit.29. num.46. & ſeq.* Tabiena *ver. hæreticus, num.6.* Armilla *ver. hæreſis, num.5.* Caſtrus *de hæret punit. lib.2. cap.26.* & alij. & hoc à fortiori dicendum eſt, quando illorum parentes non fuerunt condemnati tamquã hæretici, ſed ſolùm tamquam ſuſpecti de hæreſi, vt obſeruat Decianus *in tract. crimin. lib.5. cap.45. num.5.* Zanchinus *de hæret. cap.28. num.3.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. ver. filij, num.4.* & alij.

RESOL. LXXVI. *An Inquiſitores poſſint priuare filios hæreticorum beneficiis obtentis ante illorum hæreſim?*

AFfirmatiuè reſpondet Tabiena *ver. hæreticus, n.6.* Guttierrez *in qq. canon. lib.2. cap. vlt. n.38.* Caſtaldus *tract. de Imperat. q.118. num.13.* Graffius *in deciſ. lib.2. cap.11. num.11.* Geminianus *in cap. vt commiſſi, §. priuandi, de hæret. in 6. num.4.* & *ibi* Domin. *num.4.* Io. Monachus ante *num.1.* Francus *in cap. felicis. n.6. de pœnis in 6.* Flaminius *de reſignat. benef. lib.3. quæſt.1. num.34.* Peregrinus *de iure fiſci lib.3. tit.10. num.2.* Garzias *de benefic. tom.2. part.11. cap.10. nu.72. & ſeq.* Decianus *in tract. crimin. lib.5. cap.20. num.5. & cap.45. num.6.* Gundiſſaluus *de hæret. quæſt.23. n.2.* & alij penes ipſos. Vnde Inquiſitores proferunt ſententiam condemnantem hæreticos, & eorum filios, & efficientem eos inhabiles ad habendum, tenendum, & poſſidendum dignitates, beneficia, & officia, tam Eccleſiaſtica, quàm ſæcularia. quæ verba, vt patet, aptè quidem comprehendunt tam beneficia obtinenda, quàm obtenta.

Verùm contraria ſententia eſt communis, nempe Clericos priuari ob hæreſim parentum ipſo iure beneficiis obtentis, poſtquam eorum parentes in hæreſim inciderunt, non autem beneficiis acquiſitis ante illorum hæreſim. & ita tenet Zecchius *in ſum. tom.1. tit. de fide, cap.11. num.16.* Paramus *de orig. Inquiſit. lib.3. quæſt.8. num.203. & ſeq.* Toletus *lib.1. cap.69. num.4.* Ledeſma *in ſumma tom.2. tract.1. cap.6. concluſ.17. diffic.2.* Azorius *tom.1. lib.8. cap.13. quæſ.8.* Suarez *de fide diſp.24. ſect.3. n.5.* Clarus *lib.5. §. hæreſis, num.6.* Otolora *de nobil. part.4. cap.9. num.9.* Hojeda *de incompatib. benef. cap.13. num.100.* Simanca *in Cathol. inſtit. tit.29. n.20. & in enchir. tit.63. nu.9.* Surdus *conſil.386. num.5.* & ita determinaſſe Clem. VIII. conſultis Cardinalibus S. Officij teſtatur Antonius Ricciullus *de iure perſonarum, &c. lib.5. cap.29. in fine.* Et ratio eſt, quia nullo iure habetur eos priuari beneficiis obtentis ante parentum hæreſim; ergo hæc pœna ſine textu expreſſo non eſt imponenda.

Ad ſententiam verò, quam ferunt Inquiſitores, reſpondeo illos in condemnandis hæreticis vti ex formula ordinaria, in qua nihil certi de hoc eſt ſtatutum, nec voluerunt definire. Vnde remanet diſcutienda diſputatio à Theologis & Iuriſperitis.

Vide etiam circa præſentem quæſtionem Ioan. Rojas *ſingul.24. & ſingul.66. n.3.* Rebuffum *in praxi de modis mittendi beneficiis, n.25.* Repertor. Inquiſit. *ver. filij, verſ. nunc quæritur.* Maiolum *de irregular. lib.5. c.47. num.6.* Azeuedum *in recopilat. lib.8. tit.3. leg.1. n.204.* Couarruuiam *lib.2. variar. c.8. n.4.* Pegnam *in director. part.3. comment.163.*

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd non exigitur ſententia condemnans parentes hæreticos, vt filij ac nepotes incurrant pœnas irregularitatis & inhabilitatis ad beneficia, ſed ſatis eſt, ſi vel per euidentiam facti, vel per propriam confeſſionem parentum in iudicio conſtet parentes fuiſſe hæreticos, vel fautores, defenſores, aut receptores hæreticorum. Et ita docet Sanctarellus *de hæreſi cap.34. dub.2. n.13.* Suarez *de cenſ. diſp.43 ſect.3 n.2.* Sayrus *de cenſ. lib.6. cap.10. n.40.* Sanchez *in ſumm. tom.1. lib.2. cap.27. n.28.* & alij.

Nota etiam quòd pœnæ ſupradictæ in ſuperioribus reſolutionibus habent locum etiam in filiis illegitimis & ſpuriis, vt docet Surdus *conſil.386. n.6.* Io. Andreas *in cap. ſtatutum, de hæret. in 6. n.4.* Ancharanus *num.2.* Francus *n.4.* Geminianus *n.4.* Suarez *loco citato, n.11.* Menochius *de præſumpt. lib.5. præſumpt. 33. n.11.* Graffius *in deciſion. lib.2. c.11. n.19.* & Ricciullus *de iure perſonar. &c. lib.5. c.30.* vbi diſputat quid dicendum de filiis adoptiuis.

RESOL. LXXVII. *De modis quibus poſſunt Inquiſitores terminare proceſſum.*

QVando reus non eſt plenè conuictus, ſed tantùm indiciatus, ita quòd iure abſolui non poſſit, habent Inquiſitores tria remedia terminandi proceſſum, vnum ſcilicet per purgationem, aliud per abiurationem, & tertium per torturam, & hoc extremum videtur accommodatius ceteris ad eruendam veritatem, cùm purgatio & abiuratio inuenta potiùs ad ſuſpicionem & infamiam hæreſis excludendam, quàm ad veritatem indagandam, & ita docet & obſeruat Pegna *in director. Inquiſit. part.3. comment.39.* Vnde non eſt audiendus Eymericius *in d. director. vbi ſuprà n.151.* docens quòd ad torturam deueniendum non ſit, quando adſunt indicia ſufficientia abiurationem indicendam; ſed noſtra ſententia clarè determinatur *in inſtruct. Toletana anno* 1561. vbi *num.46. 47. & 48.* ſic habetur:

Quando eſta ſemiplenamente prouado el delito, ò ay tales indicios contra el reo que no puede ſer abſuelto de la inſtancia, en eſte caſo ay diferentes remedios en derecho, que es abjuracion de vehementi ò de leui, el qual parece remedio mas para poner temor al reo para adelante que para caſtigo de los paſſado. Y por eſto à los que abjuran ſe les imponen penitencias pecuniarias, à los quales ſe deue aduertir en el peligro que incurren de la ficta relapſia ſi parecieſſen otra vez culpados en el delito de la heregia y por eſto deuen los que abjuran de vehementi firmar ſus nombres en las abjuraciones, aunque haſta à qui no ha ſido muy vſado.

y ſe haga con la diligencia que eſta dicho en los reconciliados.

Otro ſegundo remedio es la compurgacion laqual ſe deue hazer ſegun la forma de la inſtrucion con el numero de perſonas que à los Inquiſidores ordinario, y Conſultores pareciere a cuyo aluedrio ſe remite. En lo qual ſolo ſe deue aduertir que por la malicia de los hombres en eſtos tiempos es peligroſo remedio, y no eſta mucho en vſo, y que ſe deue vſar del con mucho tiento.

El tercero remedio es el tormento, el qual por la diuerſidad de las fuercas corporales, y animos de los hombres los derechos lo reputan por fragil y peligroſo, y en que no ſe pueda dar regla cierta mas de que ſe deue remitir à la conſciencia, y arbitrio de los Iuezes regulados ſegun derecho, razon, y buena conſciencia. Ita ibi.

Sed ad ornatum ſupradictæ Inſtructionis circa ſubſcriptionem abiurantium, vide Pegnam *in director. Inquiſit. part. 3. comm. 40.* vbi relatis Doctoribus, quorum aliqui in abiuratione ſubſcriptionem neceſſariam affirmabant, aliqui verò ſecus, concludit ſubſcriptionem requiri, quando reus pœnitens ſcit ſcribere; ſi verò neſciat, tunc ait debere Inquiſitores & Notarium ſe ſubſcribere, idque tutiſſimum dicit Decianus *in tract. crimin lib. 5. c. 47. nu. 6. & 9.* Vide etiam Io. Rojas *ſingul. 1. num. 7.* Delrium *in diſquiſ. magic. lib. 5. ſect. 12.* Simancam *in Cathol. inſtitut. tit. 1. nu. 9. & 10.* Campegium *in addit. ad Zanchinum cap. 20. lit. B.* & Gundiſſaluum *de hæret. q. 20. num. 7.*

Quod autem dicitur in ſupradicta Inſtructione quòd remedium purgationis eſt periculoſum, vide Pegnam *in direct. Inquiſ. part. 2. comm. 14.* & Farinacium *de hæreſi q. 194. nu. 64.* vbi ſic ait: Purgationis remedium eſt periculoſiſſimum, fragile, fallax, & incertum, cùm ab aliorum opinione & voluntate pendeat, & propterea illo non vtendum, niſi rarò, & cum magna cautela, vtiliuſque & ſalubrius eſt alias pœnas arbitrarias imponere, ad aliaque remedia confugere, & propterea in ſupremo Vrbis totiuſque Chriſtianæ Reipublicæ S. Inquiſitionis Tribunali purgatio ab aula ferè receſſit, & non niſi rarò induci ſolet. Ita Farinacius.

Et tandem ad intelligentiam ſupradictæ Inſtructionis dum dicit, quòd quando ſit danda tortura, remittitur arbitrio Inquiſitorum, vide Campegium *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap. 9. lit. E. ver. numquid.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. cap. 35. nu. 20.* Pegnam *in direct. part. 3. comment. 39. & 110.* & Petrum Binsfeldium *de confeſſ. malef. membr. 2. poſt. 5. concl. § exempli gratia, verſ. licet quiſpiam.* vbi declarat quale in iſto caſu debeat eſſe Inquiſitorum arbitrium. Vide etiam Farinacium *tit. de indiciis & tortura, q. 37. nu. 192. & ſeq.*

RESOL. LXXVIII. *An Inquiſitores poſſint punire reum qui fuit baptizatus inualidè ex defectu formæ, materiæ, vel intentionis?*

SVppono Baptiſmum neceſſarium eſſe, vt hæreſis, Iudaiſmus & Paganiſmus punibilia ſint ab Eccleſia, ſecluſis aliquibus caſibus, vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 2.* & obſeruant communiter Doctores. Hoc ſuppoſito, negatiuè reſpondet ad quæſitum Sanchez *in ſumma to. 1. lib. 2. cap. 7. num. 34.* Suarez *de fide diſp. 19. ſect. 5. num. 8.* & Sanctarellus *de hæreſi cap. 1. dub. 2. num. 6.* & alij. quia talis per Baptiſmum inualidum non fuit conſtitutus membrum Eccleſiæ viſibilis, aliàs dictus Baptiſmus non eſſe repetendus: ergo Eccleſia non poteſt aduerſus illum iuriſdictionem exercere.

Sed non deſunt DD. affirmatiuam ſententiam tenentes, quam tuetur Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 9. q. 3. ver. ſi quæras.* Caſtrus *de iuſt. hæretic. punit. lib. 1. c. 8.* Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 31. num. 5.* vbi ſic aſſeritur Quæritur an is, qui probabili errore ductus putat ſe baptizatum eſſe, cùm verè baptizatus non ſit, propriè cenſeatur hæreticus, ſi poſteà hæreſi aliqua infectus fuerit: & verius eſt vt hæreticus iudicetur & pœnis hæreticorum ſubiaceat, quia iſte baptizatus eſt Baptiſmo flaminis, & quia in hac re plus operatur opinio, quàm veritas, vnde quidam ita definiunt: Hæreticus eſt qui verè baptizatus, vel pro baptizato ſe gerens pertinaciter errat, vel dubitat contra Catholicam veritatem. Hæc Simanca. Cuius opinionem tenet etiam Henriquez *lib. 2. ca. 25. numer. 6.* & Sayrus *de cenſ. lib. 3. cap. 4. numer. 11.* in caſu quo reus habuerit intentionem ſuſcipiendi Baptiſmum.

Vel quando communiter reputatur baptizatus, vt ſemper accidit. & ideò obſeruat Caſtrus Palaus *tom. 1. tr. 4. diſp. 8. punct. 16. §. 6. num. 3.* quòd Cæſar-auguſtæ *anno 1619.* quidam Maurus, qui aduerſus noſtram fidem deliquit, reconciliatus eſt, etiamſi allegauerit baptizatum nõ eſſe, in cuius confirmationem in libro ſuæ parochiæ non fuit inuentus ſcriptus. Vide etiam Antonium Ricciullum *tract. de iure perſonarum, &c. lib. 3. cap. 6.* varios caſus diſtinguentem.

RESOL. LXXIX. *An Inquiſitores poſſint punire tamquam hæreticum qui negat propoſitionem Theologicã, quæ euidenter infertur ex propoſitione de fide?*

AFfirmatiuè reſpondet Valentia *tom. 3. diſput. 1. quæſt. 11. punct. 1. diffic. 3.* Canus *de locis Theolog. lib. 12. cap. 9.* & ſi ita attentè legatur Bonacina *de cenſ. diſp. 2. quæſt. 5. punct. 5.* & ratio eſt, quia ſupradictus reus ſaltem mediatè diuinæ reuelationi opponitur.

At ego puto, dictum reum non eſſe hæreticum, ſed præſumi, & ideò Villalobos *in ſumma tom. 2. tract. 1. diffic. 10. num. 6.* ſic ait: *La duda es del que niega vna propoſicion Theologica que ſe infiera d'vna premiſſa de fe y otra euidente con lumbre natural, la qual no es immediatamente de fe, como es eſta:* Chriſtus eſt riſibilis, *que ſe infiere deſtas dos premiſſas:* Omnis homo eſt riſibilis; Chriſtus eſt homo, *que la vna es principio natural, y la otra de fe. à lo qual reſpondo con el P. Corduba que en el fuero eſterior ſe preſumeria por herege porque no ſe preſume que ha de errar en el principio natural.* Ita Villalobos. & ante illum Aragon. *in 2. 2. quæſt. 11. art. 2.* Suarez *de fide diſp. 19. ſect. vlt. n. 3. & ſeq.* cum Sanchez *in ſumma tom. 1. lib. 2. cap. 7. n. 33.* qui *cap. 8. n. 12.* rectè docet quòd ſi talis reus in illa negatione perſtiterit tamquam hæreticus negans principium reuelatum, erit ab Inquiſitoribus puniendus.

RESOL. LXXX. *An Inquiſitores debeant citare abſentem trina citatione?*

AD hanc quæſtionem reſpondet Ferdinandus de Caſtro *in opere mor. tom. 1. tractat. 4. diſput. 8. punct. 4 num. 3.* vbi ſic ait: Hæc citatio, ſi rigorem ſpectemus, vnica ſufficit, quæ tribus æquiualet ſignato termino competenti & peremptorio ad comparendum, quia nullibi habetur expreſsè in hoc caſu trinam expoſtulari, præcipuè cùm in hoc crimine non arctetur Iudex ſolemnitatibus à iure aliàs requiſitis. At ex conſuetudine aduerſus abſentem contumacem trina citatio expediri ſolet, ſignato in quolibet illarum termino competente, vt ſic proceſſus & ſententia magis iuſtificetur. Ita ille, qui citat Rojas, Paramum, Farinacium & Simancam.

Verùm ego non deſinam hîc apponere verba Inſtructionis Hiſpalenſ. *anno 1484. numer. 19.* vbi ſic ſtatuitur: *Si à los Inquiſidores pareciere que el delito contra algun abſente ſe puede cumplidamente prouar lo citen por edicto, para que venga a alegar y a moſtrar ſu inocencia dentro de treynta dias que vayan por tres terminos de diez en diez dias, ò les den otro mas largo tiempo ſi vieren que cumple ſegun la diſtancia de los lugares, adonde ſe preſume ò deue preſumir que eſtan los tales citados, y citar los han para todos los autos del dicho proceſſo haſta la ſentencia definitiua incluſiuè.* Hæc ibi. quæ verba fundantur in iure. nam non ſolùm ad conteſtandam litem & firmandum proceſſum citatio eſt neceſſaria, ſed multò magis ad ſententiam pronuntiandam, & ideò dicitur in dicta Inſtructione, *Citarlos han para todos los autos*, &c. Vide Pegnam *in director. part. 3. comment.* 40. Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 38.* Paramum *de orig. Inquiſ. lib. 3. quæſt. 4.* & alios penes ipſos.

RESOL. LXXXI. *Quando Inquiſitores debeant facere abiurare reos publicè, vel ſecretò?*

CIrca præſens dubium in Inſtructione Hiſpalenſi *anno 1484. num. 5.* ſic habetur: *Item determinaron que los dichos Inquiſidores a las perſonas, que vinieren confeſſando ſus errores ſegun dicho es y deuieren ſer reconciliados a la vnion de la ſancta Madre Yglesia les hagan abjurar ſus errores publicamente quando los huuieren de reconciliar, y les deuen injungir penitencias publicas ſegun ſu aluedrio y parecer vſando con ellos de miſericordia y benignidad, quando con buena conciencia ſe podrà hazer. y no deuen recebir a ninguno a abjuracion y pena ſecreta, ſaluo ſi el pecado fuere tan oculto que no lo ſupo otra alguna perſona; ni lo pudo ſaber ſaluo aquel que lo confieſſa, porque en tal caſo podra qualquier de los Inquiſidores reconciliar y abſoluer ſecretamente à la tal perſona, cuyo error y delito fue, y es oculto, y no es reuelado, ni por otra perſona ſe les podria reuelar, porque aſsi es de derecho.*

Verùm ad ornatum & intelligentiam ſupradictorum verborum ibi, *Les hagan abjurar ſus errores publicamente*, nota quòd ex text. *in cap ad abolendam. §. prætereà, de hæret.* abiuratio debet fieri publicè, & ita etiam tenet Barboſa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 9 numer.* 11. Sanctarellus *de hæreſi cap. 41. dub. 2. num. 4.* Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 47. num. 8. & 74. & in enchirid. tit. 53. numer.* 12. Squillacenſis *tractat. de fide Catholic cap. 29. numer.* 2. Eymericius *in director. part. 3. rubric. de quarto modo terminandi, &c. num.* 126. 167. & 175. ponens formam abiurationis publicæ, quando aburans eſt ſuſpectus de leui, de vehementi, & violenter. & *ibi* Pegna *comment.* 42. vbi reddit rationem quare abiurationes huiuſmodi publicè efficiuntur. Vide etiam Decianum *in tract. crim. lib. 5. cap. 47. nu. 5.* vbi declarat quando & quomodo abiuratio dicatur publicè facta. Riminaldum *lib. 6. conſil. 686. numer.* 250. & *ſeq.* aſſerentem abiurationem factam ſecretò non valere. & Rojas *ſingul. 1. nu. 16. & 17.* cum Delrio *in diſquiſ. magic. lib. 5. ſect. 12. ver. & hæc abiuratio.*

Sed licet omnia ſupradicta ſint vera, non eſt negandum quòd ex cauſa benè viſa Inquiſitoribus abiuratio poteſt fieri ſecretò. & ita tenet Zecchius *in ſumma, tom. 1. tit. de fide, cap. 11. numer.* 17. Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 47. num. 7. & cap. 38 numer. 6.* Rolandus à Valle *lib. 3. conſil. 63. num. 7. & ſeq.* cum aliis, & quòd leuiter ſuſpectus de hæreſi non debeat publicè abiurare, ſed priuatim in auditorio Inquiſitorum, tenet Simanca *in Cathol. inſtitut. tit. 1. num. 24.* Rojas *ſingul. 1. num. 26.* & Pegna *in director. part. 3. comment.* 40. Scaccia *de iudicijs lib. 1. cap. 59. numer. 10.* Sanctarellus *de hæreſi cap. 41. dub. 2. numer. 4.* Verùm hoc in aliquibus criminibus non obſeruatur, & ſic contrahentes binas nuptias ſunt leuiter ſuſpecti de hæreſi, & ideò in noſtro Tribunali abiurant de leui, attamen dicta abiuratio efficitur publicè.

Item ad dilucidationem illorum verborum ſupradictæ Inſtructionis ibi, *Saluo ſi el pecado fuere tan oculto*, &c. Vide Simancam *in Cathol. inſtitut. tit. 1. num. 24.* qui abſolutè docet, quòd publicè non debent abiurare qui occultas hæreſes ſponte confeſſi ſunt. Vide etiam Barboſam & Sanctarellum *vbi ſuprà.* Non deſinam tamen hîc adnotare quòd Io. Rojas *de hæret. part. 2. numer.* 274. verba ſupradictæ Inſtructionis intelligit de hæreſi omnino ſua natura occulta, quæ nullo modo naturaliter ſciri potuit, niſi per illam confeſſionem ſpontaneam, quod aliter eſt, quando hæreſis eſſet occulta per accidens, quando non ſolùm corde, ſed voce & corde exteriùs procedit, videlicet propter defectum probationis ignoratur. Ita Rojas, cuius ſententia mihi non placet; nam præſupponit hæreticum mentalem indigere abiuratione & reconciliatione, quod eſt falſum, nam hæreticus mentalis non indiget Inquiſitorum abſolutione, vt ex multis probat Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 8. num. 3.* Bonacina *in Bulla Cœnæ tom. 3. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. num. 2. & 3.* & alij penes ipſos.

RESOL. LXXXII. *An Inquiſitores poſsint indicere purgationem, vel abiurationem propter infamiam?*

RESpondeo quòd ex *cap. inter ſollicitudines, de purgat. canon.* poteſt indici purgatio propter ſolam infamiam, vt docet Roſella *ver. hæreticus, nu. 2.* Delrius *in diſquiſ. lib. 5. ſect. 13. ver. ſed de infamia.* Syluester *ver. hæreticus, 2. n. 10.* & alij. Imò tenet Paramus *de orig. Inquiſ. lib. 3. q. 4. num. 26.* & Pegna *in director. part. 2. comment.* 82. ſolam infamiam, ſeu diffamationem cunctis adminiculis ſufficere non ſolùm

solùm ad purgationem, sed etiam ad abiurationem.

Nota tamen quòd non quælibet infamia ad purgationem indicendam sufficit, sed illa tantùm, quæ publica sit & grauis, & vehemens, vt ex dicto capite inter sollicitudines docet Gabriel *lib. 1. conſ. 160. n. 4.* Pegna *in direct. part. 3. comment. 38.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 48. n. 8.*

Vnde ex his à fortiori contra aliquos apparet, dicendum esse solam infamiam sufficere ad inquirendum & procedendum in crimine hæresis, & ita docet Zanchinus *de hæret. cap. 11. n. 3.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſ. ver. accuſatio*, §. *ſed ponamus*, & *ibi* Mandosius *in addit. lit. O.* vbi asserit generaliter quòd fama succedit loco accusatoris, & sufficit ad inquirendum.

Difficultas est, An infamia ad indicendam purgationem in crimine hæresis probetur per testes inhabiles? Ego contra Vmbertum Locatum *in praxi ver. diffamati, ſub nu. 3.* & Eymericium *in direct. part. 2. q. 57. nu. 2.* puto non probari per testes inhabiles, & ita docet Pegna *in direct. vbi ſuprà, comm. 82.* nisi essent plures quàm duo, & deponerent verisimilia. Vide eumdem Pegnam *in director. part. 3. comment. 19.*

An verò in causa hæresis infamia afficiat quando ortum habuit ab æmulis & vilibus hominibus, vide Pegnam *vbi ſuprà comm. 82.* Simancam *in Cathol. inſtit. tit. 56. n. 7. & in enchirid. tit. 54. nu. 4.* Oldradum *conſil. 210. n. 9.* Gabrielem *lib. 1. conſ. 160. nu. 5.* & alios penes ipsos negatiuam sententiam docentes.

RESOL. LXXXIII. *An Inquisitores debeant verba dubia interpretari in sensu Catholico?*

REspondeo affirmatiuè, nisi contrarium confiteatur reus, & ideò eius intentio & consensus circa hoc diligenter ab Inquisitoribus perquirendus est. & ita docet Albertin. *de agnoſcend. quaſt. 34. numer. 48. & ſequent.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 37. num. 6. & 47.* Io. Rojas *de hæret. part. 1. nu. 200. & part. 2. num. 164. & ſeq.* Menochius *lib. 2. conſil. 82. num. 10.* Riminaldus *lib. 4. conſil. 686. num. 6.* Pegna *in direct. part. 3. comment. 111.* qui docet hoc etiam procedere in dubia testium depositione.

Ex his Rojas *vbi ſuprà part. 1. numer. 366.* asserit quòd si quis dixerit, Deus non fecit mala, intelligendus est de malo culpæ, quæ est propositio Catholica, & non de malo pœnæ, quæ est propositio hæretica. Item *num. 376.* non damnauit quemdam de hæresi esse suspectum, qui volens sacrã Missam in quadam Ecclesia audire, cùm ad eam accessisset, & Missam non inuenisset, quia serò accessit, dixit hæc verba, Sola fides sufficit, quia non censetur dixisse solam fidem sine operibus sufficere, quod esset hæreticum.

Verùm, licet hæc omnia sint vera, non tamen procedunt quando contra reum, qui dixit aliqua verba dubia & ambigua, militaret aliqua sinistra suspicio & præsumptio, præsertim ratione qualitatis personæ, vt, v. g. si esset de genere Iudæorum, Maurorum, vel ex aliqua prouincia infecta. Ita Rojas *loc. cit. n. 205.* qui etiam *num. 375.* adnotat supradicta procedere quoad plenam probationem delicti; secus autem quoad præsumptionem vt torqueatur, præsertim si est persona suspecta, natu in dubio præsumendum est pro hæresi, atque si nimis vrgent indicia, talis reus torquendus erit, cùm de eius animæ salute agatur, vt in tortura confiteatur & reconcilietur. Ita Rojas, quod est valdè notandum. Verùm circa præsentem quæstionem in casu contingenti legatur omnino Nauarrus *li. 5. conſil. 6. n. 6. & ſeq. de hæret.* & Simanca *in Cathol. inſtitut. tit. 54. n. 21. & 22.*

RESOL. LXXXIV. *An Inquisitores circa declarationem propositionum debeant vocare Qualificatores, & quid si Inquisitores sint Theologi?*

CIrca hoc ita statuitur *in inſtruct. Toletana anno 1561. numer. 1. Quando los Inquiſidores ſe juntaren à ver las teſtificationes que reſultan de alguna viſita ò de otra manera, ò, que por otra qualquier cauſa ſe huuiere recebido hallandoſe algunas perſonas ſuficientemente teſtificadas de alguna coſa, cuyo conocimiento pertenez ca al S. Oficio de la Inquiſicion ſiendo tal, que requiera calificacion deueſe conſultar con Theologos de letras, y conciencia en quien concurran las calidades, que para eſto ſe requieren, los quales den ſu parecer y lo firmen de ſu nombre.* Sic ibi.

Et ideò Io. Rojas *de hæret. part. 1. num. 384.* ita ait: In exponẽdis verbis dubiis, agnoscendisque factis, vel Catholicis dictis, aut suspectis, vel hæreticis, periti sacræ Theologiæ sunt vocandi, qui vulgò *Qualificadores* nuncupantur, quorum assertionibus omnimodam Inquisitores adhibeant fidem. & *nu. 204.* sic asserit, Vsu & consuetudine iam diu recepta, indistinctè, & absolutè cuiusuis propositionis declaratio ad Theologos spectat & attinet, & ab eorum assertionibus in causis fidei iudicandis minimè est recedendum, vt per prudentissimos Consiliarios supremi Consilij generalis Inquisitionis pleniùs decretum est. Hæc Rojas.

Sed difficultas est, an si Inquisitores sint Theologi, possint cognoscere vtrùm factum, vel dictum sapiat hæresim, vel non? vel hoc tantùm spectet ad Qualificatores. negatiuè respondet Delrius *in disquiſ. mag. lib. 5. ſect. 15. axiom. 1.* vbi sic ait: Quando autem dubium est, sintne hæresim sapientia, non pertinet ad Inquisitorem iudicare, aut cognoscere, sintne talia, vel non. Verùm hoc pertinet ad Theologos Qualificatores, sed postquàm constat ea sapere hæresim, dubitatur tantùm an sapiant manifestam, possunt Inquisitores de illa qualitate cognoscere, & pronuntiare se Iudices esse. Ita Delrius. Verùm Seraphinus Freytas *in addit. ad tractat. de Confeſſ. ſollicit. q. 5. num. 42.* contrarium docet, putat enim quòd ad Tribunal Inquisitionis competit cognitio, vtrùm factum, vel dictum sapiat hæresim, vel non, & si iidemmet Inquisitores sint etiam Theologi, de eodem dubio possunt cognoscere; si verò sint Iurispetiti, ad Qualificatores vtpote Theologos, docet eam prouinciam demandandam esse ex ipsiusmet Senatus commissione, cùm vtique eiusdem Tribunalis sint ministri. Sic Freytas. Sed semper in praxi vocantur Qualificatores, & obseruatur Instructio Toletana.

RE-

RESOL. LXXXV. *An Inquiſitores poſſint diſpenſare ſuper irregularitate contracta ab hæreticis?*

VIdetur reſpondendum affirmatiuè ex Bulla Clem. VII. quæ incipit, *Cùm ſicut.* §. *vobis etiam*, vbi hæc auctoritas apertè Inquiſitoribus & eorum Commiſſariis conceditur. Vnde Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. ver. irregular. n.* 2. ſic ait: Irregularitatem leuare, & ſuper illa diſpenſare poſſunt Inquiſitores, ſi contracta ſit in hæreſi cum redeuntibus ad gremium Matris Eccleſiæ, vt patet per priuilegium Clementis Papæ. Ita ille. Vide etiam Campegium *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap.* 27. *ver. adde vlteriùs.* Zecchium *in ſumma tom.* 1. *tit. de fide, cap.* 11. *num.* 16. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 2. & alij.

Sed hoc priuilegium vel fuit perſonale, vel non fuit vſu receptum, vel per alias Bullas poſteriores Pontificũ eſt reuocatũ, & ideò Pius V. *anno* 1567. prohibuit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus diſpenſare vt Miſſam celebrarent, teſte Sanctarello *de hæreſi cap.* 25. *dub.* 1. *num.* 6. ex Pegna *in director. Inquiſ. part.* 3. *comment.* 175. vbi abſolutè hanc ſententiam tenet, quam etiam tuetur Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 25. *num.* 19. Suarez *de cenſ. diſp.* 43. *ſect.* 1. *num.* 5. & alij.

Notandum eſt tamen hîc obiter, quòd licet hæretici contrahant irregularitatem, vt notat Megala *in* 3 *part. lib.* 7. *cap.* 2. *quæſ.* 6. *nu.* 16. & alij communiter, attamen ſuſpecti de hæreſi poſtquam illam abiurauerint non ſunt irregulares, & ita contra Azorium *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 21. *quæſ.* 8. tenet Emanuel Sà *ver. hæreſis, num.* 5. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 56. *num.* 1. Pariſius *de reſignat. benef. lib.* 4. *quæſt.* 3. *nu.* 17. Sanchez *vbi ſuprà, n.* 12. Sanctarellus *nu.* 9. Garzias *de beneficiis tom.* 2. *part.* 11. *cap.* 10. *nu.* 88. vbi aſſerit ita fuiſſe deciſum in Sacra Rota Romana.

RESOL. LXXXVI. *Sequeſtratio bonorum quando & quo modo debeat fieri ab Inquiſitoribus?*

HOc ſtatuitur in Inſtruct. Toletana *anno* 1561. *num.* 6. vbi ſic habetur: *El ſecreſto de bienes ſe deue hazer quando la priſion es por heregia formal, y no en otros caſos que los Inquiſidores pueden prender, en el qual ſecreſto ſolamente ſe pornan los bienes, que ſe hallaren en poder de la perſona que ſe manda prender y no los que eſtuuieren en poder de tercero poſſeedor.* Sic ibi. Et ad ornatum ſupradictorum verborum vide Ioan. Rojas *de hæret. part.* 2. *num.* 46. vbi ſic ait: Quando reus comprehenditur, & carceribus Sancti Officij mancipatur, ſtatim fieri debet ſequeſtratio bonorum illius, ne bona ſurripiantur, vel abſcondantur, & penes aliquam perſonam idoneam coram Tabellione & executore ponantur, quæ perſona eorum cuſtodiam & curam habeat, & illa bona quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, Inquiſitorum mandato per cuſtodem vendantur. Igitur in crimine hæreſis debet præcedere bonorum deſcriptio quæ eſt ad confiſcationem præparatoria. Ita ille.

Rectè etiam in ſupradictis verbis dicitur: *El ſecreſto de bienes ſe deue hazer*, &c. quia ſequeſtratio bonorum efficitur, vt dictum eſt, in ordine ad confiſcationem; ſed confiſcatio bonorum non habet locum, niſi in hæretico confeſſo, vel legitimè conuicto: ergo non debet fieri niſi pro hæreſi formali, non autem in aliis caſibus ſapientibus hæreſim. & ita docet Tabiena *verb. hæreticus, num.* 5. Repertor. Inquiſit. *verb. confiſcatio, verſ. Item ſciendum.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. verſ. bona hæreticorum, num.* 1. Zanchinus *tract. de hæret. cap.* 25. *nu.* 1. & *cap.* 18. *numer.* 5. Cantera *in qq. crimin. rubric. de hæret. cap.* 1. *numer.* 54. & alij. Vnde ex his rectè Rojas *vbi ſuprà numer.* 50. notauit bonorum ſequeſtrationem, ſeu deſcriptionem non eſſe faciendam, quoties Inquiſitores contra blaſphemos, ſeu ſortilegos procedunt, ſeu contra ſecundò nubentes, &c. quia prædicti & alij ſimiles propriè & verè non ſunt hæretici. Igitur bonorum deſcriptio, ſicut & confiſcatio, non debet fieri, vt optimè dicta Inſtructio determinat, niſi pro hæreſi formali.

Notandum eſt etiam hîc, quòd ſequeſtratio bonorum non efficitur contra hæreticũ defunctum, propter rationem quam adducit Inſtructio Toletana *ſuprà dicta num.* 91. vbi ita ſtatuitur: *Aunque la probanca contra el defuncto ſea baſtante, no ſe ha de hazer ſecreſto de bienes porque eſtan en poder de terceros poſſeedores los quales no han de ſer deſpoſados haſta ſer el defuncto declarado por herege y ellos vencidos en juizio.* Sic ibi.

Sed an ſequeſtratio bonorum hæreticorum abſentium ſit facienda, ita reſpondet Ferdinandus de Caſtro *in opere morali tom.* 1. *tractat.* 4. *diſp.* 8. *punct.* 16. §. 3. *num.* 3. Bona abſentium in tertium poſſeſſorem tranſlata, licet de rigore iuris ſequeſtrari non debeant, ſi tamen paulò ante citationem fuga præceſſit, probarique facilè poſſunt quæ bona ſint, ſequeſtrari debent. Sic reſponſum fuit à ſupremo Senatu Inquiſitionis Inquiſitoribus Galletiæ *anno* 1620. At ſi fugit reus tempore quo captura exequenda erat, ſequeſtrantur bona pro delicto habita, vel quæ in poteſtate vxoris & filiorum reperiuntur, quòd ſi hæc diſcerni non poſſunt, ſequeſtrantur omnia quæ in eius domo reperiuntur, quia omnia illa eſſe fugitiui præſumuntur. Hæc Caſtrus, quæ ſunt valdè notanda.

RESOL. LXXXVII. *An Inquiſitores poſſint procedere contra blaſphemantes hæreticaliter ex iracundia?*

PRima facie videtur quòd non, ex verbis Inſtructionis Hiſpalenſis *anno* 1550. *num.* 4. vbi ſic habetur: *Porquanto los Inquiſidores algunas vezes prenden por coſas lucianas no concluyentes heregia derechamente por palabras que mas ſon blaſphemias que heregia, dicha con enojo ò ira que de aqui adelante no ſe prenda ninguno deſta calidad ſi duda huuiere que lo conſulten con los Inquiſidores Generales.* Sic ibi.

Sed ſupradicta verba, *en blaſphemias dichas con enojo*, &c. intelligenda ſunt de blaſphemiis non hæreticalibus, vt optimè notauit Ioan. Rojas *de hæret. part.* 2. *numer.* 172. & apparet ex aliis verbis, ibi, *No concluyentes heregias derechamente*, quæ verba etiam clarè demonſtrant Inquiſitores de blaſphemiis hæreticalibus ſolùm inquirere. quod etiam apparet per illa verba Inſtructionis Tole-

Toletanæ *anno* 1561.*numer.*65. vbi ſic habetur : *Los Inquiſidores proceden contra algunos culpados por coſas que los hazen ſoſpechoſos en la fe, y por la calidad del delicto y de la perſona no lo juzgan por herege como ſon los que contrahen los matrimonios o por blaſphemias calificadas*, vbi per *blaſphemias calificadas* intelliguntur blaſphemiæ hæreticales, & ita tenet Caſtrus *de iuſt. hæretic.punit.lib.*1.*cap.*12.Eymericius *in direct. Inquiſit.p.* 2.*quæſt.*41.& *ibi* Pegna *comment.* 66. Bannez *in* 2.2. *quæſt.*18.*art.*1. & alij, quos citat & ſequitur Antonius Sanctarellus *de hæreſi cap.*80.*lib.* 2. *numer.*1. qui tamen adducit Conſtitutionem Iulij III. quæ incipit,*In multis*,&c.vbi ſuper blaſphemias etiam non hæreticales conſtituuntur Iudices Inquiſitores. Sed hoc in praxi non obſeruatur. Nam in Tribunali S.Inquiſitionis hodie tantùm contra blaſphemantes hæreticaliter inquiritur, etiamſi ex calore iracundiæ dictas blaſphemias fecerint, vt tenet Rojas *loco citato* & Albertin.*de agnoſcen. q.*27.*nu.*18. cum aliis, licet tales puniendi ſunt mitiori pœna. Vide etiam Riccium *in praxi tom.*1. *reſolut.* 423. vbi aſſerit blaſphemantes calore iracundiæ & in ludo, debere abiurare. Sed de hoc *infrà*. Vide etiã Emanuelem do Valle de Moura *opuſc. de enſal. ſect.* 3. *c.*3. *numer.*7. vbi inuehitur in quemdam Theologum, qui liberauit à iuriſdictione Inquiſitorum blaſphemantem ex magna iracundia & vehementi paſſione.

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd Inquiſitores poſſunt punire blaſphemantes ſub conditione,vt,v. g. Non credo in Deum, niſi te occidam, quia hæc blaſphemia conditionalis habet in ſe puram, implicitantem affirmatiuam, videlicet quòd ſi ad occidendum illum opus fuerit in Deum non credere, paratus eſt libenter facere. Ita Rojas *vbi ſuprà n.*173.*&* 174. & poſt illum Lazarius *tractat.de blaſphemia quæſt.*6.*n.*11.

RESOL. LXXXVIII. *Quomodo examinandi ſint rei ab Inquiſitoribus?*

IN cauſis ſpectantibus ad fidem cautiſſimè incedendum eſt in examine hæretici verſuti & callidi. Ideò primò reus in cauſa violatæ Religionis examinandus eſt de genere ſuo, de parentibus, de natione & patria, de educatione & diſciplina, de bonitate & prauitate,de ſocietate & amicitia, de moribus & verbis, an ſciat propter quam cauſam ſit captus,an aliquos habeat ſuſpectos, quos & qua de cauſa : & inſiſtat Inquiſitor in omnibus quæ ad negotium fidei faciunt,ſuperflua & aliena omnino omittendo. Secundò intra primos dies capturæ benignè erunt hi de fide ſuſpecti admonendi ad dicendam veritatem,& dum Inquiſitores eos examinabunt, poterit eis humile ſedile concedere ad hoc vt magis quietum animum habeant.Tertiò ad habenda indicia eorum ſtatus ſciſcitentur ab eis conſueta Catholicæ Religionis, quas deuotiones habeant,quando & à quo confeſſi ſint, ſi cõmunicauerint,ſi Eccleſias frequentauerint, & quas preces ſoleat Eccleſia in præcipuis diebus fundere, & ſimilia perquirent ab eis, quæ vt notiſſima apud omnes Chriſtianos ſciuntur. & hæc omnia docet Michaël Zanardus *in director. Theolog. part.*3.*cap.*87. quæ adnotare volui, nam deſeruiunt ad ornatum noſtræ Inſtructionis Toletanæ 1561.*à num.*13. *vſque ad nu.* 16. vbi omnia ſupradicta & multa alia optimè pro examinandis reis præcipiuntur.

RESOL. LXXXIX. *An Inquiſitores ſub pœna excommunicationis poſſint præcipere vt Clerus & populus eorum concionibus aſſiſtant?*

NEgatiuè reſpondet Angelus *in ſumma, tom.* 1. *ver. Inquiſitor, numer.* 9. vbi ſic ait : Aduerte quòd Inquiſitores non poſſunt præcipere ſub obedientia, & minùs ſub excommunicatione Clerò & populo, vt adeant ad eorum precationes, quod ſæpiùs faciunt dicti Inquiſitores, & non valet. Ita ille.

Sed malè. Vnde meritò contrariam ſententiam tenet Simanca *in Cathol.inſtitut.tit.*34.*numer.* 24. Io. Rojas *de hæret.part.*2.*num.* 425. vbi aſſerit : Inquiſitores ſub pœna excommunicationis poſſunt præcipere, vt populus & Clerus ſint in eorum ſermonibus, quod etiam habetur *in cap.vt commiſſi, de hæret. in* 6. ibi, *conuocandi etiam Clerum & populum.* & ita ſeruari de conſuetudine Tribunalis teſtatur Repertor.Inquiſitor.*ver. Prædicare, num.*2. & nouiſſimè hanc ſententiam tenet Alfonſus Narbona *in recopil.lib.*4.*tit.*2.*leg.*20.*gloſſ.*22.*num.* 65. Vnde à fortiori rectè concludit Auila *de cenſuris part.* 2. *cap.* 5. *diſp.*1.*dub.*3.quòd præceptum Inquiſitorum ſub excommunicatione,vt omnes confluant in templum ad audiendum edictum fidei, obligat ſub mortali, quia eſt ad exaltationem fidei,& vt ſciant homines quæ ſint denuntianda Inquiſitoribus.

RESOL. XC. *An alter Inquiſitor ſine altero poſſit procedere ad capturam reorum?*

REſpondeo negatiuè, & in Inſtruct. Toletanæ *anno* 1562. *num.* 3. ſic ſtatuitur : *Los Inquiſidores viſta la informacion juntamente y no el vno ſin el otro ſi eſtuuieren ambos preſentes, acuerden la priſion y parece ſeria mas juſtificada ſe communicaſſe con los conſultores de aquella Inquiſicion ſi buenamente e pudiera hazer,y pareciere à los Inquiſidores conueniente y neceſſario.*Sic ibi.

Vnde ad ornatum ſupradictæ Inſtructionis vide Simancam *in Cathol.inſtitut. tit.* 34. *num.* 37. vbi ita aſſerit : Neque poteſt alter Inquiſitor ſine altero procedere ad capturam reorum, neque ad purgationem inducendam, neque ad publicationem teſtimoniorum, neque ad copiam actorum reo dandam. Alia verò leuiora ab altero tantùm Inquiſitore peragi poſſunt. Hoc tamen ſeruandum eſt cùm ambo Inquiſitores præſentes ſunt,nam altero abſente,alter ſolus ea omnia facere poteſt, conuocatis peritis,vbi opus fuerit.Hæc Simanca.

RESOL.XCI. *An Inquiſitores poſſint punire illos,qui factis,aut verbis ipſis iniuriam fecerint?*

REſpondeo affirmatiuè cum Bobadilla *in polit. tom.*1.*lib.*2.*cap.* 17. *num.* 114. vbi ſic ait : *Podran los Inquiſidores proceder contra los que los injurian,porque no ſolamente ſon ellos los offendidos, ſino tambien el officio de la Inquiſicion y la Yglesia, y la fe.* Sic ille. qui in gloſſa

gloſſa *littera D.* citat Zanchinum & Decianum, quibus ego addo Simancam *in Cathol. inſtit. tit.24. num.28.* vbi ita aſſerit: Poterunt quoque Inquiſitores punire illos, qui factis, aut verbis auſi fuerint ipſiſmet Inquiſitoribus iniuriam facere, ac tantò quidem id magis, quantò ſanctius & venerabilius eſſe debet eorum officium, quàm aliorũ omnium Iudicum. Hæc Simanca.

RESOL. XCII. *An quando Inquiſitores reuocant bona alienata per hæreticos, teneantur ad pretium?*

REſpondeo negatiuè cum Scaccia *de iudic. lib.1. cap.98. num. 13.* Simanca *in Catholic. inſtit. tit.9. num.27. & ſeq.* Zanchino *de hæret. cap 27. nu.6.* Azorio *tom.1. lib 5. c.7 quæſt.8.* Suarez *de fide diſp. 22. ſect.4. numer.9.* Aragonio *in 2.2. quæſt. 11. art.3.* Vaſquez *in 1.2. diſp.62. cap.9. numer. 7. & 8.* & aliis quos citant & ſequuntur viri docti, Ricciullus & Sanctarellus, hic *tract. de hæreſi cap.24. dub.3. num.5.* ille *in tractat. de iure perſonarum, & c. lib.5. cap.38. num. 1. & ſeq.* quibus adde Io. Rojas *in ſingul. 8. numer.3. & 4.* vbi ſic ait: Inquiſitores quando reuocant alienata per hæreticos, non tenentur emptoribus ad pretium, ſed ſi pretium, vel aliquid loco pretij inter bona hæreticorum inueniatur, vel in vtilitatem hæreticorum pretium fuit conuerſum, in his caſibus ab Inquiſitoribus pretium reſtituendum eſt, aliàs non. Ita Rojas. & hæc opinio procedit, etiamſi per mille manus bona hæretici alienata tranſierint, vt rectè aduertit Scaccia *vbi ſuprà nu.15.* & Surdus *deciſ.247. numer.11.* Et ratio horum omnium eſt clara; quia ſi quis emat bona fide rem alienam, vel alteri obligatam, talis emptio nullo damno afficit verum dominum, vel alterum habentem hypothecam ad illam rem. Ergo cùm Inquiſitores & fiſcus à die commiſſi criminis habeant dominium bonorum hæreticorum, vel ſaltem habeant omnia bona illorum obligata, vt poſt ſententiam declaratoriam criminis poſſint ſibi vendicare illa bona, venditio poſteà illorum bonorum facta à delinquente non poterit in vlla re præiudicare Inquiſitoribus & eius fiſco, nec erunt adſtricti pretium reſtituere, alioqui venditio facta illis præiudicaret.

Notandum eſt tamen hîc primò, Inquiſitores, & eorum fiſcum non poſſe reuocare ea, quæ alienarunt hæretici pro rebus neceſſariis. Ita Gratianus *in diſceptat. forenſ. cap.54. num.15.* Quemada *in qq. fiſcalibus quæſt.7. num.6.* Bannez *in 2.2. quæſt.12 art.2. coroll.1.* Couarruuias *in 4. Decretal. part. 2. cap.6. §.8. num.9.* Sotus *de iuſt. lib.1. quæſt.6. art. 6. concl.4.* quidquid aſſerat Alciatus *in l. poſt contractum, ff. de donat. n.19.* Vide etiam Burſatum *conſ.14. num.29.* Decium *conſ.8. n.7. & 8.* & alios penes ipſos.

Nota ſecundò, Inquiſitores teneri ad reſtituendum meliorationes factas ab emptore, quando reuocant rem alienatam ab hæretico: vnde ſi quis emat domũ, viridarium, &c. ab hæretico, neſciens illum eſſe hæreticum, & fecit meliorationes in re empta, Inquiſitores, & eorum fiſcus tenentur illas ſoluere. Ita Garſias *tract. de meliorat. cap.6. numer.20.* & patet ex *l. in fundo, ff. de rei vendic.* & ex *l. diuortio, §. impendia. ff. ſolut. matrimon.* Si verò emptor ſciebat venditorem eſſe hæreticum, tunc Inquiſitores & fiſcus tenentur ſoluere tantùm melioramenta neceſſaria. Ita Bartolus *in d. l. fundo, n.11.* Menochius *de recuper. remed.15. numer.515.* & conſtat ex *l. domum. C. de rei vendicat.* quænam verò ſint melioramenta neceſſaria, vide Ruinum *lib.1. conſ.157 n.21.* Rolandum à Valle *lib.1. conſ.28. numer.12.* & Surdum *deciſ. 300. num.4.*

RESOL. XCIII. *An Inquiſitores poſſint indicere abiurationem de vehementi, & punire tamquam credentes hæreticorum illos, qui ſemel, vel bis aſſiſtunt concionibus, vel conuenticulis hæreticorum?*

AFfirmatiuè videtur reſpondendum, quia ex actu geminato crimen videtur ad conſuetudinem trahi, ex quo fundamento aſſerunt Archidiaconus, Geminianus, Io. Andreas, & alij *in c. quicumque, §. hæretici, ver. credentes, de hæret. in 6.* Zanchinus *de hæret. cap.3. num.6.* Repertor. Inquiſitorum *ver. credentes. §. ponamus.* qui bis audiunt hæreticorum conciones, cenſendos eſſe eorum credentes. Vide etiam Calderinum *tract. de hæret. c.3. n.4.* aſſerentem quòd ſi quis iuerit pluſquam ſemel ad audiendum hæreticos, dicitur eorum credens.

Verùm ego contrariam ſententiam teneo cum Souſa *in Bull. Cœnæ cap.2. diſp.8. numer.10.* Suarez *de fide diſp.24. ſect.3. num.3.* & aliis; cum hac tamen limitatione, vt non procedat in terris Catholicorum, nam in his, ſi aliquis intelligat occulta conuenticula ab hæreticis celebrari, & illuc vadat, etiamſi ſemel, & hoc Inquiſitoribus non denuntiet, ſuſpicione hæreſis non carebit. Et ita docet Pegna *in director. Inquiſ. part.2. quæſt.50. ver. ſi & plurimum.* Azorius *tom.1. lib. 8. cap. 15. quæſ. 1.* & alij. Igitur ex dictis puto aſſiſtentem concionibus hæreticorum per duas vices, incurrere tantùm in ſuſpicionem leuem de hæreſi, non autem vehementem, vt in ſpecie notat Souſa *loco cit.* ergo non poteſt ei indici abiuratio de vehementi. Si autem, vt dictum eſt, hoc efficiat in terris Catholicorum, puto ſupradictum incurrere ſuſpicionem vehementem, & de vehementi abiurare debere, niſi ignorantia, vel alia circumſtantia facti, & qualitas perſonæ in contrarium concurreret.

Non deſinam etiam hîc adnotare, quod etiam Antonius Sanctarellus *in tract. de hæreſi cap.11. dub.3. num.31.* docet, eum, qui tantùm ſemel interfuit hæreticorum concionibus, quamuis non reputetur credens hæreticorum, eſſe tamen de hæreſi ſuſpectum, quod etiam docuit Campegius *in annotat. ad Zanchinum cap.3. n.6.* quem omnino vide.

RESOL. XCIV. *An Inquiſitores non ſolùm in propoſitiones hæreticas, ſed etiam in alias inferioris notæ animaduertant?*

REſpondeo affirmatiuè, & ideò Petrus Lorca *in 2.2. D. Thomæ quæſt.11. art.2. diſp. 40. num.1.* ſic ait: In praxi & vſu Patrum S. Inquiſitionis receptum eſt, non ſolùm propoſitiones hæreticas, ſed etiam alias inferioris notæ cohibere, & in eos qui proferunt animaduertere pro qualitate & quantitate notæ. Habemus autem huius conſuetudinis initium ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. 8.* (quamuis dubitari non poſſit antiquiorem eſſe) in qua damnan-

dam nantur errores Wiclephi ſub hac forma verborum.

Præfatos articulos ſancta Synodus examinari fecit,& ſæpiùs recenſiri,quibus examinatis fuit repertum,aliquos & plures ex ipſis fuiſſe,& eſſe notoriè hæreticos, & à ſanctis Patribus reprobatos, alios non Catholicos, ſed erroneos, & ſcandaloſos,alios & blaſphemos, alios piarum aurium offenſiuos, nonnullos eorum temerarios,& ſeditioſos. Eodem tenore ſententiæ poſteà vſi ſunt Pius V. & Gregor. XIII. damnantes aſſertiones Michaëlis Bay. Hæc Lorca. Igitur in multis propoſitionibus DD. Inquiſitores animaduertunt, vt in hæreticis, erroneis, hæreſim ſapientibus,malè ſonantibus,& piarum aurium offenſiuis, temerariis, ſcandaloſis, &c.de quibus auctores non vno modo loquuntur, quinimò valdè diſſentiunt, vnde in gratiam DD. Inquiſitorum, & Qualificatorum S. Officij colligam hîc Doctores, qui de dictis propoſitionibus ſcripſerunt, inter quos præcipuè ſunt iſti. Auguſtinus Bariola, Conſultor S. Officij poſt flores commentariorum Pegnæ *fol.* 220. Zanardus *in director. Theol.part.*1.*præc.*1.*c.*3.§.26. Canus *lib.*12.*de locis.c.*11. Albertin.*de agnoſcen quæſt.*61. Simanca *in Cathol. inſtit. tit.*54. Corduba *in quæſtion. lib.*1. *quæſt.*17. Aragon.& Bannez *in* 2.2.*q.*11. *art.*2.Peirinus *in priuileg. Minim.tom.*2.*conſtit.*9.*Paul.V.*§.2.*num.*19. Antonius Ricciullus *tract. de iure perſonarum.&c. lib.*5.*c.*8. Paramus *de orig.S.Inquiſit.lib.*3. *quæſt.*3.*n.*105 *& ſeq.* Suarez *tr.de fide diſp.*19. *ſect.*2.*n* 6. *& ſeq.* Caſtrus *lib.*1.*de iuſt.hæret.punition.c.*3. Turrianus *tom.*1 *in* 2.2.*diſp* 55. *dub.*3.Coninch *de actib ſupernatur.diſp.*18.*dub.*8.*n.*136. *& ſeq.*Malderus *in* 2.2.*quæſt.*11.*art* 2.*memb.*5.Tannerus *tom.*3.*diſp.*1.*quæſt.*8 *dub.*5.*num.*97. Valentia *tom.*3. *diſp.*1.*quæſt.*11.*punct* 1.Molfeſius *in ſum.tom.*1.*tract.*11. *cap.*2.*num.*55. *& ſeq.* Turrecremata *lib.*4.*part.*2.*cap.*11. Caſtrus Palaus *in opere mor.to.*1.*tract.*4.*diſp.*1.*punct.*1. *n.*3. *& ſeq.*& alij penes ipſos.

Non deſinam tamen hîc apponere verba Io.de la Cruz *in direct.conſc.part.*1.*præc.*1. *art.*1 *concl.*3. vbi ſic ait: Inter propoſitiones contra fidem, vt patet ex Concil.Conſtant *ſeſſ* 8. alia eſt hæretica, vtpote quæ clarè conſtat contrariari fidei,vt iſta,Chriſtus non eſt Deus. Alia eſt erronea, quæ eſt contraria veritati fidei,ſed non ita clarè ex defectu euidentis teſtimonij quo illud probetur, & in hoc ſunt gradus. In primo gradu ſunt propoſitiones contrariæ concluſioni Theologicę illatæ per euidentem conſequentiam ex fidei principiis,vt iſta,Chriſtus non eſt riſibilis:imò iſtæ ſunt proximæ hæreſi.In ſecundo gradu ſunt propoſitiones contrariæ doctrinæ Catholicæ vniuerſaliter edoctæ in Eccleſia,vt iſtæ, Monachi ſuo labore tenentur victum comparare, orationes applicatæ per Prælatos, & Religioſos pro aliquo ſpecialiter, non plus illi poſſunt, quàm ſi in communi pro eo offerrentur. In tertio gradu ſunt propoſitiones contrariæ doctrinæ, de qua ſapientes vehementer cenſent quòd ſit veritas fidei. In quarto gradu ſunt propoſitiones,quæ iuxta ſententiam probabilem,& quaſi neceſſariam iudicantur contrariari alicui veritati fidei, vt iſta,Pueris in Baptiſmo non datur gratia,quæ videtur contrariari iſti veritati de fide, Pueri mundãtur in Baptiſmo à peccato originali. Alia eſt propoſitio ſapiens hæreſim,quæ licet poſſit habere bonũ ſenſum,tamen ex circumſtantiis temporum & perſonarum habet ſaporem hæreſis; vt iſta propoſitio, Fides iuſtificat, in D.Paulo, eſt catholica, & prolata à Lutherano, tenente ſolam fidem ſine charitate iuſtificare, ſapit hæreſim. Alia eſt præpoſitio malè ſonãs,& piarum aurium offenſiua, de quo non datur certa regula, ſed arbitrio ſapientum relinquitur: vt iſtæ,Imperatores errarunt dotando Eccleſias bonis ſuis; Magiſteria ſunt vana gentilitate introducta. Alia eſt propoſitio temeraria, vtpote aſſerens aliquid contra communem Eccleſiæ opinionem ſine magna auctoritate: vt quòd Beatiſſima Virgo non ſit in cælum cum corpore aſſumpta. Alia eſt propoſitio ſcandaloſa,quæ licet poſſit habere bonum ſenſum, tamen generat ſcandalum in audientibus.Hæc ille.

Verùm pro coronide huius reſolutionis aduerte cum Michaële Zanardo *in direct.Theol.tom.*2. *præc.*1. *c.*6.*quæſ.*44. quòd quamuis Conc.Trid. ſæpè dicat Epiſcopos contra pronuntiantes ſupradictas propoſitiones,videlicet erroneas,temerarias,&c. procedere debere.per hoc non adimit delegatam poteſtatem inquirendi contra ipſos ab Inquiſitoribus,quia Delegatus eſt maior Ordinario, & Concilium reſpexit duo.Primò quòd vbique ſunt Epiſcopi, in multis autem ciuitatibus non ſunt Inquiſitores, & ideò voluit hoc Epiſcopis proponere, vt ipſi ſciant, quòd vbi non ſunt Inquiſitores, ad eos pertinet contra tales procedere. Secundò, quia Epiſcopi vt Ordinarij contra tales inquirunt, & Inquiſitores vt deleguti, & cauſæ fidei ab vtroque communiter definiuntur,& ideò cùm tales cauſæ faciant ad fidem,quoniam ex inordinatis propoſitionibus incurritur hæreſis, ideò loquendo de Epiſcopo, intelligitur quoque eſſe locutum de Inquiſitore.Hæc Zanardus,quæ ſunt valdè notanda pro caſu ſimili.

RESOL. XCV. *An Inquiſitores poſſint punire Confeſſarios frangentes ſigillum confeſſionis?*

REſpondeo negatiuè, niſi, vt docet Molfeſius *in ſumma tom.*1. *tract.*7. *cap.*23. *num.*68. adeſſet error in intellectu reuelantis, defendendo licitam eſſe reuelationem huius ſigilli, vel aliter malè ſentire de Sacramentis Eccleſiæ, quia in tali caſu cognitio eius criminis ſpectaret ad Tribunal S. Inquiſitionis, vbi non recipiuntur denuntiationes in aliis caſibus; ſed remittuntur ad Iudicem Eccleſiaſticum ordinarium.& ita intelligẽdus eſt Alfonſus de Leone *de officio Confeſſarij tom.*1. *recollect.*22. *n.*12. *caſ.*3. quatenus dicit Confeſſarios frangentes ſigillum cõfeſſionis eſſe Inquiſitoribus denuntiandos.

Notandum eſt tamen hîc obiter, Sacerdoti,qui ſigillum confeſſionis fregit,nullam à iure imponi pœnam, quam de facto incurrat. Sed *in cap.omnis vtriuſque ſexus,de pœnit.* dicitur debere deponi a ſacerdotali officio, & ad agendam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudi. Sed hæc requirunt ſententiam Iudicis. Ita Coninch *de Sacram. diſp.*9. *dub.*4.*n.*70.Sed Doctores qui referunt pœnas infligendas Sacerdotibus ſigillum reuelantibus, plena manu congerit Auguſtinus Barboſa, vir quidem doctus,

doctus, *in collectan.tom.2.lib.5.tit.38.cap.12.num.15.* & Menochius *de arbitrar.lib.2.centur.5.caſ.414.*

RESOL.XCVI. *An Inquiſitores poſſint punire ſumentes in communione maiores, aut plures Hoſtias, ſeu particulas?*

REſpondeo affirmatiuè cum Fernandez de Heredia *in diſp.Theolog.de Sacram. tit.de Euchariſtia diſt.2.part.9.dub.vnic.n.1.* & Io.de la Cruz *in director. conſc.part.2.de ſacram.Euchariſt.quæſt.4.concl.2.* vbi ſic ait: Ex dictis patet contra Caietanum, & Canum, Euchariſtiam non cauſare gratiam toto tempore, quo eſt in ſtomacho, ſicut nec toto tempore manducationis, aliàs eſſet maioris conditionis communicando ſub multis hoſtiis, quod falſum eſt, & puniuntur vt ſuſpicioſi per Inquiſitores, qui ſunt multùm ſolliciti communicare ſub multis hoſtiis, vt diutiùs duret corpus Chriſti in ſtomacho. Ita Ioan.de la Cruz.

RESOL. XCVII. *An Inquiſitores poſſint punire tamquam hæreticum, Confeſſarium aſſerentem pœnitenti, vt ſibi reuelet complicem, aliàs eum non poſſe, nec velle abſoluere?*

AFfirmatiuam ſententiam docet Medina *in ſum.lib.2.c.4.§.1.* quem ſequitur Lopez *in inſtruct. Confeſſ.part.1. cap.27. §.Commendamus quoque.* Vnde putant talem Confeſſarium eſſe denuntiandum, quia hæreſis eſt affirmare, quòd teneatur pœnitens eam circumſtantiam confiteri, nam ſequeretur licitum eſſe infamare proximum.

Sed contrariam opinionem tuetur Villalobos *in ſumm.tom.1.tract.9. diffic.38.n.9.* vbi ſic ait: *Añade Medina, que ſi el Confeſſor dize al penitente no os he de abſoluer, ni puedo hazerlo ſi no me reuelais el complice que el penitente en tal caſo tiene obligacion à denunciarlo como herege en el S. Oficio, porque es herege dezir, que eſta circunſtancia es neceſſaria declararla en la confeſsion, y por el conſiguiente dize, que ſi el penitente viene à confeſſarſe con otro y le dize lo que le paſſo con el primero que no le ha de abſoluer haſta que denuncie al S.Officio como de heregia y trayga recaudo como lo ha hecho aſsi. Pareceme que el P.Maeſtro Medina eſtaua muy colerico que el ſentido de aquellas palabras no es tan rigoroſo como el le haze, que el dezir, no puedo, muchas vezes es el miſmo que no quiero.* Ita ille. & ita etiam hanc ſententiam tenet Coriolanus *tract. de caſ.reſeru.part.1.ſect.3.art.9.n.3.* vbi citat Petrum Nauarra. Et ratio eſt, nam licet ſit hæreſis dicere, non eſſe illicitũ infamare proximum, tamen controuertitur inter DD. an reuelatio complicis in confeſſione ſacramentali facta, ſit infamare proximum, de qua quæſtione vide meipſum *in 1.part.tract.7.de circumſtan.reſol.49.*

RESOL.XCVIII. *An Inquiſitores debeant facere actum publicum in die feſto?*

REſpondeo affirmatiuè. vnde *in inſtruct.Toletana anno* 1561. ſic habetur: *Eſtandos los proceſſos de los preſos votados, y las ſentencias ordenadas, los Inquiſidores acordaran el dia feriado, que ſe deue hazer el auto de la fe, el qual ſe notifique à los Cabildos de la Igleſia y Ciudad, y adonde ſe halla audiencia Preſidente y Oydores los quales ſean combidados para que lo acompañen ſegun la coſtumbre de cada parte.* Ita ibi.

Sed ad ornatum dictorum verborum vide Salzedum *in pract.criminal.Diaz cap.114.lib.1.* vbi ita ait: Fuit aliquando controuerſum, an in die feſto traditio Curiæ ſæculari facienda eſt? & omni prætermiſſa diſputatione ſemper mihi earum Inquiſitionum ritus placuit, in quibus huiuſmodi ſententiæ diebus feſtiuis ſolent pronuntiari. Nam, vt ſcribit Ioan.Andreas *in cap.vt commiſſi, de hæret.in 6.* expedit multitudinem populi congregari ad videndum reorum cruciatus & pœnas, vt inde diſcant timere homines, & à malo committendo longè repellantur. Vnde valdè conueniens videtur, vt hoc publicè & diebus feſtiuis fiat, & fortè propter hoc Hiſpania noſtra publico fidei actu diebus feſtiuis ſolet celebrare, quæ actio tanta auctoritate & maieſtate celebratur, vt videatur horrendum ac tremendum ſpectaculum, & ſic veluti imago futuri iudicij, quo nihil eſſe poteſt ad terrorem incutiendum aptius. ex quo plures vtilitates oriuntur. Ita Salzedus. & reuerà ita eſt. Vide Paramum *de origin. Inquiſit.lib.3.quæſt.4.n.36.*

RESOL.XCIX. *An Inquiſitores poſſint præbere licentiam legendi libros hæreticorum, & quid de Generalibus Religionum in Regnis Hiſpanarum?*

REſpondeo negatiuè cum Sanchez *in ſumma, tom.1.lib.2.cap.10.num.43.* & Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib.1. cap. 21. num.62.* ſolus enim Pontifex poteſt talem licentiam præbere. Vnde neque Collegium Cardinalium Sede Apoſtolica vacante prædictam licentiam poſſe concedere, ait Merolla *in diſputatione Theolog.tom.1. diſput 1.cap.2.diffic.12. num.419.* & alij, quidquid aſſerat in contrarium Vgolinus.

Nota etiam quòd priuilegium Gregorij XIII. factum Generali Societatis IESV ad legendum, vel purgandum libros hæreticorum, vel aliis prohibitos, ſeu etiam ad facultatem dandum pro his, & ſimiles conceſſiones reuocatæ ſunt, tum per priuilegia ampliſſima ſanctæ Inquiſitionis in his Regnis Hiſpaniarum, tum quia Societas ceſſit priuilegio in Congregatione ſancta, & ita obſeruat Emanuel Rodriquez & Hieronymus, ille *in quæſtionum Regularium to.2.quæſt.82.art.3.* iſte *in compend. quæſtionum Regular.reſol.92.n.1.* quibus adde Portel *in dubiis Regular. verſic.librorum prohibitio, n.3.* Vrbanus verò VIII. nouiſſimè annullauit omnes licentias legendi libros prohibitos.

Notandum eſt etiam hîc obiter quòd Hieronymus Rodriquez *vbi ſuprà n.3.* docet, nemini licere libros hæreticos ad ſuas manus deuenientes propria auctoritate comburere, ſed eos ad Inquiſitores deferre tenetur, iuxta conſtit.Iulij III. id præcipientis; aliàs poteſt procedi contra ipſum ac ſi eſſet hæreticus, quod intelligunt aliqui, niſi ex tali manifeſtatione, ſeu traditione reſultet manifeſtanti, ſeu tradenti aliquod graue periculũ ſuſpicionis de hæreſi, tũc enim poſſe tales libros per ſe ipſos comburere affirmant. Id tamen minimè admittendum eſt propter damnum quod ex eo euenire poteſt Catholicæ fidei ac Religioni, non deferendo huiuſmodi

iuſmodi libros ad Inquiſitores, vt inquirere poſſint an vltra traditos alij ſimiles ſuperſint, & an ipſis malè vſi ſint, & à quibus eos acceperint. Ita ille. Sed de hac quæſtione ego alibi fuſiùs egi. non deſinam tamen hîc etiam apponere pulcrum dubiolum. Quæro igitur,

RESOL. C. *An priuilegiatus ab Inquiſitoribus huius Regni Siciliæ ad legendum libros ab ipſis prohibitos, poſſit vti hoc priuilegio in alio territorio, v. g. in Regno Caſtellæ?*

NEgatiuam ſententiam docet Suarez *de legib. l. 8. cap. 26. numer. 8.* quem ſequitur Laurentius Portel *in dubiis Regular. ver. libri prohibiti, nu. 4.* vbi ſic ait: Luſitanus habens licentiam legendi libros ſpecialiter prohibitos in ſola Luſitania, poteſt eoſdem legere vbique exiſtens. Si illi in Caſtella, v. g. non ſunt ſpecialiter prohibiti, non poterit ibi illos legere abſque licentia Tribunalis Caſtellæ pro S. Officio, & ſic è contrà de Caſtellano exiſtente in Portugallia, quia ſunt territoria diuerſa. Vnde priuilegiatus vt portet arma vetita in Portugallia, non eſt priuilegiatus vt portet illa in Caſtella eadem ipſa. Et priuilegium vnius Epiſcopi non poteſt derogare priuilegio alterius Epiſcopi. Ita Portel, ſatis quidem probabiliter.

Sed, his non obſtantibus, affirmatiuam ſententiam tenet Hieronymus Rodriquez *in compend. quæſt. Regular. reſolut. 92. nu. 2.* & ante illum Emanuel Rodriquez *in ſumm. tom. 3. cap. 250. num. 4.* cum Nauarro *tom. 2. tit. de priuileg. conſil. 6.* & ratio eſt, quia hæc facultas nihil aliud continet, quàm gratiam: gratia autem quæ perſonę confertur, perſonam ſequitur, & cum perſona extinguitur. *c. ſanè, de priuil.* Deinde hæc ſententia ſuaderi ex eo poteſt, quòd facultas ab eo data qui iuriſdictione fungitur, non tantùm vim habet in ſuo territorio, quàm in alieno, cùm in hac parte iuriſdictio quæ exercetur in facultate data, non ad contentioſam, ſed ad voluntariam iuriſdictionem pertineat. Sed iuriſdictio voluntaria etiam extra proprium territorium poteſt exerceri, veluti excommunicare, abſoluere, beneficia conferre, litteras dimiſſorias concedere, & ſimilia: ergo, &c. Sed, vt verum fatear, prima ſententia mihi magis placet, non tamen damnarem hanc ſententiam ſecundam ſequentem.

RESOL. CI. *An Inquiſitores poſſint animaduertere in Concionatorem prædicantem, animas non detineri in Purgatorio vltra decem, aut viginti annos?*

ANimas vltra dictum tempus non detineri in Purgatorio, docet Sotus *in 4. diſt. 19. q. 3. art. 2.* Io. de la Cruz *in direct. conſc. part. 2. de ſacram. Pœnit. quæſt. de Indulgent. dub. 2. concl. 3.* Conradus *in reſponſ. caſ. conſcient. tom. 1. q. 118.* & Martin. Viualdus *in candelabro aureo, iuſſu Superiorum emendato,* vbi *in tit. 10. de Purgat. n. 16.* ſic aſſerit: Verum eſt quòd, vt Sotus piiſſimus & Catholicus auctor ait: vix animam vllam eſſe viginti, imò nec decem annis in grauiſſima pœna Purgatorij, quod etiam credo, etiamſi nulla eſſet indulgentia, propter immenſam Dei miſericordiam, & propter tormentorum acerbitatem. Ita Viualdus.

Sed prorſus contrariam ſententiam ſuſtinendam eſſe puto, quam tuetur Bellarm. *de purgat. lib. 2. cap. 9.* Lorichius *in Theſ. ver. Purgatorium, nu. 8.* Coninch *de Sacram. diſp. 11. dub. 4. nu. 38.* Molfeſ. *in ſum. tom. 1. tr. 1. c. 26. n. 111.* & alij. Sed difficultas eſt, an opinio Soti & aliorum ſit erronea, vel digna aliqua cenſura? Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 46. ſect. 4. nu. 6.* negat, & aſſerit eſſe tantùm incertam, & voluntariam. Verùm Naldus *in ſum. ver. animæ, n. 2.* vocat illam periculoſam & erroneam. & Inquiſitores in Hiſpania coëgerunt quemdam Concionatorem hanc ſententiam docentem ſe retractare, vt patet apud Henriq. *lib. 7. c. 16. n. 4.* vbi ſic ait: Quidam prædicant nullam animam detineri in Purgatorio vltra decem, aut viginti annos, cùm pœnæ ſint multò grauiores, quàm huius vitæ, & ſemper intenſæ circa animam iuſtam: at hi non ſine temeritate quadam ex leuibus rationibus loquuntur contra morem Eccleſiæ, quæ pro defunctis & pro certa anima celebrat Anniuerſaria, Miſſas, & Officia vltra 20. annos, nec rigor Dei eſt iniuſtus, ſi ab anima, quæ propriè non ſatisfacit, ſed ſatispatitur, exigat longas pœnas, vt pro vno mortali exigit æternas. Quare illam ſententiam quidam inſignis Prædicator Minorita à S. Inquiſitionis Senatu compulſus eſt retractare, eò quòd retrahat fideles ab operibus ſatisfactoriis, & Miſſis offerendis pro ſuis defunctis. Ita Henriquez, qui in gloſſa *lit. I.* ex Surio notat, quòd quidam Innocentius Papa eſt in Purgatorio detinendus vſque ad diem iudicij.

RESOL. CII. *An Inquiſitores poſſint punire dicentes confeſſos Religioſis ab Epiſcopo approbatis iterùm eadem peccata teneri confiteri Parocho?*

AFfirmatiuè reſpondeo, quia ſic dicentes ſunt ſuſpecti de hæreſi, & ſunt denuntiandi S. Officio, & ita tenet Zanard. *in direct. Theol. part. 1. de ſacram. Pœnit. c. 24.* Alfonſ. de Leone *in tract. de offic. & poteſt. Confeſſ. to. 2. recollect. 10. n. 101.* Peregrin. *in compend. noſtr. priuileg. to. 1. ver. communicare, §. 11.* & Naldus *in ſum. ver. Confeſſarius, n. 29.* & Io. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib. 2. c. 6. dub. 1. concl. 3.* Vnde explodenda apparet opinio Henrici de Gandauo, Hoſtienſis, Archidiaconi, Ioannis Monachi & aliorum, quos refert Adrianus *in 4. quæſt. 5. de Confeſsione,* aſſerentium, quòd qui ex priuilegio confitētur Religioſis, tenenter poſteà debito tēpore ſuis Parochis confiteri eadem peccata, quæ ſemel confeſſi ſunt, vt adimpleant præcepta Innocentij III. *in cap. omnis vtriuſque ſexus,* & ideò obſeruat Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 45. art. 3.* quòd Ioannes de Poliaco, qui pertinaciùs ſupradictam opinionem tenebat, per Ioan. XXII. *anno Domini* 1322. vocatus Romam compulſus eſt palinodiā recantare, ſuumque errorem reuocare, vt conſtat ex quadam Extrauag. quæ incipit, *Vas electionis.* Meritò igitur, vt aduertit Io. de la Cruz *loco cit.* Sixtus IV. commiſit Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis hoc delictum punire.

RESOL. CIII. *An Inquiſitores poſſint animaduertere in frangentes Cedulones, in quibus aliqui declarantur excommunicati, & de aliis caſibus ad S. Officium ſpectantibus?*

REſpondeo quòd Cedulones excommunicationum, in quibus declarantur aliqui excommuni-

municati, deturpantes, ſunt ſuſpecti de hæreſi, & ita in facto fuit deciſum Romæ in caſu contingenti in Curia Archiepiſcopali Salernitana, & contra tales poſſunt procedere Inquiſitores, vt obſeruat inter alios Homobonus *in conſult. moral. part. 4. reſp. 16. vol. 1.* Item facientes Breuia cum characteribus, ſeu litteris ignotis, vel dicentes, ſeu recitantes quaſdam orationes pro ſanandis infirmis, fabricantes imagines cereas, & puncturis eas cruciando ad amorem, vel infirmitates inducendo, vel maleficia faciendo, qui capillos, ferramenta, clauos, lapides, &c. quæ poſteà euomentur ab ore maleficiatorum. Item aſpicientes ſpeculum, aut phialam cum candela & aqua benedicta, & dicentes aliqua verba pro inueniendis furtis, vel ad ſcienda ſecreta, hi omnes ſubduntur iudicio DD. Inquiſitorum. Sicuti etiam ſpretores campanarum, vt quidam olim fuit, qui nocte Sabbathi ſancti abſtulit malleolum à quibuſdam campanis, illum apponendo in arbore nucis; deſpectio enim & contemptus campanarum eſt vnus de erroribus Turcarum. & hæc omnia docet Epiſcopus Viciaquenſis, Aloyſius Riccius *in praxi tom. 1. reſolut.* 423. & alij penes ipſum.

Resol. CIV. *An Inquiſitores poſſint cogere Dominos, & Magiſtratus qui fecerunt aliqua ſtatuta & decreta impedientia eorum iuriſdictionem, vt illa reuocent?*

Reſpondeo affirmatiuè, ex *cap. ſtatutum, de hæret. in 6.* & ex Bullis Alexandri IV. Innocent. IV. & Vrbani IV. & ideò omnia huiuſmodi ſtatuta, ſeu leges directè, vel indirectè, officium Inquiſitionis impedientia, ſunt ipſo iure nulla, neque ſubditi dictis legibus tenentur obedire, vt contra Eccleſiæ Catholicæ leges promulgatis. Vnde Inquiſitores in tali caſu poſſunt ſub pœna excommunicationis & aliis pœnis contra fautores hæreticorum decretis aduerſus tales ſtatuentes procedere, & ita docet Zanardus *in direct. Theol. part. 1. præc... cap. 6. q. 28.* Barboſa *in collect. tom. 3 lib. 5. tit. 2. cap. 10.* Zanchinus *de hæret. c. 31. nu. 6.* Eymericius *in direct part. 3. q. 34.* & *ibi* Pegna *comm. 83.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſit. ver. Domini temporales, num. 5. & in ver. ordinatio, n. 1.* & alij. Item Inquiſitores poſſunt inuocare auxilium brachij ſæcularis pro capiendis hæreticis, & eorum credentibus, tutoribus, &c. ac omnibus aliis de hæreſi damnatis, vel ſuſpectis. Ideò ſi Magiſtratus negligentes, aut contumaces fuerint in hoc auxilio præſtando, poterunt Inquiſitores eos excommunicare, honore priuare, ac aliis pœnis pro qualitate delicti coërcere, ex *cap. vt officium, §. denique, de hæret. in 6. & cap. ad abolendam. §. penult. & cap. excommunicamus. § moneantur, de hæret.*

Notandum eſt etiam hîc obiter incarceratum pro quibuſcũque delictis etiam atrociſſimis apud Iudicem ſæcularem, ſtatim remittendum eſſe ad Tribunal S. Officij quandocumque petitur ob negotium fidei à DD. Inquiſitoribus, ſtante conſtitutione Pij V. cuius meminere Simanca *in fine tr. de Cathol. inſtit.* & Pegna *in addit. ad tr. de ſtrigiis*. Vide etiam Ioſeph Seſſe *de inhibit. c. 30. n. 52. & ſeq.* Verùm ſi aliquis damnatus ad mortem dicit aliquid hæreticum, vt eo prætextu mors differatur, ſi talis anteà de hæreſi non erat ſuſpectus, remittendus non eſt ad Inquiſitores, quia tali dolus, vel fraus patrocinari non debet. Ita Rojas *ſingul. 107. n. 5.* & alij.

Resol. CV. *An Inquiſitores poſſint permittere vt Iudices laici aſſiſtant tantùm in cauſis fidei?*

Scias, amice Lector, quòd Venetiis, vt patet apud Thuanum *lib. 4. hiſtor. anno* 1548. & Michaëlem Rouſel *in hiſt. Pontif. iuriſd. lib. 6. cap. 4. n. 19.* & in toto eorum dominio cum Inquiſitore aſſiſtit vnus ex Senatoribus, & firmiter credo hoc ibi fieri ex priuilegio, ſeu permiſſione Pontificis, nam aliter factum non approbo, quia Inquiſitores non poſſunt hoc Iudicibus laicis permittere, & ideò Michaël Zanardus *in director. Theolog. p. 1. præc. 1. ca. 6. q. 29.* ſic aſſerit: Iudices laici non poſſunt vllo modo de cauſis hæreticorum cognoſcere, intellige iudicando, & aſſiſtendo; ex permiſſione fieri poteſt, non vt votum deciſiuum in ſententiis contra hæreticos latis habeant, ſed tantùm aſſiſtentiam, vt ſint certi, quòd iuſtè contra hæreticos proceditur, quod nec etiam permittendum eſt, niſi vbi Pontifex *hîc* permittit. Ita Zanardus.

Resol. CVI. *Quomodo Inquiſitores ſe gerere debeant in ſententiis ferendis?*

Debent illas ferre in die, & non in nocte, niſi multitudo negotiorum aliter fieri non permittat, & in publico, & in ſcriptis, aliter non valet; non tamen tenentur hæc efficere pro Tribunali ſedendo, & dictas ſentẽtias modo quo *ſuprà* poſſunt per alios proferre, & in ſententiis condemnatoriis exprimendus eſt ſpecialis error, de quo fuit reus notatus, ac criminis inueſtigatio, vt citationes, admonitiones, confeſſiones, probationes, legitimæ induciæ ad pœnitendum competentes, obduratus animus rei in erroribus, & reliqua quæ ad iuſtum proceſſum conficiendũ requiruntur. & hæc omnia docet Pegna *in direct. Inquiſ. part. 3. comm. 40.* & alij.

Nota *hîc* obiter, quòd in determinando qualitatem culpæ contra fidem, anteponenda eſt opinio Theologorum opinioni Canoniſtarũ in proceſſando cauſam, & imponendo pœnam Canoniſtarum opinio præferatur. Ita Azor. *tom. 1. lib. 2. c. 17. q. 3.* Iudicia verò præparatoria tractari ab Inquiſitoribus debent ſecundùm cuiuſcumque Inquiſitionis ſtylum, & in ferenda ſententia, ſi ex parte iuris ſunt diuerſæ opiniones, probabilius eſt teneri Inquiſitores ſequi opinionẽ probabiliorem; quando autem duæ opiniones ex parte iuris ſunt æquè probabiles, illam ſequi debent, quæ magis fauet reo, cùm in dubio ipſi fauendum ſit, & ſi ex parte facti ſecundùm quod probatur, detur æquale dubium, etiam tunc abſoluendus eſt reus.

Resol. CVII. *Notabilia quædam circa Bullam Sixti V. contra ſortilegos in fauorem iuriſdictionis DD. Inquiſitorum.*

Nota primò, non eſſe probandum quod aliqui machinati ſunt prædictam Bullam non tribuere Inquiſitoribus iuriſdictionem ſuper alias ſuperſtitiones, quàm ſuper diuinationes, ſicque accipiunt Sanchez *in ſumma tom. 1. lib. 2. cap. 38. numer. 92.* eſt namque contra expreſſa Bullæ verba, quæ poſſunt intelligi quòd committant eam iuriſdictionem Inquiſitoribus & Ordinariis

cumu-

cumulatiuè, simultaneè tamen more aliorum delictorum, de quibus Inquisitores cognoscunt, siquidem verba tam & quàm eum sensum patiuntur.

Nota secundò, spectato iure dictæ constitutionis, Inquisitores possunt & tenentur se intromittere in superstitionibus saltem sapientibus hæresim, etiam non manifestè, vt patet ex verbis Bullæ, in quibus eis submittuntur omnes incantationes, & similes superstitiones. quæ verba saltem accipienda sunt de superstitionibus sapientibus hæresim, etiam non manifestè. nam Pontifex addit, *etiamsi in plerisque his casibus procedere non valebant*, &c. valebant autem in omnibus sapientibus hæresim manifestè: ergo, &c.

Nota tertiò, quòd non spectat ad Inquisitores in prædictæ Bullæ terminis sortilegiorum, &c. cognitio priuatiuè ad Ordinarios, tum quia semper est in dubio euitanda iuris correctio, tum quia dicta constitutio est odiosa Ordinariis: ergo iurisdictio per eam Inquisitoribus concessa restringenda est ad cumulatiuam. & omnia supradicta docet Emanuel do Valle de Moura *opusc. de ensal. & incant. sect. 3. c.1.n.4.7.8.* vbi etiam notat quòd Suarez *de Relig tom.1 lib.2.c.vlt.n.11.* asserit, superstitiones puras, in quibus non est expressa suspicio hæresis, non pertinere ad Inquisitores, etiam per Bullã Sixti V. Sed hoc, ait Emanuel, cum distinctione accipiendum est. Si enim intelligat de illis quæ aliquo modo specificè, licet non manifestè sapiant hæresim, displicet ob verba Bullæ. Si autem intelligat de nullo modo specificè sapientibus, placet, licet hæ rarissimæ sint. Ita Emanuel *vbi suprà.*

RESOL. CVIII. *An si Inquisitores non ferant sententiam in hæreticum, teneantur restituere aliquid Principi sæculari, ad quem pertinebant bona confiscata dicti hæretici?*

HIc casus ponitur & resoluitur à docto Emanuele do Valle de Moura *opusc. de ensal. & incant. sect. 3. c.1.n.35.* vbi sic ait: Si obiter quæras, an si Inquisitor extra tempus gratiæ, & à fortiori in illo, vel Episcopus data opera hæreticum pœnitentem recipiat ad Ecclesiæ gremium, siue conuictũ alioqui, siue media tantùm illius confessione, nullam interim sententiam directè ferendo, sed admissa confessione & abiuratione in forma eum è carceribus remittendo, an, inquã, teneantur restituere Principi sæculari quantum sibi intererat sententia, qua non lata bona confiscata ad se nequeunt peruenire, & quam Iudices Ecclesiastici ferre tenẽtur? Respondetur negatiuè, quia ius quod fiscus Principis ad hæreticorum bona acquirit, est remotum, & quasi per accidẽs, seu quasi ex hypothesi, si nempe delinquentes in effectu per Iudicem competentem sententia prolata condemnentur: ergo Princeps nec habet ius commutatiuum, vt ea sententia proferatur, nec eum contra iustitiam lædit, qui illam illicitè contra quamcumque virtutẽ impedit. Ita Emanuel, & ego. Vnde puto quòd reus legitimè interrogatus negans veritatem, falsisque testibus se defendens, non tenetur pœnam restituere, qua damnandus erat, quia actor non habet directè ius ad pœnã, sed indirectè & per accidens, media Iudicis sententia. Et ita contra Sotum *de iust. lib.1. q.6. art.9.* Castrum *de leg. pœn lib.2. cap.12.* Molinam *de iust. to.1. tr.2. disp.95.* tenet Aragon. Bannez & Salonius *in 2.2. D.Th. q.62. art.3.* & DD. quos citat & sequitur Sanchez *de matrim. to.3. lib.10. disp.8.n.14.*

RESOL. CIX. *An Inquisitores possint punire Confessarios qui tẽpore Iubilæi absoluunt hæreticos in foro cõscientiæ?*

EX Couarruuia P. Vasquez *in 3. part. to.4. tract. de excommun. dub.19.n.15. & 16.* obseruat, Inquisitores solitos esse punire huiusmodi Confessarios qui virtute Iubilæi, in qua non concluditur in specie crimen hæresis, audent absoluere hæreticos occultos. & ita etiam docet Homobonus *in consultat. mor. vol.1. part.4 respons.19.*

Sed hoc factum displiceret Ioanni Sancio, qui *in selectis disp.44.n.23. & disp.48.n.52.* docet non esse puniendum Confessarium absoluentem aliquem cum opinione probabili, quia res quæ culpa carẽt, in damnum vocari non debent, *cap.2. de constit.* nec sine culpa quispiam puniendus est, cùm nullus sit dignus pœna, nisi ob culpam, ex *l. si putatur ff. ad leg. Aquilam, cap. satis peruersam. dist.56. c. inuentum. 16. q.7.* Sed Confessarius absoluens virtute Iubilæi hæreticum occultum, non committit culpam, quia vtitur opinione probabili, vt est videre apud meipsum *in tr. de absolutione ab hæresi. resol.1.* licet ego teneam opinionem negatiuã: ergo non est dignus aliqua pœna. Vnde Molfesius *in sum. tom.1. tract.7 c.21.n.63.* sic ait: Quòd autem dicunt vt Domini Inquisitores punire soleant Confessarios, non cõstat, & de iure non procedit. Ita ille. Sed ego resolutionem huius dubij remitto prudentiæ DD. Inquisitorum.

RESOL. CX. *An detur casus in quo Inquisitores possint torquere reum, & non imponere abiurationem de vehementi?*

VIdetur negatiuè prima facie respondendum, per ea quæ habentur in Instructione Madriliana *anno 1561. cap.46.47. & 48.* vbi dicitur contra reos, qui per indicia nõ possunt absolui simpliciter ab instantia, seu accusatione, procedendum esse vel per purgationem, vel per abiurationẽ, vel per torturam. Ergo quoties Inquisitores possunt torquere reum, si nolunt, possunt ei imponere abiurationem.

Sed, his non obstantibus, contrarium dicendum est cum Pegna *in direct. Inquis. part.3. comm.39.* vbi sic ait: Non diffiteor euenire sæpè posse vt alia indicia concurrant contra reum, ex quibus non possit tutò imponi abiuratio de vehementi, cùm ea sit grauissima pœna, ob periculum relabendi; ea tamen indicia sufficientia iudicabuntur ad torturam infligendam, quæ non est adeò periculosa, vt per eam indagetur veritas, & ab ore ipsiusmet delinquentis, si fieri potest, habeatur vt tunc seueriùs possit procedi ad iniungendam abiurationem, & alias pœnitentias. Ita ille. Non est igitur absolutè verum, eo ipso quòd reus potest torqueri, quòd possit ei indici abiuratio de vehementi, vt malè olim dicebat quidam vir doctus. nam, vt visum est, aliquando dantur indicia sufficientia ad torturam, & non ad abiurationem de vehementi.

Ad Instructionem verò Madrilianam respondeo quòd loquitur de eo quod communiter accidere solet.

Notandum eſt etiam contra quemdam virum doctum, quòd licet reus fuerit tortus, poteſt ei imponi abiuratio tantùm de leui, vt patet clarè apud Canteram *in qq. crimin. c. 1. de hæret. n. 95.* & Genuenſem *in praxi c. 18. n. 13. & c. 68. n. 12.*

RESOL. CXI. *An per illa verba textus in cap. accuſatus, non ſe intromittant, ſed relinquât ſuis Iudicibus puniendos, poſſint Inquiſitores relinquere reum ſimpliciter, & non remittere Iudicibus vt illum puniant?*

REſpondeo affirmatiuè, & ita docet Emanuel do Valle de Moura *in opuſc. de incant. ſect. 3. c. 6. n. 10.* vbi ſic ait: Verba illa textus, *non ſe intromittant, ſed relinquant ſuis Iudicibus puniendos*, videntur intelligi ita, vt ſi prima facie non appareat in ſortilegio manifeſtus ſapor, non poſſint Inquiſitores cognoſcere, ſed teneantur relinquere rem intactam aliis Iudicibus. Si verò ea qualitas apparuit, & cognouerunt, præuioque examine inuenerunt, non ſubeſſe talem ſaporem, ſeu ſuſpicionem, tenentur reum dimittere impunitum, quantumuis eis conſtet de delicto, ſicut cùm ob blaſphemiam quæ videbatur hereticalis, res examinatur, vel reus capitur, & præuio examine reperitur quidem blaſphemaſſe, ſed non hæreticaliter, tenentur reum dimittere, non quidem remittendo illum ad alios Iudices, vt eum puniant pro tali delicto, ſed eum ſimpliciter relinquendo, iuxta prædictum verbum, *relinquant*, id eſt, dimittât, & non impediant. Iudex autem ad quem punitio ſpectauerit, poterit & tenebitur cognitionem rei aſſumere, & conſtito ſibi quòd ſacrum Tribunal eum propterea tantùm dimiſit, quia delictum non qualificabatur hæreſis ſuſpicione, poterit procedere. Ita ille. Sed quia vix ſortilegus non miſcet, vel credit aliquid ſapiens hæreſim, manifeſtè regulariter eius punitio pertinet de iure ad Inquiſitores. Sed, vt *ſuprà* dictum eſt, de iure nouo per conſtitutionem Sixti V. Inquiſitorum iuriſdictio magis in hoc ampliatur.

RESOL. CXII. *An in dubio ſapiátne ſortilegium hæreſim manifeſtè, poſſint Inquiſitores ſe intromittere?*

AFfirmatiuè reſpondendum eſt ex iure nouo conſtitutionis Sixti V. Difficultas eſt de iure antiquo, per *cap. accuſatus, in §. ſanè.* & negatiuam ſententiam docet gloſſa *ibi*, & alij relati ab Auguſtino Barboſa *in collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 8. n. 24.* Et ratio eſt: Verbum poſitum manifeſtè in clauſula reſtrictiua contenta in dicto §. *ſanè*, quæ, obſeruante Sylueſtro *ver. Hæreſis n. 4.* non poteſt intelligi de dubio, an factum ſit pertractatum, nécne, ſed in dubio an talia ſapiant hæreſim.

Sed contrariam ſententiam iure, ratione, & vſu comprobatam eſſe teſtatur Simanca *in Cathol. inſtitut. tit. 30. n. 2.* & alij penes ipſum, quibus ego addo doctiſſimum & numquam ſatis laudatum Archiepiſcopum Bracharenſem Rodericum Acugna *in tr. de Confeſſ. ſollicit. q. 5. n. 13.* & ratio eſt, quia Iudex etiam delegatus cognoſcit an ſua ſit iuriſdictio. Deinde ſi contraria opinio eſſet ſequenda, ſequeretur quòd Inquiſitorum cognitio facilè ſubuerti poſſet, aſſerente quolibet ſortilegia, vel diuinationes non ſapere manifeſtam hæreſim. Dicendum eſt igitur, quòd in dubio an ſortilegia ſapiant hæreſim manifeſtè, Inquiſitores poſſunt ſe intromittere ad cognoſcendum an ſapiant manifeſtè.

RESOL. CXIII. *An Inquiſitores poſſint punire reum quando dubitatur an ſit baptizatus?*

AD hoc dubium reſpondet Didacus Cantera Murciæ Inquiſitor *in qq. crim. cap. 1. de hæreticis, n. 5.* vbi ſic ait: Sed eſt dubium, quando dubitatur an aliquis ſit baptizatus, poſſit contra eum procedi? & in hoc diſtingue, ſcilicet, aut eſt ille conuerſatus, & natus inter Chriſtianos, & præſumitur in dubio baptizatus, & per conſequens poterit procedi contra eum ſi commiſit aliquam hæreſim: aut eſt natus & conuerſatus inter infideles, & non præſumitur baptizatus, & per conſequens non poterit puniri: aut eſt natus inter Chriſtianos, conuerſatus autem inter infideles, & tunc etiam diſtinguerem, ſcilicet quòd aut ſtatim quòd natus eſt ante annos diſcretionis, eſt captus ab infidelibus, & tunc licet præſumeretur is baptizatus, tamen etiamſi fecerit aliquem actum hæreticum inter infideles, non puniretur, nec procederetur tamquã contra hæreticum, quia non fuit inſtructus in fide Catholica: aut captus fuit poſt annos diſcretionis, & ſciebat fidem Catholicam, & tunc eſſet hæreticus, & puniretur tamquam talis. Iſtam diſtinctionem colliges ex textu, & quæ *ibi* notant DD. *in c. 1. de Baptiſmo*, & ex textu, & quæ *ibi* notant DD. *in c. veniens, §. fin. de Presbyt. non baptizato.* Ita Cantera.

RESOL. CXIV. *An Inquiſitores poſſint & debeant interrogare teſtes an ſint Iudæi, an Sarraceni, &c.*

VIdetur prima facie reſpondendum negatiuè, quia nemo tenetur detegere turpitudinem ſuam, & ita loquens de teſtibus notauit Abbas & Bartolus *in l. 1. ff. de offic. Aſſeſſ.* & hanc dicit communem opinionem Felinus *in cap. cùm cauſam, de teſtibus, num. 44.*

Verùm, his non obſtantibus, affirmatiuè reſpondendum eſt, quia, vt obſeruat Didacus Cantera *in quæſt. crimin. cap. 2. de vera confeſſione, n. 41. fol. mihi 95.* in crimine hæreſis ſolet interrogari teſtis, an ſit ex genere Iudæorum, vel Sarracenorum? & ſic obſeruatur & practicatur, quod durum videtur; tamen ſuſtinetur ratione fidei, & fundatur in quadam Inſtructione Inquiſitionis in nouis, & de iure poſſet benè ſuſtentari, quia eſt maxima præſumptio contra deſcendentem ex Iudæis, vel Sarracenis, quando tractatur de fide, & cùm ſit ex genere Sarracenorum, vel Iudæorum, præſumitur quòd non dicit veritatem contra eos, qui ſunt eiuſdem generis, vt experientia docet, ideò benè poteſt interrogari teſtis de genere Sarracenorum, vel Iudæorum, vel non. nam cùm ſit teſtificatus de hæreſi, ſaltem ſemiplenè, antequam capiatur, & hac de cauſa poteſt interrogari de delicto principali, cùm ſit teſtificatus, nimirum ſi poſſet interrogari de genere, cùm ſit multùm annexum cauſæ principali, & hoc poteſt probari ex textu *in cap. quia veriſimile.* & quæ *ibi* tradunt DD. *de præſumpt.* Hæc omnia Cantera.

RE-

Resol. CXV. *An Inquisitores possint recipere testes ad perpetuam rei memoriam ad instantiam Fiscalis, vt postea faciant fidem contra reum?*

VIdetur negatiuè respondendum, ex *gloss. 3. in cap. quoniam frequenter, vt lite non contestata*, vbi declarat textum, scilicet quòd *ibi* dicitur quòd possunt recipi testes ad perpetuam rei memoriam, etiam lite non contestata, vt intelligatur in causis ciuilibus, non autem in criminalibus. Vnde infertur quòd testes recepti in summario iudicio non faciunt fidem in plenario iudicio, etiam in criminibus exceptis, cùm sint recepti ante litem contestatam. Ita Bartol. *in l. fin. ff. de quæst.* Felinus *in cap. 2. de testibus*, & alij.

Verùm, his non obstantibus, in fauorem fidei affirmatiuam sententiã tenendam esse puto, vnde hìc apponam verba doctissimi Didac. Canteræ *in quæst. crimin. cap. 2. de probationibus per testes, quæst. 1. num. 46.* vbi sic asserit: Sed an habeat locum in causa hæresis, cùm sit causa criminalis, scilicet quod testis examinatus ad perpetuam rei memoriam ad instantiam Fiscalis faciat fidem postea contra illũ, contra quem deponit. v. g. Aliquis testis qui dixit contra alium, condemnatur & relaxatur ad Iudicem sæcularem, vel mittitur ad triremes, vel se absentat, postea capitur reus, an in plenario iudicio contra reum si non inuenitur, faciat fidem contra talem reum, contra quem fuit examinatus ad perpetuam rei memoriam, ad instantiam & petitionem Fiscalis. Et in hoc casu credo quòd faciat fidem saltem in crimine hæresis. Et licet certè talis testis non diceretur testis omni exceptione maior, & sic durum mihi videretur quòd per talẽ testem poneretur quis ad torturam, tamen in hoc iudicio Inquisitionis seruatur quòd per talem testem quis poneretur ad torturam, si aliàs testis deponeret verisimilia, & daret rationẽ sui dicti, præcipuè quando alia, licet minima, præsumptio esset contra reum. Hoc fuit sic determinatum in Consilio supremo Inquisitionis, & vidi quamdam epistolam, per quam ipsi mandant quòd talis testis faciat plenam fidem, & per talem testem procedatur, si aliàs testis diceret verisimilia, & redderet rationem sui dicti. Et certè hoc videtur prouisum in fauorem fidei, per text. *in cap. in fidei fauorem de hæret. in 6.* licet mihi semper visum est durum vt testis examinatus ad perpetuam rei memoriam faciat plenam fidem si non examinatur in plenario. Tamen, vt dico, ego vidi practicari in Inquisitione Regni Galiciæ, vbi quidam Monachus deposuit contra propriam matrem, & ex eo quòd habebat mandatum à Superiore, vt se conferret in Italiam, ex hoc fuit examinatus, & ratificatus ad perpetuam rei memoriam, & valuit eius dictum, ex quo fuit capta mater, & processum fuit contra eam. Hæc omnia Cantera, quæ sunt valdè notanda à DD. Inquisitoribus.

Resol. CXVI. *An Inquisitores ex indiciis & præsumptionibus indubitatis possint punire reum pœna ordinaria?*

NEgatiuè prima facie videtur respondendum ex doctrina Innocentij *in cap. quia verisimile, de præsumpt.* vbi tenet quòd quando quis condemnatur ex præsumptionibus in criminalibus non datur pœna ordinaria delicti. Vide etiam Angelum *in l. 2. de furtis*, & Ananiam *consil. 59. col. 2.*

Sed his non obstantibus, in casu hæresis contrarium dicendum est. Vnde Didacus Cantera *in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes q. 1. nu. 60.* sic asserit: In crimine hæresis probato facto ex quo resultat indubitatum indicium, benè datur pœna ordinaria delicti. v. g. aliquis facit aliquam ceremoniam Iudæorum, cùm sit ex eorum genere, & idem si faceret aliquam ceremoniam Mahometanam cùm sit de genere Maurorum, certè ex isto facto cùm ille sit ex illo genere, resultat præsumptio indubitata, vel indicium indubitatum quòd fuit propter obseruationem illius legis, vel sectæ, & sic si est negatiuus, pertinax, datur pœna ordinaria hæresis, per textum *in cap. ad abolendam, de hæret.* Ita Cantera, & in his terminis loquitur Simanca *in Cathol. institut. c. 49. nu. 3.* vnde hæc mente teneant DD. Inquisitores, quia quotidiana erunt, vt obseruat Cantera *loc. cit.* qui etiam videndus est *in quæst. 6. vbi suprà, nu. 2.*

Resol. CXVII. *An Inquisitores in causa appellationis debeant admittere oppositiones testium?*

NEgatiuè aliquis respondebit ex auctoritate Andreæ Isernię, & Guidonis Papæ *in decis. 500.* asserentium quòd de iure in causa appellationis non admittuntur oppositiones.

Sed quidquid sit in aliis causis, in causa hæresis, in qua proceditur de plano, & sine strepitu iudicij, Didacus Cantera *in qq crim. c. de probat per testes, § de plena probatione, n. 58.* credit quòd reus admitti debet ad opponendas & probandas oppositiones contra testes primæ instantiæ, etiam in causa appellationis, vbi habuerit locum appellatio, etiam in quacumque parte, quamuis fuerit post appellationem vsque ad sententiam, cùm non assignetur terminus ad opponendum contra testes. Est verum quòd si esset post conclusionem in causa ex rigore iuris, non admitteretur, sed ex clementia & misericordia Iudex ex officio posset admittere, quia Iudices in hoc iudicio debent inquirere defensiones reorum, & hoc est quod dicit Instructio in nouissimis. Ita Cantera.

Instructio verò quam ipse citat, est Instructio Madriliana *anno* 1561. vbi *n.* 38. sic ait: *Luego los Inquisidores con diligencia se ocuparan en tomar las defensas que el reo tiene pedidas, y que le pueden reuelar recibiendo, y examinando los testigos de sus abonos, y los que presentare para prouar las tachas de los testigos que contra el reo depusieren y haran con muy gran diligencia todas las cosas que conuengan a la liquidacion de su inocencia con ygual cuydado que huuieren echo lo que toca a la aueriguacion de la culpa, teniendo gran consideracion a que el reo por su prision no puede hazer todo lo que hauia menester y haria si estuuiesse en su libertad para figuir su causa.* Sic ibi.

Resol. CXVIII. *An Inquisitores propter cædes infantium debeant tradere striges & lamias Iudicibus sæcularibus?*

VIdetur affirmatiuè respondendum, ex auctoritate Ambrosij de Vignate *quæst. de strigibus, art. 2. § si verò dicunt*, &c.

Sed contrariam ſententiam,& meritò,tenet doctus Pegna *in ſuis notis ad ſupradictum Ambroſium de Vignate loc.cit.* vbi adducit verba Petri Duſini generalis Inquiſitionis Aſſeſſoris, & S. Pœnitentiariæ Datarij, ſic aſſerentis: Quamuis Auctor mallei maleficarum, & Syluester teneant, lamias ob infanticidia etiam in primo lapſu tradi poſſe curiæ ſæculari, & ita aliquando obſeruatum ſit in certis Inquiſitionibus particularibus, & præſertim Pedemontanis, vbi multùm inualuit hæc peſtis: non conſueuit tamen hoc S. Officium illas tradere,nec aliter punire, quàm ſacri canones puniri mandent Apoſtatas à fide Chriſti. Si tamen Iudex ſæcularis illas priùs Officio Inquiſitionis conſignaſſet, ſuſpenſa aliorum criminum cognitione,expedita hæreſis cauſa ſanctum Officium debet ac ſolet eidem Iudici illas reſtituere, de quo extat etiam particularis conſtitutio Pij V.

Obſeruatum eſt etiam aliquando quòd propter frequentiam homicidiorum, & aliquas circumſtantias aggrauantes,lamiæ facta abiuratione,conſignantur de mandato Sanctiſſimi Iudici ſæculari, qui proceſſum format de nouo ſuper eiſdem homicidiis,vt quas reperit culpabiles, puniat ſecundùm leges.Ita Duſinus,Pegna,& ego.

Vide etiam eumdem Pegnam *in Paralipomen. ad tract.de ſtrigibus Bernardi Comenſis.*

Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd ſi lamiæ & ſtriges vulgò dictæ *Bruxæ*, ſe ſponte detulerint, etiamſi à noſtra fide aberraſſent, & ex animo apoſtataſſent, admittuntur ad reconciliationem, neque earum bona confiſcantur, neque habitus pœnitentialis eis imponitur. & ſi hæ poſt abiurationem relabantur,in Inquiſitione Hiſpaniæ, admittuntur ad reconciliationem bis,& ter,teſte Caſtro Palao *tom.1.tract.4.diſp.8.punct.16.§.5.nu.3.* qui citat Inſtructionem Madrilianam *anno 1613.n.14.*

RESOL.CXIX.*An Inquiſitores per Bullam Sixti V. cognoſcant de ſortilegiis omnibus priuatiuè quoad Epiſcopos?*

DIximus *ſuprà* per Bullam Sixti V. Inquiſitores hodie cognoſcere de ſortilegiis etiam non ſapientibus hæreſim. Quæritur modò, an hæc cognitio ſit illis tributa priuatiuè quoad Epiſcopos?& reſpondeo negatiuè cum Ioanne Franciſco Leone Epiſcopo Theleſino *in lib.de ſortilegiis cap.* 8. vbi ſic aſſerit:Ex conſtitutione Sixti V. poſſunt Inquiſitores cognoſcere de ſortilegiis,non tamen priuatiuè quoad Epiſcopos, imò cauſas ſuperſtitionum, incantationum, veneficiorum & blaſphemiarum Epiſcopi cognoſcere, & niſi ſapiant manifeſtè hæreſim abſque Inquiſitorum interuentu illas poſſunt decidere,definire,& terminare, per textum *in cap. accuſatus.de hæret.in 6.* Et ita cenſuit ſacra Generalis Congregatio Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis *ſub die 21. Decembris, anno 1602.* Quamuis enim per dictam conſtitutionem Sixti V. fuerit Inquiſitoribus attributa iuriſdictio cognoſcendi de cauſis ſortilegiorum,ſuperſtitionum,veneficiorum & incantationum, etiam quòd aliàs de præmiſſis non cognoſcerent; non tamen fuit Ordinariis reſtricta facultas, quin liberè in cauſis huiuſmodi, vt priùs, dummodò non hæreſim manifeſtè redoleant,procedere poſſint, cùm id ex iuris communis diſpoſitione illis ſit attributum.Ita ille,& alij.

RESOL. CXX. *An ſoli Inquiſitores poſſint in cauſis lamiarum procedere?*

AD hoc dubium reſpondet Franciſcus Pegna *in Paralipomena, ad tractat. de ſtrigibus Bernardi Comenſis*, vbi ſic ait:Si quæras an ſoli Inquiſitores in cauſis lamiarum procedere poſſint, ſecus ac fiat in cauſis hæreticorum, vt *in cap.per hoc, de hæret.in 6. Extrauag.ex eo,de hæret. Clement.1. de hæret.* reſpondebo tutius quidem eſſe ac decentius vt Inquiſitores perinde in cauſis lamiarum ac in cauſis hæreticorum procedant, & proceſſus conficiant requiſitis Diœceſanis ſecundùm iuris diſpoſitionem *in locis proximè citatis.* nihilominùs tamen ſi ſoli velint procedere,id quidem facere poſſunt,& quod ſoli procedentes fecerint ac decreuerint ſiue condemnando,ſiue abſoluendo,id validum erit, ſicut conſtat ex conſtitut.Alexandri VI. directa ad Angelum de Verona Inquiſitorem,cuius tenorem ponit per extenſum Pegna *loco citato.*

Non delinam tamen hîc adnotare quod praxis S.Inquiſitionis Hiſpaniæ obſeruat vt Inquiſitores ſimul cum Epiſcopo in cauſis hæreticorum contra lamias & ſtriges procedant.

RESOL.CXXI. *An Inquiſitores poſſint relaxare aliquem brachio ſæculari, inconſulto ſupremo Senatu Inquiſitionis?*

REſpondeo negatiuè, per verba Inſtructionis Toletanæ *anno 1561.numer.66.* vbi ſic ait:*Offreciendoſe caſos muy graues no ſe deuen executar los votos de los Inquiſidores Ordinarios y Conſultores aunque ſean conformes ſin conſultarlo con el Conſejo como ſe acoſtumbra hazer y eſta prouеydo.* Sic ibi. Ex quibus verbis Molina *de iuſt.tract.5.diſp.28.n.14.* ſic ait:Nullus relaxatur brachio ſæculari Senatu ſupremo inconſulto, etiamſi vota Inquiſitorum, Ordinarij ac conſultorum omnino conſentiant,quoniam id inter cauſas grauiſſimas computatur. Ita ille. qui citat Pegnam *in direct.part.3.comment.96.*

Notandum eſt etiam quod Caſtrus Palaus *in opere morali tom.1.tract.4.diſp.8.punct.13.§.2.numer.5.* aſſerit: In Hiſpania ſancitum eſſe vt Inquiſitores particulares nullum Religioſum, nullúmve nobilem,aut aliqua ratione inſignem comprehendant, quin priùs certiorem faciant Inquiſitorem generalem,& eius ſupremum Senatum, miſſis ad eos indiciis & probationibus habitis contra talẽ reum, & ex eorum præſcripto procedatur, & non aliter. à qua regula ſolùm eſt excipiendus caſus periculi, fugæ,vel alterius grauis mali.Sic ille.qui citat Molinam & Pegnam *vbi ſuprà*,cum Simanca *in Cathol. inſtitut.tit.34.nu.33.* & vſus ſupradictus in Hiſpania circa capturam ſupradictarum perſonarum procedit ex verbis ſupradictæ Inſtructionis Toletanæ *n.5.*vbi ſic habetur:*Si los Inquiſidores fueren conformes en la priſion manden la hazer como lo tuuieron acordado, y en caſo que el negocio ſea calificado por tocar à perſonas de calidad ò por otros reſpectos conſulten al Conſejo.* Ita ibi.

ibi. Sed nos de hoc etiam alibi *suprà* aliqua adnotauimus.

RESOL. CXXII. *An pertineat ad Inquisitores cognitio ensalmorum, & possint punire ensalmatores?*

ANno circiter 1613. orto dubio inter Olysipponensem Archiepiscopum & Tribunal Inquisitionis, cuinam potiùs vtriuslibet incumberet cognitio & punitio ensalmatorum? Consultus Paulus V. respondit in hæc verba: Seruetur ius commune. Hinc doctus Emanuel do Valle de Moura *opusc. de incant. & ensal. sect. 3. cap. 1. per totum*, probat ensalmorum cognitionem pertinere ad Inquisitores saltem cumulatiuè, etiam quando non sapiunt hæresim manifestam, stante constitutione Sixti V. Vide Hieronymum Llamas *in 3. part. methodi, cap. 3. tit. Incantatores. §. ad secundum.* vbi expressè dicit Inquisitores esse Iudices ensalmorum, sed quando occurrit talis casus, legant Inquisitores supradictum auctorem *loc. cit. cap.* 5. qui latè tractat hanc materiam, & docet, quinam ensalmi sapiant hæresim manifestè, hodieque de iure practicato subdantur Inquisitoribus.

Hinc deducitur contra malleum maleficiorum *part. 3. q. 1.* & Valentiam *tom. 3. disp. 6. q. 13.* delictum ensalmorum non esse mixti fori respectu Magistratus sæcularium, etiam quando saperent hæresim manifestè, sed, vt diximus, pertinere ad Inquisitores, priuatiuè ad Iudicem sæcularem, ex *c. accusatus, de hæret. in 6.* quod non intelligitur de solis formaliter hæreticis, sed de quibusuis etiam suspectis de hæresi. & in specie quòd dictus textus comprehendat etiam dicta, vel facta hæresim sapientia, notat Emanuel *vbi suprà num. 33.* vbi optimè asserit quòd opus, vel dictum suspectum de hæresi manifestè, facienque operantem, vel dicentem suspectum de vehementi, indubitanter reponit rem in causa & iudicio hæresis.

RESOL. CXXIII. *An Inquisitores per tres, vel quatuor testes minùs idoneos possint punire reum pœna ordinaria, si simul adsint aliæ coniecturæ, circumstantiæ, vel adminicula?*

NEgatiuè respondet Almon Ciazzius *in suis disceptationibus criminalibus, discept. 17. nu. 46. vsque ad n. 50.* quia testis inhabilis non potest suppleri per alios testes inhabiles, quoniam quod nihil est, supplementum non recipit. *l. sed si manente, ff. de precar.* & testium inhabilitas vt suppleatur ex dicto alterius, requiritur vt testis supplens non sit inhabilis, vt tenet Aymon *cons. 99. n. 10.* Corn. *lib. 2. cons. 172. n. 20.* & ex pluribus imperfectis non potest oriri perfectum, Bec. *cons. 85. n. 20.* & alij.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam esse veram praxis & Doctorum auctoritas docet. Vnde Antonius Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 13. num. 13.* sic ait: Testes inhabiles licet regulariter non sufficiunt nisi ad inquirendum ad torturam, & ad pœnam extraordinariam; si tamen magnus sit eorum numerus, & adsint coniecturæ sufficientes, suppletur eorum defectus, & potest imponi pœna ordinaria. Ita ille. & Castrus Palaus *in opere morali tom. 1. tractat. 4. disp. 8. punct. 15. §. 4. n. 1.* sic asserit: Depositio vnius testis inhabilis rarò ad torturam sufficit, nisi aliis adminiculis & præsumptionibus grauibus adiuuetur. Depositio duorum sufficiet ad torturam, vel ad condemnandum reum in pœna extraordinaria; trium, vel quatuor depositio ad condemnationem ordinariam sufficiet, quia multitudine deponentiū inhabilitas illorum reparatur. Hæc Castrus *vbi suprà*, & ante illū Rojas *singul. 188. n. 11.* Læsius Zecchius *in summ. tom. 1. c. 11. de hæresi, num. 14. ver. admittuntur.* Pegna *direct. part. 3. comment. 113.* & alij, & hæc opinio desumitur ex *c. in fidei fauorem, de hæret. in 6.* Vnde Rojas *singul. 200. n. 3.* ex verbis dicti capituli infert, & docet quòd in crimine hæresis quamquam causa sit criminalis, & ardua, numerus testium in fauorem fidei defectum eorum & qualitatem supplet. Vide etiam Binsfeldium *de confess. malef. membr. 2. conclus. 7.* & Delrium *in append. 2. ad disquis. magic. lib. 5. quæst. 12. in fine.*

Notandum est etiam hîc à DD. Inquisitoribus, quod numerus testium supplet eorum defectus, etiam ad effectum, quòd censeantur omni exceptione maiores. Ita Gregorius XV. *in decis. 351. nu. 4. & 5.* quod procedit, etiamsi omnes patiantur exceptiones. Ita Cæsar de Grassis *decis. 175. num. 9.* licet quoad hoc vltimum contradicat Cacheranus *cons. 64. n. 3.* & Bursatus *lib. 3. consil. 321. n. 31.*

RESOL. CXXIV. *An si reus nihil testibus opposuerit, teneantur adhuc Inquisitores inquirere qualitates & vitam testium?*

VIdetur quòd non, quia fiscus qui producit testes, habet præsumptionem iuris pro se, cùm omnes testes præsumantur idonei, & omni exceptione maiores, vt dicit glossa *in c. 1. de testib.* & standum esse dicto testium, si nihil in persona eorum opponatur, aut obiectum fuerit, vt patet ex *cap. præsentium, de testibus.* Vnde in sacro Inquisitionis Tribunali, licet ad condemnandum reos necesse sit vt testes sint omni exceptione maiores; attamē fiscus hoc non articulat, neque probat testes ad sui instantiam productos esse tales, quidquid asserant Doctores, quos citat & sequitur Almon Ciazzius *in disceptationibus criminalibus, disceptat. 22. nu. 27.* vbi ex Decio, Parisio & aliis docet, quòd vbi requiritur testis omni exceptione maior, de necessitate fiscus articulare & probare debet ipsum esse talem, aliàs probatio non releuat.

Verùm licet, vt dixi, hoc in Tribunalibus Inquisitionis non seruetur, tamen negandum non est, debere Inquisitores etiamsi testibus à reo nihil opponatur, inquirere vitam eorum, conditiones & qualitates. Vnde doctissimus Inquisitor Albertinus *in cap. 1. de hæret. in 6. quæst. 16. numer. 28. & seq.* postquàm probauerat, quòd standum est dicto testium, si nihil in personas eorum sit obiectum à reo, nihilominùs ait *in num. 32.* Iudex debet etiam, reo non petente, nec opponente, animum suum informare de conditione testis, præsertim in causis fidei, quoniam nomina testium non reuelantur, vt possit ipse Iudex adhibere, vel non adhibere fidem testibus, visa illorum conditione. Sic Albertinus. & ita olim in vna consultatione reus inquisitus de quadā hæresi formali, cùm nihil opposuerat contra testem,

teſtem, fiſcus inſtabat torquendum eſſe. nam teſtis, vt dictum eſt *ſuprà*, cenſetur idoneus, & omni exceptione maior, ſi reus aduerſus illum nihil opponat: vnde tunc ego petendo nomen ſupradicti teſtis, inueni illum hominem criminoſum, vnde reus pro illa hæreſi ad torturam minimè poſitus fuit. Vnde DD. Inquiſitores videant Campegium *in annot. ad Zanchinum, c. 13. lit. B. ver. de aliis verò inimicitiis*, vbi doctè, vt ſemper ſolet, de hac obligatione Inquiſitorum pertractat.

Non deſinam tamen hîc obiter adnotare cum docto Simanca *in enchirid. tit. 35. n. 23.* quòd contra teſtes in cauſa hæreſis non excipiuntur exceptiones, niſi tales ſint illæ, quæ illos penitus refellant, videlicet inimicitiæ capitales, coniurationes, ſubornationes, & alia eiuſdem generis, nam ceteræ fidem teſtium eleuant, ſed eam prorſus non tollunt. Ita ille.

RESOL. CXXV. *An Inquiſitores poſſint examinare reuelationes mulierc ularum, & aliorum?*

REſpondeo affirmatiuè: vnde Emanuel do Valle de Moura *in opuſc. 2. de incantat. & enſal. ſect. 2. c. 3. n. 19.* ſic ait: De reuelationibus mulierc ularum ſuſpectiſſimè loquuntur auctores, tamquam multis mirandiſque hypocriſis, & fictionis earum exemplis edocti, & Riccardus de S. Victore eas ſubiicit Inquiſitionis officio. Ita ille. & ante illum Simanca *in Cathol. inſtit. tit. 21. n. 25. & 29.* quando verò dictæ reuelationes examinandæ erunt per DD. Inquiſitores, videant Raphaelem de la Torre *in 2. 2. D. Thomæ tom. 2. q. 95. art. 2. diſp. 3. per totam*, vbi latiſſimè & doctè, vt ſemper ſolet, hanc materiam pertractat, & dat regulas ad cognoſcendum, quando reuelationes ſunt à Deo, vel à dæmone.

RESOL. CXXVI. *An in Regnis Hiſpaniarum ſolùm Inquiſitores poſſint publicare edicta fidei, & non Epiſcopi?*

QVidquid ſit de aliis locis, quoad Regna Hiſpaniarum, reſpondeo id ſolùm ad Dominos Inquiſitores ſpectare, & ita docet Molina *de iuſtit. tr. 5. diſp. 28. n. 13.* & quia verba ſunt notabilia in fauorem iuriſdictionis Inquiſitorum, illa per extenſum hîc apponam. Sic itaque ait: Cùm experientia compertum ſit, multa ac grauia incommoda ex eo ſequi quòd Epiſcopi proceſſus contra reos circa fidei negotium forment, præſertim ob ſecretum, quod maximè refert haberi ac ſeruari, vſu eſt receptum, vt ſoli Inquiſitores proceſſum forment, atque contra delinquentes ipſi ſoli procedant, & vt rei Inquiſitorum iuſſu comprehendantur, in ſoloque Inquiſitorum carcere detineantur. Quòd ſi Ordinarij aliud circa hoc efficere aggrediantur, nec deſiſtant, certior fit Inquiſitor Generalis, ad eoſque ſcribit vt deſiſtant, & vt deinceps ſimile quid non efficiant, quoniam fidei negotio id non expedit, quòd ſi non parerent (quod inauditum hactenus eſt) Inquiſitor Generalis Pontificem certiorem efficiat. quin audio, neque Ordinariis permitti, vt edicta proferant, quæ ad fidei negotium pertinent, quoniam expedit eiuſmodi denuntiationes fieri ſolis Inquiſitoribus, & Commiſſariis ab ipſis deputatis, propter eamdem rationem. Poſtquàm verò hæc ita ſcripſi, à fide dignis accepi literas Apoſtolicas eſſe in Hiſpaniis, quibus præcipitur, vt hæc Epiſcopi, & alij Ordinarij Inquiſitoribus relinquant, neque in eis ſe intromittant. Si quæ verò Ordinarij reperiant, efficere debent illis de rebus ſummariam informationem, eamque ad Inquiſitores debent tranſmittere. Si item expediat delinquentem circa cauſas fidei comprehendere ne fugiat, comprehendere illum poſſunt Ordinarij, & tranſmittere ad Inquiſitores, aut illos certiores facere, vt ad ſuum carcerem adducant. Hæc omnia Molina, vide *ſuprà in reſol. 2.*

RESOL. CXXVII. *An Inquiſitores habeant poteſtatem erga exemptos quoad corpora, imagines, tabellas, &c. quæ locis publicis, ſeu priuatis apponuntur?*

REſpondeo affirmatiuè ex conſtit. Vrbani VIII. *die 2. Octobris* 1625. vbi in fine ſic habetur: Vt autem præmiſſa diligentiùs obſeruentur, tam Ordinariis, quàm hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus diſtrictè præcipimus, vt in ſua quiſque diœceſi, vel prouincia ſedulò peruigilet, ne ſine approbationibus prædictis imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliáve contra ſuperiùs diſpoſita fiant. Tranſgreſſores verò ſi Regulares fuerint, priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, &c. Hanc conſtitutionem inuenies apud Tamburinum *de iure Abbatum tom. 1. diſp. 15. q. 7. numer. 53.* vbi ponit dicti Vrbani VIII. declarationem ſupradictæ conſtitutionis.

RESOL. CXXVIII. *An Inquiſitores poſſint punire Aegyptianas, vulgò dictas* Zingare, *quæ bonam, vel malam fortunam, vt ipſæ aſſerunt, diuinant?*

DE hac viliſſima gente eruditè, vt ſemper ſolet, pertractat Franciſcus Ferdinandus de Corduba *in didaſcal. cap. 50. per totum*, vbi notat Carolum V. in Germania, & Ferdinandum Regem in Hiſpania iuſſiſſe hanc gentem ab iſtis Regnis abire; & ſupradictas feminas, vel viros poſſe Inquiſitores punire, docet Villadiego *in polit. cap. 5. §. 20. n. 30.* vbi ſic ait: *Los Inquiſidores caſtigan a las Gitanas que dizen la buena ventura.* Ita ille, & ego.

RESOL. CXXIX. *An Inquiſitores poſſint punire reum pœna ordinaria, ſi cum teſte inhabili concurrat alius teſtis valdè dignus?*

AFfirmatiuè videtur reſpondendum ex auctoritate Franciſci Pitigiani *in pract. crimin. canon. part. 2. cap. 1. fol. mihi* 145. vbi ſic ait: Si alter teſtis ſit valdè dignus, poteſt ſupplere defectum, qui eſt in altero minùs idoneo, ita vt ſimul efficiant plenam probationem, vt tenet Baldus *in l. ſi quis ex argentariis, §. 1. ff. de eden.* & alij Doctores *ibidem*. Sic Pitigianus. Vide etiam Ghiſlerium *de Iudice Regulari ca. 17. num. 46.*

Sed ego puto DD. Inquiſitores non debere diſcedere à contraria ſententia quam docet Portel *in dub. Regul. ver. Teſtis, num. 10.* & Pegna *in direct. part. 3. comment. 113.* & alij, quia ex dignitate vnius, non reparatur alterius defectus, niſi cum vtriuſque depoſitione aliæ circumſtantiæ & indicia concurrerent,

&

& hanc opinionem tenet etiam Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 19. n. 2.*

Notandum est etiam hîc obiter quod Hippolytus de Marsiliis *in pract. crimin. §. diligenter, n. 17.* & alij docent, quòd si testes singulares sint valdè digni viri, nobiles, & egregiæ personæ coniunguntur, faciunt plenam probationem contra reum. Sed ego contrariam sententiam teneo cum docto Canteta *in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 5. n. 3.* quem omnino vide. Vide etiam Campegium *in addit. ad Zanchinum cap. 13. lit. C.*

RESOL. CXXX. & vlt. *An Inquisitores teneantur antequàm interrogent reos, manifestare infamiam, indicia, vel semiplenam probationem esse contra ipsos, vt intelligant legitimè interrogari?*

SVppono ex probabiliori sententia, reum non teneri respondere & veritatem dicere antequàm aliqualiter sibi constet processus, acta, & Iudicem iustè & legitimè interrogare. & ita docet Caietanus *in 2. 2. quæst. 69. art. 2.* Sotus *de iustit. lib. 5. quæst. 6. art. 2.* Nauarrus *in manuali cap. 25. num. 33.* Bernardus Diaz *in praxi crimin. cap. 126.* & *ibi* Salzedus Aragon. *in 2. 2. quæst. 69. art. 2.* Aualos *in direct. part. 2. c. 14. num. 30.* Miranda *in ordine iudic. quæst. 18. art. 7. concl. 1.* & ego alibi cum multis aliis. Vnde sequitur, quòd vt reus teneatur veritatem dicere, debet Iudex ei statum processus, & quòd ipse procedit iuridicè, notificare. Vide Suarez de Paz *in praxi tom. 5. part. 5. cap. 3. n. 14.*

Verùm cùm hæc omnia vera sint, tamen non procedit hæc sententia in causa hæresis, & sic Inquisitores non tenentur ad supradicta: vnde doctus Ludouic. Peguera *in praxi crimin. cap. 12. §. 5. num. 13.* sic asserit: In criminibus exceptis, vt sunt hæresis, crimen læsæ Maiestatis, & proditio ciuitatis, non est necessum, vt reis à Iudicibus ius suum, quod habent ipsos interrogandi, reueletur. Non enim tanta infamia, aut tanta solemnitas in his criminibus, quanta in priuatis ad reos, vel testes interrogandos requiritur. Nam in horum criminum inquisitione procedi potest simpliciter, & de plano, & absque strepitu & figura iudicij, vt habetur *in cap. 5. de hæret. in 6.* Hæc Peguera *vbi suprà.*

DECRE-

DECRETA
ET
CONSTITVTIONES
RECENTIORVM PONTIFICVM,
Ad Tribunal S. Officij ſpectantes.

LECTORI BENEVOLO.

CVM Doctiſſimus Franciſcus Pegna in fine Directorij Inquiſitorum, litteras Apoſtolicas ad ſanctum Officium pertinentes, poſuerit: viſum eſt & mihi, in tui commodum, Decreta, & Bullas poſteriores aliorum recentiorum Pontificum, ad eamdem materiam ſpectantes, hîc ſimul in vnum collectas proponere, eas præſertim, quæ in his Tractatibus à me ſunt adnotatæ.

DECRETVM
S. D. N. PP.
VRBANI VIII.
Feria v. die 14. Aprilis 1633.

IN generali Cõgregatione ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico montis Quirinalis coram ſanctiſſimo Domino noſtro D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Eminentiſſimis & Reuerendiſſimis Dominis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SANCTISSIMVS Dominus noſter ſedulò incumbens, vt ea, quæ ſalubriter Apoſtolicis decretis, & conſtitutionibus ſtatuta, & ordinata ſunt, præſertim quæ ad ſanctum Officium Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem pertinent, inuiolabiliter obſeruentur, & omnimodam ſortiantur executionem, diſtrictè mandat, & præcipit, vt omnes Superiores cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ Regularis, aut cuiuſuis alterius inſtituti, etiam quantumuis exempti, & priuilegiati, teneantur ſub pœna priuationis Officij, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, aliiſque arbitrio Sanctitatis ſuæ infligendis in perpetuum ſemel ſaltem in anno, id eſt, feria ſexta poſt Octauam Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis in publica menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter conuocato, & inſuper in quocumque Generali ac Prouinciali Capitulo, Conuentu, Dieta, vel alio quouis nomine nuncupato Capitulari Congreſſu, ſuos ſubditos, ac Religioſos commonere de iniuncta omnibus obſeruantia, & executione earumdem Apoſtolicarum conſtitutionum, & decretorum, ad S. Officium Inquiſitionis aduerſus hæreticam prauitatem pertinentium, ac præſertim

IVLII

Iulii III. conſtit. 1. incipit, *Licet à diuerſis*, contra impedientes Inquiſitores hæreticæ prauitatis in eorum Officio, aut in cauſis Inquiſitionis ſe ingerentes, eorumque complices, & fautores: & contra ipſos Inquiſitores admittentes laicos ad criminis hæreſis cognitionem. Et Pij V. conſtit. 82. incipit, *Si de protegendis*, contra occidentes, verberantes, deiicientes, aut perterrefacientes quemuis ex miniſtris S. Officij Inquiſitionis, vel Epiſcoporum id munus in ſua diœceſi, vel prouincia, obeuntium, ſeu accuſatorem, denuntiatorem, aut teſtem, in cauſa fidei quomodocumque productum, vel euocatum: necnon contra diripientes, expugnantes, inuadentes, incendentes, expilantes, alióve exportantes alicuius prædictorum bona, libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regeſta, protocolla, exempla, ſcripturas, aliáve inſtrumenta, ſiue publica, ſiue priuata, vbicumque poſita, eorumque complices, & fautores; & contra effringentes carcerem, vel cuſtodiam publicam, vel priuatam, extrahentes, vel emittentes vinctũ, prohibentes capiendum, captúmve eripientes, recipientes, occultantes, ſeu facultatem effugiendi dantes, ſeu id fieri iubentes, eorumque complices, & fautores, etiam effectu non ſecuto, nullatenus excuſandos, niſi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes: & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus: inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quę damnatis ex primo capite legis Iuliæ maieſtatis, eorúque filiis, irrogantur: & oblata reuelantibus impunitate.

Pii IV. conſtit. 31. incipit, *Cùm ſicut nuper*, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu ſacramentalis confeſſionis ad inhoneſtos actus prouocare, & allicere tentant, & ſollicitant. Et Gregor. XV. conſtit. 34 incipit, *Vniuerſi Dominici gregis*; ampliatiuæ circa huius criminis probationes, & extenſiuæ contra Confeſſarios, qui perſonas (quæcumque illę ſint) ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu ſacramentalis confeſſionis, ſiue ante, ſiue poſt immediatè, ſeu occaſione vel prætextu confeſſionis, vel extra occaſionem confeſſionis in cõfeſſionario, aut alio in loco, ad audiendam confeſſionem electo, ſollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint. Et cõtra Confeſſarios non monentes eos, quos ſciunt ab aliis Confeſſariis ſollicitatos eſſe, vt Inquiſitoribus, vel Ordinariis ſollicitantes denuntient, vel docentes eos ad ita denuntiandum non teneri.

Gregorii XIII. conſtit. 22. incipit, *Officij noſtri partes*, de iuriſdictione Inquiſitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui ad ordinem Preſbyteratus non promoti, Miſſas celebrant, & ſacramẽtaliter confeſſiones audiunt. Clement. VIII. conſtit. 81. incipit, *Etſi alias*, declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per Iudices laicos, præuia eorũ degradatione. Et Sanctitatis ſuæ conſtit. 79. incipit, *Apoſtolatus officium*, extenſiuæ ad minores 25. annis, dummodo vigeſimum ætatis annum compleuerint.

Sixti V. conſtit. 17. incip. *Cœli & terræ creator*, contra exercentes artem Aſtrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumque diuinationum genera, libroſve harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis ſuæ conſtit. 113. incipit, *Inſcrutabilia iudiciorum Dei*, extenſiuæ ad alia, & cum grauioribus pœnis.

Clementis VIII. conſtit. 42. incipit, *Cùm ſicut*, contra Italos, ne extra Italiam proficiſcantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, ſiue vſus Catholicæ Religionis non exiſtat, minuſque in eis locis habitent. Et Gregor. XV. conſtit. 28. incipit, *Romani Pontificis*, contra hæreticos, ne in locis Italię, & inſularum adiacentium quouis prętextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

Pavli V. conſtit. 26. incipit, *Romanus Pontifex*, reuocatoriæ facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religioſorum quoquo modo conceſſarum, cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorũ ad officium ſanctæ Inquiſitionis quomodolibet pertinentes.

Eiuſdem conſtit. 97. incip. *Regis pacifici*, innouatoriæ conſtitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione beatæ Mariæ Virginis editarum: impoſitionis maiorum pœnarum in tranſgreſſores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus puniendos. Et Gregorio XV. conſtit. 29. incipit, *Sanctiſſimus Dominus noſter auditis*, ampliatiuæ, & declaratorię prohibitionis aſſerendi, beatam Mariam Virginem conceptam eſſe in peccato originali.

Gregor. XV. conſtit. 27. incipit, *Romanus Pontifex in ſpecula*, reuocatoriæ quarumcumque conceſſionum viuæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis ſuæ conſtit. extenſiuæ ad quoſcumque quantumuis priuilegiatos, & exemptos, incip. *Alias fel. rec. Gregor. Papa XV. ſub dat. Romæ 20. Decembris 1631.*

Eiuſdem conſtit. 40. incip. *Apoſtolatus officium*, & Sanctitatis ſuæ conſtit. 114. incip. *Eo modo*, reuocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis ſuæ conſtitut. 37. incipit, *Sanctiſſimus Dominus noſter ſollicitè animaduertens*, de imaginibus nondum à Sede Apoſtolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radiis, ſplendoribus, aut laureolis, non proponendis: tabellis, aut luminaribus ad eorum ſepulcra non apponendis: eorúmve geſtis, miraculis, reuelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.

Pariter Sanctitatis ſuæ conſtit. 50. incip. *Sanctiſſimus Dominus noſter pro debito ſui Paſtoralis officij*, de libris vbicumque compoſitis, de quacumque materia tractantibus, ab his, qui degunt in ſtatu Eccleſiaſtico, non tranſmittendis aliò, vt imprimantur, ſine Vicarij, & Magiſtri ſacri Palatij in Vrbe, vel extra eam ſine Ordinarij, & Inquiſitoris, aut ab eis Deputatorum licentia.

Et eiuſdem Sanctitatis ſuę conſtit. ſub dat. Romæ die 5. Nouembris 1631. incipit, *Cùm ſicut accepimus*, quòd conſtitutiones Apoſtolicæ in con-

cernentibus fidem Catholicam,& ſanctæ Inquiſitionis Officium hactenus editæ, & in poſterum etiam ſuper quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, niſi in edendis illi ſpecialiter excipiantur.

Et inſuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conſeruentur, ita vt ab eiſdem ſubditis Religioſis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque huiuſmodi commonitione publico documento ſtatim certiorem facere Congregationem ſanctiſſimæ Inquiſitionis in Vrbe. Et ita mandat,& præcipit Sanctitas ſua.

IOANNES ANTONIVS THOMASIVS, ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis Not.

Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio, Indictione 1. *Pontificatus S.D.N.D. Vrbani diuina prouidentia Papæ Octaui anno* 10. *die verò ſeptima menſis Iunij ſupradictæ litteræ, ſiue decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Principis Apoſtolorum, ac in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per me Alexandrum Latinum, Prælibati Sanctiſſimi D.N. Papæ Curſorem.*

Sequuntur conſtitutiones relatæ in ſupraſcripto Decreto.

Contra impedientes Inquiſitores hæreticæ prauitatis in eorum Officio, aut in cauſis Inquiſitionis ſe ingerentes Et contra ipſos Inquiſitores, admittentes laicos ad criminis hæreſis cognitionem.

IVLIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

LIcet à diuerſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, etiam per ſpeciales conſtitutiones in corpore iuris inſertas, fuerit ritè,& ſalubriter ſancitum, atque decretum, vt ſeculi Poteſtates, & Domini temporales, ac Prouinciarum, ciuitatum, terrarum, & locorum quorumcunque Rectores, quibuſcumque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus cenſeantur, Diœceſanis Epiſcopis, & Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in ipſo Inquiſitionis negotio faueant,& aſſiſtant, nemoque ex prædictis Poteſtatibus, Dominis, & Rectoribus, eorumque Officialibus de crimine hæreſis, cùm merè ſit Eccleſiaſticũ, quoquo modo cognoſcat, vel iudicet, neque Diœceſano Epiſcopo, vel Inquiſitori ipſius Inquiſitionis negotio incumbenti ſe opponere, aut ipſum aliquatenus impedire, vel impedientibus auxilium, aut fauorem ſcienter dare audeat, perpetuæ damnationis ſententia in eos, qui contra prædicta fecerint, promulgata, quam ſi per annum animo ſuſtinuerint pertinaci, ex tunc velut hæretici condemnentur; vſque adeò tamen in omnibus ferè, non ſolùm Italiæ, verùm etiam aliis Prouinciis, ciuitatibus, terris,& locis, complurium laicorum, vt accepimus, mundanæ gloriæ proceſſit ambitio, vel ſacrorum Canonum inſcitia, vel Eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptus, vt in animarum ſuarum perniciem, atque interitum, Diœceſanos Epiſcopos, & Inquiſitores à Sede Apoſtolica inſtitutos Inquiſitionis Officium exercentes, alij ſub iuſtitiæ prætextu, ne vlli ſcilicet fiat iniuria, impedire; alij verò ſub pietatis colore, vt fontes ſcilicet ſeueriùs puniantur, ſe ipſis Diœceſanis Epiſcopis, & Inquiſitoribus adiungere, & vnà cum eis de ipſo hæreſis crimine cognoſcere, proceſſus formare, formatoſque ſuo iudicio ſubmittere non erubeſcant.

§. 1. Cui ſanè morbo iam nimis latè progredienti, ſolitam, ac ſalutarem Eccleſiæ medicinam pro noſtra paſtorali ſollicitudine afferre cupientes, ſæculi Poteſtates, Dominos temporales, ac Prouinciarum, ciuitatum, terrarum, & locorum Rectores ſupradictos, necnon quaſcumque alias ſæculares perſonas, tam priuatas, quàm publico quouis munere fungentes, requirimus, & monemus, ac in eis Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri (cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris) nomine præcipimus, ne Diœceſanos Epiſcopos, & Inquiſitores ipſos in ſuo Inquiſitionis negotio, vllo modo impediant, ſeu perturbent; neque ſe in hæreſis crimine cognoſcendo, vel iudicando, quouis etiam aſſiſtentiæ, & fauoris colore, cauſa, vel occaſione (niſi quatenus ab ipſis Diœceſanis Epiſcopis, aut Inquiſitoribus, ſpontanea, & libera eorum voluntate fuerint requiſiti) ſe ingerant, ordinationes, prouiſiones,& leges quaſcumque, de ipſius criminis cognitione latas ſacris Canonibus obſiſtentes, & Eccleſiaſticam iuriſdictionem impedientes ſine mora abrogent,& deleant, prout etiam nos eas omnes inualidas fuiſſe, & eſſe decernimus, & declaramus, ac ex nunc pro abrogatis,& deletis haberi volumus,& mandamus.

§. 2. Qui monitis his noſtris non obtemperauerint, quiue ſcienter in prædictis conſilium, auxilium, aut fauorem dederint, nouerint ſe, non ſolùm per ſacras dictorum Prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, verùm etiam per hãc noſtram ſanctionem, ſiue ſententiam,& declarationem perpetuò duraturam (quã auctoritate Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra in ipſos non obtemperantes, quacumque illi præfulgeant dignitate, in his ſcriptis proferimus) cõmunione fidelium, & omnium Eccleſiaſticorum Sacramentorum perceptione priuatos, ac maledictionis, ac execrationis æternæ vinculo ligatos; anathematiſque,& maioris excommunicationis mucrone percuſſos, ita vt nemo vnquam in præmiſſis delinquens, niſi à nobis,& ſucceſſoribus noſtris canonicè intrantibus, etiam prætextu quarumcunque facultatum, conceſſionum,& gratiarum, etiam Confeſſionalium nuncupatarum, etiam à nobis & à dicta Sede hactenus emanatarum, vel in poſterum emanandarum, ſpecificam,& expreſſam, ac aliàs, quàm per verba generalia, de præſentibus noſtris litteris mentionem non faciẽtium, præterquam in mortis diſcrimine, abſolui poſſit.

§. 3. Quibus etiam cenſuris ipſos Diœceſanos Epiſco-

Epiſcopos, & Inquiſitores ſubiacere volumus, ſi laicos ſecum quomodocumque de ipſo crimine cognoſcere, aut iudicare permiſerint.

§. 4. Vt autem præmiſſa omnia, ad eorũ, quorum intereſt, notitiam deducantur, nulluſque de eis ignorantiam iuſtè prętendere poſſit, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd præſentes litteræ per aliquos curſores noſtros, aut Notarios publicos in Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Eccleſię Lateranen. ac Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, necnon acie Campi Floræ, vt moris eſt, publicentur, earum exemplo, in ſingulis valuis, & acie huiuſmodi affixo, & dimiſſo; nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1551. quintodecimo Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Lecta, & publicata fuit die Veneris ſancti in Capella Sanctitatis ſuæ, dum diuina celebrarentur Officia.

Contra offendentes ſtatum, res, & perſonas ſanctiſſimi Officij Inquiſitionis hæreticæ prauitatis, eorumq; filios, necnon complices, & fautores.

PIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

SI de protegẽdis ceteris omnibus Eccleſiæ miniſtris, quos in fidem, & clientelam noſtram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana inſidet, quãto maiore ſtudio eam nos ſollicitudinem capeſſere neceſſe eſt, vt qui in ſacro Inquiſitionis hæreticæ prauitatis Officio verſantur, ſub tutela inuiolatæ auctoritatis huius Sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur.

§. 1. Cùm itaque huius generis impiorum vis quotidie magis inualeſcat, qui omnibus malis artibus prædictum Officium ſubuertere, miniſtroſque functionibus diſturbare moliuntur, eò iam nos detrulit neceſſitas, vt nefariam, & ſceleſtam illorum audaciam acerbiore caſtigationis verbere reprimamus.

§. 2. Hîc igitur generali conſtitutione de Fratrum noſtrorum conſilio ſancimus, vt quicumque ſiue priuatus, ſiue cuncta ciuitas, ſiue populus, ſiue Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illuſtris, quemuis ex Inquiſitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, aliiſve miniſtris prædicti Officij, vel Epiſcoporum id munus in ſua Diœceſi, aut Prouincia obeuntium, ſeu accuſatorem, denuntiatorem, aut teſtem in cauſa fidei quomodocumque productum, vel euocatũ occiderit, verberauerit, deiecerit, ſeu perterrefecerit.

§. 3. Quíve Eccleſias, ædes, aliáſve res, ſiue publicas, ſiue priuatas officij, aut miniſteriorum, expugnauerit, inuaſerit, incenderit, expilauerit, aut libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regeſta, protocolla, exempla, ſcripturas, aliáve inſtrumenta, ſiue publica, ſiue priuata vbicumque poſita combuſſerit, diripuerit, ſeu interuerterit, ſeu ex incẽdio, aut direptione, aut alio quocumque modo, illa exportauerit, ſeu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, ſiue capiendi, ſiue comburendi, ſiue ſupprimendi cauſa fuerit, ſiue res, aut perſonas, ſeruari, defendíve prohibuerit.

§. 4. Quíve carcerem, aut aliam cuſtodiam, ſeu publicam, ſeu priuatam effregerit, vinctumque extraxerit, ſeu emiſerit, capiendum prohibuerit, raptumque eripuerit, occultauerit, ſeu facultatem effugiendi dederit, ſeu iuſſerit id fieri, qui cœtum, concurſumve fecerit, ſiue vt aliquid prędictorum fieret, omnes accommodauerit, ſiue aliàs auxilium, conſilium, aut fauorem, publicè, vel occultè, in quolibet prædictorum ſcienter præſtiterit, licet nemo occiſus, nemo verberatus, nemo extractus, emiſſus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, ſuccenſum, direptúmve, nullum denique damnum reipſa ſit ſecutum: nihilominus is ſit anathemate præſentis Canonis auctoritate ligatus, idem quoque læſæ Maieſtatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocumque alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipſo priuatus, ſæcularis Iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipſas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per conſtitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebuſque omnibus fiſci iuribus applicatis, vti etiam eſt de damnatis hæreticis, per ſanctiones canonicas conſtitutum, eius filij paterna infamia ſubiecti, omnis, & cuiuſcumque hereditatis, & ſucceſſionis, & donationis, & legati, ſiue propinquorũ, ſiue extraneorum omnino ſint expertes, eiſdem præterea portæ numquam pateant dignitatum.

§. 5. Nemo autem expurgationem habere, aut cauſam vllam proponere, vel prætendere poſſit, qui tantum nefas in contemptum, & odiũ huius Officij admiſerit, niſi contrarium per claras probationes docuerit ſe feciſſe. Quod porrò de prædictis, eorumque filiis ſtatuimus, illud idem de omnibus Clericis, & Preſbyteris ſæcularibus, & quorumuis Ordinum, etiam exemptorum Regularibus, & quacumque etiã Epiſcopali, & maiori dignitate præditis, ac etiã priuilegio quomodocumque ſuffultis, decernimus exequendum, ita vt ipſi beneficiis, & Officiis omnibus Eccleſiaſticis præſentium auctoritate priuati, per Iudicem Eccleſiaſticum, hæreticorum more degradentur, demum poteſtati ſæculari traditi, pœnis prædictis laicorum inſtar ſubiiciantur.

§. 6. Pontificum tamen cauſis, nobis, & ſucceſſoribus noſtris reſeruatis, vt re quæſita, & nobis renuntiata, contra eos ad depoſitionem, & alias pœnas prædictas procedamus, vti criminis atrocitas videbitur poſtulare.

§. 7. Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tẽtauerint, in eaſdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à ſacris conſtitutionibus inferuntur, ipſo facto ſe nouerint incidiſſe.

§. 8. Verùm ſi quis etiam huiuſmodi criminum conſcius, vel affinis, ſiue Religionis ſtudio, ſiue pœnitentia ductus, rem adhuc incognitam retexerit, ſupplicio liberetur.

§. 9. Ceterùm eam omnium, & quantumcumque abſolutionum rationem à prædictis criminibus, necnon habilitationum, & reſtitutionum, etiam ad famam, & honores, ita deinceps habendam optamus, vt ſucceſſores noſtri nullas, niſi ſaltem ſemeſtri poſt cuiuſque aſſumptionem ad huius dignitatis faſtigium excurſo, ac precibus apud ſupremum Officium Inquiſitionis hîc inſtitutum verificatis, concedant. Decernentes omnes, & quaſcumque huiuſmodi abſolutiones, habilitationes, & reſtitutiones, quæ precibus ſic non verificatis de cetero fient; nemini prorſus prodeſſe, ſed nec præſentibus niſi toto ipſarum tenore ad verbum inſerto, & gratia ex certa Romani Pontificis ſcientia facta, & propria manu ſubſignata, vlla in parte derogari, nec derogatum cenſeri debere, & ſi illis ex quacumque cauſa aliter derogari contigerit, derogationes huiuſmodi nullius prorſus fore roboris, & momenti.

§. 10. Iubemus igitur, vniuerſos, & ſingulos Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & ceteros Eccleſiarum Prælatos, per vniuerſum Orbem conſtitutos, vt per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, aut earum exempla in ſuis quiſque Prouinciis, ciuitatibus, diœceſibus, & locis ſolemniter publicari, & quantum in ſe eſt, firmiter obſeruari procurent, contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ipſaſque cenſuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

§. 11. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 12. Volumus autem, vt præſentium exempla, etiam impreſſa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuſcumque Curiæ Eccleſiaſticæ, vel Prælati ſigillo obſignata, eamdem illam prorſus fidem vbique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 13. Ceterùm omnes Orbis terrarum Principes, quibus gladij ſæcularis poteſtas ad malorum vindictam eſt permiſſa, per eam, quã ſe tueri promiſerunt fidem, obteſtamur, ita ſuas quiſque partes, ſiue in præſtando miniſtris prædictis auxilio, ſiue in criminum poſt Eccleſiæ ſententiam animaduerſione, interponere, vt eorum quoque præſidiis miniſtri ipſi tanti officij munus pro Dei æterni gloria, & Religionis incremento feliciter exequantur, ampliſſimum à Domino præmium recepturi, quòd fidei prædictæ aſſertoribus in æternæ Beatitudinis conſortio præparauit.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, legationis, ſtatuti, decreti, iuſſionis, obteſtationis, voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1569. Kal. Aprilis, Pontific. noſtri anno quarto.

Ego Pivs V. Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

F. Cardinalis Piſanus Epiſcopus Hoſtien.
Io. Card. Moronus Epiſcopus Portuen.
Chriſtophorus Madruuius Epiſcopus Prænestin.
Otho Card. Truchſes Epiſcopus Albanen.
A. Card. Farneſius Vicecanc. Epiſcopus Tuſculan.
Io. Baptiſta Cicada Epiſcopus Sab. Card. S. Clem.
Ego Ph. Card. à Burdiſera.
Ego Antonius Card. Granuelanus.
Ego Franciſcus Card. Pacecus.
Ego Hieronymus Card. de Corrigio.
Ego Io. Franciſcus Card. de Gambara.
Ego Nicolaus Card. de Sermoneta.
Ego Ind. de Aualos Card. Aragona.
Ego M. Antonius Card. Columna.
Ego Ptolomeus Card. Comenſis.
Ego P. Card. de ſancta Cruce.
Ego Z. Card. Delphinus.
Ego Hu. Card. S. Sixti.
Ego Iulius Card. Vrbinus.
Ego Fuluius Card. Peruſinus.
Ego Io. Riccius Card. Politianus.
Ego Scipio Card. Piſarum.
Ego Iacobus Card. Sabellus.
Ego Aloyſius Card. Cornelius.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Guido Card. Vercellus.
Ego Guilielmus Card. Sirletus.
Ego F. Michaël B. Card. Alex. Camer.
Ego Hieronymus Card. de Claraualle.
Ego Ludouicus Card. Madrutius.
Ego Innocentius Card. de Monte.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus.
Ego Ferd. Card. de Medicis.
F. Cardinalis Alciatus.
Io. Paulus Cardinalis ab Eccleſia.
A. Cardinalis Carafa.

Inquiſitorum hæreticæ prauitatis facultas, procedendi contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu confeſſionis, ad actus inhoneſtos prouocare, & allicere tentant.

Pivs Papa IV.

Ven. Fratri Archiepiſcopo Hiſpalenſi, in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali.

CVm ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum ciuitatibus, & diœceſibus, curam animarum habentes, ſiue eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones

nes abutantur,nec illi, & qui id inſtituit Domino Deo, & Saluatori noſtro IESV Chriſto iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſeu allicere,& prouocare tentando,& procurando,ac loco earũ per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando,& in omnibus diabolo tradendo,in diuinę maieſtatis offenſam, animarum perniciem, & Chriſti fidelium ſcandalum non modicum.

§. 1. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè ſentiunt,Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur,aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino cõfidimus, per præſentes committimus, & mandamus,quatenus per te, vel per alium, ſeu alios à te deputandum,ſeu deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum ciuitatum,diœceſum de prędmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſæculares, quã quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcumque dignitatis,ſtatus, gradus, ordinis,conditionis,& præeminentię exiſtant,tam ſuper præmiſſis,quàm ſuper fide Catholica,& quid de ea ſentiant diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos,aut de hæreſi quouis modo ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam,& tenorem procedas,ac culpabiles repertos, iuxta exceſſuum ſuorum qualitatem, prout iuris fuerit punias,eos etiam,ſi, & prout iuris fuerit faciendum,debita præcedente degradatione, ſæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo.

§. 2. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum,necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis,& conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis,ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis,etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, & hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romę apud S.Petrum,ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Aprilis 1561. Pontificatus noſtri anno 2.

Confirmatio, & ampliatio conſtitutionis Pij IV. editæ contra Sacerdotes in confeſſionibus ſacramentalibus pœnitentes ad turpia ſollicitantes.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

VNiuerſi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cæleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò inuigilare tenemur,vt ab omnibus prauis contagiis cõſeruetur immunis, multoque maiori ſtudio prouidere, vt omnis peſtis ab iis auertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum;ne, quod Euangelica ſcripta nos admonent, ſale infatuato, non ſit in quo ſaliatur, & ad nihilũ proſit vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.Quoniam autem à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis prouiſum fuit, vt impium, ac nefandũ ſcelus, quod non ſolùm inter Chriſti fideles non eſſe,ſed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, vt aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas confeſſiones deputatus, ſacroſancto Pœnitentiæ ſacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cæleſti Medico infernalis veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirçò nos ea,quæ his perniciosiſſimis diaboli inſidiis arcendis, certis locis ſalubriter conſtituta ſunt,vt nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur,prouiden.duximus. Aliàs ſiquidem à fel.rec.Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis,videlicet, PIVS Papa IV. venerabili fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarũ hęreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cùm ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia,accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum,atque etiam in eorum ciuitatibus,& diœceſibus curam animarum habentes, ſiue eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati in tãtam proruperint iniquitatem, vt ſacramento Pœnitentię, in actu audiendi confeſſiones, abutantur, nec illi, & qui id inſtituit, Domino Deo, & Saluatori noſtro IESV Chriſto iniuriam facere vereãtur, mulieres videlicet, pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiũt confeſſiones, alliciendo, & prouocando,ſeu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradẽdo, in diuinæ Maieſtatis offenſam, & animarum perniciem, Chriſti fidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia De inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant,fraternitati tuæ,de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimúm in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mãdamus,quatenus per te,vel per alium, ſeu alios à te deputandum,ſeu deputandos, cõtra omnes,& ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum,ac illarum ciuitatum, & diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſæculares, quàm quorumuis etiam exemptorum,ac Sedi Apoſtolicę immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide Catholica, & quid de ea ſentiant,diligenter inquiras,& iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quo-

quouis modo ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta exceſſuum ſuorũ qualitates, prout iuris fuerit, punias, eos etiam, ſi, & prout de iure fuerit faciẽdum, debita præcedente degradatione, ſæcularis Iudicis arbitrio puniẽdos tradendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis etiam Motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Aprilis 1561. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Igitur, vt litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obſeruẽtur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquiſitorum, præinſertas litteras huiuſmodi, ac omnia & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, illaſque non ſolùm in prædictis Regnis Hiſpaniarum, ſed in quibuſuis Chriſtiani Orbis partibus, firmiter, & inuiolabiliter obſeruari præcipimus, & mandamus. Ac prætereà, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & ſingulos Sacerdotes tam ſeculares, quam quorumuis, etiam quomodolibet exemptorũ, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cuiuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſtos, ſiue inter ſe, ſiue cũ aliis quomodolibet perpetranda in actu ſacramentalis confeſſionis, ſiue ante, vel pòſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque vbi confeſſiones ſacramentales audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint, in Officio ſanctæ Inquiſitionis ſeueriſſimè, vt infrà puniantur. Et prætereà omnes hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & locorum ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, ciuitatum, dominorum, & locorum vniuerſi Orbis Chriſtiani, in ſuis quemque diœceſibus, & territoriis, per has noſtras litteras, etiam priuatiuè, quoad omnes alios, ſpecialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei iuxta ſacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquiſitionis huiuſmodi conſtitutiones, priuilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpen. ab executione Ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcũque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa; necnon vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi Regulares fuerint; exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiã in perpetuum abſque vlla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant: eos quoque ſi pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curię ſæçulari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſię Dei tam pernicioſum remaneat ob probationum defectum impunitum (cùm difficilis ſit probationis) teſtibus, etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi; & Curiæ ſæculari, vt præfertur, reum tradendum eſſe pronuntiandi. Non obſtan. omnibus, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Mandantes omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab aliis, vt ſuprà ſollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſollicitantes, ſeu, vt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis, quòd ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, vt ſuprà; iidem locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extrà, vbique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Florę affixę omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Iuriſ-

Iuriſdictio Inquiſitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui ad Ordinem Presbyteratus minimè promoti, Miſſas celebrant, & Pœnitentiæ ſacramentum miniſtrant.

GREGORIVS Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

OFficij noſtri partes ſedulò præſtare tenemur, vt dubia, quæ variis Doctorum opinionibus, hinc inde diuerſa ſentientibus agitãtur, ad iuriſdictionem ſanctiſſimi Officij Inquiſitionis hæreticæ prauitatis pertinent; noſtræ declarationis oraculo (prout ratio ipſa ſuadere videtur) dilucidentur, vt nulla cuiquam dubitandi occaſio in poſterum relinquatur.

§. 1. Ad aures noſtras ſiquidem nuper peruenit, multos eſſe, qui dubitent, an contra eos, qui in ſacro Presbyteratus Ordine non conſtituti, Miſſas celebrare, confeſſiones audire, ac abſolutionem imperturi, auſi fuerint, per Officium ſanctiſſimæ Inquiſitionis hæreticæ prauitatis in Hiſpaniarum Regnis inſtitutum, & illius Inquiſitores procedendum, vel etiam animaduertendum, ac hi, qui talia patrauerint, per Inquiſitores prædictos puniri debeant. Nam etſi multorum ſententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquiſitoribus plectendum eſſe, hiſce præſertim temporibus, quibus hæretici temerè audent proferre, etiam ſæculares eorum Sacramentorum miniſtros eſſe poſſe; non deſunt tamen hi, qui contrarię adhęrent opinioni. Vnde plerumque per eorumdem Regnorum Inquiſitores, diuerſa feruntur in huiuſmodi cauſis ſuffragia.

§. 2. Nos itaque, vt omnibus difficultas, dubitatioque tollatur, animaduertentes, eos, qui Presbyteratus Ordine non ſunt inſigniti, & ſe in adminiſtrandis dictis Sacramẽtis ingerunt, facto Catholicam veritatẽ impugnare, quæ ſolos Preſbyteros miniſtros eorumdem Sacramentorum conſtituendo, illis dumtaxat, quibus eadem munera congruere exiſtimauit, committi voluit, eorum, qui in Presbyteratus Ordine non conſtituti Miſſas celebrant, ac confeſſiones audiunt, vt præfertur, cognitionem, & punitionem etiam ad Inquiſitionis officium, & Inquiſitores antè dictos pertinere, & quod huiuſmodi delicti ratione, aduerſus eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, officium, & Inquiſitores prædicti valeant Apoſtolica auctoritate præſentium tenore, perpetuò declaramus, & diffinimus.

§. 3. Et ita ab omnibus, & ſingulis Ordinariis, & delegatis Iudicibus, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis alia iudicandi, & interpretãdi facultate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon iuribus municipalibus, legibus Regnorum prædictorum, pragmaticiſque ſanctionibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus ciuitatum, & locorum quorũcumque dictorum Regnorum, etiam iuramento, cõfirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis forſan per nos, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ſub quibuſuis verborum formis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ſeu de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel ad ſupplicationem Regum, Ducum, & aliorum Principum conceſſis, & confirmatis, quibus omnibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Auguſti anno àNatiuitate Domini 1574. Pontificatus autem noſtri anno 3.

Quòd Inquiſitores hæreticæ prauitatis, & locorum Ordinarij, eos, qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Miſſas celebrant, vel ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrant, præuia degradatione, Curiæ ſæculari debitis ab ea plectendos pœnis tradant.

CLEMENS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ETſi aliàs fel. rec. Paulus Papa IV. Prædeceſſor noſter ad nefariam, & ſacrilegam quorumdam hominum temeritatem coërcendam, qui cùm ad ſacrum Presbyteratus Ordinem minimè promoti ſunt, Sacerdotis tamen auctoritatem ſibi temerè aſſumentes, Miſſarum celebrationem vſurpare, & ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrare præſumunt, decreuerit, huiuſmodi delinquentes à ſanctæ Inquiſitionis Iudicibus tradi debere Curiæ ſæculari, debita animaduerſione puniendos.

§. 1. Et poſteà fel. rec. mẹm. Sixtus Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter, prædictum Pauli IV. decretum innouari, ac ſeriò obſeruari mandauerit, eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, vt prętextu ignorationis huiuſmodi decretorum, ac pœnarum contra ipſos, vt præfertur, inflictarum, & illis ſe minimè ſubiacere, & obnoxios eſſe putent, ac propterea ſe ab eiſdem liberari, & abſolui poſſe prætendant.

§. 2. Nos igitur animaduertentes, huiuſmodi perditos, & nefarios homines ad ſacrum Preſbyteratus Ordinem non promotos, Miſſarum celebrationem vſurpare præſumentes, non ſolùm actus idololatriæ, ſaltem extrinſecè, ſeu per externa, & viſibilia Religionis, & pietatis ſigna exercere, ſed etiam quantum in ipſis eſt, efficere, vt Chriſti fideles, qui credunt, eos ordinatos eſſe, & ritè conficere ſacramentum Euchariſtiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrunt, purum videlicet panem, & vinum, tamquam verum Chriſti Domini noſtri corpus, & ſanguinem, eiſdem adorandum proponentes. Confeſſiones autem audientes, non ſolùm ſacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiam Chriſti

fideles decipere, dum ſcilicet iniquè ſibi aſſumunt gradum ſacerdotalem, & auctoritatem abſoluẽdi à peccatis, magno cum periculo, & ſcandalo plurimorum.

§. 3. Propterea, vt grauiſſima hæc ſcelera committentes, poſthac debito ſupplicio puniantur; Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, S. Inquiſitionis Iudicium conſcientiæ conſulere, & ne in futurum de pœna hiſce delinquentibus imponenda dubitari poſſit, prouidere volentes, ſupradictorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, hac perpetuò valitura conſtitutione decernimus, atque ſtatuimus, vt quicumque non promotus ad ſacrum Preſbyteratus Ordinem, repertus fuerit Miſſarum celebrationem vſurpaſſe, vel ſacramentalem confeſſionem audiuiſſe, à Iudicibus S. Inquiſitionis, vel locorum ordinariis tamquam Eccleſiæ miſericordia indignus à foro Eccleſiaſtico abiiciatur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerit, ritè degradatus, ſtatim Curiæ ſæculari tradatur, per Iudices ſæculares debitis pœnis plectendus.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore iuris clauſis. Quibus omnibus, & ſingulis, illarum tenores pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habẽtes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Vt autem huiuſmodi conſtitutionis ignorantia de cetero allegari, aut prætendi numquàm poſſit, atque præſentes litteræ omnibus innoteſcant, Volumus, illas ad valuas S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ more ſolito publicari, & affigi, atque iis inde amotis earumdem exempla etiam impreſſa ibi affixa relinqui, factaque huiuſmodi publicatione, omnes, qui in Vrbe poſt menſem, qui verò extra eam, & citra montes, poſt quatuor menſes, qui demum vltra montes fuerint, poſt decem menſes à die publicationis præſentium computandos afficere, & arctare, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 6. Ac præterea mandamus earumdem præſentium litterarum exemplis etiam impreſſis, & manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Officij ſanctæ Romanæ Inquiſitionis, vel alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem haberi, quæ hiſce præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 1. Decembris 1601. Pontificatus noſtri anno 10.

Ampliatio conſtitutionis à Clemente VIII. contra non promotos ad ſacrum Presbyteratus Ordinem, ſacramentales confeſſiones audientes, aut Miſſam celebrantes, Curiæ ſæculari præuia degradatione tradendos editæ, ad omnes etiam minores vigintiquinque annis, dummodo vigeſimum ætatis annum compleuerint.

VRBANVS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolatus Officium, cui, meritis licet impariibus, diſponente Deo, præſidemus, à nobis poſtulat, vt quantum nobis ex alto cõceditur, delinquendi fiduciam compeſcamus, in iis præſertim, quorum eò ſacrilega proceſſit audacia, vt ſub beneficio minoris ætatis, Apoſtolicis conſtitutionibus confoueant in delictis, quorũ ſtatutis pœnis ſe idcircò iactant minimè ſubiacere. Aliàs ſiquidem à felicis recordationis Clemente Papa VIII. Prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſequentis, videlicet:

CLEMENS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Et ſi aliàs felicis recordationis Paulus Papa IV. Prædeceſſor noſter ad nefariam, & ſacrilegam quorumdam hominum temeritatem coërcendam, qui cùm ad ſacrum Presbyteratus Ordinem minimè promoti ſunt, Sacerdotis tamen auctoritatem ſibi temerè aſſumentes, Miſſarum celebrationem vſurpare, & Sacramentum pœnitentię miniſtrare præſumunt, decreuit, huiuſmodi delinquentes à ſanctæ Inquiſitionis Iudicibus tradi debere Curię ſęculari, debita animaduerſione puniendos, & poſteà fel. rec. Sixtus Papa V. etiam Prædeceſſor noſter prædictum Pauli Papæ IV. decretum innouari, ac ſeriò obſeruari mandauerit: eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, vt prętextu ignorationis huiuſmodi decretorum, ac pœnarum contra ipſos, vt præfertur, inflictarum, illis ſe minimè ſubiacere, & obnoxios eſſe putent, ac propterea ſe ab eiſdem liberari, & abſolui poſſe prætendant. Nos igitur animaduertentes, huiuſmodi perditos, & nefarios homines ad ſacrum Presbyteratus Ordinem non promotos Miſſarum celebrationẽ vſurpare præſumentes, nõ ſolùm actus idololatriæ, ſaltem extrinſecè, ſeu per externa, & viſibilia Religionis, & pietatis ſigna exercere, ſed etiam (quantum in ipſis eſt) efficere, vt Chriſti fideles, qui credunt, eos ordinatos eſſe, & ritè conficere ſacramentum Euchariſtiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purũ videlicet panem, & vinum, tamquam verum Chriſti Domini noſtri Corpus, & Sanguinem eiſdem adorandum proponentes: Confeſſiones autem audientes, non ſolùm ſacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiam Chriſti fideles decipere, dum ſcilicet iniquè ſibi aſſumunt gradum ſacerdotalem, & auctoritatem abſoluendi à peccatis magno cum periculo, & ſcandalo plurimorum. Propterea vt grauiſſima hæc ſcelera committentes, poſthac debito ſupplicio puniantur; Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac matura deliberatione,

tione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, S. Inquiſitionis Iudicum conſcientiæ conſulere, & ne in futurum de pœna hiſce delinquentibus imponenda dubitari poſſit, prouidere volentes, ſupradictorum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ac perpetuò valitura conſtitutione decernimus, atque ſtatuimus, vt quicumque non promotus ad ſacrum Preſbyteratus Ordinem repertus fuerit, Miſſarum celebrationem vſurpaſſe, vel ſacramentalem confeſſionem audiuiſſe, à Iudicibus ſanctæ Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis, tamquam Eccleſiæ miſericordia indignus, à foro Eccleſiaſtico abiiciatur, ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerit, ritè degradatus, ſtatim Curiæ ſæculari tradatur, per Iudices ſæculares debitis pœnis plectendus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Concilio etiam generalibus editis, etiam in corpore iuris clauſis. Quibus omnibus, & ſingulis, illarum ten. pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcumque. Vt autem huiuſmodi conſtitutionis ignorantia de cetero allegari, aut prætendi numquam poſſit; atque vt præſentes litteræ omnibus innoteſcant, volumus, illas ad valuas S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de vrbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ more ſolito publicari, & affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla, etiam impreſſa, ibi affixa relinqui, factaque huiuſmodi publicatione, omnes, qui in vrbe poſt menſem, qui verò extra eam, & citra montes, poſt quatuor menſes, qui demùm vltra montes fuerint, poſt decem menſes à die publicationis præſentium computandos, afficere, & arctare, ac ſi eorum cuilibet intimatæ fuiſſent perſonaliter. Ac prætereà mandamus, earumdem præſentium litterarum exemplis, etiam impreſſis, & manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Officij ſanctæ Romanæ Inquiſitionis, vel alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem haberi, quæ hiſce præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die prima Decembris 1601. Pontificatus noſtri anno decimo.

Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli priuilegio minoris ætatis nimis temerè confiſi, & legum indulgentia freti, pœnas à D. Clementis Prædeceſſoris conſtitutione in huiuſmodi delinquentes ſtatutas parui pendere præſumant; Nos deteſtantes, & quantum in nobis eſt, cohibere volentes impiam, ac nefariam horum temeritatem, qui atrociſſimo hoc ſcelere Catholicam veritatem, quæ ſolos Preſbyteros dictorum Sacramẽtorum miniſtros eſſe docuit, facto impugnãt; negotio huiuſmodi in Congregatione venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Generalium Inquiſitorum coram nobis habita maturè diſcuſſo, inhærentes conſtitutioni prædictæ, aliiſque decretis per fel. rec. Paulum IV. & Sixtum V. Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros contra ſimilia perpetrantes editis, eaque etiam ad effectum prædictum matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ampliantes, & extendentes hac noſtra perpetuò valitura cõſtitutione ſtatuimus, & decernimus, vt de cetero perpetuis futuris temporibus, qui in poſterum ad ſacrum Preſbyteratus Ordinem non promotus, Miſſam celebrare, aut ſacramentalem Confeſſionem audire præſumpſerit, ætate minori annis vigintiquinque non excuſetur, quò minùs eidem Clementis conſtitutioni ſubiiciatur, dummodo vigeſimum ſuæ ætatis annum compleuerit, ipſeque non promotus ſic delinquens, nulla habita conſideratione præfatæ minoris ætatis, ſiue laicus, ſiue Clericus ſæcularis, aut cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ regularis, aut cuiuſuis alterius inſtituti, etiam quantumuis exempti, & priuilegiati, nobiſque, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiecti, necnon militiarum quarumcumque, etiam ſancti Ioannis Hieroſolymitani fuerit, tradatur Curiæ ſæculari pœnis debitis plectendus, ſicque & non aliter per quoſcumque ſanctæ Inquiſitionis Iudices, & Inquiſitores, etiam Generales ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & locorum Ordinarios (ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, in virtute ſanctæ obedientiæ, diſtrictè præcipiendo, mandamus, quatenus ſtatutum, decretum, & conſtitutionem hanc noſtram inuiolabiliter obſeruent, & obſeruari faciant. Nõ obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis, etiam generalibus, editis, etiam in corpore iuris clauſis, nec non legibus, ſtatutis, decretis, conſuetudinibus & priuilegiis ad fauorem minorum vigintiquinque annis, quomodolibet, & vbicumque locorum editis, ac aliàs in ipſorum fauorem facientibus, Apoſtolica etiam confirmatione, ac iuramento, ſeu quauis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum ten. præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcũque. Volumus autem harum litterarum publicationem, & affixionem fieri iuxta formam in prædicta Clemẽtis conſtitutione præſcriptam, eaſque publicatas, & affixas omnes intra vrbem, & extrà, tam citra, quàm vltra montes, & mare poſt tempus in ipſa Clementis conſtitutione præfixum, arctare, & afficere, ac ſi cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Mandamus pariter, vt earumdem tranſumptis, etiam impreſſis, manuque Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Officij ſanctæ Romanæ Inquiſitionis, vel alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem quæ præſentibus hiſce adhiberetur,

fides

fides adhibeatur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Martij 1628. Pontificatus noſtri anno 5.

M. A. MARALDVS.

Contra exercentes artem Aſtrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumque diuinationum genera, libroſq; legentes, vel tenentes.

SIXTVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

CÆli, & terræ creator Deus, quem vnum Omnipotentem corde credimus ad iuſtitiam, & ore confitemur ad ſalutem; etſi homini, quem imaginem, & ſimilitudinem ſuam creauit, mentem dederit, quæ non ſolùm diuino fidei lumine illuſtrata, myſteria illa cognoſceret, quæ humanã intelligentiam ſuperant, ſed etiam naturæ ſuæ vi, magno licet cum labore, præclara multa inueſtigaret, atque intelligeret; tamen vt ſuperbum animal homo non altum ſaperet, ſed timeret, & immenſam conditoris ſui maieſtatem humi ſtratus veneraretur, ſibi ſoli eorum, quæ euentura ſunt, ſcientiam, & futurarum rerum cognitionem reſeruauit. Solus enim ipſe, cuius oculis omnia nuda, & aperta ſunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & conſequentes eorum actiones intuetur; ſolus ipſe, qui vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt, omnia præſentia, & ante oculos poſita habet; ſolus denique omnia, & ſingula quæcumque, totius temporis decurſu, & ſæculorum ætatibus futura ſunt, ab omni æternitate nouit, & admirabili prouidentia diſpoſuit, quæ non modò humanæ mentis imbecillitas ignorat, ſed nec dæmones ipſi præſentire poſſunt. Quare idolorum in futuris annuntiandis falſitatem, & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus ſanctus apud Iſaiam illis verbis: *Annuntiate quæ vẽtura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos*; & in nouo Teſtamento Chriſtus Dominus, Diſcipulorum ſuorum de futuris euentis paulò cupidiùs inquirentium, interrogationem graui illa reſponſione retudit, qua etiam omnium fidelium ſuorum curioſitatem coërcuit, *Non eſt veſtrùm ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Nec verò ad futuros euentus, & fortuitos caſus prænoſcendos (futuris euentibus ex naturalibus cauſis neceſſariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) vllæ ſunt veræ artes, aut diſciplinæ, ſed fallaces, & vanæ improborum hominũ aſtutia, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, conſilio, vel auxilio omnis diuinatio dimanat, ſiue quòd expreſsè ad futura manifeſtanda inuocentur, ſiue quòd ipſi prauitate ſua, & odio in genus humanum, occultè, etiam præter hominis intentionem ſe ingerant, & intrudant vanis inquiſitionibus futurorum, vt mẽtes hominum pernicioſis vanitatibus, & fallaci contingentium prænuntiatione implicentur, & omni impietatis genere deprauentur. Quæ quidem ipſis cognita ſunt, non diuinitate aliqua, nec vera futurarum rerum ſcientia, ſed naturæ ſubtilioris acumine, & aliis quibuſdam modis, quos hominum obtuſior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non eſt, in huiuſmodi futurorum contingentium, & fortuitorum euentuum inquiſitione, & præcognitione, diaboli operationem ſe fallaciter immiſcere, vt ſua fraude, ac dolis, miſeros homines à via ſalutis auertat, & laqueo damnationis inuoluat. Quæ cùm ita ſint, nonnulli hæc fideliter, & religioſè, vt debent, non attendentes, ſed curioſa ſectantes, grauiter Deum offendunt, errantes ipſi, & alios in errorem mittentes, tales in primis ſunt Aſtrologi, olim Mathematici, & Genethliaci, & Planetarij vocati, qui vanam, falſamque ſyderum, & aſtrorum ſcientiam profitentes, diuinæque diſpoſitionis ordinationem, ſub tempore reuelandam præuenire audaciſſimè ſatagentes, hominum natiuitates, ſeu genituras, ex motu ſyderum, & aſtrorum curſu metiuntur, ac iudicant futura, ſiue etiam præſentia, & præterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, ſiue quauis alia temporum, & momentorum vaniſſima obſeruatione, & notatione, de vniuſcuiuſque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, diuitiis, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis diſcriminibus, aliiſque proſperis, & aduerſis caſibus, & euentibus præcognoſcere, iudicare, & affirmare temerè præſumunt, non ſine magno periculo erroris, & infidelitatis; cùm ſanctus Auguſtinus præcipuum Eccleſiæ lumen, eum, qui hæc obſeruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem, & Baptiſmum præuaricaſſe affirmet, vt illos meritò Apoſtolus arguat, atque increpet illis verbis: Dies obſeruatis, & mẽſes, & tempora, & annos, timeo vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis. Hi igitur leuiſſimi, & temerarij homines in miſerandam animarum ſuarum ruinam, graue fidelium ſcandalum, & Chriſtianæ fidei detrimentum, futuros rerum euentus, & quæcumque proſperè, vel aduersè obuentura ſunt, ac actus humanos, ea denique, quæ ex libera hominum voluntate proficiſcuntur, aſtris, ſyderibuſque adſcribunt, eiſque eam facultatem, vim, ſeu virtutem, & efficaciam tribuunt ſignificandi futura, & ad præcognita ita inclinandi, vt ſic omnino, nec aliter euentura ſint, atque ob eam cauſam de iis rebus omnibus iudicia facere, prognoſtica, prædictiones, & præcognitiones ſibi aſſumere, & palàm vendicare non dubitant, quibus pauci rudes, & imperiti, aliique nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præſtant, vt ex huiuſmodi iudiciorum & prædictionum præſcripto, aliquid certò eſſe credant, aut ſperent, quorum ſanè, & mendacium Magiſtrorum temeritas, & infelicium diſcipulorum credulitas magnopere deploranda eſt, qui vel diuinis litteris admoniti non intelligũt hominis præſtantiam, cui cæli, & ſtellæ, & clariſſima cæli ſydera,

ſydera, ſol, & luna, Deo ita diſponente, non imperant, ſed inſeruiunt; ſic enim Moyſes populum Dei, vt hunc errorem caueret, præmonebat, Ne fortè eleuatis oculis ad cælum, videas ſolem, & lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt; ſed quid ſydera mirandum eſt homini ſeruire? nónne nobiliſſima intelligentia Angeli ipſi omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? nam rationales oues ita diligit Deus, vt non ſolùm Epiſcopos, quemadmodum à S. Ambroſio ſcriptum eſt, ad tuendum gregem ordinauerit, ſed etiam Angelos deſtinauerit. Præclarè etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab actu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Quòd ſi Angeli homines cuſtodiunt, quid aduerſus Angelorum cuſtodiam, & tutelam aſtra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipſis Angelis nullo modo ſint comparanda? Nec ſanè hoc loco prætereunda eſt eximij Eccleſiæ Doctoris, & Beatiſſ. Pontificis magni Gregorij ſententia, qui Priſcillianiſtas hæreticos, vnumquemque hominem ſub conſtitutionibus ſtellarum naſci putantes, magno rerum & verborum pondere confutat. Abſit, inquit, à fidelium cordibus, vt aliquid eſſe fatum dicant, vitam quippe hominum ſolus hanc conditor, qui creauit, adminiſtrat; neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter homines factæ ſunt, & ſi ſtella fatum hominis eſſe dicitur, ipſis ſuis miniſteriis ſubeſſe homo perhibetur. Vtinam inſani homines hæc ſaperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Leuitico dicentis: Nõ declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Neque enim quę Chriſtiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto ſtudio inueſtigarent, iiſdem miſerè ſe decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam manes quidam homines, & curioſi, vel impij, & irreligioſi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeò anxiè habere ſtudent, vt ab eadem prænoſcenda, & inueſtiganda in diuinæ legis offenſionem multipliciter incurrant. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Æromantię, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, aliiſque ſortilegiis, & ſuperſtitionibus, non ſine dæmonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione, operam dare, ſeu illis, ac ſortibus illicitis taxillorum, granorum, triticorum, vel fabarum iactu vti non verentur. Alij verò aliquas priſtinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ idololatriæ reliquias retinentes; quibuſdam auguriis, auſpiciis, ſimilibúſve ſignis, & vanis obſeruationibus ad futurorum diuinationem intendunt: alij autem ſunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui ſimiliter ad occultorum diuinationem, ad inueniendos theſauros, vel alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum diabolo pactione facta, in manifeſtam ſuarum perniciem animarum nefarias magicæ artis incantationes, inſtrumenta, & veneficia adhibent, circulos, & diabolicos characteres deſcribunt, dæmones inuocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliáve ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus ſacris, vel Sacramentis, aut ſacramentalibus ſacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obſequia præſtant, cultum veneratiónémve tribuunt, aut annulum, vel ſpeculum, aut paruas phialas ſibi fabricant, aut fabricari curant ad dæmones in eis alligandos, ſeu includendos, vt putant, ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obſeſſis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus dæmones, de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, vt meritò ab eis, quos Dominus in Euangelio tacere imperauit, vanas, mendaceſque referant reſponſiones. Alij quoque præſtigiatores, frequẽtiùs verò mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ, in phialis, ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo accenſis candelis, etiam benedictis ſub nomine Angeli ſancti, & albi diabolum omnium malorum fautorem ſupplices adorantes, vel in vnguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eumdem omnium fallaciarum Architectum orant, vt ſimiliter futura, vel occulta quæuis ſpectra, & apparentes imagines, ſeu phantaſticas viſiones, oſtendat, aut ab eodem patre mendacij diabolo aliis incantationibus, aut varijs ſuperſtitioſis obſeruationibus futurorum, & occultorum huiuſmodi veritatem quærunt, & hominum prædicere contendunt. Quorum omnium, quos ſuprà enumerauimus, conſimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quòd dæmonis præſtigiis, ac dolis, tum qui diuinant, tum qui diuinationem expetunt illuſi, ac deluſi miſerrimè reperiuntur. Itaque cùm futuros euentus in ſeipſis conſiderare antequam fiant, ſit Dei proprium, illud neceſſariò conſequitur, vt Aſtrologi, & alij prædicti, qui huiuſmodi futura prænuntiare, aut prænoſcere quocumque modo, niſi Deo reuelante, audent, iniuſtè, atque impudenter, quod Dei eſt, ſibi aſſumant, & vſurpent; ſic fit, vt dum ab eis, quod ſolius eſt creatoris, perperàm creaturis tribuitur, diuina maieſtas grauiter lædatur, fidei integritas violetur, animabus pretio Chriſti ſanguine redemptis, peſtis, atque exitium importetur.

§. 2. Et licet iam pridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto ſacri generalis Trid. Conc. confecti, illud inter cetera conſtitutum fuerit, vt Epiſcopi diligenter prouiderent, ne huiuſmodi Aſtrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, Indices, legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſve caſibus, aut iis actionibus, quæ ab humana volũtate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent, permiſſis tamen iudiciis, & naturalibus obſeruationibus, quæ nauigationis, agriculturæ, ſiue medicæ artis iuuandæ gratia conſcripta

fuiſ-

fuiſſent, libros verò omnes, & ſcripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, ſiue in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicæ, prorſus reiici, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abuſuum prædictorum extirpationi, vſque adeò prouiſum eſt, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curioſiùs vigeant, cùm valdè frequenter, detectis diaboli inſidiis, diuinationum, ſortilegiorum, & variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe in dies detegantur.

§. 3. Nos igitur, qui pro noſtro paſtoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam conſeruare debemus, & animarum ſaluti proſpicere, quantum diuina gratia adiutrice poſſumus ex paternæ charitatis viſceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus diuinationum, quæ diabolo auctore, ad fidelium deceptionem à prædictis curioſis, vel perditis hominibus fieri ſolent. Cupientes præterea ſanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, præſertim vbi agitur de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia, & prouidentia, ab omni erroris labe, integram atque incorruptam, vt par eſt, retineri. Volentes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac huiuſmodi illicitarum diuinationum, & ſuperſtitionum, deteſtabili ſtudio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere; vt de Chriſtiano populo meritò dici poſſit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt, Non eſt augurium in Iacob, neque diuinatio in Iſraël. Hac perpetuò valitura conſtitutione, Apoſt. auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcumque dictæ iudiciariæ Aſtrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in poſterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quàm cõtra alios vtriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, ſiue ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, quiue huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cuiuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ prauitatis, vbique gentium deputati, etiamſi in pleriſque ex his caſibus anteà non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos ſeueriùs Canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animaduertant.

§. 4. Prohibentes, omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus huiuſmodi iudiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, ac vt ſuprà in memorato Indice interdictos ſub cenſuris, & pœnis in eo contentis à quibuſcumque Chriſti fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta huiuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter iidem Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere poſſint.

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Vt autem præſentes noſtræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducãtu, iubemus, illas in valuis Baſilicarum S. Io. Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi, ſeu appendi, eiſque detractis, ipſarum exempla etiam impreſſa eiſdem in locis affixa relinqui.

§. 7. Et inſuper vniuerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, locorum Ordinariis, & Prælatis, necnon Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet conſtitutis per hæc committimus, & virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum notitiam habuerint, in ſuis, & ſingulis Parochialibus Eccleſiis, dum in eis populi multitudo ad Diuina conuenerit, deinde verò ſemel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari ſermone publicent, aut publicari faciant.

§. 8. Quia verò difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus vt earum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ac paruo ſigillo S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, aut alicuius Prælati, vel Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbique locorum, adhibeatur, quæ eiſdem originalibus litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1585. Nonis Ianuarij, Pontif. noſtri anno 1.

Contra Aſtrologos iudiciarios, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeu vita Romani Pontificis, aut eius conſanguineorum iudicia facere, necnon eos, qui illos deſuper conſulere præſumpſerint, cum innouatione ſimilis conſtitutionis Sixti Papæ V.

VRBANVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

INſcrutabilis iudiciorum Dei altitudo non patitur, vt humanus intellectus tenebroſo corporis carcere conſtrictus, ſuper aſtra ſe extollens, arcana in ſinu diuino recondita, & ipſis Beatiſſimis ſpiritibus ignota, nefaria curioſitate, non ſolùm explorare, ſed etiam tamquam explorata in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti, & pernicioſo exemplo vendicare præſumat.

§. 1. Hinc eſt, vt quamuis ciuilibus, Canonicíſque ſanctionibus, ac nouiſſimè fel. rec. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris noſtri conſtitutione deſuper edita Aſtrologorum, Mathematicorum, vaticinatorum, & aliorum, qui euentura diuinare, ſeu prædicare audent, quoſque vti homicidas, & maleficos antiquitas æſtimauit, illorum potiſſimùm, qui de ſumma Reipublicæ, vel Principis ſalute iudicia ferre præſumerent, ars, profeſſio, ſiue exercitium grauibus pœnis inhibita eſſe noſcantur. Attamen, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij propriæ puſillitatis obliti, ac lenitate forſan, vel conniuentia, & audentiores facti, vanamque fatidicorum æſtimationem aucupantes, in deplorandam animarum ſuarum perditionem, graueque Chriſti fidelium ſcandalum, etiam de Reipublicæ, & Principum incolumitate, illis ſollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum nouandarum occaſionem ea ratione inferre ſatagentes, prognoſtica, & prædictiones verbo, vel etiam ſcripto edere non erubeſcunt.

§. 2. Nos itaque pernicioſis huiuſmodi auſibus quantum nobis ex alto conceditur obuiam ire, ac quos Dei reſpectus in officio non continet, pœnarum grauitate, & ſeuerioris diſciplinæ fræno coërcere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conſtitutionem per præfatum Sixtum Prædeceſſorem deſuper, vt præfertur, editam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innouamus.

§. 3. Et inſuper omnibus, & quibuſcumque laicis cuiuſcumque ſexus, conditionis, ſtatus, gradus, qualitatis, & dignitatis etiam Marchionalis, vel Ducalis exiſtentibus, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſiue de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, eiuſque vſque ad tertium gradum incluſiuè conſanguineorum Mathematicos, ariolos, aruſpices, vaticinatoreſve nuncupatos, vel alios Aſtrologiam iudiciariam exercentes, ſeu aliàs quomodolibet profitentes, de cetero conſuluerint, ſiue deſuper eorum iudicia, prognoſtica, prædictiones, ſeu præcognitiones, etiam ſibi oblatas receperint, illíſve quomodolibet vſi fuerint, vel illas penes ſe ſcienter retinuerint, aut alicui oſtenderint, necnon iiſdem Mathematicis, ariolis, aruſpicibus, vaticinatoribus, ſiue aliis Aſtrologiam iudiciariam, ſeu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profiteri; qui iudicia, prognoſtica, ſeu præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſſis, etiamſi id non certò ſe affirmare proteſtentur, fecerint, ſiue à ſe, vel ab aliis iam facta, ſeu factas in poſterum penes ſe ſimiliter retinuerint, vel alicui dederint, ſeu oſtenderint; aut de eis quouis modo etiam improbando ſcripto, vel verbis tractauerint, nedum excommunicationis maioris latæ ſententiæ, ſed etiã vti læſæ Maieſtatis reis, vltimi ſupplicij, ac confiſcationis omnium bonorum etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac deuolutionis quarumcumque ciuitatum, caſtrorum, & locorum iuriſdictionalium, & feudalium.

§. 4. Clericis quoque, & Presbyteris, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, tã ſęcularibus, quàm cuiuſcuis Ordinis, Congregationis, Societatis, ſeu inſtituti, vel militiarum quarumcumque, etiam Hoſpitalis S. Ioan. Hieroſolymitani, aliiſque quomodolibet exemptis, ac nobis, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectis, Regularibus vtriuſque ſexus, vltra prædictas, etiam priuationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Eccleſiaſticorum, etiam Monaſteriorum, Prioratuum, Præceptoriarum, ac aliorum quorumcumque, & inhabilitatis perpetuę ad illa in poſterum obtinenda, ita quòd perſonæ Eccleſiaſticæ præuia illarum degradatione Curiæ ſæculari tradantur puniendæ, in Epiſcopali verò, Archiepiſcopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia etiam ſuperiori Eccleſiaſtica vel mundana quantumuis ſublimi, excellente, & ſpeciali nota digna, etiam ſuprema conſtitutis dignitate, eaſdem excommunicationis, ac priuationis etiam regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum quantumuis ampliſſimarum, & Patriarchali maiorum, ac officiorum ſuorum, & inhabilitatis pœnas ipſo facto incurren. Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium infligimus, & imponimus.

§. 5. Cognitionem autem cauſarum huiuſmodi quoad perſonas Eccleſiaſticas, tam ſæculares, quàm regulares, in vrbe noſtra, & illius diſtrictu ad dilectos filios, noſtrum eis Vicarium in ſpiritualibus generalem, nec nõ eiuſdem vrbis Gubernatorem, ac cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditorem generalem, & eorum quemlibet in ſolidum; extra verò vrbem, & diſtrictum prædictum in Prouinciis, nobis, & Apoſtolicæ Sedi ſubiectis ad S.R.E. Cardinales in eiſdem Prouinciis de latere Legatos, & Prolegatos, ac Præſides in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, pro tempore exiſtẽtes, in aliis verò omnibus, & ſingulis Prouinciis, Regnis, ciuitatibus, oppidis, caſtris, & locis, tam ſub noſtra, & dictæ Sedis, quàm cuiuſuis alterius Principis ditione cõprehenſis, priuatiuè quoad omnes etiam Superiores Religioſorum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum, vbilibet verò locorum etiam ad

hæreticę prauitatis Inquiſitores ſpectare volumus.

§. 6. Mandantes dilectis filiis noſtris, & dictæ Sedis de latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præſidibus prædictis nunc, & pro tempore exiſtentibus, nec non venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſingulis, videlicet in ſuis ciuitate, & diœceſi, & quoad loca intra fines alicuius diœceſis, non tamen de diœceſi exiſtentia ipſarum diœceſum, intra quarum fines eadem loca exſtiterint; quo verò ad ea, quæ extra fines alicuius diœceſis conſiſtunt, vicinioribus eorumdem locorum Ordinariis, ac etiam Inquiſitoribus prædictis, quatenus ad inſtantiam cuiuſuis fiſci, vel denuntiatoris, ac etiam ex eorum officio cauſarum huiuſmodi cognitiones ſuſcipientes, prę-uia etiam auocatione à quibuſuis aliis ſupra non expreſſis, nec à nobis ſpecialiter delegatis in cauſis ipſis modo præmiſſo procedant, omnibus iuris, & facti remediis opportunis, inuocato etiam auxilio brachij ſæcularis.

§. 7. Inhibentes inſuper Decanis, & Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumuis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Inſtitutorũ, ac etiam Hoſpitalis prædictorum Superioribus, Conuentibus, & Fratribus, quantumuis exemptis, ne ſub priuationis beneficiorum, & officiorum quorumcumque per eos reſpectiuè obtentorum, ac ſimiliter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, necnon excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, ſeu Vicelegatos, alioſque prædictos in cauſis huiuſmodi procedentes quoquomodo impedire, moleſtare, ſeu perturbare audeant, vel præſumant, ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requiſiti, Religioſos ipſos, etiamſi alicuius loci Regulari Superiores actu fuerint Ordinariis, Legatis, ſeu Vicelegatis, ac aliis prædictis, ſeu quibus iidem mandauerint, conſignent cum ſcripturis, & actis, ſi quę facta fuiſſe reperiantur.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices, Ordinarios, delegatos, & Commiſſarios, ac etiam Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Præſidentes, necnon cauſarũ Palatij Apoſtolici, & Curiæ eiuſdem Cameræ Generalem. Auditores, ac S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 9. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon noſtra in numero Septuageſima, & aliis Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, ac Prouinciarum, Regnorum, ciuitatum, terrarum, oppidorum, locorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Militiarum, Hoſpitalium, etiam S. Ioannis prædictorum, aliorumque Religioſorũ, & piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Prouinciis, Regnis, ciuitatibus, terris, oppidis, locis, Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & militiis prædictis, & aliis piis locis, ac illorum Vniuerſitatibus, Capitulis, Superioribus, & perſonis in contrarium, forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 10. Volumus autem, quòd præſentes litteræ in valuis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerint, quoſcumque, tam in ſtatu noſtro temporali, quàm extra eum, vbique locorum perinde arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 11. Quodque earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra, vbique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, innouationis, inflictionis, impoſitionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno octauo 1631.

Quòd Itali extra Italiam non habitent in locis, vbi liber, & publicus cultus, ſiue vſus Catholicæ Religionis non exiſtat.

Clemens Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVm, ſicut non ſine magno animi noſtri dolore accepimus, quamplures Chriſti fideles ex diuerſis Italiæ partibus, eorum Patriis, vbi vera, & ſancta Catholica, & Apoſtolica Religio viget, & publicè prædicatur, deſcendentes, abeant in longinqua loca, vbi non ſolùm hæreſes impunè graſſantur, ſed, quod peius eſt, Catholicæ Religionis vſus publicè interdicitur, & prohibetur, quo fit, vt perſonę ibi permanentes, etiamſi Catholicæ ſunt, cogantur tamen cõtra eorum pia deſideria, ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio, aliiſque diuinis Officiis, ac ſanctorum Sacramẽtorum perceptione

in

in ſuarum animarum diſcrimen diutiùs carere.

§. 1. Quare nos, his, & aliis malis, & periculis inde prouenientibus, quantum cum Domino poſſumus, obuiare cupientes, hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, vt de cetero nullus Italus, ſiue mercator, ſiue cuiuſuis alterius conditionis, vel ſtatus exiſtat, quouis quæſito colore, prætextu, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in ciuitate, oppido, ſeu loco, vbi aliqua Eccleſia cum Parocho, vel Paſtore, ſeu Sacerdote Catholico non exiſtat, in qua liberè, & ſine omni periculo palàm, & publicè celebrari, & audiri poſſint ſacroſanctæ Miſſæ, & alia diuina Officia, & conciones, ac Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrari, mortuorum corpora ſepeliri, & cetera fieri, iuxta Ritum S. Romanæ Eccleſiæ.

§. 2 Vtque iidem Itali abſtineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum ſepulturis, filios ſuos de ſacro fonte leuari per hæreticos non permittant, nec ipſi viciſſim hæreticorum filios, niſi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, leuare præſumant. Medicorum quoque hæreticorum opera, neceſſitate ceſſante, & vbi adſit copia Catholici Medici idonei, non vtantur.

§. 3. Cùm verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, ſeu inhabitandum in partibus prædictis, id ſignificent ſuis Ordinariis, vel Inquiſitoribus locorum, à quibus ſeriò admoneantur, vt in eis perpetuò Catholicam, & Orthodoxam fidem conſtanter retinentes, & profitentes, piam, & Catholicam vitam ducant, Dominicos, & feſtos dies, abſtinentias, & ſacra ieiunia ab Eccleſia præcepta religioſè colant, atque omnem hæreſim, & errorem, hæreticos, ſchiſmaticos, & ab Orthodoxa fide aberrantes fugiant, & euitent, ac vt ſaltem ſingulis annis de eorum ſacramentali peccatorum confeſsione, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptione per eos facta fidem, ſeu teſtimonium ipſis Ordinariis, vel Inquiſitoribus in Italiam tranſmittant, ad quod & nos dictos Italos tenore præſentium teneri, & obligatos eſſe decernimus, & mandamus.

§. 4. Quòd ſi quis propriæ ſalutis immemor, contra præmiſſa facere præſumpſerit, poſſit aduerſus eum per locorum Ordinarios, & Inquiſitores hæreticæ prauitatis, vt de hæreſi ſuſpectum procedi.

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem, vt earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſimaſexta Iulij, milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, Pontificatus noſtri anno quinto.

Contra hæreticos in locis Italiæ, & Inſularum adiacentium quouis prætextu commorantes, eorumq; fautores.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſoris munus exigit, vt pro incumbente Dominici gregis cura, & ſollicitudine, Prædeceſſorum ſuorum conſtitutiones, eas præſertim, quæ ad ſacroſanctæ fidei Catholicæ conſeruationem pertinent, quo ſuum perpetuum ſortiantur effectum, & inuiolabiliter obſeruentur, innouet, & extendat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè compenſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſequentis, videlicet:

CLEMENS Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Cùm, ſicut non ſine magno animi noſtri dolore accepimus, quamplures Chriſti fideles ex diuerſis Italiæ partibus, eorum Patriis, vbi vera, & ſancta, Catholica, & Apoſtolica Religio viget, & publicè prædicatur, deſcendentes, abeant in longinqua loca, vbi non ſolùm hæreſes impunè graſſantur, ſed, quod peius eſt, Catholicæ Religionis vſus publicè interdicitur, & prohibetur, quo fit, vt perſonæ ibi permanentes, etiamſi Catholicæ ſint, cogantur tamen contra eorum pia deſideria ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio, aliiſque diuinis Officiis, ac ſanctorum Sacramentorum perceptione in ſuarum animarum diſcrimen diutiùs carere. Quare nos his, & aliis malis, & periculis inde prouenientibus, quantum cum Domino poſſumus, obuiare cupientes, hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, vt de cetero nullus Italus, ſiue mercator, ſiue cuiuſuis alterius conditionis, vel ſtatus exiſtat, quouis quæſito colore, prætextu, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in ciuitate, oppido, ſeu loco, vbi aliqua Eccleſia cum Parocho, vel Paſtore, ſeu Sacerdote Catholico non exiſtat, in qua liberè, & ſine omni periculo palàm, & publicè celebrari, & audiri poſſint ſacroſanctæ Miſſæ, & alia diuina Officia, & conciones, ac Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrari, mortuorum corpora ſepeliri, & cetera fieri, iuxta Ritum S. R. E. vtque iidem Itali abſtineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum ſepulturis, filios ſuos de ſacro fonte leuari per hæreticos non permittant, nec ipſi viciſſim hæreticorum filios, niſi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, leuare præſumant. Medicorum quoque hæreticorum opera, neceſſitate ceſſante, & vbi adſit copia Catholici Medici idonei, non vtantur. Cùm verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, ſeu inhabitandum in partibus prædictis, id ſignificent ſuis Ordinariis, vel Inquiſitoribus locorum à quibus ſeriò admoneantur, vt in eis perpetuò Catholicam, & Orthodoxam fidem conſtanter retinentes, & profitentes, piam, & Catholicam vitam ducant, Dominicos, & feſtos dies, abſtinentias, & ſacra ieiunia

ab Ecclesia præcepta religiosè colant, atque omnem hæresim, & errorem, Hæreticos, Schismaticos, & ab Orthodoxa fide aberrantes fugiant, & euitent, ac vt saltem singulis annis de eorum sacramentali peccatorum confessione, & Sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta, fidem, seu testimonium ipsis Ordinariis, vel Inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod & Nos dictos Italos tenore præsentium teneri, & obligatos esse decernimus, & mandamus. Quòd si quis propriæ salutis immemor, contra præmissa facere præsumpserit, possit aduersus eum per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæreticæ prauitatis, vti de hæresi suspectum procedi. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, vt earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 26. Iulij 1595. Pontificatus nostri anno quinto.

Nos inuiolabili dictarum Clementis litterarum, & in eis contentorum quorumcumque obseruationi, quantum Nobis ex alto conceditur, per amplius prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione easdem Clementis Prædecessoris litteras, cum omnibus, & singulis in eis contentis, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illasque innouamus, ac inuiolabiliter obseruari mandamus. Insuper, ne vllus hæreticus in locis Italiæ, & Insularum adiacentium, neque etiam sub commercij, & mercimonij, aut alio quouis prætextu domicilium contrahere, seu domum apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis cõcessam, seu habitare, aut morari possit, earumdem tenore præsentium prohibemus, ac respectiuè statuimus, & ordinamus. Contra prohibitioni autem, ac statuto, & ordinationi nostris huiusmodi non parentes, seu contrauenientes, cuiusuis status, gradus, Ordinis, dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis existentes, iuxta formam iuris procedatur, & puniantur. Et simili modo eos, qui hæreticos prædictos receptauerint, eisque quoquo modo contra præsentium litterarum tenorem, fauorem, opem, seu auxilium præbuerint, vti fautores, & receptatores hæreticorum puniri, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & de latere Legatos (sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) vbique iudicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extrà, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ: quodque eædem præsentes post duos menses à die illarum publicationis computandos, omnes, & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 2. Iulij 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

S. Card. S. Svsannæ.

Reuocatio facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo cõcessarum, cognoscendi causas suorum subditorum, ad Officium S. Inquisitionis hæreticæ prauitatis quomodolibet pertinẽtes.

Paulvs Episcopus, seruus seruorum Dei,

Ad futuram rei memoriam.

ROmanus Pontifex ea interdum, quæ à Prædecessoribus suis, temporum, & rerum qualitate id tunc exposcente, proinde pro hæresum extirpatione sancita sunt, nouis emergentibus rationibus reuocat, & immutat, aliaque desuper disponit, & ordinat prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Dum siquidem fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster sua perpetuò valitura constitutione statuit, ordinauit, & declarauit, quòd ex tunc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus Inquisitores hæreticæ prauitatis, tam generales, quàm in quibusuis Prouinciis, ciuitatibus, oppidis, terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium Professores, & Religiosos, ac etiam alios quoscunque quouis modo priuilegiatos, & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodo ab eorumdem Professorum, & Religiosorum Superioribus, vel Prælatis in causis huiusmodi præuenti non fuissent, ruxta facultates Officij Inquisitionis ipsius prauitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos, secundùm Canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac aliàs prout in litteris ipsius Pij Prædecessoris latiùs continetur.

§. 2. Cùm autem rerum vsu compertum sit, occasione præuentionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causæ huiusmodi ea, qua decet diligentia, cognoscantur; Nos de consilio venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum illa de medio tollere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuò valitura constitutione omnia, & quæcumque priuilegia, indulta, facultates, & concessiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumque Ordinum, siue Mendicantium, siue Clericorum Regularium, cuiusuis Ordi-

Ordinis, & inſtituti, etiam in dicta conſtitutione non expreſſorum, & quantumuis exemptorum, & quocũque nomine nuncupentur per dictum Pium, ac quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſa, approbata, & innouata, & quantumuis etiam longiſſimo tempore obſeruata, cauſas ad dictum Officium quouis modo ſpectantes, cognoſcendi, & terminandi, ſeu in illis quoquo modo ſe intromittendi; quorum omnium, & ſingulorum tenores, etiamſi de illis ſpecialis, & expreſſa mentio habenda eſſet, præſentibus pro plenè, & ſufficiẽter expreſſis, & inſertis habentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò caſſamus, reuocamus, & abolemus, ipſiſque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cetero quouis quæſito colore, vel prætextu prætenſionis, vel conſuetudinis, & præſcriptionis immemorabilis, ſeu cognoſcendi, an delationes huiuſmodi calumnioſæ ſint, nécne in eiſdem cauſis, tam motis, quàm mouendis, quoquo modo ſe intromittere, ſe immiſcere, denuntiationes recipere, & teſtes examinare, proceſſus conficere, cauſas ipſas cognoſcere, definire, vel terminare minimè audeant, ſeu præſumant, ſimili auctoritate diſtrictiùs inhibemus.

§. 3. Volentes, & expreſsè mandantes, vt ipſi Religioſi poſſint, & debeant omnes, etiam Ordinum huiuſmodi profeſſores de hæreſi ſuſpectos, Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus liberè denuntiare, abſque eo, quòd Superiores prædicti perſonas denuntiandas, & cauſas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, ſeu præſumant.

§. 4. Inſuper omnes, & quaſcumque cauſas ad dictum Officium quomodolibet ſpectantes, & pertinentes, coram Generalibus, Superioribus, & Prelatis huiuſmodi in quibuſcumque locis exiſtentibus, ac contra quoſcumque Religioſos, vt præfertur, exemptos, motas, & pendentes, ad nos harum ſerie auocamus, eaſque omnes in ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, ipſius prauitatis Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus terminandas committimus.

§. 5. Præterea à ipſis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, vt omnes proceſſus, & acta cauſarum huiuſmodi Inquiſitoribus, ſeu Ordinariis prædictis reſpectiuè remittant, & conſignent, necnon Profeſſores, Fratres, & Religioſos ſupradictos, quos hæreſis labe infectos, vel ſuſpectos, etiam in viſitatione eſſe nouerint, abſque alia conſultatione cum propriis Superioribus facienda, eiſdem Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus reſpectiuè denuntient.

§. 6. Quòd ſi Generales, aliique prædicti præſentibus litteris non parueriṅt, eos omnes priuationis quarumcumque dignitatum, ſeu Prelaturarum, vel officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad eaſdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officij ſtatutas, & inflictas pœnas, aliaſque cenſuras Eccleſiaſticas, etiam excommunicationis maioris latæ ſententiæ, à quo non niſi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipſo incurriſſe.

§. 7. Necnon præſentes litteras, licet Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicumque alij quauis auctoritate, dignitate, vel officio, ſeu honore fulgentes in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac de omnibus inuiolabiliter obſeruari, ſicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 8. Non obſtantibus prædicta, ac quibuſuis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum, & Inſtitutorum quorumcumque iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate aliqua roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, Priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eiſdem Ordinibus, eorumque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac perſonis etiam per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Sedem prædictam, & per nos quouis modo conceſſis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus, ac aliis omnibus, quæ præſentibus quomodolibet obſtare poſſent, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum tenores pro plenè, & ſufficienter præſentibus expreſſis, & totaliter inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, & ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 9. Vt autem præſentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, néve aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas ſe excuſare valeat, illas in valuis ſancti Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, Baſilicarum de vrbe, neçnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac acie Campi Floræ de more affigi, & publicari, earumque exempla inibi affixa dimitti, ac poſt publicationem huiuſmodi omnes, & ſingulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 10. Quodque earum tranſumptis etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem in iudicio, & extra, vbique gentium, & locorum adhiberi volumus, & mandamus, quæ eiſdem originalibus litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ, & nihilominus, vt ad maiorem notitiam ſingulorum, & quorumcumque Religioſorum

prædictorum preſentes deueniant, etiam volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Superioribus, & Prælatis prædictis vt in primis proximis futuris Capitulis, ſeu Congregationibus Prouincialibus, vel Generalibus cuiuſcumque Prouinciæ, tam in Italia, quàm extra, præſentes noſtras litteras legi, & publicari faciant, & procurent.

§. 11. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1606. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Innouatio conſtitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione B. Mariæ Virginis, editarum. Impoſitioq; maiorum pœnarum in tranſgreſſores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus puniendos.

PAVLVS Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

REgis pacifici, quamquam nullo noſtro merito diuina diſpenſatione vices gerentes in terris, ex muneris noſtri debito, pacis, & concordiæ inter Chriſti fideles, præſertim Eccleſiaſticas perſonas, quæ aliis in viam pacis dirigendis, & in vnitate ſpiritus continendis ſunt præpoſitæ, conſeruationi ſedulò inuigilare cupientes. ea, quæ à Prædeceſſoribus noſtris Roman. Pontif. ad ſcandalorum ſemina tollenda ſalubriter conſtituta ſunt, cum hoſtis antiqui inſidiis, qui ab initio diſſidia ſerere cœpit, minimè obſeruari, aut variis modis eludi dignoſcuntur, vt inuiolata ſeruentur, opportunis remediis, quantum cum Domino poſſumus, prouidemus.

§. 1. Olim ſiquidem per felicis recordationis Sixtum Papam Quartum Prædeceſſorem noſtrum, accepto, quòd nonnulli diuerſorum Ordinum Prædicatores in ſuis ſermonibus ad Populum publicè per diuerſas ciuitates, & terras affirmare non erubuerant, & quotidie prædicare non ceſſabant, omnes illos, qui tenebant, aut aſſerebant, glorioſam & immaculatam Dei Genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos, eiuſdemque immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audienteſque ſermones illorum, qui eam ſine huiuſmodi macula conceptam eſſe affirmabant, graniter peccare; ſed & prædictis Prædicationibus non contenti, confectos ſuper eiſdem ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderant, ex quorum aſſertionibus, & prædicationibus non leuia ſcandala in mentibus fidelium exorta erant, & maiora meritò exoriri formidabantur in dies, idem Sixtus Prædeceſſor huiuſmodi temerariis auſibus, & peruerſis aſſertionibus, & ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poterant, obuiare volens, huiuſmodi aſſertiones prædictorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos, qui crederent, aut tenerent eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiuſmodi officium Conceptionis celebrantes, ſeu huiuſmodi ſermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, vtpote falſas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editoſque deſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc reprobauit, & damnauit, ac ſtatuit, & ordinauit, quòd Prædicatores verbi Dei, & quicumque alij, cuiuſcumque ſtatus, gradus, aut Ordinis, & conditionis eſſent, qui auſu temerario præſumerent in eorum ſermonibus ad Populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare, huiuſmodi ſic per eum improbatas, & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrent, à qua ab alio, quàm à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, nequirent abſolutionis beneficium obtinere. Similique pœnæ, & cenſuris ſubiecit eos, qui auſi eſſent aſſerere contrariam opinionem, tenentes videlicet, Glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum id eſſet à Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum.

§. 2. Hanc verò Sixti Prædeceſſoris conſtitutionem Oecumenica Tridentina Synodus poſteà innouauit.

§. 3. Ac deinde ſimilis recordationis Pius Papa V. etiam Prædeceſſor noſter, ſtatuit, ordinauit, & mandauit, quatenus nemo cuiuſcumque Ordinis, vel dignitatis exiſteret, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiſcua virorum, & mulierum multitudo conuenire ſolet, de huius controuerſiæ alterutra parte diſputare rationibus, vel Doctorum auctoritate, aſſerendo propriam ſententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando, aut de hac ipſa quæſtione cuiuſuis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumeret; qui contrafaceret, ſuſpenſionis pœnam à diuinis abſque noua declaratione ipſo facto incurreret, ſi modò eſſet in ſacris conſtitutus, & quocumque prætereà gradu, ſiue dignitate, vel adminiſtratione fungeretur, illis omnibus foret ipſo iure priuatus, & ad eadem, vel ſimilia munera obtinenda, vel obeunda, perpetuæ inhabilitatis cenſuræ, ipſo etiam facto obnoxius foret, ſuper quibus niſi à Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, diſpenſari, ſiue abſolui non poſſet, & nihilominus aliis pœnis, ſi opus foret, à proprio Prælato pro delicti menſura infligendis ſubiectus eſſet, prout ſubiecit.

§. 4. Ceterùm quamdiu per Apoſtolicam Sedem altera pars diffinita non eſſet, oppoſitaque ſententia condemnata, liceret viris doctis in publicæ Academiæ diſputationibus, ſiue Generalium, aut Prouincialium Capitulorum, vel vbi aliàs intereſſent, qui rem capere poſſent, nec ſcandali vlla ſubeſſet occaſio, de illa quæſtione diſſerere, & argumentis vtramlibet partem aſſerere, vel impugnare. Dum tamen neutra veluti erronea prædicaretur, ſeruarenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto Prædeceſſore ſtatuta ſunt, quorum ſingula etiam quantum ad alias pœnas duxit innouanda, & innouauit, prout in Sixti, & Pij Prædeceſſorum litteris deſuper confectis pleniùs continetur.

§. 5.

§. 5. Verùm licet hæc prouidè ſtatuta ſint, nihilominus, ſicut accepimus, nonnulli in diuerſis Chriſtiani Orbis partibus, interminatis quæſtionibus nimis intenti, diſſenſionum huiuſmodi, iampridem Eccleſiæ diſciplinę vigore reciſa germina coaleſcere procurant, indeque contentiones, & rixæ non ſine Dei offenſa, & ſcandalo plurimorum exortæ ſunt, & grauiores in dies, ne exoriantur, periculum eſt, niſi à nobis opportunè prouideatur.

§. 6. Quamobrem Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, conſtitutionum Sixti, & Pij Prædeceſſorum huiuſmodi veriores tenores preſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, eaſdem conſtitutiones Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & etiam quoad earum pœnas quaſcumque, etiam abſolutionis reſeruationem innouamus, & inuiolabiliter ab omnibus, etiam Regularibus cuiuſcumque tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſonis, cuiuſuis ſtatus, gradus, Ordinis, & conditionis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, etiam ſi ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua earum eſſet neceſſariò facienda mentio, & obſeruari præcipimus, & mandamus, donec à Romana Apoſtolica Sede huiuſmodi controuerſia fuerit diffinita.

§. 7. Ac præterea, ſi quis quouis modo contrauenerit, præter ſupradictarum conſtitutionum pœnas reſpectiuè ipſo facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce actiua, & paſſiua in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione priuatus exiſtat. Necnon ad concionandi, & publicè legendi, docendi, & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas ſimiliter ipſo facto incurrat, abſque alia declaratione, à quibus non niſi à nobis ipſis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pariter abſolui, ſeu ſuper iis diſpenſari poſſit, & nihilominus aliis pœnis noſtro, & eorumdem Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis, ſubiiciatur, prout eum ſubiicimus per præſentes.

§. 8. Et contra huiuſmodi tranſgreſſores, etiam Regulares cuiuſuis Ordinis, & inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & ſæculares perſonas cuiuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, vt præfertur, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, aliique Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atque in eos ſeuerè animaduertant. Nos enim iis, & eorum cuilibet, contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iiſdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impertimur, eoſque, vt profertur, procedere, inquirere, & punire præcipimus, & mandamus.

§. 9. Non obſtantibus omnibus iis, & ſingulis, quæ tam Sixtus, quàm Pius Prædeceſſores prædicti in ſuis litteris huiuſmodi voluerunt non obſtare. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 10. Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd præſentes litteræ, ſeu illarum exempla, ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 11. Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Iulij 1616. Pontificatus noſtri anno 12.

Ampliatio, & declaratio prohibitionis aſſerendi B. Mariam Virginem conceptam fuiſſe in peccato originali.

IN Generali Congregatione ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico in Monte Quirinali coram Sanctiſſimo D. N. D. Gregor. Diuina prouidentia Papa XV. ac Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. DD. S. R. E. Cardinalibus aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis,

Feria 3. die 24. Maij anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1622.

SANCTISSIMVS D. N. auditis votis Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum Decretum aliàs editum à fel. rec. Paulo V. eius Prædeceſſore, tenoris ſequentis, videlicet:

Sanctiſſimus D. N. poſt longam, & maturam diſcuſſionem, auditis votis Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum, re accuratè, ac diligenter perpenſa prouidè conſiderans, quòd quamuis in conſtitutione fel. rec. Sixti IV. ſuper Conceptione B. V. Mariæ, pro ſubmouendis inter Chriſti fideles ſcandalis, rixis, & contentionibus edita à ſancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia conſtit. ſan. mem. Pij V. ſuper eadem re, quas ſimiliter Sanctitas ſua innouauit cum quibuſdam prouiſionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obſeruatione; relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi vtramque partem, quòd ſc. fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur; nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ in publicis cōcionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quòd eadem B. Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa, ſcandala, iurgia, & diſſenſiones. Propterea volens huiuſmodi ſcandalis, ex debito ſui muneris

prouidere, decreuit, & præcepit, ac præſentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis cuiuſuis Ordinis, & inſtituti Regularibus, & aliis quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſonis cuiuſuis conditionis, ſtatus, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticę, quàm ſæcularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua earum eſſet neceſſariò mẽtio facienda, vt in poſterum, donec articulus huiuſmodi à ſancta Sede Apoſtolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quòd eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, contrafacientes autem eadem Sanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis cõtentis in ſupradictis conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum, & ſua, ipſo facto incurrendis. Per huiuſmodi tamen prouiſionem Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſuprà diſpoſita. Vlteriùs ſub eiſdem cenſuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, ſeu tractent. Inſuper voluit, & expreſsè mandauit, vt extra hos caſus expreſſos publicorum actuum, in reliquis omnibus ſupradictæ conſtitutionis firmæ, & illæſæ remaneant, & exactè obſeruentur, perinde ac ſi præſens decretum non emanaſſet. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obſeruari: non obſtantibus in hac parte ſupradictis conſtitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc ſuo præſenti decreto ex eiſdem cauſis euitandi ſcandala, diſſenſiones, atque diſcordias in Populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriri poſſunt, &, vt accepit, in aliquibus Regionibus iam ortæ ſunt ex ſermonibus priuatis occaſione aſſertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & ſcripta; mandans, & præcipiens omnibus, & ſingulis ſupradictis, ne de cetero (donec articulus huiuſmodi à Sede Apoſtolica diffinitus, vel per Sanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum) neque etiam in ſermonibus, & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quòd eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiùs aliquo modo agere, ſeu tractare, exceptis tamen, quibus à ſancta Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas ſua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in ſupradicto fel. rec. Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita; eademque Sanctitas ſua voluit, & expreſsè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiuſmodi decretis non aduerſantur, conſtitutiones Sixti IV. Alex. VI. & Pij V. ac Pauli V. eius Prædeceſſorum ſuper Conceptione B. V. firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè obſeruentur, perinde, ac ſi huiuſmodi decretum non emanaſſet. Et inſuper eadem Sanctitas ſua cùm ſancta Romana Eccleſia de Beatiſſimæ Virginis Conceptione feſtum ſolemniter, & Officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm cuiuſuis Ordinis, & Inſtituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino Officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem Sanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis Conſt. ac prefato decreto ſuorum Prædeceſſorum ipſo facto incurren. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obſeruari, non obſtantibus in hac parte Conſtitut. ſupradictis, decreto præfato Pauli V. conſuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & ſingulis, quæ Prædeceſſores prædicti voluerunt non obſtare; ac aliis quibuſcumque in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro obſeruatione, & executione præſentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiuſmodi tranſgreſſores, etiam Regulares cuiuſuis Ordinis, & Inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas cuiuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, tam Epiſcopi, & Prælati Superiores, aliique Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis, vbique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſeuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi. Voluit demum, ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, quòd præſens Decretum, ſeu illius exempla ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, perinde, ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent, quodque præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

ANDREAS DE PETTINIS, S. Rom. & vniuerſ. Inquiſitionis Notarius.

Reuocatio quarumcumque conceſsionum viuæ vocis oraculo factarum, exceptis oraculis factis S.R. Eccleſiæ Cardinalibus, & eorum manu firmatis.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ diuina prouidentia conſtitutus, gratias, & indulta à ſe, & Prædeceſſoribus ſuis conceſſa, iuſtis interdum ſuadentibus cauſis, iuxta creditum ſibi Paſtoralis officij debitum moderatur, aut reuocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè

debitè penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Itaque Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula indulta, facultates, priuilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius ſpectan. ac tam ad ſupplicationem partium, quàm motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus à Sede Apoſtolica, quæ tamen viuæ vocis oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque ex quauis, etiam de neceſſitate exprimenda, cauſa, quibuſuis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam mendicantium, quàm non mendicantium, Societatibus, etiam Societati IESV, ac Congregationibus quibuſlibet; ſiue eorum, & earum reſpectiuè Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus; vel Prouincialibus, quocumque nomine nuncupatis; Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prędictæ immediatè ſubiectis, cuiuſcumque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſas, in iis videlicet, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac reuocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua perpetuò fore, & eſſe, neque in poſterum cuiquam ſuffragari poſſe, vel debere, neque aliquem iis de cetero vti vllo modo poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda eſſet, decernimus, & declaramus, firmis tamen, & in ſuo robore permanen. omnibus indultis, & aliis conceſſionibus prædictis, viuæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcumque fauorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerunt. Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui iure, vel in controuerſiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduerſus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuntios (ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritan. & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes (illis aliàs in ſuo robore permanſuris) hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quę præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla, ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 2. Iul. 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

S. CARD. S. SVSANNÆ.

Extenſio conſtitutionis rec. mem. Gregorij Papæ XV. reuocatoriæ conceſsionum viuæ vocis oraculo factarum.

VRBANVS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædeceſſor noſter, vt ſubnaſcentibus iugiter variis difficultatibus, & abuſibus ex priuilegiis à Sede Apoſtolica viuæ vocis oraculo ſæpenumero conceſſis obuiàm iret, conſtitutionem edidit tenoris ſubſequen. videlicet,

GREGORIVS Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in ſpecula Militantis Eccleſię diuina prouidentia conſtitutus, gratias, & indulta à ſe, & Prędeceſſoribus ſuis conceſſa iuſtis interdum ſuadentibus cauſis, iuxta creditũ ſibi Paſtoralis Officij debitum moderatur, aut reuocat, prout rerũ, & temporũ qualitatibus debitè penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Itaque Motu proprio & ex certa ſciẽtia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula indulta, facultates, priuilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius ſpectan. ac tam ad ſupplicationem partium, quàm motu, ſciẽtia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus à Sede Apoſtolica, quæ tamen viuæ vocis oraculo hactenus quãdocumque, & qualitercumque ex quauis, etiam de neceſſitate exprimenda cauſa,

cauſa, quibuſuis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam mendicantiũ, quàm non mendicantiũ, Societatibus, etiam Societati Iesv, ac Congregationibus quibuſlibet, ſiue eorũ, & earum reſpectiuè Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus generalibus, vel Prouincialibus, quocumque nomine nũcupatis; Superioribus etiã quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè ſubiectis, cuiuſcũque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſas, in iis videlicet, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac reuocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſq;, & effectu vacua perpetuò fore, & eſſe, neque inpoſterũ cuiquã ſuffragari poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda eſſet, decernimus, & declaramus, firmis tamen, & in ſuo robore permanen. omnibus indultis, & aliis conceſſionibus prædictis, viuæ vocis oraculo S.R. E. Cardinalibus ad ipſorũ, vel aliorum quorũcumque fauorẽ propria S.R.E. Cardinaliũ manu firmatis, pro ipſis, vel aliis factis, & de quibus iidem S.R.E. Cardinales teſtimoniũ in ſcriptis præbuerunt; decernentes, præſentes litteras, & in eis cõtenta quæcumque, etiã ex eo, quòd quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui iure, vel in cõtrouerſiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduerſus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remediũ impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ſicque per quoſcũque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nũtios (ſublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari & diffiniri debere, ac irritũ, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis ſub quibuſcũque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritan. & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro plenè & ſufficiẽter expreſsis, & ad verbum inſertis habentes (illis aliàs in ſuo robore permanſuris) hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadẽ prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forẽt exhibitæ, vel oſtẽſæ, quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarũ exempla, ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud S. Mariã Maiorẽ ſub Annulo Piſcatoris die 2. Iulij 1622. Põtificatus noſtri anno ſecundo.

S. Card. S. Svsannæ.

Cùm autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſsiones, & gratias viuæ vocis oraculo, etiam à S.R.E. Cardinalibus obtẽtas, & ipſorum manu firmatas ſæpè ab his, in quorũ fauorem emanarunt, minùs canonica interpretatione extendi, & perperàm in diſciplinę Eccleſiaſticæ detrimẽtum executioni demandari: idcircò quantum cum Domino poſſumus, his, & aliis malis occurrere volentes, Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & de conſilio nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorũ S.R. E. Cardinalium, quibus negotiũ huiuſmodi maturè diſcutiendum cõmiſimus, omnia, & ſingula priuilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcumque per Summos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac per nos viuæ vocis oraculo, & S.R.E. prædictæ Cardinalium quorũcumque manu firmata, quibuſcumque Generalibus, Prouincialibus, ceteriſque Superioribus, & perſonis cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, ſiue ſæcularibus, ſiue Regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Societati Iesv, aut eius Clericis, ſeu Presbyteris, aliiſque perſonis prædictis, quacumque de cauſa, etiam de neceſsitate exprimenda, occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet conceſſa, illorum tenores præſentibus, pro expreſsis habentes, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cetero reuocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nulliſque prorſus deinceps ſuffragari poſſe, nec debere declaramus. Præterea, vt præſentes litteræ omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quanto citiùs innoteſcant, omnibus, & ſingulis generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus, quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesv, & Inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac priuationis Officiorum, & dignitatum, necnon vocis actiuæ, & paſsiuæ pœnis ipſo facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, vt infra tres menſes proximos à die publicationis præſentiũ computãdos, omnes, & ſingulos

Prouin-

Prouinciales eorumdem ſuorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis IESV, & Inſtitutorum, de eiſdem præſentibus litteris certiores faciant, earumdemque præſentium exemplaria illis tranſmittant, qui quidem Prouinciales ſub eiſdē pœnis teneantur ſingulis Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, domorū, & locorum Regularium præcipere, vt eaſdem præſentes ſubditis ſuis, vt moris eſt, publicent. Decernentes præſentes litteras, etiam ex eo, quòd quicūque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prętendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, inualidari, redargui, in ius, vel cōtroueſiam vocari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, ſiue aduerſus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remediū impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcumque Iudices, Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſt. Audit. (ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicādi, & interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his à quoquā, quauis auctoritate ſcienter, vel ignorāter contigerit attentari. Non obſtan. prędinſertis litteris huiuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, etiam regula noſtra de non tollendo iure quęſito, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, eiſdem Card. ac Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, eorumque Superioribus quocumque nomine nuncupatis ſub quibuſcumque verborum formis, & ten. ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in cōtrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autē, quòd præſentiū tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cōſtitutæ munitis, eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes litteræ, ſiue illarum exempla ad valuas Baſilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ huiuſmodi ſimiliter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 20. Decembr. 1631. Pontif. noſtri anno nono.

M. ANTONIVS MARALDVS.

Die, & anno ſupradicto affixa, & publicata fuit ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum, ac in acie Campi Floræ, aliiſq; locis ſolitis, & conſuetis, vt moris eſt, per me Andream Scalamum, Sanctiſſ. D.N. Papæ Curſorem.

Romæ ex Typographia Reuerēdæ Camerę Apoſt.

Reuocatio licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

VRBANVS Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

APoſtolatus Officium nobis, nullo licet meritorum ſuffragio, diuina prouidentia commiſſum poſtulat, vt ad ea vigilantiæ noſtræ partes propenſiùs intendamus, per quæ Religio Catholica, vbi diuina gratia illæſa viget, conſeruetur, & vbi reſtitutione indiget, reparetur.

§. 1. Quapropter, cùm librorum prohibitorū lectio magno ſinceræ fidei cultoribus detrimento eſſe noſcatur, & ſicut accepimus, nimis exceſſiua ſit, huiuſmodi libros legendi, licentiarū copia; Nos, vt huic malo maturè occurratur, & in poſterū quàm cautiſſimè licentiæ huiuſmodi concedantur, quantum cum Domino poſſumus, prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas licentias legēdi, & habendi libros quoſcumque ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, ſeu per conſtitutiones Apoſtolicas, etiam ratione Aſtrologiæ iudiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuſcūque perſonis laicis, & Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus cuiuſcumque Ordinis, Societatis, & Inſtituti exiſtentibus, ac quacūque dignitate, etiam Eccleſiaſtica fulgentibus, cuiuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali nota, & mētione dignis, ac per litteras Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocumque, ex quacumque cauſa, tam in forma, quàm aliter quomodocumque à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu à quibuſcumque aliis à nobis, vel ab eis facultatē, & auctoritatē habentibus, non tamen à nobiſmetipſis per litteras Apoſtolicas, etiam in forma Breuis, ſeu chirographum manu noſtra ſignatum, conceſſas, earum tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, reuocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro reuocatis, caſſis, & annullatis habere, nullique ſuffragari.

§. 2. Quinimò libros, per licentias huiuſmodi permiſſos legentes, aut habentes, pœnas in ſacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

§. 3. Decernentes, vt præſentes litteræ, poſtquam in valuis Baſilicarum ſancti Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, infra duos citra montes, vltra verò mōtes, infra quatuor mēſes ex tunc proximos, omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, arctent, & afficiāt, perinde, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent;

sent;quodque dictis duobus,& respectiuè quatuor mensibus durantibus ij, qui libros prohibitos huiusmodi habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem,qui illos quanto citiùs comburere debeat, deferre; quique aliquos similes libros prohibitos habere sciuerint, eos denuntiare teneantur, neque de cetero similes licentiæ, nisi à Congregatione sancti Officij, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputãdis cõcedantur.

§. 4. Ac quòd earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur,si forét exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris,die 2. Aprilis 1631. Pontificatus nostri anno octauo.

Diffinitio quoad Imagines nondum à Sede Apostolica Canonizatorum,vel Beatificatorum cum radiis, splendoribus,& laureolis proponendas,vel tabellas,& luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & cum attestationibus desuper præponendis, recipienda, & asseruanda, siue eorum miracula in imprimendis libris enarranda.

Feria 5. die 13. Martij anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1625.

SANCTISSIMVS D.N. sollicitè animaduertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum sanctitatis,aut martyrij fama, vel opinione defunctis, qui etsi neque canonizationis, neque beatificationis honore insigniti sint ab Apost.Sede; eorum tamen imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis,ac etiam priuatis,cum laureolis, aut radiis,seu splendoribus proponuntur, miracula, & reuelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur,& ad illorum sepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda,& lampades, & alia lumina apponuntur. Volensque proinde huiusmodi abusibus pro debito Officij Pastoralis occurrere (re etiam cum Illustriss.& Reuerendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in vniuersa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus communicata, & maturè considerata,ac discussa) declarauit, statuit,& decreuit,ne quorumuis hominum,cum sanctitatis,seu martyrij fama (quantacumque illa sit) defunctorum imagines,aliaque prędicta,& quodcumque aliud venerationem,& cultum pręferens, & indicans,in Oratoriis, aut locis publicis,seu priuatis,vel Ecclesiis,tam sæcularibus, quàm Regularibus, cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur,&(si quæ appositæ sunt) amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit.

Ac pariter imprimi de cetero inhibuit libros eorumdem hominum, qui sanctitatis, siue martyrij fama,vel opinione(vt præfertur)celebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quascumque beneficia tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione,atque approbatione Ordinarij, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios ac doctos viros in consilium adhibeat,& ne deinde fraus,aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostol. transmittat, eiusque responsum expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressæ sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulchra,vetuit etiam,ac inhibuit,tabellas, atque imagines ex cera, aut argento,seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque exsculptas, appendi, seu affigi, & lampades,siue alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnino(prout suprà) facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quòd per suprascripta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per cummunem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum,aut per Patrum, virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur.

Vt autem præmissa diligentiùs obseruentur,vniuersis,& singulis, tam Ordinariis, quàm hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districtè præcipit, vt in sua quisque diœcesi, vel Prouincia sedulò peruigilet, ne sine approbationibus prædictis, imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliáve contra superiùs disposita, fiant: transgressores verò,si Regulares fuerint, priuationis suorum officiorum,ac vocis actiuæ, & passiuæ, necnon & suspensionis à diuinis; si verò Clerici sæculares, priuationis pariter suorum officiorum, suspensionis à Diuinis, & ab administratione Sacramentorum,executioneque suorum Ordinum respectiuè, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint,aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo affinxerint,vel formauerint, ceterique artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant; & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem,eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi,voluit,vt Decretum huiusmodi, seu illius exemplum ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum vrbis,ac in acie Campi Floræ affixum,omnes proinde arctet,atque afficiat,ac si vnicuique personaliter intimatum fuisset; quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici

blici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Poſtmodum verò idem Sanctiſſ. D.N. à quibuſdam reuocari in dubium accepit, an tabellas & imagines, quas in poſterum offerri contigerit, recipere, & anteà oblatas conſeruare liceret; Sanctitas ſua, quæ tantummodò voluit, occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viâ ad eorum in terris gloriam, quorum ſanctimoniâ diuinæ Clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare; te priùs cum Illuſtriſſ. & Reuerend. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus communicata, præſenti Decreto declarauit. Quòd ſicut numquam prohibuit, nec ſuæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & imaginum huiuſmodi, ita vt nulli deinceps hæſitationi locus relinquatur, ſtatuit inpræſentiarum, & decernit, vt quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locúmve alium publicum ſæcularem, ſeu Regularem tabellas, & imagines, aliúdve ſimile quiſpiam detulerit, ac interceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcriptorum, quamuis cum Martyrij, vel Sanctitatis fama demortuorum, optata ſe impetrauiſſe dixerit, liceat Eccleſiaſticis perſonis, Eccleſiarum, locorúmve prædictorum curæ Præpoſitis, tabellas, & imagines, ſiue pictas, ſiue ex quauis materia factas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia ſimul cum deferentis, aliorumque, qui conſcij fuerint atteſtationibus recipere; atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia teneantur, in ſecreto aliquo, ſeorſum ab Eccleſia loco cuſtodire; ibidemque iam amota collocare, & aſſeruare, vt ſi quando Dominus talium virorum merita beatificationis, ſeu canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiuſmodi Sanctitatis qualeſcumque probationes, Apoſtolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Prohibitio, ne degentes in ſtatu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiecto libros ab eis vbicũque compoſitos de quacumque materia tractantes, abſque Cardinalis Vicarij, & Magiſtri ſacri Palatij in Vrbe, & extra eam abſque Ordinarij & Inquiſitoris loci licentia deferant, aut imprimendos tranſmittant.

Feria 5. die 18. Septembris 1625.

IN generali Congregatione ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſ. D.N.D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Illuſtriſſ. & Reuerend. DD. S.R.E. Cardinalibus, aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SANCTISSIMVS D.N. pro debito ſui Paſtoralis Officij corrigere volens abuſus nonnullorũ in ſtatu Sedi Apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubiecto exiſtentium, qui libros à ſe compoſitos extra præfatum ſtatum abſque vlla Ordinariorum, & Inquiſitorum loci, vbi degunt, approbatione imprimendos tranſmittunt; ſtatuit, & decreuit, vt in poſterum nemo in ſtatu prædicto degens, cuiuſuis conditionis, gradus, Ordinis, & dignitatis exiſtat, libros de quauis materia tractantes, & vbicumque compoſitos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos ſine expreſſa in ſcriptis approbatione Illuſtriſſ. & Reueren. D. Cardinalis S. D.N. Vicarij & Magiſtri S. Palatij, ſi in vrbe; ſi verò extrà vrbem exiſtat, ſine Ordinarij, & Inquiſitoris loci illius, ſiue ab iis deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda: libros autem, quos contra præſentis decreti tenorem imprimi contigerit; præter alias pœnas arbitrio ſuæ Sanctitatis infligendas, abſque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expreſsè prohibitis haberi vult, & mandat. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus, &c.

Io. ANTONIVS THOMASIVS S. Rom. & vniuerſ. Inquiſitionis Not.

Sanctiſſimi D.N. Vrbani Papæ VIII. declaratio, quòd conſtitutiones Apoſtolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & ſanctæ Inquiſitionis Officium hactenus editæ, & in poſterum etiam ſuper quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant; niſi illi in edendis ſpecialiter excipiantur.

VRBANVS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm, ſicut accepimus, S. Benedicti, Ciſtercien. Præmonſtrat. S. Antonij de S. Antonio Viennen. Societatis IESV, ac aliorum forſan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorũ Regularium Profeſſores vigore, ſeu prætextu priuilegiorum, & indultorum ſibi, dictiſque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & inſtitutis, ab hac ſancta Sede Apoſtolica, tã per viam moræ conceſſionis, quàm cõmunicationis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter conceſſorum in conſtitutionibus generalibus à Nobis, & dicta Sede hactenus editis, & de cetero edendis ſe minimè comprehendi prætendant, niſi de eis ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa mentio fiat.

§. 1. Nos, qui inter grauiſſimas, multipliceſque Apoſtolatus noſtri curas in eam præcipuo, ac peculiari ſtudio iugiter incumbimus, vt extirpatis hęreticarum prauitatum erroribus, Catholica fides vbique gentium conſeruetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportunæ diſpoſitionis miniſterio prouidere volentes, vt tot, tantæque conſtitutiones generales à Nobis, & hac ſancta Sede, & præſertim ad fauorem fidei Catholicæ, illiuſque propagationem, & Officij S. Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem editæ, & de cetero edendæ, ſublatis quibuſlibet exceptionibus, ſubterfugiis, & impedimentis ad maiorẽ Dei gloriam; ſanctæque Matris Eccleſiæ exaltationem debitum, vt par eſt, ſortiantur effectum, necnon quorumcumque priuilegiorum, gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacumque cauſa conceſſorum, etiamſi in corpore iuris clauſa ſint, tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata inſerti

ſerti forent, eiſdem præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine.

§. 2. Quòd quæuis generales conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes Apoſtolicæ per Nos, & quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros in cõcernentibus fidẽ Catholicã, illiuſque propagationẽ, S. Inquiſitionis officium præfatũ, præſertim quoad ea, quæ in Congregationibus S. Officij & propaganda fide coram nobis tractari ſolẽt, hactenus editæ, omnes, & ſingulos, tam S. Benedicti, Ciſterc. Præmonſtrat. S. Antonij de S. Antonio Viennen. & Societ. IESV præfatorum; quàm quorumcumque aliorum Ordinũ, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorũ Profeſſores omnino cõprehendant, perinde, ac ſi præfati, & alij quãtumlibet priuilegiati in eis nominatim expreſſi fuiſſent; edẽdæ verò in poſterũ per Nos, & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, tam in fauorem præfatæ fidei Catholicæ, illiuſq; propagationis, & S. Officij Inquiſitionis præfati, quàm ſuper quacũque alia re, negotio, ſeu materia, conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes huiuſmodi ſimiliter omnino comprehendant prefatos eorumdẽ Ordinum, Congregationũ, Societatum, & Inſtitutorum Profeſſores, niſi in edendis cõſtitutionibus huiuſmodi ſpecialiter, & expreſsè excipiantur, etiam ſi ipſi priuilegiati forent magis ſpeciali nota & expreſſione digni, eiſque priuilegia, gratię, & indulta, à Sede Apoſtolica præfata, etiam ſub quibuſcũque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarũ derogatoriis, aliiſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiã Motu, ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine ſimilibus, & conſiſtorialiter, etiam contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & aliorũ Principũ, tam per viam meræ conceſſionis, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet conceſſa reſpectiuè ſint, quorum, ſeu quarum vigore, vel prætextu ſint excepti, ſeu ſe minimè comprehendi prętendant, in conſtitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenã, & expreſsã eorũ mentionẽ.

§. 3. Præſentes verò litteras, omniaque, & ſingula in eis contenta, etiam ex eo, quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum huiuſmodi Profeſſores, vel alij quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu quomodolibet habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi, ac cauſę propter quas eædem præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, ſeu aliàs iuſtificatæ non fuerint, vllo vnquã tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quouis, etiam quantumuis ſubſtantiali defectu notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuerſiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ, vel iuſtitiæ remedium impetrari nullatenus poſſe, neque ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, pro tempore quomodolibet facien. comprehendi.

§. 4. Sed ſemper ab illis exceptas, ſemperque valid as, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſq; plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari, ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiã cauſarũ Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæq; Sedis Nuntios, ſublata eis, & eorũ cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquã, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 5. Non obſtan. regula noſtra de iure quæſito non tollendo, ac quibuſuis aliis cõſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon tam S. Benedicti, Ciſtercien. Præmonſtr. S. Antonij de S. Antonio Viennen. & Societ. IESV præfatorum, quàm quorumcũque aliorum Ordinum, Cõgregationũ, Societatum, & Inſtitutorũ, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, & priuilegiis, necnõ præfatis, & quibuſuis aliis priuilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiã Mare magnũ, & aliàs quomodolibet nuncupatis eiſdẽ Ordinibus, Cõgregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, eorumq; Superioribus, bonis, rebus, monaſteriis, locis regularibus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis, etiã derogatoriarũ derogatoriis, aliiſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliis in contrarium præmiſſorũ quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſeruãda foret, illorũ omnium & ſingulorũ tenores præſentibus pro plenè & ſufficiẽter expreſſis, & ad verb. inſertis habẽtes, illis aliàs in ſuo robore permãſuris, hac vice dũtaxat ſpecialiter expreſsè derogamus, ceteriſq; cõtrariis quibuſcũque.

§. 6. Volumus autẽ, quòd præſentium tranſumptis, etiã impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 5. Nouembris 1631. Pontificatus noſtri anno nono.

M. A. MARALDVS.

Sequuntur decreta, & aliæ Bullæ ad eamdem materiam S. Inquiſitionis ſpectantes.

De Iudæorum flagitiis, in qua hæreticæ prauitatis Inquiſitores animaduertere poſſunt.

GREGORIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei,

Ad futuram rei memoriam.

Anti-

ANtiqua Iudæorum improbitas, qua diuinæ bonitati ſemper reſtiterunt, tantò execratior conſiſtit in filiis, quantò ipſi ad cumulandã patrum ſuorum menſuram in Dei filio repudiando, ciuſque in mortẽ nefariè conſpirãdo, grauiùs deliquerunt, qui propterea à ſuis effecti maioribus nequiores, propriis ſedibus expulſi, atque in omnes diſperſi orbis terrarũ regiones, ſeruitutiq; perpetuæ mancipati, non maiorẽ in cuiuſquã ditione clementiam quàm in Chriſtianorum Prouinciis, maximè verò in Apoſtolicæ pietatis gremio inuenerunt, quæ pro eorum conuerſione laborans, eos miſericorditer excepit, atque in cohabitatione vnà cum filiis ſuis ſuſtinuit, ad veritatis lumen allicere pio ſemper ſtudio conata eſt, rebuſque ad vitam neceſſariis iuuit, iniuriis, & contumeliis prohibuit, multis denique beneficentiæ ſuæ priuilegiis circummunuit. Illi verò nullis beneficiis manſuefacti, nihilque de ſuo priſtino ſcelere remittentes, Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ in cælo triumphantẽ adhuc in Synagogis ſuis, & vbique perſequuntur. Chriſti quoque mẽbris infenſiſſimi non deſinunt in Religionẽ Chriſtianam horrenda facinora quotidie magis audere.

§.1. Quibus nos, ne pietatis noſtræ puritas polluatur, aut à fœdis mancipiis Chriſti, Chriſtianorúmve nomini impunè illudatur, obuiare volentes ſtatuimus, ac etiam declaramus, Inquiſitores hæreticæ prauitatis liberè procedere poſſe in omnibus cauſis, & caſibus, qui ſequuntur.

§.2. Si quis Iudæus aut infidelis in iis, quæ circa fidem cum illis nobis ſunt cõmunia, veluti Deum vnum, & æternũ, omnipotentẽ, Creatorẽ omnium, viſibilium, & inuiſibiliũ, & ſimilia non eſſe aſſeuerit, prædicauerit, vel priuatim alicui inſinuauerit.

§.3. Si dæmones inuocauerit, conſuluerítve, aut eorum reſponſa acceperit, ad illóſve ſacrificia, aut preces ob diuinationem, aliámve cauſam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris, alteriúſve rei fumigationes obtulerit, aut alia quæuis impietatis obſequia præſtiterit.

§.4 Si Chriſtianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiuſmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit.

§.5. Si Saluatorem, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum purum hominem, vel etiam peccatorem fuiſſe, Matrémve Dei non eſſe Virginem, & alias huiuſmodi blaſphemias, quæ per ſe hæreticæ dici ſolent, in Chriſtianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerit.

§.6. Si cuiuſuis eorum operâ, auxilio, cõſilio, vel fauore aliquis Chriſtianus à fide deſciuerit, quamque ſemel ſuſceperat abnegauerit, vel ad Iudæorũ, ſeu aliorum infidelium ritus, cæremonias, ſuperſtitiones, vel impias ſectas tranſierit, vel redierit, ſeu in hæreſim aliquã inciderit, aut qui, vt Chriſti fidẽ abneget, ſeu in hæreſim incidat, opem, conſilium, auxilium, vel fauorẽ quomodocumque præſtiterit.

§.7. Si quis Catechumenum, vel quemcumque ex Iudæis, aut infidelibus Deo inſpirante ad fidem Chriſtianam venire volentem, poſt declaratã nutu, verbo, facto, aut quocumque alio modo eius voluntatem à fide, vel fidei inſtructione, aut à ſacri Baptiſmi ſuſceptione retrahere, auertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, néve regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit.

§.8. Si quis apoſtatas, hæreticóſve ſcienter domi ſuæ acceptauerit, aluerit, cõmeatu iuuerit, ſeu quouis modo eis cibaria vbicumque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miſerit, aut de loco ad locũ deduxerit, ſeu aſſociauerit, vel deducẽdos, ſeu aſſociandos curauerit, aut ſumptus miniſtrauerit, duces, comitéſve illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inueſtigari queant, fuerit, quique dictos apoſtatas, aut hæreticos ſcienter aliquo modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem, conſilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præſtiterit.

§.9. Si libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut aliàs prohibitos tenuerit, cuſtodierit, vel diuulgauerit, vel in quæcumque loca detulerit, aut ad eam rem operam ſuam accommodauerit.

§.10. Si Chriſtianos deriſerit, redemptioniſque noſtræ hoſtiam ſalutarem in ara Crucis immolatã, Chriſtum Dominum in ludibrio, & deſpectui habens, quandocumque, maximè verò in ſacro Paraſceues die agnum, ſiue ouem, aut quid aliud Cruci affixerit, aut appenderit, in eámve conſpuerit, ſeu quodcumque contra ipſam fecerit.

§.11. Si nutrices Chriſtianas contra ſacrorum Canonum ſtatuta, diuerſorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ſanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens die, qua Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, lac vno, vel pluribus diebus in latrinas, vel cloacas, vel alia loca effundere coëgerit.

§.12. In quibus caſibus vniuerſis, & ſingulis omnes prædictæ prauitatis Inquiſitores omnium Regnorum, Prouinciarum, ciuitatum, dominiorum, & locorũ vniuerſi Orbis Chriſtiani Iudices in ſuis quique locis perpetuò delegamus; vt ſuper his contra Iudæos, atque infideles quoſcumque, ſimul, vel ſeparatim, prout in cauſis fidei iuxta ſacrorum Canonum formã, necnon Officij Inquiſitionis huiuſmodi conſtitutiones, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo, vel aliquibus horum flagitiorum exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro culpæ modo ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut conſuetudine delinquendi flagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora decernant, & aliàs de eis exẽpla edant, quæ ſceleratos illos deterreant ab huiuſmodi flagitiis in poſterũ admittẽdis.

§.13. Nos enim venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Prælatis, ac etiam aliis prædictis Inquiſitoribus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, & mandamus, vt præſentes noſtras in ciuitatibus, & locis cuique ſubiectis publicare, & iuxta illarum tenorem procedere, illaſque debitæ executioni mandare procurent.

§.14. Decernentes irritum, & inane quidquid ſecus per quoſcumque, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.15. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,necnon exemptionibus, priuilegiis,immunitatibus,commeatibus,in fidem publicam receptionibus, & tolerantiis; prædictis Iudæis, & aliis infidelibus, maranis, & apoſtatis, tam in dominiis, terris, & locis noſtris,& Sedi Apoſtolicæ,mediatè, vel immediatè ſubiectis,quàm alibi vbicumque Regnorum,Prouinciarum,& dominiorum,gentium, & locorum commorantibus, vel in ea, ex quibuſuis Regnis, & partibus, tam fidelium,quàm infidelium cõfluentibus, eorumque Iudicibus,Aduocatis,& defenſoribus,quacumque auctoritate,poteſtate,& dignitate fungãtur, etiam ad inſtantiam Imperatoris,Regũ,Ducum, & quorumuis aliorum Principum, tam per fel. rec. Paulum III. decimo Kal.Martij, & Iulium etiam III. Non. Decembris, tertio anno ſui cuiuſque Pontificatus, quàm etiam quoſcumque alios anteriores, & poſteriores Romanos Pontifices, ac nos, & Sedem Apoſtolicam, eiuſque Legatos, ac etiam Cameram Apoſtolicã, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis,ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, & aliàs quomodocumque hactenus conceſſis,confirmatis,& innouatis,atque in poſterum concedendis,confirmandis, & innouandis,quæ omnia,etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa,& indiuidua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi ad verbum inſererẽtur præſentibus pro plenè expreſſis habentes,harum ſerie ſpecialiter,& expreſsè reuocamus, abrogamus,& omnino abolemus,ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 16. Volumus autem præſentes in locis Vrbis conſuetis de more publicari, & earum exemplis impreſſis, manu Notarij publici, & ſigillo ſanctæ Romanæ,& vniuerſalis Inquiſitionis, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem vbique tam in iudicio, quàm extra illud adhiberi, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1581. Kal. Iunij, Pontificatus noſtri anno decimo.

Anno à Natiuitate Domini 1581. *Indictione* 9. *die verò* 10. *menſis Iunij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris,& D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno decimo, retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Eccleſiæ S. Ioannis Lateranen. Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, ac etiam ad valuas ſepti Hebræorum,per nos Petrum Aloyſium Gaytam,& Nicolaum Tagliettum Apoſtolicos Curſores.*

Antonivs Lvdovicvs Magiſter Curſorum.

Contra Hebræos tenentes, legenteſq; libros Thalmudi, & alios hactenus damnatos,aut blaſphemias,& contumelias in Deum,& Sanctos continentes.

Clemens Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

CVm Hebræorum malitia nouas in dies excogitet fraudes,quibus pernicioſa volumina, libroſque impios,ac planè deteſtabiles,tum antiquitus damnatos, tum recens conſcriptos in vulgus proferat.

§.1.Nos & ipſis exitiale, & Chriſtiano populo periculoſum rati, hanc eorum nequitiam conniuentibus oculis tolerare, ac pro noſtro Paſtorali officio opportunum huic malo remedium adhibere volentes, adducti exemplo complurium Romanorum Pontific. Prædeceſſorum noſtrorum, præſertim fel.rec. Gregor. IX. Innoc. IV. Clem. IV. Honorij IV. Ioannis XXII. Iulij III.& Gregor. XIII. qui ſæpiùs impium illud Thalmudi nuncupatum, & alia ſimilia reprobata, & deteſtanda ſcripta,& volumina damnarunt, & retineri prohibuerũt,ſeu aliàs ex Chriſtiani Orbis Prouinciis, & Regnis pio zelo exterminarũt, omnes, & ſingulas eorumdem Prædeceſſorũ ſuper hoc editas litteras, quarũ tenores præſentibus volumus pro expreſſis haberi, harum ſerie approbantes, & innouantes.

§.2. Atque illis hæc addentes, omnibus & quibuſcumque vniuerſitatibus Hebræorum, eorumque ſingulis tã in temporali S.R.E. ditione, quàm etiam extra eam vbiuis locorum, & in quibuſuis Chriſtiani Orbis partibus conſtitutis, perpetuò prohibemus, ne quoſuis libros, & Codices impios Thalmudicos ſæpè damnatos, vaniſſimos Cabaliſtos, atque alios nefarios à Prædeceſſoribus noſtris prohibitos, & condemnatos, necnon opera, commentaria,tractatus,volumina, & ſcripta quæcumque, tam lingua Hebraica, quàm quauis alia hactenus conſcripta, aut verſa, edita, & impreſſa, ac in poſterum conſcribenda, aut vertenda, edenda, vel imprimenda, continentia, ſeu continentes, tacitè,vel expreſsè, hæreſes, vel errores contra ſacras veteris legis,& Teſtamenti ſcripturas,necnon contumelias, impietates, blaſphemias, contra Deum, ſanctiſſimam Trinitatem, & Saluatorem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum, eiuſque ſanctam Chriſtianam fidem, ac beatiſſimam ipſius Genitricem ſemper Virginem Mariam, & beatos Angelos,Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, alioſque Sanctos Dei, ſacratiſſimam Crucem, Sacramenta nouæ legis,ſacras imagines,& ſanctam Catholicam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam, ac contra Chriſti fideles, præſertim Epiſcopos,Sacerdotes, & alias Eccleſiaſticas perſonas, atque etiam contra nuper ad eiuſdem Chriſti fidem conuerſos, ac Neophytos,& aliàs contra Religionem Catholicam,vel in quibus etiam impudicæ, & obſcœnæ narrationes memorãtur;etiam ſub prætextu,quòd expurgata fuerint,vel donec expurgẽtur,ſiue quòd de noue typis excuſa fuerint, mutatis nominibus, vel etiam ſub obtentu, ſeu tolerantia, aut permiſſione,vt prætendunt, Secretarij, aut cuiuſuis perſonæ Sacr.Conc.Trid.aut Indicis librorũ prohibitorum per rec.mem.Pium Papam IV.Prædeceſſorem noſtrum editi, vel cuiuſuis Indulti Apoſtolici, aut licentiam per S.R.E.Cardinales, etiam Legatos,aut Camerarium, ſeu Cameram Apoſtolicam, vel Nuntios etiam cum poteſtate Legati de latere, aut locorum Ordinarios,ſeu Inquiſitores hæreticæ prauitatis forſan quomodolibet cõceſſæ, aut quouis alio quæſito colore,legere,habere,vel retinere,

emere,

emere, vel vendere, aut euulgare nullo modo audeant, vel præſumant.

§. 3. Omnes verò, & quaſcumque facultates, litteras, permiſſiones, indulta, tolerantias legendi, tenendi etiam ad tempus certum, vel incertũ, vel ad effectus prædictos, & ſub ſimilibus, vel aliis prætextibus quæcumque, vt præfertur, prohibita ſcripta, volumina, libros, & alia ſupradicta quibuſuis Iudæis, in genere, vel in ſpecie, à Prædeceſſoribus noſtris, & dicta Sede Apoſtolica, ſeu eius Legatis, etiam de latere, vel Nuntiis, aut Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, aut locorum Ordinariis, vel quibuſuis aliis quauis dignitate, & auctoritate fungentibus, etiam S.R.E. Cardinalibus, eiuſque Camerario, ſeu Camera prædicta, ſub quibuſuis verborum formis, & conceptionibus, & quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, ac vim contractus inducentibus, irritantibuſque & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu ad quorumcumque Principum, etiam Regali, Ducali, vel alia quacumque præeminentia fulgentium inſtantiam, vel eorum intuitu conceſſas, auctoritate, & tenore præmiſſis reuocamus, irritamus, & annullamus, ac pro reuocatis, irritis, & penitus infectis in perpetuum habere volumus.

§. 4. Diſtrictiùs inhibentes, tam quibuſcumque ex prędictis, quauis auctoritate, & facultate ſuffultis perſonis, ne huiuſmodi licentias, tolerantias, indulta quoquomodo concedere, quàm Iudæis, ne illis ſic per præſentes reuocatis, aut poſthac forſan de facto conceden. vti, aut earũ prætextu, ſeu aliàs quomodolibet libros prædictos retinere, legere, deferre, emere, vendere, aut de nouo edere præſumant.

§. 5. Quinimò ſi quos ad præſens habent, eos ſtatim intra decem dies Romæ in Officio S. Romanę vniuerſalis Inquiſitionis, extra Vrbem verò intra duos menſes à die publicationis præſentium numerandos locorum Otdinariis, ſeu Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, à quibus poſtmodum abſque alio mandato noſtro, nulla interpoſita mora comburantur, exhibere, tradere, & conſignare omnino teneantur, & debeant.

§. 6. Præcipientes tam ipſis Iudæis, quàm quibuſcumque Typographis, Bibliopolis, ſeu mercatoribus, & aliis quibuſcumque Chriſti fidelibus, etiam cuiuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, vel cõditionis exiſtẽtibus, ſub pœnis amiſſionis librorũ, & publicationis omnium bonorũ, fiſco eius Principis in cuius ditione libri reperti fuerint applicandorum, ac aliis etiam grauioribus, & corporis afflictiuis arbitrio diœceſani, ac etiam Inquiſitoris, ſi inibi fuerit, ſtatuendis, ac moderãdis, necnon quoad Chriſtianos, etiam excommunicationis maioris latæ ſententię vnumquemque contrafacientem eo ipſo incurrẽdæ, ne huiuſmodi libros, & alia ſcripta ſuperiùs prohibita, vt præfertur, retinere, habere, legere, edere, typis excudere, ſeu imprimere, deſcribere, vel exemplare, aduehere, emere, vendere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet diſtrahere, vel alienare.

§. 7. Neve quiſquam, etiam ſub prædictis, & aliis pœnis contra fautores apoſtatarum à fide, & hæreticorum à ſacr. Canon. & conſtitutionibus Apoſtolicis inflictis, ipſis Hebræis, pro habendis, ſcribendis, ſeu imprimendis huiuſmodi libris, vel vndecumque afferendis, ſeu tranſuehendis, aut pro eorumdem legendorum licentia de cetero impetranda, opem, conſilium, auxilium, vel fauorem præſtare, aut impendere quoquomodo audeat.

§. 8. Quocirca venerabilibus Fratribus noſtris tam S.R.E. Cardinalibus aduerſus hereticam prauitatem in toto terrarum Orbe generalibus Inquiſitoribus, quàm etiam Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque locorum Ordinariis, & Inquiſitoribus quibuſcumque eiuſdem hæreticæ prauitatis, in quibuſuis Regnis, Prouinciis, & Ciuitatibus pro tempore exiſtentibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli, in ciuitatibus, terris, & locis, vbi Iudæi commorantur, tam in eorum Synagogis, & locis publicis, quàm priuatis domibus, & Officinis, & aliàs vbique locorum, etiam apud Bibliopolas Chriſtianos prędictos ſic prohibitos libros, & ſcripta per ſe, vel alium, ſeu alios ab eis deputandos diligentiſſimè perquirant, & contra eos, qui ſuper retentione huiuſmodi culpabiles reperti fuerint, ad prædictarum, & aliarum, etiam grauiorum eorum arbitrio pœnarum executionem procedant. Contradictores necnon inobedientes quoſcumque, eſſve auxilium, conſilium, vel fauore præſtantes, per opportuna iuris vel facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

§. 9. Non obſtantibus præmiſſis, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, dictis Hebræis, eorúmve vniuerſitatibus ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis, in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, etiam ſæpiùs approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi aliàs pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio habenda, ſeu quæuis alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, necnon formas, & decreta in illis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum inſererẽtur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habẽtes, illis quoad reliqua in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1599. Prid. Kalend. Martij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Anno à Natiuit. Domini 1599. Indict. 6. die verò Sabbati 3. menſis Aprilis, Pontif. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius ſecundo, retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, in acie Campi Floræ, & in platea nuncupata Iudæorum, relictis in eis copiis affixu per Nos Io. Baptiſtam Bagno, & Franciſcum Baron. S.D.N. Papæ Curſor.

BAPT. PRESSIVS Mag. Curſ.

Innouatio conſtitutionis ſel. rec. Pauli Papæ IV. contra negantes Trinitatem, aut Diuinitatem IESV CHRISTI, *aut eius conceptionem de Spiritu ſancto, aut eius mortem, vt nos redimeret, aut virginitatem Beatiſſimæ ſemper Virginis* DEI *Genitricis Mariæ.*

Adiecta forma in publicatione eiuſdem conſtitutionis ſeruanda, ne de cetero illius ignorantia à quoquam quouis prætextu poſſit allegari.

CLEMENS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DOminici gregis diuina prouidentia nobis, licet meritis imparibus commiſſi, ſollicitudo poſtulat, vt Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, quæ præſertim ad fidei Catholicæ integritatem conſeruandam, & impios homines, ac prauarum hæreſum aſſertores debitis pœnis plectendos pertinent, innouemus, ne qui eiuſmodi errorum labe infecti ſunt, earumdem conſtitutionum, & pœnarum in eis inflictarum ignorationẽ vllo modo prætendere, aut quauis ratione excuſare ſe poſſe præſumant. Cùm itaque fel. rec. Paulus Papa IV. Prædeceſſor noſter, ad quorumdam hominum iniquitatem coërcendam, qui non ſolùm diuerſas hæreſes profiteri, ſed etiam ipſius fidei fundamenta negare præſumebant, ſuoque exemplo multos in interitum animæ trahebant, quadam ſua perpetuò valitura conſtitutione, quæ incipit, *Cùm quorumdam hominum prauitas*; vt huiuſmodi homines à ſuis erroribus intra certum in eis tunc præfixum tempus reſipiſcerent, paterna monitione, & requiſitione, necnon cum ipſorum reſipiſcentium à quibuſcumque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, & temporalibus pleniſſima abſolutione ſanciuerit, vt quicumque tam eatenus lapſi fuiſſent, & intra tempus præfixum non reſipuiſſent, quàm qui in poſterum prolaberentur in hos errores, aut eorum aliquem, qui nimirum aſſeruiſſent, dogmatizaſſent, vel credidiſſent Deum Omnipotentem non eſſe trinum in perſonis, & incompoſita omnino, indiuiſaque vnitate ſubſtantiæ, & vnum vnamet ſimplici Diuinitatis eſſentia, aut Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum non eſſe verum Deum eiuſdem ſubſtantiæ per omnia cum Patre, & Spiritu ſancto, aut eumdem ſecundùm carnem non eſſe conceptum in vtero Beatiſſimæ, ſemperque Virginis Mariæ de Spiritu ſancto, ſicut ceteros homines ex ſemine Ioſeph, aut eumdem Dominum, & Deum noſtrum, Ieſum Chriſtum non ſubiiſſe acerbiſſimam Crucis mortem, vt nos à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret, aut eamdem Beatiſſimam Virginem Mariam non eſſe veram Dei Matrem, nec perſtitiſſe ſemper in virginitatis integritate, ante partum ſcilicet, in partu, & perpetuò poſt partum, pro ſubuerſis, & relapſis in hæreſim haberi, & vt relapſi Curiæ ſæculari tradi, & per ipſam Curiam debitis pœnis in relapſos ſtatutis puniri poſſent in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi verè, & realiter in hæreſim relapſi eſſent; & eos relapſos eſſe conſtaret, prout in prædicta conſtitutione ſub datum Romæ apud S. Marcum ſeptimo Idus Auguſti, Pontificatus ſui anno primo edita pleniùs continetur. Eò tamen huiuſmodi impiorum hominum prorumpit temeritas, vt prætextu ignorationis huiuſmodi conſtitutionis, ac pœnarum in eadem conſtitutione inflictarum, ſe illis minimè ſubiacere, nec obnoxios eſſe putent, ac propterea ſe ab eiſdem pœnis liberari, & abſolui poſſe prætendant. Nos igitur animaduertentes (vt idem quoque Paulus Prædeceſſor benè animaduertit) huiuſmodi errores tam graues, ac nefandos exiſtere, vt illi, qui in eos incidunt, nullam prorſus excuſationem habeant, ſed ſubuerſi potiùs, & immanes, quàm hæretici meritò dici poſſint, propterea, vt illi debita animaduerſione omnino puniantur, nec à præfatis erroribus vlla excuſatione de cetero ſe tueri valeant, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, dicti Pauli Prædeceſſoris veſtigiis inhærentes, ac eius conſtitutionem prædictam quoad pœnas in ea contentas innouantes, ac perpetuò confirmantes, & approbantes, ſupradictos omnes, & ſingulos, qui hactenus in ſimiles errores, aut eorum aliquem lapſi ſunt, aut in poſterum prolabentur, attenta dictorum errorum grauitate, & enormitate, cuiuſcumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, nulla illis etiam ignorantiæ ſupradictæ conſtitutionis excuſatione ſuffragante, pro ſubuerſis, & relapſis in hæreſim haberi, & tamquam relapſos Curiæ ſæculari tradi, ac per eamdem Curiam debitis pœnis in relapſos ſtatutis puniri poſſe, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò ſtatuimus. Non obſtantibus omnibus illis, quæ prædictus Paulus Prædeceſſor voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Vt autem huiuſmodi conſtitutionis ignorantia de cetero allegari, aut prætendi numquam poſſit, atque vt præſentes omnibus innoteſcant, volumus illas ad valuas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ, more ſolito publicari, & affigi, atque iis inde amotis earumdem exempla, etiam impreſſa, ibi affixa relinqui, factaque publicatione huiuſmodi, omnes, qui in Vrbe poſt menſem, qui verò extra eam, & citra montes, poſt quatuor menſes, & qui demum vltra montes fuerint, poſt decem menſes à die publicationis huiuſmodi computandos, perinde afficere, & arctare, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Et nihilominùs, vt ipſæ præſentes litteræ eò notiores fiant, & omnibus magis innoteſcant, necnon pro potiori cautela volumus, vt Inquiſitores contra hæreticam prauitatem, in iis ciuitatibus, terris, & locis, in quibus conſtituti ſunt; vbi verò huiuſmodi Inquiſitores non ſunt locorum Ordinarij, publicationem præſentium, vt infrà dicetur, fieri curent, ac propterea vniuerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis

dectis filiis Inquiſitoribus præfatis contra hæreticam prauitatem vbilibet conſtitutis, per eaſdem præſentes committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium, ſeu alios haſce noſtras litteras, poſtquam earum exemplum receperint, ſeu earum notitiam habuerint, ſemel, aut pluries prout eis magis expedire viſum fuerit, ipſi quidem Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & alij locorum Ordinarij in eorum cathedralibus, & maioribus reſpectiuè Eccleſiis, ciuitatum, oppidorum, & locorum quorumcumque, eorum diœceſium, vbi Inquiſitores fuerint, ipſimet Inquiſitores in eiſdem Eccleſiis, dum in eis maior populi multitudo ad Diuina conuenerit, ſolemniter publicent, & publicari auctoritate noſtra mandent, & faciant. Ceterùm, quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula loca, vbi opus eſſet deferri, volumus, & ſimili auctoritate decernimus, vt earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Inquiſitoris contra hæreticam prauitatem, vel cuiuſcumque perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem vbique in iudicio, & extrà, fides habeatur, quæ ipſiſmet litteris haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 3. Februarij 1603. Pontificatus noſtri anno vndecimo.

M. Vestrivs Barbianvs.

In nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, milleſimo ſexcenteſimo tertio, Indictione prima, die verò decima quarta mẽſis Februarij, Pontificat. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius duodecimo; retroſcriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & acies Campi Floræ, relictis ibidem topiis impreſſis affixis per nos Auguſtinum Braccherium, & Catherinum Menandi Apoſtolicos Curſores.

P. Aloysivs Peregrinvs Mag. Curſ.

Decretum Clementis Papæ VIII.

Quo confirmantur litteræ Pauli Papæ IV. & Pij IV. contra Confeſſarios ſollicitantes pœnitentes in Confeſſionibus.

IN nomine Domini, Amen. Per hoc præſens publicum decreti inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd in Generali Congregatione Officij S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita coram Sanctiſſimo D. N. D. Clemente Papa VIII. ac Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. DD. Iulio Antonio Sanctorio S. Bartholomæi in inſula S. Seuerinæ, Petro S. Hieronymi Illyricorum Deza, Dominico S. Chryſoſtomi, Pinello: Fratre Hieronymo Bernerio S. Mariæ, ſupra Mineruam Aſculano: Fratre Conſtantio S. Petri, in Monte Aureo Sernano, & Paulo S. Cæciliæ Sfondrato nuncupatis, titulorum Preſbyteris, S. R. E. Cardinalibus, in vniuerſa Republica Chriſtiana, aduerſus hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus. In negotio S. Inquiſitionis Hiſpaniarum, ſuper litteris fel. rec. Pauli Papæ IV. & Pij Papæ IV. facultatis procedendi contra Preſbyteros ſæculares, & Regulares in ſacramentis Pœnitẽtiæ, ſeu in actu confeſſionis ſacramentalis, ſollicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, ſeu peccata carnis, Inquiſitori Generali Hiſpaniarum, aliàs cõceſſæ, an priuatè, vel cumulatiuè quoad Superiores Regularium dicta Inquiſitio, contra huiuſmodi delinquentes procedere poſſint. Sanctiſſ. D. N. re diligenter, ac maturè diſcuſſa, auctoritate ſuâ Apoſtolica declarauit, & decreuit, declarat, & decernit circa huiuſmodi facultatem procedendi nihil eſſe attendendum, aut innouandum, ſed Inquiſitionem prædictam, in omnibus Regnis, & Prouinciis ſibi ſubiectis ea iudicialiter vti poſſe, & debere, ſicut in aliis cauſis ad Sanctiſſ. Inquiſitionis Officium pertinentibus, vti hactenus fecit, etiam priuatiuè quoad Superiores Regularium cuiuſuis Ordinis, & Congregationis, etiamſi Mendicantiũ exiſtant, ipſoſque Regulares non eximi ab onere deferendi, ſeu denuntiandi huiuſmodi delinquentes eidem ſancto Officio, quemadmodum in aliis caſibus, & cauſis S. Inquiſitionis, in quibus alij Chriſti fideles de iure tenentur, ſed ad ipſum, ſicut aliàs teneri, & obligatos eſſe. Et ità Sãctitas ſua declarauit, & decreuit, atque perpetuò ſeruandum eſſe ſtatuit omni meliori modo, & forma quibus potuit, poteſtque, & debet, latum, datum, & pronũtiatum fuit ſupradictum decretum, per ſupradictũ Sanctiſſ. D.N.D. Clementem Papam VIII. pro Tribunali ſedentem in ſolio Maieſtatis ſuę, in Generali Congregatione dicti S. Officij, habita Romæ in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum, anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1592. die verò tertio menſis Decembris Feria 5. Pontificatus prælibati D N. Clementis Diuina prouidentia Papæ VIII. anno primo, ibidem præſentibus Reuerendiſſimo Patre Fratre Vincentio, Ordinis Fratrum Prędicatorum Epiſcopo Agnetino: & Reuerendiſſimo Patre D. Anſelmo Dandino Cæſenatẽſi I. V. D. vtriuſque Signaturæ eiuſdem S. D. N. Papæ Referendario, dictique S. Officij Prælatis, & Conſultoribus teſtibus, ad prædicta omnia, & ſingula, vocatis, habitis, ſpecialiter, atque rogatis.

Ex Ludouico Paramo de Origine ſancti Officij, quæſt. 10. de ſollicitantibus, prope finem, &c.

Conſtitutio aduerſus maleficia, ſeu ſortilegia committentes.

Gregorivs Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnipotentis Dei Saluatoris noſtri, qui, vt hominem à laqueis diaboli liberaret, Crucem ſubire dignatus eſt, vices, quamquam immeriti, gerentes in tertis, in id ſummo ſtudio, iuxta creditum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officium, incumbimus, vt gregem Dominicum, inæſtimabili pretio redemptum, aduerſus ſatanæ fraudes defendamus, eiuſdem officij partes deſuper interponendo, prout conſpicimus in Domino ſalubriter

expedire. Sanè nonnulli ſuæ conditionis obliti, & ſolemnis ſponſionis ab iis factæ, cùm in Chriſti gregem per ſacrum regenerationis lauacrum adſciti fuerunt, ſathanæ, cui renuntiarunt, artibus, maleficiis, ſuperſtitionibus, ac nefariis inuentis operam dare non verentur, quinimò Magiſtrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus proſequitur, hominibus inſidiari nunquam ceſſat, proximum variis modis lædere, animas verò ſuas perdere, non timent. Quapropter, vt tam exitioſa ſcelera à Chriſti fidelibus arceantur, grauioribus pœnis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt conſtito, quòd aliquis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apoſtatando, maleficiis, ſiue ſortilegiis vnam, ſeu plures perſonas ita læſerit, vt ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam pro primo lapſu, Curiæ ſæculari tradatur, debitis pœnis puniendus; qui verò, ſimiliter apoſtatando, pactum cum diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit, ex quo, licet mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, ſiue animalibus, frugibus, vel aliis fructibus dānum notabile prouenerit: Muro claudi, ſiue perpetuis carceribus in ſancto Inquiſitionis officio, vbi illud exiſtit, fabricandis, mancipari debeat: qui verò ſimilium delinquentium notitiam habuerint, eos Epiſcopo, ſiue Inquiſitori denuntiare teneantur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides vbique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; quodque eædem præſentes, poſtquàm in valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, arctent, & afficiant, perinde ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 20. Martij 1623. Pontificatus noſtri anno tertio.

S. Card. S. Svsannæ.

Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1623. Indictione ſextæ, die verò vigeſima tertia menſis Martij, Pontificatus Sanctiſſimi D.N.D. Gregorij Diuina prouidentia Papæ XV. anno eius tertio, retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateran. Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per me Bernardinum Brandimartem Latinum Apoſtolicum Curſorem, &c.

Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorū DD. Cardinalium Inquiſitorum Generalium præceptum

De hæreticis, ſeu de hæreſi ſuſpectis ſancto Officio propalandis.

OCtauius Epiſcopus Prænestinus Bandinus, Carolus tit. S. Cæſarei Madrutius, Io. Garſia tit. SS. Quatuor coronatorum Millinus, Fabricius tituli S. Auguſtini Verallus, Gaſpar tit. S. Crucis in Hieruſalem Borgia, Fr. Fœlix Centinus tit. S. Anaſtaſiæ Aſculanus, Scipio Cobellutius tit. S. Suſannæ, Fr. Deſiderius Scaglia tit. S. Clementis de Cremona, Ludouicus tit. S. Laurentij in Damaſo, Ludouiſius Preſbyteri, & Ludouicus S. Adriani Diaconus de Lauallette nuncupati, miſeratione Diuina S.R.E. Cardinales in vniuerſa Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitores Generales à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati.

Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus vtriuſque ſexus, cuiuſuis ſtatus, gradus, Ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtentibus, & quacumque dignitate, & auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum ſerie, ac tenore auctoritate noſtra, & huiuſmodi noſtri officij, qua fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor immediatos pro ſecundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica aſſignamus, omnes, & ſingulos hæreticos, ſeu de hæreſi quomodolibet ſuſpectos, de quibus notitiam habuerint, debeant Nobis, vel Reu. Commiſſario noſtro, quoad habitantes in Vrbe, quo verò ad alios extra Vrbem, & vbiuis locorum degentes, Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis generalibus, ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipſo facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris abſolutionem S.D.N. Papæ, & Nobis reſeruamus. Certificantes huiuſmodi conſciētiæ ſuæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam cōtemnentes, quòd contra ipſos, tamquam contra hæreticorum fautores, aliàs, prout melius viſum, & iuris fuerit, procedetur. Ideò, &c. Datum in noſtra, & Officij ſanctæ Romanæ vniuerſalis Inquiſitionis Congregatione die 3. Ianuarij 1623.

Oct. Epiſc. Prænestin. Card. Bandinus.
C. Card. Madrutius.
Io. Garſia Card. Millinus.
F. Card. Verallus.
G. Card. Borgia.
Fr. Fœlix Card. Aſculanus.
S. Card. S. Suſannæ.
Fr. D. Card. de Cremona.
L. Card. Ludouiſius.
L. Card. de Lauallette.

Andreas de Pettinis, S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſit. Not.

Decreta

Decreta in diuerſis Congregationibus Sanctiſſimi Officij Romæ facta.

Quòd Portugenſes, ſeu Luſitani Portugalliam, ſeu Luſitaniam habitantes, & inde in Italiam venientes, ſi reperiantur Iudaizare, condemnentur tamquam apoſtatæ à fide, die vltima Aprilis 1566.

IN Congregatione coram S.D.N. & Reuerend. D. Cardinal. Inquiſitoribus Generalibus S.D.N. Paulus Papa IV. mandauit, ſtatuit, & ordinauit, quòd conſtito legitimè quoſcumque Portugenſes, ſeu Luſitanos in Portugallia, ſeu Luſitania permanſiſſe, & inde diſceſſiſſe, & in Italiam veniſſe, vbi reperiantur eſſe Iudæi, ſiue iudaizare, condemnentur tamquam apoſtatæ à fide, prout de iure ſimiles apoſtatæ condemnari, & puniri debent; non obſtante, quòd fuerint expoſiti torturæ, ſeu tormentis, quæ ſuſtinendo negauerint ſe fuiſſe baptizatos, vel Chriſtianè vixiſſe, aut Chriſtiana opera egiſſe, vel ſacramenta Eccleſiaſtica percepiſſe. Cùm iam pro liquido, & clarè à S. Sede compertum ſit, & habeatur à ſexaginta annis, vel circà, quòd nullus Hebræus toleratus fuerit habitare in Luſitania, ſeu Portugallia, niſi fuerint baptizati, & vixerint Chriſtianè, & ita ſeruari mandauit, ſtatuit, & ordinauit.

Quòd hæreticorum beneficia vacent à die commiſſi criminis, die 18. *Iulij* 1556.

IN Congregatione facta coram præſ. Sanctiſſ. Domino, & Reuerendiſſimis Cardinalibus Inquiſitoribus Generalibus, idem Sanctiſſimus Dominus noſter, qui ſuprà, conſiderans, quòd hæreticorum beneficia à die commiſſi criminis hæreſeos vacent, & quòd multi hæretici id ſcientes, & in ſuis hæreſibus manentes, vt eos, quos optant, ſucceſſores habeant, in fauorem aliorũ reſignent, vt ſaltem per clauſulas generales, quæ in ipſis reſignationibus de ſtylo ponuntur ius aliquod in beneficiis huiuſmodi acquirant, iis prouidere volens, ſtatuit, & decreuit, quòd ex prædictis reſignationibus nullum ius etiam per dictas clauſulas ipſis reſignatariis acquiratur, imò beneficia huiuſmodi hæreticorum à die commiſſi criminis ſpecialiter diſpoſitioni ſuæ Sanctitatis reſeruauit, ita vt ſi non fiat mentio de huiuſmodi crimine per illum commiſſo, etiam diſpoſitiones per ipſum Sanctiſſimum Dominum factæ nullius ſint roboris, vel momenti. Quæ omnia extendi voluit etiam ad præteritas reſignationes quæ tempore commiſſi criminis, hæreſeos, vel citationis hæreticis factæ ſuum plenarium effectum ſortitæ non fuerint.

Contra inſtituentes nouas Religiones, die 16. *Iulij* 1556.

PRælibatus S. D. N. ratificauit capturam Ioan. Franciſci Raymondi Mutinen. Cõgreg. S. Pauli, & Barnabæ Ciu. Mediolani, & commiſit Reuerendiſſ. D. Cardinalibus Inquiſitoribus Generalibus, ſiue R.D. Commiſſario facultatem procedendi, ſeu procedi faciendi in futurum contra quaſcumque perſonas volentes inſtituere, ſeu inſtituentes nouam Religionem cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, & de contentis in titulo, ſeu titulis de Religioſis domibus, & de conſtituentibus nouam Religionem, Monaſteria, vel alia quæcumque loca pia, quòd poſſint dicti Reuerendiſſimi Cardinales, ſeu dictus Reuerendiſſimus Commiſſarius ea reuidere, & corrigere, ac omnia alia, & ſingula in præmiſſis facere, quæ eis reſpectiuè videbuntur iuri conſona.

Pro vocantibus in ſancto Officio, die 29. *Aprilis* 1557.

A præfato Sanctiſſimo Domino decretum inuenimus, vt infrà.

CVm in Congregationibus, quæ in cauſa hæreſis, ita Domino diſponente, coram nobis fiunt, interuenire pro maiori parte ſoleant nonnulli Clerici, tam ſæculares, quàm Regulares in Sacris, & Sacerdotio, ac in Epiſcopali, & Archiepiſcopali, vel alia maiori dignitate forſan conſtituti, ac deinceps interuenire poterunt, ac etiam nonnulli ex venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinales nobiſcum in iudicando aſſiſtant, & ſæpenumerò contingit, vt per diſcurſum caſuum contingentia, etiam ad caſus nõ minùs forſan enormes, ac etiam minùs enormes, quàm hęreſim ſapientes in eiſdem Congregationibus tam præteritis, quàm futuris, iidem Clerici, & in Sacris, & Sacerdotio, ac Epiſcopali, Archiepiſcopali, vel alia maiori dignitate conſtituit, ac iidem venerabiles Fratres noſtri S.R.E. Cardinales votum, ſeu ſententiam eorum, ex qua mutilatio membri, ſeu ſanguinis effuſio etiam ad mortem naturalem ſecuta fuerit, ſeu in poſterum ſequetur, dixerint, ſeu etiam dicere parati exiſtunt. Nos ſecuritati, ac tranquillitati eorum mentis, & conſcientiæ occurrere volentes, vt iidem Clerici, etiam in Sacris, & Sacerdotio, ac quacumque dignitate etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, vel quacumque maiori prædicti, etiam venerabiles Fratres noſtri Cardinales, qui in iudicando nobis aſſiſtunt, non ſolùm in cauſis hæreſeos, ſed etiam in quacumque cauſa criminali, quæ in dictis Congregationibus coram nobis tractata fuerit, & tractabitur, votum, & ſententiam eorum, non ſolùm quoad quæſtiones, & torturam, ipſis reis pro delictis quibus pro tempore inquiſiti, accuſati, ſeu denuntiati fuerint, ſed etiam ad condignam pœnam, & mulctam etiam vſque ad mutilationem, ſeu ſanguinis effuſionem, ac vſque ad mortem naturalem incluſiuè abſque alicuius cenſuræ, vel irregularitatis incurſu, dicere, & eiſdem Congregationibus intereſſe, & immiſceri poſſint, licentiam, & facultatem concedimus, ac quoad præterita ſi aliquam forſan irregularitatem incurriſſent, cum omnibus prædictis diſpenſamus, non obſtantibus conſtitutionibus, &c.

Idem confirmauit S.D.N. Pius Papa V. extendíque voluit ad omnes Inquiſitores, eorumque Vicarios, Commiſſarios, & Conſultores.

Contra ſine Ordinibus celebrantes, die 20. *Maij* 1557.

PRælibatus S. D. N. ſtatuit, & decreuit, quòd quicumque non habens Sacerdotium, & Ordinem

nem Preſbyteratus, auſus fuerit Miſſam celebrare, abſque aliqua diſputatione, tradatur Curiæ ſæculari puniendus.

Ne Ordinarij conferant beneficia propter hæreſim vacantia, die 29. Septembris 1558.

SANCTISSIMVS D. N. qui ſuprà in Congregatione S. Officij mandauit omnibus Ordinariis, & quibuſcumque aliis, ne ſe intromittant in conferendis beneficiis vacantibus, vel vacaturis propter hæreſim, ſed illorum collationem ſibi ſuiſque ſucceſſoribus reſeruauit. Ad idem facit quod ſequitur.

SANCTISSIMVS D.N. Pius Papa V. conſiderans beneficia hæreticorum à die commiſſi criminis eo ipſo vacare, & multi hæretici id ſcientes, & in ſuis hæreſibus manentes, vt eos, quos optant ſucceſſores, habeant, in fauorem aliorum reſignant, vt ſaltem per clauſulas generales, quę in ipſis reſignationibus de ſtylo ponuntur, ius aliquod in beneficiis huiuſmodi acquirant, iis prouidere volens, ſtatuit, & decreuit, quòd ex prędictis reſignationibus nullum ius, etiam per dictas clauſulas ipſis reſignatariis acquiratur, imò beneficia huiuſmodi hæreticorum à die commiſſi criminis ſpecialiter diſpoſitioni ſuæ Sanctitatis, ſuorumque Succeſſorum reſeruauit, ita vt ſi non fiat mentio de huiuſmodi crimine per illum commiſſo, etiam diſpoſitiones per ſuam Sanctitatem factæ, ſint nullius roboris, vel momenti. Quæ omnia extendi voluit etiam ad præteritas reſignationes, quæ tempore commiſſi criminis hæreſeos, vel citationis ipſis hæreticis factæ ſuum plenarium effectum ſortitæ non fuerint.

Contra abutentes Sacramentis, die 17. Februarij 1559.

SANCTISSIMVS D.N. Paulus Papa IV. in Congregatione S. Officij commiſit, quòd omnes, qui audiuerunt confeſſiones non exiſtentes in Sacris, & celebrantes Miſſas, non exiſtentes etiam in Sacris, & abuſi ſunt ſacratiſſimo Altaris Sacramento, tradi debeant brachio ſæculari.

Die 2. Septembris 1562.

ILluſtriſſimi Cardinales Inquiſitores generales decreuerunt, quòd per quamcumque gratiam factam, vel fiendam quibuſuis, aliàs hæreticis, non intendant eos reſtituere, vt poſſint confeſſiones aliquorum ſæcularium audire.

Idem confirmatum fuiſſe, reperitur in actis S. Officij ſub die quintadecima Nouembris 1565. cum additione, ſeu declaratione, quòd illi, qui abiurarunt aliàs ſecretè, vel publicè, aut aliàs quomodocumque, non admittantur ad audientiam Confeſſionum ſæcularium.

Teſtium nomina publicari non debent, die 14. Maij 1566.

ILluſtriſſimi Cardinales Inquiſitores generales in Congregatione ordinaria decreuerunt dari debere nuda teſtium dicta, prout eo vſque obſeruatum fuit, abſque nominum publicatione, aliarumque circumſtantiarum, propter quas poſſet deueniri ad ipſorum teſtium notitiam. Et quoad reſponſiones teſtium ſuper rei interrogatoriis pariter decreuerunt non eſſe dandas, ſi ex illarum publicatione deueniretur in notitiam, quinam fuerint teſtes ipſi.

Regulares recurrentes ad ſanctum Officium, vt in eo teſtimonium perhibeant, non grauentur à ſuis Superioribus, die 17. Auguſti 1567.

SANCTISSIMVS D. N. Pius Papa V. in generali Congregatione S. Officij, conſulens libertati ipſius S. Officij, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo teſtimonium perhibentium ſtatuit, & decreuit, vt Regulares quorumuis, etiam Mendicantium Ordinum perſonæ, quæ pro tempore ad officium S. Inquiſitionis pro quocumque negotio recurrerint, ſeu confugerint, vel in eo teſtimonium perhibuerint veritatis, aut aliàs quomodolibet depoſuerint, nequaquam à ſuis Superioribus per quinquennium continuum à die recurſus, ſeu depoſitionis huiuſmodi moleſtari, vel ex quacumque cauſa, vel exceſſibus prætenſis perſonarum illarum, & de debitis propterea pœnis, ſeu pœnitentiis eiſdem imponendis, niſi ipſi Illuſtriſſimi Cardinales Inquiſitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipſis Cardinalibus deſuper reſponſum fuerit.

De torquendis reis pro finali veritate habenda, & ſuper complicibus, die 28. Iulij 1569.

INhærendo decretis aliàs per fel. rec. Paulum Papam IV. Sanctiſſ. D. N. Pius Papa V. decreuit omnes, & quoſcumque reos conuictos, & confeſſos de hæreſi pro vlteriori veritate habenda, & ſuper complicibus fore torquendos arbitrio dominorum Iudicum.

Decretum CLEMENTIS VIII. quòd in cauſis ad S. Inquiſitionem hæreticæ prauitatis ſpectantibus Iudices, & Officiales gratis omnia expedire debent.

SANCTISSIMVS D.N. volens, ac intendens prouidere, vt cauſæ, & negotia quouis modo ſpectantia ad S. Inquiſitionem cognoſcantur, & expediantur omni, qua decet, integritate, amotis quibuſuis ſordibus, ac pecuniariis ſolutionibus; ſtatuit, & decreuit, vt in poſterum omnes Patriarchę, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac quiuis Eccleſiarũ Prælati, ſeu inferiores Ordinarij, eorumque vicarij, & officiales, in cauſis, & negotiis S. Officij, pro examine teſtium principalium reorum, pro ſportulis ſententiarum, pro quouis Decreto, ſeu actu, ſeu quacumque expeditione nihil omnino exigant, & recipiant etiam à ſponte dantibus, ſed gratis omnia expediant.

2. Ac eorum Secretarij, Cancellarij, & Notarij pro ſcripturis proceſſuum, informationum, ſeu repetitionis teſtium fiſci, quas mittunt ad ſanctam, & vniuerſalem Inquiſitionem Romanam, nihil penitus exigant, ſed gratis illas mittant.

3. Inſuper mandauit omnibus ſupradictis eorumque vicariis, & officialibus, vt cùm aliquid eis ſignificatur nomine ſupradictæ Inquiſitionis, quam-

quamprimùm litteris reſcribant, & negotia iniuncta executioni demandent.

4. Et hoc decretum, tam ipſi Prælati inuiolabiliter obſeruent, quàm ab aliis obſeruari curent, & eius exemplaria in eorum Cancellariis affixa retineri, vt omnibus innoteſcat, & in Archiuiis regiſtrari faciant, ſub pœna indignationis S.D.N. & aliis arbitrio Sanctitatis ſuæ infligendis.

5. In generali Congregatione S. Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum, coram S.D.N. ac Illuſtribus, & Reuerendiſſ. DD.S.R.E. Cardinalibus, aduerſus hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus. Non. Ianuar. anno à Natiuitate Domini noſtri Iesv Chriſti, &c.

Qvintilianvs Adrianvs Not.

Decretum de Regularibus pœnitentiatis in S. Officio.

Feria quinta prima Octobris 1626. in generali Congregatione S.R. & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Vrbano, diuina prouidentia Papa VIII. ac Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. DD. S.R.E. Cardin. in vniuerſa Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis,

Sanctissimvs D.N. iuſtis de cauſis animum ſuum mouentibus, decreuit, & ſtatuit, vt in poſterum Regulares omnes cuiuſuis Ordinis, Religionis, Societatis, & Inſtituti, quibus pro delictis ad S. Inquiſitionis officium ſpectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impoſitum fuerit (ſalutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipſo ad omnes Religionis ſuæ gradus, & officia inhabiles cenſeantur, & deinceps (etiamſi pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoueri nullatenus poſſint, niſi priùs obtenta à S.D.N. vel ab hac ſacra Congregatione coram SS. habenda, ſpeciali, & expreſſa rehabilitationis gratia. Aliàs promotio quælibet nulla ſit, & promouentes ipſi priuationem ſuorum officiorum, ac præterea vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrant, ad quæ reſtitui, niſi ab eodem S.D.N. vel ab eadem S. Congregatione coram SS. habenda, non poſſint. Præſens autem Decretum omnibus Religioſorum Superioribus intimari mandauit idem S.D.N.

Thomas de Federicis S. Romanæ ac vniuerſ. Inquiſitionis Notarius ſubſtitutus de mandato.

Locus ſigilli.

Decretum de non imprimendis libris.

Feria 5. die 18. Septembris 1625.

In generali Congregatione S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram S.D.N. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. DD. S. R.E. Card. aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus, à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctissimvs D.N. pro debito ſui Paſtoralis Officij corrigere volens aduerſus nonnullorum in ſtatu Sedi Apoſtolicæ mediatè vel immediatè ſubiecto exiſtentium, qui libros à ſe compoſitos extra præfatum ſtatum abſque vlla Ordinariorum, & Inquiſitorum loci, vbi degunt, approbatione imprimendos tranſmittunt, ſtatuit, & decreuit, vt in poſterum nemo in ſtatu prædicto degens, cuiuſuis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis exiſtat, libros de quauis materia tractantes, & vbicumque compoſitos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos, ſine expreſſa in ſcriptis approbatione Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Cardinalis S.D.N. Vicarij, & Magiſtri S. Palatij, ſi in Vrbe, ſi verò extra Vrbem exiſtat, ſine Ordinarij, & Inquiſitoris loci illius, ſiue ab iiſdem deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda; libros autem, quos contra præſentis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio ſuæ Sanctitatis infligendas, abſque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expreſsè prohibitis haberi vult, & mandat. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus, &c.

Io. Antonivs Thomasivs S. Rom. & vniuerſ. Inquiſitionis Notarius.

Breue S.D.N.D. Pavli Papæ V. conceſſionis Indulgentiarum, pro Cruce ſignatis, Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, eorumq; Vicariis, Conſultoribus, Officialibus, ceteriſq; S. Officij Miniſtris, & ſeruientibus, vbique locorum conſtitutis.

Pavlvs Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cvm inter ceteras, quæ in Eccleſia Dei hactenus inſtitutæ reperiuntur, Chriſti fidelium Confraternitates, illa ad Dei omnipotentis gloriam, & orthodoxæ fidei conſeruationem, & propagationem ſatis vberes fructus attuliſſe, & in dies afferre dignoſcatur, quæ licet in varias partes diſperſa ſub Cruce ſignatorum vocabulo, ſeu S. Petri Martyris inuocatione ad aſſiſtendum hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, auxiliumque quando & quoties opus eſſet in Catholicæ fidei negotiis aduerſus hæreticos, etiam vita ipſa præſtandum, iam pridem inſtituta exiſtit. Nos paterna ſollicitudine, vt eadem Cruce ſignatorum Confraternitas maiora ſuſcipiat incrementa, quò ſpecialibus priuilegiis decorata, & cæleſtis gratiæ donis adiuta fuerit, prouidere volentes, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui eamdem Confraternitatem pro tempore ingredientur, & in ea vbicumque locorum deſcribentur, ſeu recipientur, die primo eorum ingreſſus, & receptionis huiuſmodi, ſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, necnon tam ipſis, quàm ad præſens exiſtentibus prædictæ Confraternitatis Confratribus, etiam verè pœnitentibus,

tibus, & confeſſis, ac ſacra Communione, ſi id commodè fieri potuerit, refectis, vel ſaltem contritis in eorum mortis articulo pium nomen IESV corde, ſi ore non potuerint, inuocantibus: inſuper dictis Confratribus ſimiliter pœnitentibus, & confeſſis, qui aliquam ex Eccleſiis, vel Capellis, ſeu Oratoriis ipſius Confraternitatis, in exaltationis S. Crucis, & S. Petri Martyris feſtis diebus, ſeu eorum aliquo à primis veſperis vſque ad occaſum Solis cuiuſlibet dierum huiuſmodi quolibet anno pro tempore deuotè viſitauerint, & ibi pias ad Deum preces pro S.R.E. ac fidei Catholicæ felici ſtatu, & exaltatione, hæreſumque extirpatione, Romani Pontificis ſalute, & inter Chriſtianos Principes ſeruanda pace, concordia, & vnione effuderint, quacumque feſtiuitate prædicta id pro tempore fecerint, ſi ſimiliter dictum ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & elargimur. Præterea eiſdem confratribus pariter pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis, vel Capellis, ſeu Oratoriis prædictis in Inuentionis eiuſdem ſanctæ Crucis, & Natiuitatis Domini noſtri IESV Chriſti, ac Annuntiationis, & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, necnon omnibus Sanctorum feſtiuitatibus, à primis ſimiliter veſperis vſque ad occaſum Solis dierum, feſtiuitatum earumdem deuotè etiam viſitauerint, & vt ſuprà orauerint, quo dierum feſtiuitatum huiuſmodi id egerint, necnon etiam qui pro hæreticorum capturis, vel illis captis tutò deducendis aſſociando, ſeu aliàs operam præſtiterint, aut Proceſſionibus iuxta eorum ſtatuta, ſeu aliàs de locorum Ordinariorum licentia quandocumque faciendis, ſeu publicis, vel priuatis eorumdem hæreticorum abiurationibus, quandocumque, & vbicumque faciendis interuenerint, ſeu eorum conuerſioni, & in fide Catholica inſtructioni incubuerint, vel ad concionnes ſeu prædicationes, quæ contra illos fiunt, attdien. ac denique ad illos, eorumque fautores, receptatores, & defenſores impugnandos acceſſerint, ſeu in præmiſſis Inquiſitoribus, auxilium, conſilium, vel fauorem præſtiterint, quo die præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum egerint, quadraginta annos de iniunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis auctoritate, & tenore præmiſſis miſericorditer in Domino relaxamus in forma Eccleſiæ conſueta, quodque iidem Confratres ſingulis anni diebus quinque altaria, ſi totidem ibi fuerint, aut ſaltem vnum Eccleſiæ loci, in quo ipſos pro tempore morari contigerit, deuotè viſitando, ac genibus flexis Pſalmum vnum, vel quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitando, eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quas conſequerentur, ſi eo die Eccleſias vrbis, in quibus ſtationes habentur, viſitauerint, conſequantur, ſimiliter auctoritate, & tenore præmiſſis concedimus, & indulgemus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Decernentes noſtræ intentionis exiſtere, quòd præmiſſæ Indulgentiæ, & gratiæ tam ſingulis Inquiſitoribus, & eorum vicariis, quàm Conſultoribus, ceteriſque Officij Inquiſitionis hæreticæ prauitatis Officialibus, Miniſtris, & ſeruientibus, vbilibet commorantibus, & etiam in dicta Confraternitate minimè deſcriptis, muneri tamen ſuo, prout quemlibet reſpectiuè concernit, fungentibus, & alias præmiſſa peragentibus conceſſæ ſint, & cenſeantur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac regula noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ceteriſque in contrarium quomodolibet faciendis. Datum Romæ apud S. Mareum, ſub annulo Piſcatoris die 29. Iulij 1611. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

S. COBELLVTIVS.

Romæ ex Typographia Cam. Apoſt. 1611.



INDEX

INDEX RERVM OMNIVM NOTABILIVM, IN HAC QVARTA PARTE CONTENTARVM.

A.

Abbas.

ABBATES, & alij Prælati inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, etiam nullius diœcesis, an gaudeant facultate absoluendi, & dispensandi, ex Concilio Trident. tract. 4. resol. 211.

Vide Prior.

Abortus.

Abortum faciens an sit irregularis si dubitetur de animatione fœtus tract. 2. resol. 16.

Absens.

Absentes an possint absolui ab irregularitatibus quæ includuntur sub nomine censuræ. tract. 2. resol. 103.

Absens & contumax in crimine hæresis, quoties citari debeat antequàm condemnetur. tract. 8. resol. 42. vers. Sed quot.

Absens an debeat citari trina citatione. tr. 8. res. 80.

Absolutio, Absolutus.

Absolutio irregularis an sit valida tract. 2. resol. 68.

Absolui ab irregularitatibus quæ includuntur sub nomine censuræ an possint absentes. Vide Absentes.

Absolui vtrùm possit casus reseruatus in dubio. tract. 3. resol. 4.

Absolutio danda puero in dubio an habeat vsum rationis tract. 3. resol. 53.

Absolutio censurarum an possit fieri extra confessionem à Regularibus virtute suorum priuilegiorum. tr 4 res 8

Absolui an possint Regulares post Bullam Vrbani VIII. cum Bulla Cruciatæ à reseruatis cum Confessario domus. tract. 4. resol. 43.

Absolutio an per epistolam debeat impetrari ab excommunicato, si non potest propter impedimentum Papam adire. tract. 4. res. 58.

Absolui an possit sub conditione moribundus qui neque petiit confessionem, nec vllum signum edidit. tr. 4. res. 92.

Absoluere an possit qui obtinuit licentiam absoluendi aliquem à casibus reseruatis, in quos inciderat, & postea inuenit illum denuò incidisse in dictis casibus post licentiam obtentam. tract. 4. res. 109.

Absoluere an possit à suspensione contracta ob defectum tituli secundùm opinionem aliquorum, vel ob malam Ordinum susceptionem, Confessarius habens facultatem generalem absoluendi à censuris. tract. 4. res. 115.

Absoluendi an sint aliquando qui volunt dimittere occasiones proximas peccandi. tract. 4. res. 165.

An parentes qui nolunt ad colloquium admittere filium qui indignum matrimonium contraxit. tr. 4. res 182.

Absoluti in articulo mortis à casibus reseruatis, an teneantur si conualuerint, comparere coram Superiore, sicut tenetur si fuerint absoluti ab aliqua censura. tr. 4. res. 199.

Absoluendi & dispensandi facultate ex Concil. Trident. an gaudeant Abbates & alij Prælati inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, etiam nullius diœcesis. tract. 4. resol. 211.

Gaudet Capitulum Sede vacante. ibid. vers. Notandum.

Item Superiores Regularium circa suos subditos. ibid.

Absoluendi potestatem an Sacerdos hæreticus, Schismaticus & excommunicatus habeat in articulo mortis. tr. 4. resol. 235.

Absoluere ab hæresi occulta an hodie possint Episcopi. tract. 4. resol. 239.

Absolui ab occulta hæresi an possit ab inferiori Sacerdote legitimè impeditus adire Pontificem. tr. 4. res. 242.

Absolutus an possit condemnari ab Inquisitoribus, iterum de eodem crimine, pleniori superueniente probatione. tract. 8. resol. 10.

Vide Confessio.

Acceptatio.

Acceptatio beneficij ab excommunicato, qui tempore collationis & electionis non erat excommunicatus, an sit valida. tr. 4. res. 56.

Actuarius.

Actuarij curiæ Episcoporum in omnibus delictis, etiam commissis extra officium gaudent priuilegio fori. tract. 1. resol. 30. vers. Cùm igitur.

Adminiculum.

